ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS I

SESSIO PUBLICA VI

CONGREGATIONES GENERALES CXXVIII-CXXXII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVI

MT. ST. ALPHONSUS SEMINARY
ESOPUS, NEW YORK 12429

DOCUMENTA

1

RESCRIPTUM *

Quarta Oecumenicae Synodi periodus indicitur

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut quarta Ss. Concilii Oecumenici Vaticani Secundi periodus initium habeat die XIV mensis Septembris, in festo Exaltationis S. Crucis, anno MCMLXV; qua periodo exacta, memorato Concilio finis imponetur.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Ianuarii, anno MCMLXV.

✠ HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

2

EPISTULA ENCYCLICA **

Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: in mensem maium supplicationes Beatae Mariae Virgini indicuntur.

PAULUS PAPA VI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mense maio instante, quem christifidelium religio Mariae Dei Genitrici iamdiu dicare consuevit, gaudio animus Noster exsultat, illud quasi praecipiens fidei amorisque spectaculum ad permovendum aptum, quod mox ubique terrarum ad honorem Reginae caelorum praebebitur. Hoc enim mense, ex altera parte, cum in templis tum intra domesticos parietes a christianorum animis Deiparae Virgini amantiora pietatis et cultus officia ex recepto instituto tribuuntur; ex altera, crebriora et ditiora divinae misericordiae dona e Matris nostrae solio in nos defluere solent.

---

* *A.A.S.*, 57 (1965), p. 188.
** *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 353-358.

Quapropter iucundissimus solaciique plenus advenit Nobis religiosus hic mos cum mense Maio coniunctus; unde et in beatissimam Virginem tantus honor, et in populum christianum tam uberes proficiscuntur fructus. Cum enim Maria iure merito tamquam via sit habenda, qua ad Christum ducamur, fieri idcirco non potest quin Mariae qui occurrerit, Christo pariter occurrat. Quid namque ad Mariam continenter confugientes aliud quaerimus, nisi in eius ulnis, in ipsa scilicet Virgine, per ipsam, cumque ipsa, Christum quaerimus, Servatorem nostrum, ad quem homines, in huius saeculi trepidationibus et periculis, suorum animorum necessitate quadam compulsi, quasi ad salutis portum, ad vitaeque fontem, rerum naturam transcendentem, se vertere debent?

Quod videlicet mense Maio hinc ad crebriores fidentioresque preces magnopere provocamur, hinc vota nostra ad cor Virginis Mariae clementissimum faciliorem habent aditum, ideo in pergrato Decessorum Nostrorum more fuit, hunc mensem, Deiparae Mariae sacrum, eligere, quo christianum populum ad publicas supplicationes faciendas hortarentur, quotiescumque vel id sanctae Ecclesiae postularent necessitudines, vel grave aliquod discrimen in humanam consortionem impenderet. Iamvero, Venerabiles Fratres, hoc anno Nosmetipsi veluti cogimur ad id genus obsecrationes totius catholici orbis homines elicere. Etenim si hac ad praesentes Ecclesiae necessitates spectamus, hac animadvertimus quo loco sit mundi pax, cum certis causis putamus, hanc, qua nunc utimur, horam esse admodum gravem, atque adeo nihil prius nec potius esse quam cunctos christianos homines ad precum concentum vocare.

Primam precandi causam magnum hoc Ecclesiae tempus affert, quo nempe Concilium Oecumenicum Vaticanum II habetur. Scilicet maximus huiusmodi conventus ponderosum illud Ecclesiae proponit consilium, ut seipsam, quoad conveniat, ad nostri aevi necessitates accommodet: in cuius rei successu sive futura Sponsae Christi aetas, sive plurimorum animorum sors in diuturnum tempus sitae erunt. Porro grandis ea nunc vertitur hora, a Deo non modo vitae Ecclesiae, sed etiam historiae mundi constituta. Cuius Concilii labores quamvis magnam partem consumpti sint, in proxima tamen eius Sessione, quae extrema erit, amplissima vos, Venerabiles Fratres, opera et officia manent. Deinde tempus sequetur, haud sane minus grave quam prius, quo Concilii deliberationes ad effectum erunt adducendae; tunc enim consociatae cleri populique vires exposcentur, ut quae semina per Concilii dies sparsa sint, ea praesentem salutaremque maturitatem adipiscantur. Ut autem mentis lumen et munera superna, ad tanti negotii adhuc perficiendi magnitudinem necessaria, consequamur, spem Nostram in ea collocamus, quam in exitu Sessionis proxime praeteritae cum animi gaudio renuntiavimus *Matrem Ec-*

clesiae. Ea, quae ab exordio Concilii amanti cura nobis auxilia praebuit, non omittet quominus benigne nobis pergat adesse, donec operi finis imponatur.

. . .

A vobis igitur, Venerabiles Fratres, petimus, ut haec Nostra vota atque hortamenta ad fidelium, vestrae vigilantiae concreditorum, notitiam perferatis, ea sane ratione, quae vobis magis accommoda visa erit; pariterque curetis, ut proximo mense Maio peculiares precationes in omnibus dioecesibus atque curiis indicantur, atque praesertim sollemni die, Beatae Mariae Virgini Reginae dicato, publica habeatur supplicatio ad ea, quae diximus, impetranda.

Sciatis Nos spem in puerorum inque afflictorum precibus collocare praecipuam, quandoquidem huiusmodi potissimum voces Caelum penetrant atque divinam flectunt iustitiam. Quoniam vero opportuna praebetur occasio, ne omittatis Marialis Rosarii consuetudinem omni cum diligentia iterum iterumque suadere: precationis nempe formulam, Deiparae Virgini tantopere acceptam atque a Romanis Pontificibus tam saepe propositam, qua christifidelibus quam maxime idonea offertur copia huic Divini Magistri suaviter efficaciterque obtemperandi praecepto: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis* (*Mt.* 7, 7).

Hisce benevolentis animi sensibus moti, laetaque spe ducti, fore ut huic Nostrae adhortationi alacres docilesque respondeatis omnes, vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque vobis commissis gregibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX mensis Aprilis, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

3

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS *

Ad E.mos Purpuratos Patres, Summo Pontifici nominalem diem celebranti felicia ac fausta ominatos. Die 24 mensis iunii a. 1965.

. . .

Verso la conclusione del Concilio Ecumenico Vaticano II

Accenneremo piuttosto alle due maggiori questioni che gravano sul Nostro spirito, e che caratterizzano ora agli occhi di tutti il Nostro pon-

---

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 640-643.

tificato; vogliamo dire la conclusione del Concilio Ecumenico, e la pace nel mondo.

Tra gli avvenimenti, infatti, dei quali la bontà del Signore Ci ha voluti testimoni e partecipi in questo trascorso anno, ha trovato posto precipuo lo svolgimento della terza Sessione del Concilio Ecumenico Vaticano Secondo, alla fine della quale, dopo l'approfondita e completa elaborazione compiutane dalla venerabile Assemblea dei Padri, avemmo la ventura e la gioia di approvare e promulgare tre importanti documenti: la Costituzione dogmatica sulla Chiesa ed i Decreti sull'Ecumenismo e sulle Chiese Orientali Cattoliche.

Non Ci sembra necessario soffermarCi a sottolineare il significato di tali testi e la vasta influenza che essi sempre più eserciteranno nella vita della Chiesa; lo attestano già i numerosi commenti, analisi, studi, applicazioni, che sono stati fatti e quelli che ancora più ampiamente e concretamente lo saranno. Così, la luminosa dottrina conciliare sarà motivo e fondamento di rinnovate prese di coscienza individuale e collettiva sulla natura divina e misteriosa della Chiesa, sulla vocazione, la dignità e l'ordine dei suoi membri, nonché sull'universale missione di salvezza affidatale dal Signore e che essa fedelmente compie lungo il corso dei secoli e delle generazioni.

Abbiamo ragione di compiacerCi vivamente di questo generale risveglio di interesse per la dottrina ecclesiologica, augurandoCi che esso converga verso un sempre più pieno e profondo intendimento dei Decreti Conciliari ed un esatto adempimento delle norme in essi contenute.

È anche entrata in vigore, durante il corso di quest'anno, la riforma della Sacra Liturgia predisposta dal rispettivo Decreto della precedente Sessione Conciliare, nell'intento di facilitare ai fedeli — come sta già avvenendo — l'accostamento alle sorgenti di una spiritualità più autentica e la comprensione più profonda e fruttuosa del contenuto e del significato dei riti sacri. Non possiamo, perciò, che rallegrarCi delle molteplici iniziative di apostolato liturgico, desiderando che esse corrispondano fedelmente allo spirito ed alla lettera della Costituzione Conciliare e della relativa Istruzione, non che delle norme promulgate dall'Autorità Ecclesiastica competente, sì che sicuri, ordinati ed abbondanti siano i frutti che ne derivano al popolo fedele.

Sempre in relazione con le attività e gli orientamenti del Concilio Ecumenico, crediamo di dover ricordare anche, come particolarmente significativa, la istituzione di un Segretariato per i non credenti, quale segno dell'interesse con cui la Chiesa si rivolge ai problemi di tutti gli uomini, anche di quelli da lei più lontani, nel desiderio di prenderne

più esatta ed approfondita conoscenza, sì da poter meglio poi offrire il suo aiuto nella leale ricerca delle soluzioni veraci.

Ora siamo nell'attesa e nella fervida preparazione della quarta e conclusiva Sessione del Concilio, nella quale diversi Schemi di Decreti, che non lo erano stati ancora, dovranno essere discussi, mentre di altri dovrà essere ripetuto od ultimato l'esame.

Ognuno di voi conosce, Signori Cardinali, quanto Ci stia a cuore portare felicemente a termine questo provvido e solenne Concilio. La sua regolare celebrazione, l'importanza delle deliberazioni già prese, il clima di fervore suscitato in ogni strato della compagine ecclesiastica, la conversazione piena di rispetto e di promessa avviata con i Fratelli separati, l'attenzione suscitata nel mondo verso la Chiesa cattolica sono già risultati di grandissimo valore, che Ci lasciano intravedere e gustare l'assistenza dello Spirito Santo a questa Sede Apostolica e all'intero corpo della Chiesa cattolica. Noi confidiamo che questi benefici frutti saranno enormemente accresciuti dai lavori e dai Decreti finali della prossima quarta Sessione. Come il Concilio cominciò nella esultanza e nella fiducia alla sua prima Sessione, così vorremmo che potesse terminare nella più serena e fraterna concordia, nella mutua promessa di amicizia e di solidarietà, nella composta armonia delle strutture organiche che compongono questa santa Chiesa di Dio, nella confermata fiducia delle sue tradizioni, delle sue leggi, del suo stile spirituale e pastorale, nella profonda e quasi estatica coscienza del beatissimo mistero ch'essa porta con sé, nell'accresciuto vigore per il compimento della sua umile e divina missione di servizio, di apostolato e di salvezza in mezzo all'umanità. Bisogna che il Concilio finisca bene, in un lavoro rapido e costruttivo, in una pace piena dello spirito di Cristo.

L'intenso e pratico lavoro delle Commissioni conciliari

Per questo abbiamo favorito il lavoro delle varie Commissioni, alle quali dobbiamo fin d'ora tributare il Nostro ringraziamento per l'assidua fatica sostenuta; per questo abbiamo cercato che gli Schemi delle questioni conciliari tuttora pendenti fossero quanto mai accurati e suffragati da libere e laboriose discussioni preparatorie; e per questo chiediamo a voi, Signori Cardinali, di volerCi conservare la vostra più attenta e devota collaborazione; e questo Nostro invito si estende, naturalmente, a tutti i Nostri Fratelli nell'Episcopato, a tutti i membri del grande Sinodo; non che a quanti, in diverse forme, possono contribuire al suo sereno svolgimento e al suo epilogo felice: consultori, periti, pubblicisti, fedeli. Che l'azione concorde e positiva di tutti questi figli Ci segua; Ci segua la loro preghiera, perché davvero l'ora storica, che

stiamo per attraversare, abbia la sua luce e la sua benedizione. Facciamo assegnamento ancora non solo sulla presenza, per Noi desiderabile ed onorifica, degli « Osservatori » dei Fratelli separati, che interverranno alle riunioni conciliari, ma altresì sulla loro cortese bontà e sulla comune speranza che crolli un giorno, nei debiti modi, ogni diaframma che ancora ci impedisce di celebrare insieme la perfetta unità, a cui Cristo ci invita.

Il Concilio, speriamo, potrà pronunciarsi, in modo definitivo, circa i temi proposti al suo programma; non saranno con ciò chiuse tutte le questioni riguardanti la vita della Chiesa; ché anzi il Concilio stesso molte ne apre, nuove e grandi, le quali Noi, a Concilio finito, raccoglieremo con ogni riverenza e cercheremo di trattare e di risolvere, non senza la cooperazione e il consiglio dell'Episcopato, non che la collaborazione dei Religiosi e dei Fedeli stessi, aventi titolo per farlo, nei modi migliori. La vita continua!

. . .

4

ADHORTATIO APOSTOLICA *

Ad universos Episcopos pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: instante quarta Sessione Concilii Oecumenici Vaticani Secundi.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quarta Sessio Concilii Oecumenici Vaticani Secundi quoniam festo die Exaltationis Sanctae Crucis initium capiet, Patres eiusdem universalis Synodi e cunctis orbis terrarum partibus Romam, ad sepulcrum Petri Apostoli, revertentur, secum veluti ferentes ad hanc primariam sedem catholicae unitatis exspectationem, desideria, anxia studia populorum suorum, qui summam spem ponunt in hoc Oecumenico Coetu. Illi, opus suum perficientes, finem imponent magnae celebrationi huius Concilii, quod, in Spiritu Sancto congregatum, quattuor annos ad considerandas et solvendas pernecessarias et gravissimas quaestiones attendit, quibus hodierna vita Ecclesiae premitur, eo consilio ut vultus ipsius novo splendore coram hominibus refulgeat hosque universos spirituali invitamento suo alliciat ad fidem in Christum et ad promptiorem eiusdem secutionem.

Quam ob rem voluimus, ut quartae Sessionis initium ipso die liturgicae sollemnitatis fieret, qua mysterium Crucis et virtus redemptrix

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 689-693.

sacrificii in ea peracti celebrantur, ut universi, Christum Cruci affixum aspectantes, penitius in dies comprehendant eum solum in ligno illo exaltatum omnia attrahere ad se ipsum,[1] neque aliud nomen « sub caelo datum esse hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».[2]

Re quidem vera Sacrum Concilium coram universo mundo vim salvificam Crucis testatur; atque adeo iura de humano quolibet corde, quae Salvator per eam est adeptus, cupit confirmare; elatius proferre vult nuntium spei, amoris, pacis, quod ipse solus auctoritate divina ad genus hominum defert, hodie non immerito gloriantium de iis, quae ingenia artiumque progressiones pepererunt, quae audacter invenerunt vel in naturalibus disciplinis sunt experti, quae in re sociali et politica potuerunt efficere. Quae omnia, sine Christo, id est nisi caelesti eius doctrinae inhaereatur, et nisi, quod dedit, praeceptum amoris volenter fideliterque impleatur, utique obnoxia sunt interrogationibus, quae sollicita cum dubitatione fiunt et ad quas nulla datur responsio; obnoxia sunt mutuae diffidentiae, quae animos lacerat, et acerbis casibus nondum depulsis, nempe dolori, morbo, fami, bello.

Oportet profecto cuncta ex re ac veritate aestimemus; quapropter Nobis non sumimus, ut celebratione Concilii unicam et praesentissimam solutionem eiusmodi gravium quaestionum proponi posse arbitremur; sed verum est homines vehementer exspectare ea, quae Concilium Oecumenicum decernet et quae tempore post conclusionem suam futuro ad effectum deducet; verum est momentum eiusmodi decretorum, tota ipsius amplitudine et gravitate eminente, manifestum fieri ei, qui immensum opus Patribus faciendum considerat; verum est Concilium vim inaestimabilis efficacitatis habiturum esse ad vitam Ecclesiae propter stimulos, quos sacris Pastoribus, clero omnibusque fidelibus debet admovere, ut secundum vocationem suam magis sibi conscii vivant; propter immutationes, quas postulabit, quarundam normarum canonicarum, quae non amplius bono animarum conveniunt; propter alias novas formas in instituta et agendi rationem inducendas, quae aptius respondeant ad id, quod nostra tempora poscunt, et propter impulsum missionalem, quo in animis magis insidat et propagetur pacificum illud et liberans nuntium mundo deferendum, nuntium videlicet spiritualis regni veritatis, iustitiae et Christi amoris.

Haec pauca, quae attigimus, sufficiunt, ut intellegatur, quam necesse sit in proxima Sessione omnia recte, ordinatim, fructuose agantur, et quae officia Patribus sint tempore proximo exsequenda. Est opus sane

---

[1] Cf. *Io.* 12, 32.

[2] Cf. *Act.* 4, 12.

praecelsum, quod perspicuitatem requirit sententiarum et coniunctum voluntatum studium, ut fideliter opportunitas arripiatur divinitus Ecclesiae et mundo concessa, ut homines salvi fiant. Hoc opus est tanti oneris et gravitatis, ut sine omnipotentis Dei auxilio, qui dixit « sine me nihil potestis facere »,[3] perfici nequeat. Tantummodo si gratia eius, quem misit, Spiritus veritatis Concilium illustrare non desinet, si Patrum animi illius afflatui, leni et efficaci, recondito ac tali, ut ei resisti non possit, patebunt, Sessio, quae mox incipiet, et Concilii conclusio exoptatos omnes afferent fructus.

Verumtamen ad felicem eiusmodi eventum assequendum precatio est res omnino necessaria, de qua Dominus nos suaviter monet, ut beneficia sua nobis largiatur: « omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis ».[4] Hac de causa ad vos universos, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Nos convertimus, iterum vos instanter rogantes, ut orationibus vestris labores Concilii praeparetis hisque eas adiungatis. Ascendat ad Deum imploratio totius Ecclesiae, ut consessui in aula Concilii gratiae caelestis uberem largitatem impertiat, ut actioni Patrum necessarius vigor et agilitas tribuatur, ut omnes conspirantes operam socient ad exsequenda, annis futuris, consulta ac decreta Synodi universalis. Quoniam vero haec oportet sit nova quaedam Pentecostes, tota Ecclesia unanimiter perseverans coniungatur cum Petri Successore ac Successoribus Apostolorum, quemadmodum discipuli, circa Mariam Matrem Iesu et Matrem nostram congregati, fecerunt in Cenaculo adventum divini Paracliti exspectantes.[5]

Quapropter postmeridiano tempore festi Exaltationis Sanctae Crucis, quo die Sessionis initium fiet, Patres Concilii una Nobiscum paenitentiae causa processionem agent, laudes divinas decantando et insignes reliquias Sanctae Crucis ferendo e basilica eius nomine appellata in atrio Sessoriano, ubi honorifice asservantur, usque ad basilicam Lateranensem, cathedralem ecclesiam Episcopi Urbis Romae. Eadem de causa in sacra Aede Paulina Palatii Apostolici Vaticani per totam quartam Sessionem Sanctissimum altaris Sacramentum palam proponetur, ut ad Iesum Christum in Eucharistia praesentem, qui est centrum caritatis et unitatis vinculum in Ecclesia, continenter dirigantur animi et precationes Patrum Concilii, eorum omnium, qui eidem operam dant, et qui, sive sacerdotes sunt sive animae Deo consecratae sive laici fideles, in pontificia domo Nostra ministerium obeunt.

---

[3] *Io.* 15, 5.
[4] *Mt.* 21, 22.
[5] Cf. *Act.* 1, 14.

Itaque, quasi chorus supplicantium et paenitentiam agentium ex cunctis resonet quinque continentibus orbis, ubicumque scilicet Ecclesia est constituta, in maximis urbibus hodierno cultu insignibus, in quavis amplissima sede officinis referta, in pagis rusticis et montanis, quin etiam in solitariis et quasi in acie positis stationibus regionum missionali opere excolendarum: etenim cupimus, ut in singulis paroeciis et ecclesiis orbis catholici ritus paenitentialis celebretur, ad quem pueri et puellae innocentia ornati, iuvenes generosa et egregia indole praediti, patres matresque familias vocentur; cui intimas animi aerumnas et corporis dolores iungant omnes infirmi, quos habemus carissimos et quorum vis impetrandi apud Cor divinum singulari prorsus modo valet ac tali, ut suppleri non possit. Intuemur etiam commoto et fidenti animo utriusque sexus communitates religiosas, in quibus innumerabiles animae Deo consecratae vitam degunt continuae orationi et perfectae sui abnegationi deditam, cum laetitia Deo et fratribus famulantes. Hae mente prompta et amanti verba Nostra excipient et certatim Deo impensissimas preces adhibebunt, diuturno et secreto se devovendi studio roboratas.

Hic supplicantium concentus sine intermissione perferatur ad Deum, ut Ecclesia universa circa Patrem Communem congregata, divinum adiumentum continenter mereatur et ad onera et officia, mentes inflammantia, se comparet, quae post Concilium peractum ei erunt suscipienda.

Pignus demum grati animi Nostri, quod huic invitamento vos, Venerabiles Fratres ac dilecti filii sacerdotes et fideles Ecclesiae Catholicae, libenter obsequemini — cui, quemadmodum confidimus, etiam fratres aliarum Communitatum Christianarum favebunt — sit Apostolica Benedictio, quam, caelestium munerum conciliatricem, summo paterni amoris affectu largiter impertire gaudemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Augusti, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

5

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria III die 14 septembris 1965 in festo Exaltationis SS.mae Crucis, *hora nona,* in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II celebratio solemniter resumetur, SS.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam cum nonnullis Patribus Conciliaribus concelebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et Rev.mi DD. Cardinales qui, *vestibus rubris, calceis nigris* (concelebrantes vero *calceis rubris*) et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantellettis et mozzetis, supra rochetum, *sericas cappas rubras sine pellibus* assument. Qui autem cum Summo Pontifice sunt celebraturi, supra rochetum omnes vestes sacras, videlicet: amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, casulam, manipulum et mitram serico-damascenam induent. Omnes dein in Sacellum SS.mae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis expectabunt, accessuri cum Eo ad Aulam Conciliarem.

Cappellani Caudatarii consuetam croceam supra vestem violaceam assument; qui autem concelebrantibus assistunt, superpelliceum cum vimpa supra croceam assument.

Exc.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice celebraturi in praedicto Sacello S. Sebastiani omnes vestes sacras pro Missae celebratione induent; sed cum *mitra alba linea*; deinde, una cum Cardinalibus, SS.mum D.num processionali more ad Aulam Conciliarem comitabuntur. Cappellani superpelliceum cum vimpa supra vestem talarem nigram induent.

Omnes Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, rocheto, mantelletta, mozzeta supra proprias consuetas vestes, ceterique Conciliares Patres et Officiales Concilii, vestibus sibi propriis induti, *continuo* et ordinatim ad Aulam Conciliarem pergent, propria subsellia adepturi.

Officiales, Praelati Cappellae Papalis, ceterique in Cappella locum habentes, vestibus sibi propriis induti ad Basilicam Vaticanam accedent ac pariter *continuo* et ordinatim ad sua loca, prope Altare Confessionis venient.

Decanus Auditorum Rotae, una cum alio e suis Collegis, rocheto et superpelliceo induto, prope lectum Paramentorum, Pontificem expectabit et praemonebit alium, qui cappa indutus, crucem gestabit.

Decanus Votantium Signaturae praemonebit duos e suis Collegis, qui rocheto ac superpelliceo induti, officio accolytorum fungentur.

Summus Pontifex in Sacello SS.mae Trinitatis sacris vestibus pro Missae celebratione sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, comitantibus E.mis Cardinalibus et Concelebrantibus Se conferet ad Altare Confessionis, ubi, depositis baculo et mitra, Missae celebrationem inchoabit.

Interim a schola antiph. *Tu es Petrus* cum Ps. 131 *Memento, Domine, David* decantatur universo clero respondente. Proinde rogantur omnes ut, quoquo modo, se abstineant ab acclamationibus, sed uno ore, moderate et devote cum schola alternatim canant.

Expleta Missa, Summus Pontifex deposita casula, pluviale, formale et mitram induet et a duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus associabitur et ad sedem eminentem ascendet.

Deinde perficitur Ritus initio Quartae Sessionis Concilii servandus.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum, et qui ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habent.

Insuper intimentur Vice Camerarius, Principes Solii Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R. C. A., Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores S. R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Officiales Concilii, ceterique intimari soliti, qui omnes suis locis scilicet: prope Altare Confessionis, praesto esse debent hora *saltem octava cum dimidio*. Ex his, qui cappa induti interesse debent, eas sine pellibus, supra consuetas vestes assument in Sacrario Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

SALVATOR CAPOFERRI
Praefecturam Caerem. Ap.
Regens ad interim

6

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE *

Synodus Episcoporum pro universa Ecclesia constituitur

PAULUS PP. VI

Apostolica sollicitudo, qua signa temporum attente perscrutantes vias ac rationes sacri apostolatus increbrescentibus nostrorum dierum necessitatibus mutatisque societatis condicionibus aptare contendimus, Nos impellit, ut coniunctionem Nostram cum Episcopis *quos Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei,*[1] artioribus usque vinculis confirmemus. Ad id Nos permovent non solum reverentia, existimatio, gratique animi sensus, quibus omnes Venerabiles in Episcopatu Fratres merito iure prosequimur, sed etiam gravissimum Pastoris universalis onus Nobis impositum, quo officio obstringimur populum Dei ad aeterna

---

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 775-780.

[1] *Act.* 20, 28.

pascua perducendi. Aetate enim hac nostra, perturbata quidem et discriminum plena, sed ad salutares caelestis gratiae afflatus tantopere patente, cotidiano experimento comperimus quantum prosit apostolico officio Nostro huiusmodi cum sacris Pastoribus coniunctio, quam proinde Nobis in animo est omni ope provehere ac fovere, *ne Nobis* — ut alias asseveravimus — *illorum praesentiae solacium, illorum prudentiae ac rerum usus auxilium, illorum consilii munimentum, illorum auctoritatis suffragium desit.*[2]

Consentaneum propterea erat, praesertim inter Concilii Oecumenici Vaticani II celebrationem, in animo Nostro firmiter insidere persuasionem hanc Nostram de momento ac necessitate magis magisque utendi adiutrice opera Episcoporum in bonum Ecclesiae universae. Immo Concilium Oecumenicum Nobis etiam causa fuit, cur propositum conciperemus constituendi stabiliter peculiare sacrorum Antistitum consilium, ea quidem mente, ut etiam post Concilium peractum ad christianum populum affluere pergeret larga illa beneficiorum copia, quae Concilii tempore ex arta Nostra cum Episcopis coniunctione feliciter percepta est.

Nunc autem, cum ad exitum vergat Concilium Oecumenicum Vaticanum II, opportunum advenisse tempus putamus conceptum iamdiu propositum tandem ad effectum deducendi; idque eo libentius facimus, quod catholici orbis Episcopos scimus aperte huic Nostro proposito favere, ut constat ex plurimorum sacrorum Pastorum votis, quae de hac re in Concilio Oecumenico significata sunt.

Itaque, omnibus mature perpensis, pro Nostra existimatione atque observantia erga universos catholicos Episcopos, atque ut iisdem copia detur manifestiore efficacioreque ratione participandi sollicitudinem Nostram erga Ecclesiam universam, motu proprio ac Nostra apostolica auctoritate erigimus ac constituimus hac in alma Urbe stabile Episcoporum consilium pro Ecclesia universa, Nostrae potestati directe atque immediate subiectum, quod nomine proprio *SYNODUM EPISCOPORUM* appellamus.

Haec Synodus, quae omnium humanorum institutorum more, successu temporis, perfectiorem usque formam assequi poterit, generalibus normis regitur, quae sequuntur.

I

Synodus Episcoporum, qua Episcopi selecti e diversis orbis regionibus supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestant adiutricem ope-

---

[2] *Allocutio ad Patres Conciliares habita, III exacta Oecum. Synodi Sessione; A.A.S.*, 1964, p. 1011.

ram, ita constituitur, ut sit: *a*) institutum ecclesiasticum centrale; *b*) partes agens totius catholici Episcopatus; *c*) natura sua perpetuum; *d*) quoad structuram, ad tempus atque ex occasione munere suo perfungens.

II

Ad Synodum Episcoporum suapte natura munus pertinet edocendi et consilia dandi. Poterit etiam potestate deliberativa gaudere, ubi haec ei collata fuerit a Romano Pontifice, cuius erit in hoc casu decisiones Synodi ratas habere.

1. Fines generales Synodi Episcoporum sunt: *a*) fovere artam coniunctionem et adiutricem operam inter Summum Pontificem et Episcopos totius orbis terrarum; *b*) curare ut directa ac vera notitia habeatur de quaestionibus et de rerum condicionibus, quae spectant ad vitam internam Ecclesiae eiusque debitam in hodierno mundo actionem; *c*) faciliorem efficere concordiam sententiarum saltem quoad essentialia capita doctrinae et quoad modum procedendi in vita Ecclesiae.

2. Fines speciales atque proximi sunt: *a*) opportunos nuntios invicem communicare; *b*) consilia conferre circa negotia, quorum causa Synodus singulis vicibus convocabitur.

III

Synodus Episcoporum directe et immediate subest auctoritati Romani Pontificis, cuius praeterea erit:

1. convocare Synodum, quotiescumque id ipsi opportunum visum erit, loco etiam designato ubi coetus habendi erunt;

2. ratam habere membrorum electionem, de qua in nn. V et VIII;

3. statuere argumenta quaestionum pertractandarum saltem sex menses, si fieri poterit, antequam Synodus celebretur;

4. decernere ut materia rerum pertractandarum iis mittatur, qui harum quaestionum tractationi interesse debeant;

5. statuere ordinem rerum agendarum;

6. praeesse Synodo per se vel per alios.

IV

Synodus Episcoporum congregari potest in coetum generalem, in coetum extraordinarium et in coetum specialem.

V

Synodus Episcoporum in coetum generalem congregata complectitur primo et per se:

1. *a*) Patriarchas, Archiepiscopos Maiores et Metropolitas extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus orientalis;

b) Episcopos electos a singulis Conferentiis Episcopalibus Nationalibus, ad normam n. VIII;

c) Episcopos electos a Conferentiis Episcopalibus plurium Nationum, constitutis scilicet pro iis Nationibus quae propriam Conferentiam non habent, ad normam n. VIII;

d) his accedunt decem viri religiosi qui partes agunt Institutorum Religiosorum Clericalium, electi ab Unione Romana Superiorum Generalium.

2. Intersunt coetui generali Synodi Episcoporum etiam Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositi.

VI

Synodus Episcoporum in coetum extraordinarium congregata complectitur:

1. *a*) Patriarchas, Archiepiscopos Maiores et Metropolitas extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus orientalis;

b) Praesides Conferentiarum Episcopalium Nationalium;

c) Praesides Conferentiarum Episcopalium plurium Nationum, pro iis Nationibus constitutarum quae propriam Conferentiam Episcopalem non habent;

d) Tres viros religiosos qui partes agunt Institutorum Religiosorum Clericalium, electos ab Unione Romana Superiorum Generalium.

2. Intersunt coetui extraordinario Synodi Episcoporum etiam Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositi.

VII

Synodus Episcoporum in coetum specialem congregata complectitur Patriarchas, Archiepiscopos Maiores et Metropolitas extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus orientalis, necnon eos qui partes agunt sive Conferentiarum Episcopalium unius vel plurium Nationum, sive Institutorum Religiosorum, ut in n. V et n. VIII statutum est, qui tamen omnes ad regiones pertineant, pro quibus Synodus Episcoporum convocata est.

VIII

Episcopi, qui partes agunt singularum Conferentiarum Episcopalium Nationalium, ita eliguntur:

a) unus pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 25 membris;

b) duo pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 50 membris;

c) tres pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 100 membris;

d) quattuor pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet plus quam 100 membris.

Conferentiae Episcopales plurium Nationum eligunt eos, qui suas partes agunt, secundum easdem normas.

IX

In eligendis iis, qui partes agunt Conferentiarum Episcopalium unius vel plurium Nationum et Institutorum Religiosorum in Synodo Episcoporum, summopere ratio habenda est non solum ipsorum scientiae et prudentiae generatim, sed etiam cognitionis, ad theoriam et ad praxim quod attinet, materiae de qua Synodus pertractabit.

X

Summus Pontifex, si ei placuerit, auget numerum membrorum Synodi Episcoporum, addendo sive Episcopos, sive religiosos sodales qui partes agunt Institutorum Religiosorum, sive denique ecclesiasticos viros peritos, usque ad quindecim centesimas partes universi numeri membrorum, de quibus in nn. V et VIII.

XI

Cum coetus concluditur, cuius causa Synodus Episcoporum convocata est, desinunt ipso facto sive compositio personarum eiusdem Synodi, sive officia et munera quae ad singula membra qua talia pertinent.

XII

Synodus Episcoporum habet secretarium perpetuum seu generalem, cui congruus adiutorum numerus destinatur. Praeterea quilibet coetus Synodi Episcoporum habet suum secretarium specialem, qui in officio suo permanet usque ad eiusdem coetus terminum.

Tum secretarius generalis tum secretarii speciales a Summo Pontifice nominantur.

Haec decernimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Septembris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

7
ALLOCUTIO

Em.mi P. D. Eugenii card. Tisserant Decani primi ex Consilio Praesidentiae

Allocuturus vos, Patres venerabiles, hac ineunte quarta Sacri Concilii periodo, temperare mihi non possum quin, post Deo actas ex corde gratias, venerationis et amoris sensus, omnium nomine, Summo Pontifici pandam, atque gratulationes et laudes cunctis iis rependam, qui in apparandis schematibus, necnon emendationibus modisque, ex Patrum sententiis, aestimandis, multum elapsis mensibus adlaboraverunt.

Salutationem dico plurimam Patribus, qui primum participes sacrosancti Concilii fiunt. Commoto autem animo effusisque precibus Patres recolo venerandos, qui ab ultima periodo nos in terris reliquerunt ut Concilium suis apud Deum precibus iuvarent.

Nunc vero, cum quartae et ultimae periodi labores suscipimus, spem maximam fovemus fore ut omnes nos, consociatis ex caritate Christi viribus, eo contendamus ut Ecclesiae sanctae sancta decreta dentur, per quae veritatis et bonitatis plurimos liceat fructus percipere.

Itaque quod tempus erit ad hoc necessarium, id totum insumatur. Libertas disserendi et proprias sententias dicendi salva et integra esto. At caveamus, Fratres, a pluries et frustra repetitis sententiis et verbis; temperemus animum a cupiditate dicendi, ubi, quod dicendum erat, a fratribus iam dictum fuerit. Abstineamus — ut plurimum admonitum est — a plausibus, qui coetus nostros haud decent: in suffragiis dandis districtum ordinem servemus.

Meminerit unusquisque nostrum se esse Ecclesiae pastorem, cui gravissimum munus incumbit in hoc coetu sacro, qui ab humanis et profanis coetibus longe distat, ea de proprii spiritus thesauro depromendi, quae Ecclesiae maiorem latioremque tribuant splendorem. Qua de re, inter multa, quae mentibus nostris de singulis rebus observentur, ea tan-

tum manifestemus, quae Ecclesiae mundique universi bono prodesse coram Domino existimaverimus.

Patres venerabiles, homines nostri temporis nos, pleni magnae spei, conspiciunt. Ecclesia, mater nostra, res magnas a nobis exspectat: tantam spem, tam fervida vota, Dei et Deiparae auxilio confisi, implere omni ope curemus. Cito illucescat dies, quo, sacrosancto Concilio iam ad finem perducto, Deo pro collatis beneficiis gratias agere ex corde possimus.

E Civitate Vaticana, die XV sept. MCMLXV.

8

EPISTULA AD SUMMUM PONTIFICEM

Em.mi P. D. Eugenii card. Tisserant
Decani S. Collegii, primi e Consilio Praesidentiae
nomine Patrum conciliarium

Gratias agit pro Litt. M. P. datis Apostolica sollicitudo *et pro Litt. Enc.* Mysterium Fidei.

Beatissime Pater,

Patres Sacrosancti Concilii, qui gratissimo plausu Tibi significaverunt quam acceptae sibi essent litterae « Apostolica sollicitudo », motu proprio a Te datae die 15 mensis huius, cum Congregationes Generales quartae Concilii periodi inchoarentur, suam gratitudinem et venerationem manifestius nunc renovare intendunt.

Sibi enim plane perspectum habent ex Tua erga Episcopos benevolentia et existimatione hoc grave et vere novum documentum promanavisse, ipsaque verba, quibus illud incipit, perspicue ostendere quanta apostolica sollicitudine motus sis, sollicitudine quidem omnium Ecclesiarum, ut fratres in ordine episcopali ad gubernandam Ecclesiam universam consilio Tibi sociares, arctiore coniungeres caritate.

Qui grati animi sensus eo vehementiores fiunt, si duo considerentur: imprimis, quod, in constituenda Synodo Episcoporum, Tu, Beatissime Pater, volueris votis Patrum in Concilio manifestatis paterne annuere; deinde quod constitueris hoc documentum in ipsa Aula conciliari, Te praesente, omnibusque Patribus coniuncto, promulgari.

Nostrum nunc erit, Tuis mandatis parendo, adiutricem Tibi operam praestare et in id validioribus viribus, toto corde et animo, contendemus. Fecerit Deus, intercedente Deipara, ut nostrum tenue auxilium in decus vertat Ecclesiae, in bonum cedat animarum et plenius incrementum habeat votum supremum Redemptoris: « ut omnes unum sint »!

Hac usi occasione, Beatissime Pater, cum scilicet simus omnes in Concilio congregati, nostrum officium nostrumque reputamus honorem plurimas Tibi gratias dicere ob non ita pridem editas litteras Encyclicas, quibus a verbis « Mysterium fidei » initium est. Iis quidem praelucenti splendore nitet sacrum Corporis et Sanguinis Christi mysterium et omnes gaudio afficiuntur qui Sanguine Christi sunt redempti et ad sacrum convivium invitantur « in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius ».

Nostri profecto muneris reputamus in hoc propositum Tecum nostras ingeminare vires, vota, preces, ut sacrosanctum Eucharistiae sacramentum magis magisque exaltetur eiusque cultus penes cunctos christifideles splendidiora in dies obtineat incrementa: Christus enim est vita et spes et resurrectio nostra.

Denique, cum in eo sis, Beatissime Pater, ut iter arripias Neo-Eboracum versus, ut ibi apud amplissimum Nationum Unitarum Consessum, pacem in nomine Domini annunties, scias nos omnes, quotquot Concilium participamus, esse Tecum, nostras Tuae coniungere voces, fervidas Tecum fundere preces, ut pacis donum, quod nostris diebus tam anxie periclitari videmus, per Te efficaciter cunctis hominibus bonae voluntatis nuntietur: Quam speciosi pedes evangelizantis pacem, evangelizantis bona!

Pater Sancte, dignare nobis Tuam Benedictionem impertire!

EUGENIUS card. TISSERANT

9

AVVISO PER I PADRI CONCILIARI *

Secretariatus pro rebus oeconomicis
Concilii Vaticani II

E Civitate Vaticana, 1 octobris 1965

[*Cf. vol. III, pars. I, pag. 26-27*].

---

* Distributus est Patribus conciliaribus in congregatione generali 141, die 4 octobris 1965.

10
NUNTIUS

Summi Pontificis Pauli VI
ad Coniunctarum Nationum Coetum

PAULUS PP. VI

Inclito et perinsigni Coniunctarum Nationum Coetui.

Nuntius Evangelii pacis.

Nos transgressi sumus Oceanum ut hunc amplissimum Coniunctarum Nationum Coetum adiremus. Potuimus sane per alios et aliter vos in hunc coetum ascitos alloqui et sententias Nostras vobis aperire. Verumtamen de pace vos visere cupivimus et ad vos orationem habere, ut rebus factisque ostenderemus quanta insideret animo nostro existimatio qua semper vos et opus in quod incumbitis prosequimur.

Ipsi pacis constituistis consessum, ut inter gentes quarum aequis suffragiis personas ageritis pacis concordiam, securitatem, mutuam adiutricem operam foveretis et ut haeremini contra minas et semper rediviva pericula violentiae et belli. Alia ratio et via ut publico bono humani generis consulatur esse nequit ac ea quam vos sumpsistis, scilicet observantia iuris, rectae libertatis, personae humanae dignitatis, amota scelerata insania belli et nocenti furore potentium.

Tanti aedificii structura et forma, quod condidistis, in melius ire potest. Attamen sine immani pernice deleri non potest. « Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis ac mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri » (S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*).

Numquam satis magni pendendum hoc humanae consortionis emolumentum, hunc saluberrimum profectum quem amare et optare continenter oportet, vos navitate, diligentia, patientia prosequimini; Nos vero minime latet viam vestram per ardua et aspera saepius ad editum verticem ferri; amorem, plausum, incitamentum nostrum haec omnia merito sibi conciliant.

Nomine quoque Patrum Oecumenici Concilii Vaticani II, qui Romae simul congregati sunt, nuntium pacis, verba bona et consolatoria proferimus. Pro certo habetote catholicam Ecclesiam vobis, in sectanda cum iustitia pace, consensu studii, spirituali auxilio sedulis votis adesse et bene precari, cui nihil tam cordi est quam fraterni amoris flammam in animis hominum accendere et consociata opera provehere.

Deus pacis vobis universis et nobilissima operi, cui moliendo generosa conamina adhibetis, propitius semper adsit.

Die IV mensis Octobris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

11

SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO IN CONSILIO NATIONUM UNITARUM *

Au moment de prendre la parole devant cet auditoire unique au monde, Nous tenons à exprimer d'abord Notre profonde gratitude à Monsieur Thant, votre Secrétaire Général, qui a bien voulu Nous inviter à rendre visite aux Nations-Unies à l'occasion du vingtième anniversaire de cette institution mondiale pour la paix et la collaboration entre les peuples de toute la terre.

Merci également à Monsieur le Président de l'Assemblée, Monsieur Amintore Fanfani, qui, dès le jour de son entrée en charge, a eu pour Nous des paroles si aimables.

Merci à vous tous, ici présents, pour votre bienveillant accueil. A chacun d'entre vous, Nous présentons Notre salut cordial et déférent. Votre amitié Nous a convié et Nous admet à cette réunion: c'est en ami que Nous Nous présentons à vous.

En plus de Notre hommage personnel, Nous vous apportons celui du Second Concile Œcuménique du Vatican, actuellement réuni à Rome, et dont les Cardinaux qui Nous accompagnent sont les éminents représentants.

En leur nom, comme au Nôtre, à vous tous, honneur et salut!

Simplicité et grandeur d'une rencontre

Cette rencontre, vous en êtes tous bien conscients, revêt un double caractère: elle est empreinte à la fois de simplicité et de grandeur. De simplicité, car celui qui vous parle est un homme comme vous; il est votre frère, et même un des plus petits parmi vous, qui représentez des Etats Souverains, puisqu'il n'est investi — s'il vous plaît de Nous considérer à ce point de vue — que d'une minuscule et quasi symbolique souveraineté temporelle: le minimum nécessaire pour être libre d'exercer

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 877-885.

sa mission spirituelle et assurer ceux qui traitent avec lui qu'il est indépendant de toute souveraineté de ce monde. Il n'a aucune puissance temporelle, aucune ambition d'entrer avec vous en compétition. De fait, Nous n'avons rien à demander; aucune question à soulever; tout au plus un désir à formuler, une permission à solliciter: celle de pouvoir vous servir dans ce qui est de notre compétence, avec désintéressement, humilité et amour.

Telle est la première déclaration que Nous avons à faire. Comme vous le voyez, elle est si simple qu'elle peut paraître insignifiante pour cette assemblée, habituée à traiter d'affaires extrêmement importantes et difficiles.

Et pourtant, Nous vous le disions, et vous le sentez tous, ce moment est empreint d'une singulière grandeur: il est grand pour Nous, il est grand pour vous.

Pour Nous d'abord. Oh! Vous savez bien qui Nous sommes. Et quelle que soit votre opinion sur le Pontife de Rome, vous connaissez Notre mission: Nous sommes porteur d'un message pour toute l'humanité. Et Nous le sommes non seulement en Notre Nom personnel et au nom de la grande famille catholique: mais aussi au nom des Frères chrétiens qui partagent les sentiments que Nous exprimons ici, et spécialement de ceux qui ont bien voulu Nous charger explicitement d'être leur interprète. Et tel le messager qui, au terme d'un long voyage, remet la lettre qui lui a été confiée: ainsi Nous avons conscience de vivre l'instant privilégié, — si bref soit-il — où s'accomplit un vœu que Nous portons dans le cœur depuis près de vingt siècles. Oui, vous vous en souvenez. C'est depuis longtemps que Nous sommes en route, et Nous portons avec Nous une longue histoire; Nous célébrons ici l'épilogue d'un laborieux pèlerinage à la recherche d'un colloque avec le monde entier, depuis le jour où il Nous fut commandé: « allez, portez la bonne nouvelle à toutes les nations! ». Or c'est vous qui représentez toutes les nations.

Laissez-Nous vous dire que Nous avons pour vous un message, oui, un heureux message, à remettre à chacun d'entre vous.

Une ratification morale et solennelle

1. Notre message veut être tout d'abord une ratification morale et solennelle de cette haute Institution. Ce message vient de Notre expérience historique. C'est comme « expert en humanité » que Nous apportons à cette Organisation le suffrage de Nos derniers prédécesseurs, celui de tout l'Episcopat Catholique et le Nôtre, convaincu comme Nous le sommes que cette Organisation représente le chemin obligé de la civilisation moderne et de la Paix mondiale.

En disant cela, Nous avons conscience de faire Nôtre aussi bien la voix des morts que celle des vivants: des morts tombés dans les terribles guerres du passé en rêvant à la concorde et à la paix du monde; des vivants qui y ont survécu, et qui condamnent d'avance dans leur cœurs ceux qui tenteraient de les renouveler; d'autres vivants encore: les jeunes générations d'aujourd'hui, qui s'avancent confiantes, attendant à bon droit une humanité meilleure. Nous faisons Nôtre aussi la voix des pauvres, des déshérités, des malheureux, de ceux qui aspirent à la justice, à la dignité de vivre, à la liberté, au bien-être et au progrès. Les peuples se tournent vers les Nations-Unies comme vers l'ultime espoir de la concorde et de la paix: Nous osons apporter ici, avec le Nôtre, leur tribut d'honneur et d'espérance. Et voilà pourquoi pour vous aussi ce moment est grand.

Les uns et les autres

2. Nous le savons, vous en êtes pleinement conscients. Ecoutez maintenant la suite de Notre Message. Il est tout entier tourné vers l'avenir. L'édifice que vous avez construit ne doit plus jamais tomber en ruines: il doit être perfectionné et adapté aux exigences que l'histoire du monde présentera. Vous marquez une étape dans le développement de l'humanité: désormais, impossible de reculer, il faut avancer.

A la pluralité des Etats, qui ne peuvent plus s'ignorer les uns les autres, vous proposez une forme de coexistence extrêmement simple et féconde. La voici: d'abord vous reconnaissez et vous distinguez *les uns et les autres*. Vous ne conférez certes pas l'existence aux Etats: mais vous qualifiez comme digne de siéger dans l'assemblée ordonnée des peuples chacune des nations; vous donnez une reconnaissance d'une haute valeur morale et juridique à chaque communauté nationale souveraine, et vous lui garantissez une honorable citoyenneté internationale. C'est déjà un grand service rendu à la cause de l'humanité: bien définir et honorer les sujets nationaux de la communauté mondiale; les établir dans une condition juridique qui leur vaut la reconnaissance et le respect de tous, et d'où peut dériver un système ordonné et stable de vie internationale. Vous sanctionnez le grand principe que les rapports entre les peuples doivent être réglés par la raison, par la justice, le droit, et la négociation, et non par la force, ni par la violence, ni par la guerre, non plus que par la peur et par la tromperie.

C'est ainsi que cela doit être. Et permettez que Nous vous félicitions d'avoir eu la sagesse d'ouvrir l'accès de cette assemblée aux peuples jeunes, aux Etats parvenus depuis peu à l'indépendance et à la liberté

nationales; leur présence ici est la preuve de l'universalité et de la magnanimité qui inspirent les principes de cette institution.

C'est ainsi que cela doit être. Tel est Notre éloge et Notre souhait, et comme vous le voyez Nous ne les attribuons pas du dehors: Nous les tirons du dedans, du génie même de votre Institution.

Les uns avec les autres

3. Votre Statut va plus loin encore: et Notre message s'avance avec lui. Vous existez et vous travaillez pour unir les nations, pour associer les Etats. Adoptons la formule: pour mettre ensemble *les uns avec les autres.* Vous êtes une Association. Vous êtes un pont entre les peuples. Vous êtes un réseau de rapports entre les Etats. Nous serions tenté de dire que votre caractéristique reflète en quelque sorte dans l'ordre temporel ce que notre Eglise Catholique veut être dans l'ordre spirituel: unique et universelle. On ne peut rien concevoir de plus élevé, sur le plan naturel, dans la construction idéologique de l'humanité. Votre vocation est de faire fraterniser, non pas quelques-uns des peuples, mais tous les peuples. Entreprise difficile? Sans nul doute. Mais telle est l'entreprise, telle est votre très noble entreprise. Qui ne voit la nécessité d'arriver ainsi progressivement à instaurer une autorité mondiale en mesure d'agir efficacement sur le plan juridique et politique?

Ici encore Nous répétons Notre souhait: allez de l'avant! Nous dirons davantage: faites en sorte de ramener parmi vous ceux qui se seraient détachés de vous; étudiez le moyen d'appeler à votre pacte de fraternité, dans l'honneur et avec loyauté, ceux qui ne le partagent pas encore. Faites en sorte que ceux qui sont encore au dehors désirent et méritent la confiance commune, et soyez alors généreux à l'accorder. Et vous, qui avez la chance et l'honneur de siéger dans cette assemblée de la communauté pacifique, écoutez-Nous: cette confiance mutuelle qui vous unit et vous permet d'opérer de bonnes et grandes choses, faites en sorte qu'il n'y soit jamais porté atteinte, qu'elle ne soit jamais trahie.

Pas l'un au-dessus de l'autre

4. La logique de ce souhait qui appartient, peut-on dire, à la structure de votre Organisation, Nous porte à le compléter par d'autres formules. Les voici: que personne, en tant que membre de votre union, ne soit supérieur aux autres: *Pas l'un au-dessus de l'autre.* C'est la formule de l'égalité. Nous savons, certes, que d'autres facteurs sont à considérer outre la simple appartenance à votre organisme. Mais l'égalité aussi fait partie de sa constitution: non pas que vous soyez égaux, mais ici vous vous faites égaux. Et il se peut que, pour plusieurs d'entre vous,

ce soit un acte de grande vertu: permettez que Nous vous le disions, Nous, le représentant d'une religion qui opère le salut par l'humilité de son divin Fondateur. Impossible d'être frère si l'on n'est humble. Car c'est l'orgueil, si inévitable qu'il puisse paraître, qui provoque les tensions et les luttes du prestige, de la prédominance, du colonialisme, de l'égoïsme: c'est lui qui brise la fraternité.

Jamais plus les uns contre les autres

5. Et ici Notre Message atteint son sommet. Négativement d'abord: c'est la parole que vous attendez de Nous et que Nous ne pouvons prononcer sans être conscient de sa gravité et de sa solennité: *jamais plus les uns contre les autres,* jamais, plus jamais! N'est-ce pas surtout dans ce but qu'est née l'Organisation des Nations-Unies: contre la guerre et pour la paix? Ecoutez les paroles lucides d'un grand disparu, John Kennedy, qui proclamait, il y a quatre ans: « L'humanité devra mettre fin à la guerre, ou c'est la guerre qui mettra fin à l'humanité ». Il n'est pas besoin de longs discours pour proclamer la finalité suprême de votre Institution. Il suffit de rappeler que le sang de millions d'hommes, que des souffrances inouïes et innombrables, que d'inutiles massacres et d'épouvantables ruines sanctionnent le pacte qui vous unit, en un serment qui doit changer l'histoire future du monde: jamais plus la guerre, jamais plus la guerre! C'est la paix, la paix, qui doit guider le destin des peuples et de toute l'humanité!

Merci à vous, gloire à vous, qui depuis vingt ans travaillez pour la paix, et qui avez même donné à cette sainte cause d'illustres victimes! Merci à vous et gloire à vous pour les conflicts que vous empêchés et pour ceux que vous avez réglés. Les résultats de vos efforts en faveur de la paix, jusqu'à ces tout derniers jours, méritent, même s'ils ne sont pas encore décisifs, que Nous osions Nous faire l'interprète du monde entier et que Nous vous exprimions en son nom félicitations et gratitude.

Construire la paix

Vous avez, Messieurs, accompli, et vous accomplissez une grande œuvre; vous enseignez aux hommes la paix. L'ONU est la grande école où l'on reçoit cette éducation, et nous sommes ici dans l'*Aula Magna* de cette école. Quiconque prend place ici devient élève et devient maître dans l'art de construire la paix. Et quand vous sortez de cette salle, le monde regarde vers vous comme vers les architectes, les constructeurs de la paix.

La paix, vous le savez, ne se construit pas seulement au moyen de la politique et de l'équilibre des forces et des intérêts. Elle se construit

avec l'esprit, les idées, les œuvres de la paix. Vous travaillez à cette grande œuvre. Mais vous n'êtes encore qu'au début de vos peines. Le monde arrivera-t-il jamais à changer la mentalité particulariste et belliqueuse qui a tissé jusqu'ici une si grande partie de son histoire? Il est difficile de le prévoir; mais il est facile d'affirmer qu'il faut se mettre résolument en route vers la nouvelle histoire, l'histoire pacifique, celle qui sera vraiment et pleinement humaine, celle-là même que Dieu a promise aux hommes de bonne volonté. Les voies en sont tracées devant vous: la première est celle du désarmement.

Si vous voulez être frères, laissez tomber les armes de vos mains. On ne peut pas aimer avec des armes offensives dans les mains. Les armes, surtout les terribles armes que la science moderne vous a données, avant même de causer des victimes et des ruines, engendrent de mauvais rêves, alimentent de mauvais sentiments, créent des cauchemars, des défiances, de sombres résolutions; elles exigent d'énormes dépenses; elles arrêtent les projets de solidarité et d'utile travail; elles faussent la psychologie des peuples. Tant que l'homme restera l'être faible, changeant, et même méchant qu'il se montre souvent, les armes défensives seront, hélas!, nécessaires. Mais vous, votre courage et votre valeur vous poussent à étudier les moyens de garantir la sécurité de la vie internationale sans recourir aux armes: voilà un but digne de vos efforts, voilà ce que les peuples attendent de vous. Voilà ce qu'il faut obtenir! Et pour cela, il faut que grandisse la confiance unanime en cette Institution, que grandisse son autorité; et le but alors — on peut l'espérer — sera atteint. Vous y gagnerez la reconnaissance des peuples, soulagés des pesantes dépenses des armements, et délivrés du cauchemar de la guerre toujours imminente.

Nous savons — et comment ne pas Nous en réjouir? — que beaucoup d'entre vous ont considéré avec faveur l'invitation que Nous avons lancée pour la cause de la paix, de Bombay, à tous les Etats, en décembre dernier: consacrer au bénéfice des Pays en voie de développement une partie au moins des économies qui peuvent être réalisées grâce à la réduction des armements. Nous renouvelons ici cette invitation, avec la confiance que Nous inspirent vos sentiments d'humanité et de générosité.

Les uns pour les autres

6. Parler d'humanité, de générosité, c'est faire écho à un autre principe constitutif des Nations-Unies, son sommet positif: ce n'est pas seulement pour conjurer les conflits entre les Etats que l'on œuvre ici; c'est pour rendre les Etats capables de travailler *les uns pour les autres*. Vous ne vous contentez pas de faciliter la coexistence entre les nations:

vous faites un bien plus grand pas en avant, digne de Notre éloge et de Notre appui: vous organisez la collaboration fraternelle des Peuples. Ici s'instaure un système de solidarité, qui fait que de hautes finalités, dans l'ordre de la civilisation, reçoivent l'appui unanime et ordonné de toute la famille des Peuples, pour le bien de tous et de chacun. C'est ce qu'il y a de plus beau dans l'Organisation des Nations-Unies, c'est son visage humain le plus authentique; c'est l'idéal dont rêve l'humanité dans son pèlerinage à travers le temps; c'est le plus grand espoir du monde; Nous oserons dire: c'est le reflet du dessein de Dieu — dessein transcendant et plein d'amour — pour le progrès de la société humaine sur la terre, reflet où Nous voyons le message évangélique, de céleste, se faire terrestre. Ici, en effet, il Nous semble entendre l'écho de la voix de Nos Prédécesseurs, et de celle, en particulier, du Pape Jean XXIII, dont le Message de *Pacem in terris* a trouvé parmi vous une résonance si honorable et si significative.

Droits et devoirs de l'homme

Ce que vous proclamez ici, ce sont les droits et les devoirs fondamentaux de l'homme, sa dignité, sa liberté, et avant tout la liberté religieuse, Nous sentons que vous êtes les interprètes de ce qu'il y a de plus haut dans la sagesse humaine, Nous dirions presque: son caractère sacré. Car c'est, avant tout, de la vie de l'homme qu'il s'agit, et la vie de l'homme est sacrée: personne ne peut oser y attenter. C'est dans votre Assemblée que le respect de la vie, même en ce qui concerne le grand problème de la natalité, doit trouver sa plus haute profession et sa plus raisonnable défense. Votre tâche est de faire en sorte que le pain soit suffisamment abondant à la table de l'humanité, et non pas de favoriser un contrôle artificiel des naissances, qui serait irrationnel, en vue de diminuer le nombre des convives au banquet de la vie.

Mais il ne suffit pas de nourrir les affamés: encore faut-il assurer à chaque homme une vie conforme à sa dignité. Et c'est ce que vous vous efforcez de faire. N'est-ce pas l'accomplissement, sous Nos yeux, et grâce à vous, de l'annonce prophétique qui s'applique si bien à votre Institution: « Ils fondront leurs épées pour en faire des charrues et leurs lances pour en faire des faux »? [1] N'employez-vous pas les prodigieuses énergies de la terre et les magnifiques inventions de la science non plus en instruments de mort, mais en instruments de vie pour la nouvelle ère de l'humanité?

---

[1] *Is.* 2, 4.

Nous savons avec quelle intensité et quelle efficacité croissantes l'Organisation des Nations-Unies et les organismes mondiaux qui en dépendent travaillent pour aider les Gouvernements qui en ont besoin à hâter leur progrès économique et social.

Nous savons avec quelle ardeur vous vous employez à vaincre l'analphabétisme et à répandre la culture dans le monde; à donner aux hommes une assistance sanitaire appropriée et moderne; à mettre au service de l'homme les merveilleuses ressources de la science, de la technique, de l'organisation: tout cela est magnifique et mérite l'éloge et l'appui de tous, y compris le Nôtre.

Nous voudrions Nous aussi donner l'exemple, même si la petitesse de Nos moyens empêche d'en apprécier la portée pratique et quantitative: Nous voulons donner à Nos institutions caritatives un nouveau développement contre la faim du monde et en faveur de ses principaux besoins: c'est ainsi, et pas autrement, qu'on construit la paix.

Construire sur des principes spirituels

7. Un mot encore, Messieurs, un dernier mot: cet édifice que vous construisez ne repose pas sur des bases purement matérielles et terrestres, car ce serait alors un édifice construit sur le sable; il repose avant tout sur nos consciences. Oui, le moment est venu de la « conversion », de la transformation personnelle, du renouvellement intérieur. Nous devons nous habituer à penser d'une manière nouvelle l'homme; d'une manière nouvelle aussi la vie en commun des hommes, d'une manière nouvelle enfin les chemins de l'histoire et les destins du monde, selon la parole de saint Paul: « revêtir l'homme nouveau créé selon Dieu dans la justice et la sainteté de la vérité ».[2] Voici arrivée l'heure où s'impose une halte, un moment de recueillement, de réflexion, quasi de prière: repenser à notre commune origine, à notre histoire, à notre destin commun. Jamais comme aujourd'hui, dans une époque marquée par un tel progrès humain, n'a été aussi nécessaire l'appel à la conscience morale de l'homme. Car le péril ne vient ni du progrès ni de la science, qui, bien utilisés, pourront au contraire résoudre un grand nombre des graves problèmes qui assaillent l'humanité. Le vrai péril se tient dans l'homme, qui dispose d'instruments toujours plus puissants, aptes aussi bien à la ruine qu'aux plus hautes conquêtes.

En un mot, l'édifice de la civilisation moderne doit se construire sur des principes spirituels, les seuls capables non seulement de le soutenir, mais aussi de l'éclairer et de l'animer. Et ces indispensables

---

[2] *Eph.* 4, 23.

principes de sagesse supérieure ne peuvent reposer — c'est Notre conviction, vous le savez — que sur la foi en Dieu. Le Dieu inconnu dont parlait Saint Paul aux Athéniens sur l'aréopage! Inconnu de ceux, qui pourtant, sans s'en douter, le cherchaient et l'avaient près d'eux, comme il arrive à tant d'hommes de notre siècle! ... Pour nous, en tout cas, et pour tous ceux qui accueillent l'ineffable révélation que le Christ nous a fait de lui, c'est le Dieu vivant, le Père de tous les hommes.

12

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS AD PATRES CONCILIARES

die 5 octobris 1965 *

Venerabiles Fratres,

Iter, quod trans Oceanum suscepimus, hic, unde initium cepit, prospere, Deo auxiliante, conficitur. Ad extraordinarium Coetum Consilii Nationum Coniunctarum nuntium salutis et pacis attulimus, quem hoc Sacrosanctum Concilium Nobis commiserat. Ibi allocuti sumus sodales amplissimi illius Instituti mundum complectentis, qui personas gerunt centum amplius Civitatum orbis terrarum, ut communem eorum voluntatem concordiae et pacis servandae confirmaremus, ut eos cohortaremur ad pergendum opus, abhinc viginti annos inchoatum eoque pertinens, ut bella amoveantur, quaevis inter populos conflictatio cum honore ac dignitate dirimatur et ut remedia quaerantur necessitatibus et malis, quibus profectus civilis omnibusque consentaneus adhuc praepeditur. Recte autem meminimus ad inceptum tam grave ac diuturnum perficiendum oportere, ut id in sapientia innitatur, quae a Deo est et nobis data fuit per Christum.

Non necesse habemus vobis exponere quanta cum humanitate simus excepti; quo observanti cum studio auditi; quam commotis animis populus se Nobis circumfuderit; quam amanti reverentia dilecti illi et fideles filii metropolis Americanae Nos sint prosecuti: haec enim omnia, per imagines televisificas abundanter pervulgata et explicata, vobis tam nota sunt quasi vos ipsi praesentes ibi adfueritis duplici singularique eventui: scilicet cum Romanus Pontifex primum terram, a Christophoro Columbo abhinc quinque fere saecula inventam et cum civili consortione

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 894-896.

socia ratione coniunctam, invisit, et cum Petri Successor idemque Vicarius Christi primum auspicato convenit Coetum eorum, qui omnium fere gentium orbis terrarum pro munere gerunt personas et qui ibidem congregati attenderunt verba Moderatoris Ecclesiae Catholicae.

Iter Nostrum fuit quidem valde festinatum, brevissima fuit mansio Nostra in terra illa continenti, sed finis, ob quem ibi sumus morati, dignus sane est, qui animos moveat nostros: is enim fuit causa pacis in mundo tuendae.

Gratias agimus Deo, Venerabiles Fratres, quod Nobis datum fuit quodammodo ad totius orbis terrarum homines nuntium pacis deferre. Numquam hic evangelicus nuntius edictus est coram auditorio frequentiore et — hoc etiam addere licet — paratiore et avidiore ad eum audiendum. Numquam idem nuntius visus est significare una simul miserentem veluti vocem caeli et supplicem vocem terrae, scilicet ostendendo arcanum consilium divinum circa humanum genus plane congruere cum intimis desideriis eiusdem humanae familiae; atque adeo numquam munus Ecclesiae, mediatricis inter Deum et homines, comprobatum esse argumentis magis perspicuis, magis opportunis ex Dei providentis consilio, magis huic aetati consentaneis.

Aegre equidem ferimus, quod in tam praeclaro eventu princeps fuit humillima persona Nostra (sed nonne Deus, ut gloriam sibimet ipsi attribuat grandium rerum, quas gestas historia nostra commemorat, ministros eligit impares momento et efficientiae earum?); aegre id ferimus, sed ea de causa non minore afficimur gaudio de vi prophetica, quae nuntio Nostro est adiecta: etenim in nomine Christi hominibus praedicavimus pacem.

Animadvertimus autem ex eiusmodi munere consequi aliquid spectans ad eum, qui onere illo obstringitur; qua in cogitatione finem esse volumus itineris Nostri.

Novistis verba annuntiata eum, a quo prolata sunt, gravibus officiis devincire; officiis videlicet, ex quibus ipse sibi constet oportet, alios necessitudine attingat, exemplum aliis praebeat. Quid valet verbum, nisi operosa voluntate id pro se et per se ad effectum deducendi comprobetur?

Auctoritas alicuius verbi oritur quidem e veritate, cuius est veluti repercussus sonus vel imago, sed in rebus humanis maiorem accipit efficaciam e modo, quo ab eo, qui illud protulit, ad effectum perducitur; vox quidem emittitur, sed exemplum praeconis Evangelii animis persuadet. Grave igitur quiddam consequitur ex eo quod annuntiavimus pacem. Ecclesia Catholica maius officium et onus suscepit causae pacis inserviendi eo quod per os Nostrum causam eius peroravit.

Sine dubio non est munus Nostrum neque vobis propositum ad res

politicas et oeconomicas animum applicare, in quarum provincia ipse ille ordo constituitur, quo pax civilis efficitur. Sed possumus ac debemus etiam adiutricem operam praebere ad pacem civilem stabiliendam ac quidem assiduo auxilio morali et aliquo modo caritatis quoque praesentis veraeque officiis.

Nonne hoc ipso tempore Concilium Oecumenicum id prorsus agit, ut rationes inter Ecclesiam et mundum huius aetatis intercedentes efficaces reddantur ac salutares? Hac ipsa re ad pacem firmandam operam conferimus, quae procul dubio validior et praestantior evadet, si, persuasum nobis habentes pacem in iustitia ut in fundamento inniti debere, iustitiae erimus tutores. Iustitia enim opus est humanae consortioni; Christus vult, ut eam appetamus et sitiamus. Novimus vero iustitiam gradatim progredi, et, paulatim proficiente societate, etiam animos moneri illam nondum esse perfectam et absolutam, et apparere discrimina manifesta et remedium poscentia, quibus genus humanum adhuc discruciatur. Nonne haec discrimina, agnita inter civium ordines et inter nationes, pacem in gravissimum periculum adducunt? Haec omnia nota sunt quidem. Ea autem nos hortantur, ut consideremus quomodo iis remedia afferre possimus: in condicionem populorum, qui ad profectum civilem adhuc nituntur, animos oportet intendamus; scilicet, quo apertius rem dicamus, caritas nostra erga *pauperes,* qui sunt in mundo quorumque est innumerabilis numerus, oportet fiat sollicitior, efficacior, generosior.

Alia, quae consideranda occurrunt, ad idem, quod inde consequitur, nos perducunt, in re religiosa et morali. Oportet fides nostra caritati deserviat, sive in disceptationibus oecumenicis sive in rationibus, quae nobis sunt, circa rem spiritualem et socialem, cum hominibus bonae voluntatis cuiusvis generis, cuiusvis religionis; nonne hoc idem est ac conferre operam ad pacem et nonne hoc etiam propositis consiliisque nostris continetur?

Ea autem proposita et consilia nostra perscrutemur et ad effectum adducamus oportet aucto cum vigore, eo quod pacis facti sumus defensores, veluti finis, quam omnes persequi debemus: scilicet Deus nobis tribuat, ut testimonium actionis subsequatur testimonium verbi.

Vos denique omnes, Venerabiles Fratres, qui nobiscum « ministerium reconciliationis » [1] obitis, vos, fideles hic praesentes, vos, qui nationum geritis personas, vos, Observatores dignissimi, una Nobiscum concupiscite pacem, preces fundendo et operando pro ea: Benedictionem Apostolicam impertientes, oramus, ut « Deus... pacis sit cum omnibus vobis ».[2]

---

[1] *2 Cor.* 5, 18.
[2] *Rom.* 15, 33.

13

EPISTULA EM.MI D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI
a Secretis Status
ad. em.mum D. Achilleum card. Liénart

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Nobili reverentia nitentibus litteris, ipso die datis, quo Augustus Pontifex Romam ex Unitarum Nationum Sede feliciter reversus est, egregios animi sensus ob sollemnem illum eventum, nomine quoque universorum Oecumenicae Synodi Patrum, iterum exprompsisti, qui iam in maximo Concilii coetu advenientem Sanctitatem Suam humanissima flagrantique oratione consalutaveras, omnium disertus factus interpres et nuntius.

Dum igitur vos paterna gratulatione ac benevolentia complectitur, qui hoc singulari temporis momento Ipsi auxiliatricem operam tanta cum sedulitate et spondetis et navatis, Christi Vicarius vota ex animo facit, ut in hoc communi gravique labore, alendae pacis, iustitiae caritatisque gratia suscepto, « Deus nobis tribuat, ut testimonium actionis subsequatur testimonium verbi », sicut Ipse sua reditus oratione vos allocutus est.

Praesentissimum vero supernorum munerum pignus, ac Suae propensae voluntatis testem Augustus Pontifex tibi atque universis Concilii Vaticani II Purpuratis Patribus, Archiepiscopis et Episcopis Apostolicam Benedictionem peramanter impertit.

Denique, quod petiisti ut, ad recentis itineris memoriam perpetuo tradendam, sermo apud Unitarum Nationum Consilium ab Ipso habitus Concilii Oecumenici actibus adiceretur, id scito a Beatissimo Patre, quemadmodum vobis placet, libenter concessum esse.

Interea, hisce tecum communicatis, maxima cum existimatione et observantia me profiteri gaudeo

Eminentiae tuae
addictissimum et deditissimum

HAMLETUM IOANNEM Cardinalem CICOGNANI

14

EPISTULA SUMMI PONTIFICIS PAULI VI

Ad em.mum P. D. Eugenium card. Tisserant
Praesidem Consilii Praesidentiae Ss. Concilii

Certiores facti sumus, nonnullis Patribus Conciliaribus id in animo esse, ut in proximis Concilii coetibus quaestionem de caelibatu clericorum Ecclesiae Latinae ponant, utrum scilicet lex illa servanda sit necne, quae caelibatum cum sacerdotio quodammodo coniungit.

Qua de re, quin libertatem ullo modo laedamus, qua Patres fruuntur suam patefaciendi sententiam, optamus tamen ad eorum notitiam perferatur, Nos in ea esse opinione, nequaquam expedire, publicam haberi disceptationem circa rem, quae et tantam postulat prudentiam et tanti ponderis est; itemque Nobis esse propositum, quantum in Nobis erit, non tantum huiusmodi legem antiquam, sacram, providamque servare, sed eius etiam corroborare observantiam, sacerdotes Ecclesiae Latinae ad conscientiam revocantes causarum rationumque, quae hodie, immo hodie quam maxime, efficiunt, ut lex ipsa ab omnibus tamquam perapta significatio habeatur, et plene seipsos Christo eiusque solius amori sacravisse, et totos se addixisse Ecclesiae hominumque animis solummodo serviendis.

Quodsi Patrum Conciliarium unus vel alter necessarium putet, potiusquam publice dicendo, scriptis peculiarem de hac re sententiam aperire, scriptionem suam ad Concilii Praesidentiam mittere poterit, cui sane curae erit eandem Nostrae notitiae tradere; Nos vero Nostrum esse existimabimus eam attento animo coram Deo perpendere.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Octobris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

15

EPISTULA EM.MI P. D. EUGENII CARD. TISSERANT AD SUMMUM PONTIFICEM PAULUM VI

Beatissime Pater,

Acceptas litteras diei 10 octobris currentis anni, quibus Tu mentem et voluntatem Tuam de caelibatu ecclesiastico pandebas, notas feci in Congregatione Generali diei 11 octobris sequentis Patribus Sacri Concilii, qui eas repetito plausu exceperunt. Quod in nobis erit, Pater Sancte, Tuae semper obsequemur voluntati, parebimus mandatis.

Nobis, Beatissime Pater, benedictionem Tuam impertire digneris.

16

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria V die 28 octobris 1965 in festo Ss. Simonis et Iudae App., *hora nona,* in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II publica solemnis sessio erit, SS.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam cum nonnullis Patribus Conciliaribus concelebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et Rev.mi DD. Cardinales qui, *vestibus rubris, calceis rubris* et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et paramenta suo Ordini propria *albi coloris* et mitram serico-damascenam (Episcopi pluviale cum formali). Qui autem cum Summo Pontifice sunt celebraturi, supra rochetum omnes vestes sacras, videlicet: amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, casulam, manipulum et mitram serico-damascenam induent. Omnes dein in Sacellum SS.mae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis expectabunt, accessuri cum Eo ad Aulam Conciliarem.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Exc.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice celebraturi in praedicto Sacello S. Sebastiani omnes vestes sacras pro Missae celebratione induent; sed, dignitate *episcopali* ornati, cum *mitra alba linea*; deinde,

una cum Cardinalibus, SS.mum D.num processionali more ad Aulam Conciliarem comitabuntur.

Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi, in atrio Basilicae, supra rochetum, amictum, pluviale album et mitram albam lineam assument; ceterique Conciliares Patres et Officiales Concilii vestes sibi proprias induent. Omnes dein *continuo* et ordinate ad Aulam Conciliarem pergent, propria subsellia adepturi.

Officiales, Praelati Cappellae Papalis, ceterique in Cappella locum habentes, vestibus sibi propriis induti ad Basilicam Vaticanam accedent ac pariter *continuo* et ordinatim ad sua loca, prope Altare Confessionis venient.

Decanus Auditorum Rotae, una cum alio e suis Collegis, rocheto et superpelliceo induto, prope lectum Paramentorum, Pontificem expectabit et praemonebit alium, qui cappa indutus, crucem gestabit.

Decanus Votantium Signaturae praemonebit duos e suis Collegis, qui rocheto ac superpelliceo induti, officio acolythorum fungentur.

Summus Pontifex in Sacello SS.mae Trinitatis sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, comitantibus E.mis Cardinalibus et concelebrantibus Se conferet ad Altare Aulae Conciliaris, ubi depositis baculo et mitra, aliquantum orabit et, comitantibus duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus, ad sedem eminentem ascendet.

Interim a schola antiph. *Tu es Petrus* cum Ps. 131 *Memento, Domine, David* decantatur universo clero respondente. Proinde rogantur omnes ut, quoquo modo, se abstineant ab acclamationibus, sed uno ore, moderate et devote cum schola alternatim canant.

Fit initium publicae sessionis Concilii.

Post Decreta ab Exc.mo D.no Archiepiscopo Secretario Generali Concilii, nomine Summi Pontificis lecta, ipse Exc.mus Secretarius exquiret a Patribus de decretis lectis sententiam.

Deinde Summus Pontifex, una cum Patribus Concelebrantibus ad Altare Confessionis veniet, ubi, depositis formali et pluviali, casulam induet et fit initium concelebrationis.

Expleta Missa, Summus Pontifex, deposita casula, iterum induet pluviale, formale et mitram, duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus Ipsi se sociantibus, et ad sedem eminentem ascendet.

Postea perficitur Ritus publicae sessionis Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum, et qui ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habent.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes Solii Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R. C. A., Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores S. R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Advocati S. Consistorii, Officiales Concilii, ceterique intimari soliti, qui omnes suis locis, scilicet prope Altare Confessionis, praesto esse debent hora *saltem octava cum dimidio.* Ex his, qui cappa induti interesse debent, eas, sine pellibus, supra consuetas vestes assument in Sacrario Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

SALVATOR CAPOFERRI
Praefecturam Caerem. Ap.
Regens ad interim

17

ADHORTATIO APOSTOLICA *

Ad universos Episcopos pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: supplicationes indicuntur instante exitu Concilii Oecumenici Vaticani secundi.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Postrema Sessio Concilii Oecumenici Vaticani II iam ad exitum properat. Mox amplissimus huiusmodi dimittetur Consessus, qui quattuor ante annos apud Sancti Petri Apostoli sepulcrum congregatus est, ut exspectationi, optatis et gravioribus urgentioribusque christiani populi necessitatibus consuleret. Ac vos, Venerabiles Fratres, ad vestras tandem redibitis sedes, post diuturnum frugiferumque laborem, gaudio iure merito exsultantes, quod, vestra opera, salutaria instrumenta apparata sunt, ad veram Ecclesiae renovationem et christianorum omnium unitatem promovendam, atque ad pacem humanarumque rerum ordinem digniore ratione componenda.

Dum Oecumenica Synodus, laboribus fere absolutis, in eo est ut novam quandam uberem spiritualis vitae effusionem Ecclesiae et mundo afferre videatur, facere non possumus, quin christifideles ad crebriores instantioresque supplicationes Deo admovendas paterno animo adhorte-

* *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 865-871.

mur. Cupimus, Venerabiles Fratres, ut flagrantissimum illud precationis studium, ad quod Ecclesiae filios per Concilii decursum iterum iterumque compulimus, nedum deferveat, hoc potissimum tempore, quo Concilii opus concluditur, impensius exardescat; ita quidem, ut, hisce diebus, tota Ecclesia per universum terrarum orbem in unum collecta, sicut olim Apostoli una cum Maria Matre Iesu et nostra in Cenaculo,[1] cum Petri Apostolorumque successoribus ferventibus precibus consocietur, ad novam impetrandam Pentecosten, qua Christi Sponsae vultus hominumque societas Spiritus Sancti gratia salutariter renovetur.

Ac primum dignae Omnipotenti Deo gratiae referantur, qui toto Concilii celebrationis tempore, superna ope sua caelestiumque luminum copia numquam destitit Oecumenicae Synodo praesens adesse. Revera, si spectamus immensam laboris molem, quam Concilium hucusque absolvit, admiratione sane percellimur, sive ob complura doctrinae capita a Magisterio Ecclesiae extraordinario proposita, sive ob disciplinae normas sapienter impertitas, quae quidem, ecclesiastica traditione fideliter servata, actioni Ecclesiae nova patere iubent itinera, et ad animorum bonum procul dubio summopere conferent.

Si vero animum intendimus ad communem existimationem, qua profani homines Concilii celebrationem prosecuti sunt, non minore laetitia afficimur, cum animadvertamus Oecumenicam Synodum tantopere hominum studia et cogitationes ad se convertisse, adeo ut Ecclesiae quaestiones et praecepta nostris temporibus maximi momenti esse videantur apud omnes egregiae voluntatis viros, qui sincero animo veritatem anquirant et germanae hominum prosperitati prodesse studeant; quod quidem Ecclesiae opportunitatem praebet frugiferi colloquii cum mundo ineundi, scilicet cum cuiusvis religionis et cuiusvis civilis cultus populis atque hominibus, ut sociam conferre possit operam ad tuenda vera hominum bona et ad humanas quaestiones secundum evangelicam doctrinam aptius dissolvendas.

Profecto Catholica Ecclesia coram omnibus gentibus clarissimo lumine fulgere visa est, veluti civitas supra montem posita,[2] veritatum divinarum humanaeque dignitatis custos invicta. Neque ardua res est, animo iam praecipere futura religiosae rei incrementa, quae inde secutura sunt, cum nempe populus Dei sacro illo spiritualis renovationis afflatu, quem Concilium in Ecclesia excitavit, magis magisque imbutus fuerit.

Haec omnia, dum suavissimo solacio eos omnes afficiunt, quorum

---

[1] Cf. *Act.* 1, 14.
[2] Cf. *Mt.* 5, 14.

opera « multiformis gratia Dei » [3] ad christifidelium animos ubertim affluxit, simul tamen nos iubent omni ope contendere, ne ullo impedimento remoretur illud quasi exundans caelestium gratiarum flumen, quod in praesens « laetificat civitatem Dei »,[4] neve vitales spiritus, quibus hodie fervet Ecclesia, ullo modo remittant. Quod sane contingere possit, si, post transactum disceptationum condendarumque legum tempus, remissius subinde evadat apostolicum sacrorum Pastorum studium, iidemque non satis attendant, ut oportet, ad munera illius temporis propria, quod Concilii celebrationem subsequetur. Nam felix Concilii exitus eiusque saluberrimi in Ecclesiae vita fructus, potius quam a multiplicitate legum, a studio et industria verius pendebunt, quibus in posterum opera dabitur iisdem legibus ad effectum deducendis. Scilicet opus erit praesertim christifidelium prudenter componere animos ad novas excipiendas normas; eorum inertiam excitare, qui novo rerum cursui se accommodare renuant; compescere aliorum intemperantiam, qui plus aequo privatis novitatibus indulgeant, atque adeo incepto renovationis operi haud parum nocere possint; disciplinae immutationem intra fines continere a legitima auctoritate praescriptos; in omnium denique animis fiduciam erga sacros Pastores inculcare plenamque suadere oboedientiam, quae veri amoris erga Ecclesiam testimonium est, ac simul unitatis felicisque exitus tutissimum pignus.

Satis est haec breviter attingere, Venerabiles Fratres, ut pateat officiorum gravitas et momentum, quae vos posthac manent. Immensae sane molis opus iam est aggrediendum, quod prudentiam, perseverantiam, consiliorum sagacitatem a vobis quidem postulat; at non minus postulat coniunctam operam, eamque promptam atque magnanimam, universi gregis qui unicuique vestrum concreditus est. Concilium Oecumenicum, enim, utpote quod ad omnium Ecclesiae filiorum spiritualem vitam pertineat, communi omnium opera carere nequaquam potest.

In huiusmodi coniunctissimo nisu dubium non est, prae ceteris dilectissimos sacerdotes Pastoribus suis auxilio fore, eos praesertim qui animorum curationi sunt addicti. Concilium Oecumenicum, cum providas ediderit normas ad eos pertinentes, incomparabile ipsis instrumentum praebuit ad sacerdotii munera dignius et efficacius exercenda; illud igitur volentes excipiant eodemque utantur, firmioribus usque animati propositis sanctitudinem assequendi et sacrum ministerium sollerti generosoque animo obeundi. E pastorali experientia Nostra probe compertum habemus, quot Christi operarii, sane dignissimi, naviter in excolendo Domi-

---

[3] *1 Pt.* 4, 10.
[4] *Ps.* 45, 5.

nico agro desudent; neque difficultates ac dolores ignoramus, quibus multorum vita est obnoxia, in solitudine, in paupertate atque inter infensos hominum animos tam saepe traducta. Noverint hi carissimi filii Nostri, Christi Vicarium ad eos cogitationes convertere ac pro iis assidue Deum orare; eorum aerumnas, plerumque occultas, homines latere quidem posse, Deum autem non posse, qui ipsis dignam suorum laborum mercedem in caelis parat.

Peculiari etiam fiducia pervolat mens Nostra ad magni pretii operam, quam universae religiosorum familiae in id ipsum conferent. A florenti enim vitae religiosae condicione Ecclesia magnam repetit partem vigoris sui, studii apostolici, ardoris sanctitatis adipiscendae. Ac si alias umquam, nunc cum maxime, Ecclesiae opus est testimonium publicum et sociale, quod religiosa vita impertitur, necnon auxilium dioecesano clero in apostolatu ferendum. Magis magisque igitur exempla praefulgeant eorum, qui mundo revera renuntiaverunt, atque adeo aperte demonstrant regnum Dei non esse de hoc mundo;[5] neque apostolicum studium, quo ipsi incensi sunt, intra fines suae sodalitatis circumscribatur, sed ad omnes pateat spirituales necessitates, quibus aetas nostra misere laborat.

Denique spem multam reponimus in christifidelibus e laicorum ordine apostolatui addictis, quos paterna benevolentia complectimur. Quod Concilium Oecumenicum de iis data opera agere voluit, eorumque locum et munera in Ecclesia fuse descripsit, id satis manifesto ostendit, quas magni momenti partes laicis hominibus iam tribuere oporteat. Ac revera pastoralis sacrorum administrorum navitas fines suos consequi nequit, nisi comitem habeat actionem laicorum hominum, quorum est Ecclesiae in sacro obeundo ministerio auxilium ferre, sacerdotes pro viribus supplere in iis locis qui cleri paucitate laborant, itemque novas vias rationesque reperire, quibus Ecclesia aptius atque efficacius nostrorum temporum hominibus salutis nuntium tradere valeat. Hos igitur filios Nostros paterno animo adhortamur, ut grandi huic Concilii Oecumenici horae pares se exhibeant, atque Ecclesiae spem et exspectationem in se collocatam alacriter adimpleant.

Venerabiles Fratres, Nobis spes bona affulget, fore ut filii vestri in Christo, quemadmodum sollicitudines vestras de Concilii exitu hucusque precando, trepidando, sperando, gaudendo participarunt, ita, cum ad vestras redieritis sedes, generosis suae adiutricis operae propositis vos abunde laetificare velint. Immo vehementer optamus ut vobis in patriam redeuntibus minime desint publica honoris testimonia debitaeque grati

---

[5] Cf. *Io.* 18, 30.

animi significationes, ut sane postulat grande opus, quod cum prudentia, sapientia, sollertiaque maxima una Nobiscum absolvistis, utque eos addecet, qui Ecclesiae novas patefecerunt assequendas metas, ac simul dignitatis humanae, fraterni amoris, unitatis pacisque rectam semitam tanta cum auctoritate hominibus ostenderunt. Per vos spes magna in Ecclesia atque in mundo excitata est; beati, qui ad eam alendam, roborandam, perficiendam vobis auxiliatricem operam praestabunt.

Ad arduum autem summaeque gravitatis officium, quod post Concilium explendum vobis iniungitur, nostis, Venerabiles Fratres, quam impares sint hominis vires. Quare hoc tantummodo pacto exsecutio legum Concilii exoptatos afferet Ecclesiae fructus, si nempe Divini Redemptoris auxilium vestris nisibus accedat, qui dixit « Sine me nihil potestis facere »,[6] et si actio Spiritus Sancti in posterum quoque sacrorum Pastorum animos penitus afficere, illustrare et corroborare pergat.

Preces igitur — in quibus veluti vitalis Ecclesiae afflatus consistit — peculiari modo preces Spiritui Sancto adhibitae, cuius est sectatorum Christi gressus dirigere, officium declarant quod primum omnium hoc postremo Concilii tempore praecipitur. Hinc christifideles supernas hauriant vires ut terere valeant iter, quod spei plenum iam coram panditur; ut omni cum obsequio Ecclesiae monitis pareant, quae filios suos nunc praesertim vult dociles in oboediendo, promptos in agendo, atque in rebus asperis perferendis, quae forte occurrant, magnanimos; ut denique impetrent a Deo confertum sanctorum virorum agmen, qui instar Sancti Caroli Borromei, christiano populo exemplo et incitamento sint ad Concilii decreta fideliter exsequenda, quandoquidem ex his viris potissimum vera Ecclesiae renovatio, quam Concilium Oecumenicum vehementer cupit, tandem erit exspectanda.

Quam ad rem statuimus, Venerabiles Fratres, ut antequam Concilio Oecumenico finis imponatur, in universis catholici orbis dioecesibus, paroeciis religiosisque communitatibus sollemnes supplicationes in triduum indicantur. Hae autem supplicationes, quae inter proxima novendialia in honorem Beatae Mariae Immaculatae habendae erunt, non modo spectare debent ad debitas persolvendas Deo grates atque ad nova poscenda superna munera, sed etiam opportunam occasionem praebere poterunt christifideles de novis suis muneribus monendi, eosque adhortandi, ut, inceptis vestris suas iungendo vires, in actionem christianae vitae sive privatae sive publicae salutaria Concilii Oecumenici praecepta alacriter traducant.

Denique liceat Nobis, Venerabiles Fratres, hoc etiam optatum No-

---

[6] *Io.* 15, 5.

strum significare vobis, ut scilicet a vobis ex Urbe opportuna monita et hortamenta de huiusmodi supplicationibus habendis vestris gregibus impertiantur; et quidem ita rebus dispositis, ut cum in Vaticana Basilica sollemnis Concilii Oecumenici conclusio celebrabitur, eodem die eademque hora universa per orbem catholicorum familia cum Christi Vicario et cum suis sacris Pastoribus ferventer precando, una voce unoque animo coniuncta videatur.

Hac spe suffulti, divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestris curis concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino dilargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV Novembris, in festo S. Caroli Borromei, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

18

EPISTULA *

Ad E.mum P. D. Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Ostiensem, Portuensem et S. Rufinae, Sacri Collegii Decanum et primum e Consilio Praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II, quem Summus Pontifex certiorem facit, statuisse Se ut die octavo proximi mensis decembris, in festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, Oecumenica Synodus sollemni ritu finem habeat.

PAULUS PP. VI

VENERABILIS FRATER NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Laeto animo comperimus labores Concilii Oecumenici Vaticani II non modo celeriter procedere, sed etiam ad exitum vergere. Hac de causa, nomine istius Consilii Praesidentiae, a Nobis postulasti, Venerabilis Frater Noster, ut dies ac sollemnes ritus statuantur, quibus Oecumenica Synodus sit concludenda.

Grates Deo maximas agamus de superna ope per totum Concilii celebrationis decursum Patribus et Ecclesiae collata, ac nostras multipli-

---

*. *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 898-899.

cemus preces, ut nuper per Adhortationem Apostolicam « Postrema Sessio » christifideles omnes appellavimus, quibus quidem ab Omnipotenti Deo impetretur, ut grande eventum, cuius initium spem maximam excitavit, ad exitum feliciter perducatur atque uberrimam salutarium fructuum copiam Ecclesiae et mundo gignere valeat.

Quamobrem tuis precibus libenter annuentes, statuimus ut Sacrosanctum Concilium Oecumenicum Vaticanum II, quod in festo divinae Maternitatis Mariae Ss.mae initium cepit eiusque peculiari patrocinio commissum est, finem sollemni ritu habeat die VIII proximi mensis decembris, quo liturgicum festum Immaculatae Conceptionis Mariae, Matris Ecclesiae, recoletur. Eodem decembris die, anno MDCCCLXIX, sollemniter inauguratum fuit Concilium Oecumenicum Vaticanum I, cuius praesens Oecumenica Synodus non una de causa veluti dignum complementum optimo iure haberi potest.

Statuimus etiam ut die VII eiusdem mensis decembris celebretur publica Sessio, in qua Sacri Concilii deliberationi proponantur postrema Schemata, quae in superioribus Congregationibus Generalibus iam approbata sunt.

Faveas, Venerabilis Frater Noster, haec, quae statuimus, in notitiam Patrum Conciliarium humaniter perferre.

Spem bonam foventes, fore ut superna ope et Conciliarium Patrum sollertia reliqui Oecumenicae Synodi labores prosperum sortiantur exitum, Tibi, Venerabilis Frater Noster, ceterisque Consilii Praesidentiae Membris, necnon Concilii Oecumenici Patribus universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die IX mensis novembris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

19

NOTIFICATIO

facta ab exc.mo Secretario Generali Ss. Concilii in congregatione generali CLXXI, die 15 nov. 1965.

Quaesitum est quaenam esse debeat *qualificatio theologica* doctrinae, quae in Schemate Constitutionis dogmaticae *de Divina Revelatione* exponitur et suffragationi subicitur.

Huic quaesito Commissio de doctrina fidei et morum hanc dedit responsionem iuxta suam *Declarationem* diei 6 martii 1964:

« Ratione habita moris conciliaris ac praesentis Concilii finis pastoralis, haec S. Synodus ea tantum de rebus fidei vel morum ab Ecclesia tenenda definit, quae ut talia aperte ipsa declaraverit.

« Cetera autem, quae S. Synodus proponit, utpote Supremi Ecclesiae Magisterii doctrinam, omnes ac singuli christifideles excipere et amplecti debent iuxta ipsius S. Synodi mentem, quae sive ex subiecta materia sive ex dicendi ratione innotescit, secundum normas theologicae interpretationis ».

✠ PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Oecumenici Concilii Vaticani II
Secretarius Generalis

20

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria V die 18 novembris 1965: Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App. *Hora nona,* in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II publica solemnis sessio erit, Ss.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam cum nonnullis Patribus Conciliaribus concelebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et Rev.mi DD. Cardinales qui, *vestibus rubris, calceis rubris* et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et sacra paramenta suo Ordini propria *albi coloris* cum *mitra serico-damascena* (Episcopi pluviale cum formali); deinde in Sacellum Ss.mae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis expectabunt, accessuri cum Eo ad Aulam Conciliarem.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Rev.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice celebraturi in praedicto Sacello S. Sebastiani omnes vestes sacras pro Missae celebratione induent; postea una cum Cardinalibus, Ss.mum D.num processionali more ad Aulam Conciliarem comitabuntur.

Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ad Patriarcha-

lem Basilicam Vaticanam accedent, ubi, *in atrio Basilicae*, supra rochetum, amictum, *pluviale album* et *mitram albam lineam* assument; ceterique Conciliares Patres et Officiales Concilii vestes sibi proprias induent. Omnes dein *continuo* et ordinate ad Aulam Conciliarem pergent, propria subsellia adepturi.

Officiales, Praelati Cappellae Papalis, ceterique in Cappella locum habentes, vestibus sibi propriis induti ad Basilicam Vaticanam accedent ac pariter *continuo* et ordinatim ad sua loca, prope Altare Confessionis venient.

Decanus Auditorum Rotae, una cum alio e suis Collegis, rocheto et superpelliceo induto, prope lectum paramentorum, Pontificem expectabit et praemonebit alium, qui, vestibus sacris indutus, crucem gestabit.

Decanus Votantium Signaturae praemonebit duos e suis Collegis, qui rocheto ac superpelliceo induti, officio acolythorum fungentur.

Summus Pontifex in Sacello Ss.mae Trinitatis sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, comitantibus E.mis Cardinalibus et concelebrantibus Se conferet ad Altare Aulae Conciliaris, ubi, depositis baculo et mitra, aliquantum orabit et, comitantibus duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus, ad sedem eminentem ascendet.

Interim a schola antiph. *Tu es Petrus* cum Ps. 131 *Memento, Domine, David* decantatur universo clero respondente. Proinde rogantur omnes ut, quoquo modo, se abstineant ab acclamationibus, sed uno ore, moderate et devote cum schola alternatim canant.

Fit initium publicae sessionis Concilii.

Post decreta ab Exc.mo D.no Archiepiscopo Secretario Generali Concilii, nomine Summi Pontificis lecta, ipse Exc.mus Secretarius exquiret a Patribus de decretis lectis sententiam.

Deinde Summus Pontifex, una cum Patribus concelebrantibus ad Altare Confessionis veniet, ubi, depositis formali et pluviali, casulam induet et fit initium concelebrationis.

Expleta Missa, Summus Pontifex, deposita casula, iterum induet pluviale, formale et mitram, duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus Ipsi se sociantibus, et ad sedem eminentem ascendet.

Postea perficitur Ritus publicae sessionis Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum, et qui ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habent.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes Solii Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R. C. A., Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores S. R. Rotae, Clerici Camerae Apo-

stolicae, Votantes Signaturae, Advocati S. Consistorii, Officiales Concilii, ceterique intimari soliti, qui omnes suis locis, scilicet prope Altare Confessionis, praesto esse debent hora *saltem octava cum dimidio.* Ex his, qui cappa induti interesse debent, eas, sine pellibus, suprá consuetas vestes assument in Sacrario Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

SALVATOR CAPOFERRI
Praefecturam Caerem. Ap.
Regens ad interim

21

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS *

In sede v. d. « Ufficio Stampa del Concilio Ecumenico Vaticano II », ad diurnarios scriptores ex omnibus nationibus, qui operam navarunt ad notitias de Oecumenica Synodo evulgandas (die 26 mensis novembris a. 1965).

Chers Messieurs,

C'est pour Nous un grand plaisir — Nous vous le disons bien sincèrement — de Nous trouver aujourd'hui au milieu de vous, au lieu même de votre travail. Si les réalisations ne sont jamais aussi parfaites qu'on le souhaiterait, vous aurez du moins, en utilisant ces moyens qui étaient mis à votre disposition, senti que l'Eglise s'intéressait à votre travail, et faisait de son mieux pour vous aider à répondre à vos obligations professionnelles. Comment d'ailleurs ne pas être impressionné, quand on songe à la somme énorme d'efforts que vous avez fournie, au labeur qui a été le vôtre, et souvent dans des circonstances qui vous obligeaient à faire très vite, en raison des lois qui sont aujourd'hui celles de l'information. Et comment ne pas être frappé aussi par l'importance considérable du rôle qui a été le vôtre depuis le début de ce second Concile Œcuménique du Vatican. Si l'Eglise a senti, comme jamais au cours de son histoire bimillénaire, tant de millions d'hommes intéressés à la réunion des évêques du monde entier, c'est sans nul doute, chers Messieurs, à vous qu'on le doit très largement. Soyez-en vivement félicités et remerciés de tout cœur!

Nous aimons d'ailleurs à penser que ce bénéfice n'a pas été unilatéral,

---

* *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 991-995.

et que vous avez vous aussi largement profité des possibilités qui vous étaient offertes de voir vivre de très près l'organe suprême de l'Eglise. Votre intérêt pour le Concile lui-même et pour tous les événements, petits et grands, qui en ont marqué le déroulement, montre que vous avez été attentifs aux problèmes soulevés, et que vous en avez compris la portée pour l'homme d'aujourd'hui, pour l'immense masse de ceux qui sont vos lecteurs et vos auditeurs. En découvrant progressivement les dimensions du fait conciliaire, vous avez du même coup pris une meilleure conscience de ce que les questions abordées par le Concile représentaient de grave et de profond pour la pensée religieuse et pour l'homme tout entier. Vous avez saisi quelque chose des relations entre la doctrine de l'Eglise et la vie de l'homme: l'histoire, la civilisation, et les destins de l'homme. Vous avez perçu la vitalité de l'Eglise et son effort de fidélité, tant à ses propres sources qu'à ses propres fins, tant à ses propres traditions qu'aux nouveaux besoins de la société, tant civile qu'ecclésiastique. Vous avez découvert ce qu'était le sens profond de cet *aggiornamento* dont le Pape Jean XXIII, Notre vénéré prédécesseur, avait senti la nécessité, et que vous avez tant contribué à populariser dans le grand public.

Et, en faisant cet effort de découverte progressive, vous aurez sans nul doute expérimenté combien il est difficile d'arriver à comprendre vraiment le Concile. Car s'il est relativement simple de faire la description des phénomènes extérieurs qui le caractérisent, combien plus difficile est-il de conduire les esprits jusqu'à sa dialectique intérieure doctrinale et spirituelle! C'est sans nul doute à cette réelle difficulté qu'il faut attribuer tant de présentations purement extérieures et d'hypothèses bien peu fondées et porteuses d'interprétations marginales laissant échapper l'essence même des faits. C'est ainsi par exemple qu'on a trop souvent appliqué sans discernement aux faits du Concile, pour en dramatiser la description par des termes courants, les concepts et les catégories en usage dans la société civile.

Qui d'entre vous ne voit surgir de cette difficulté même une invitation pressante? Pour renseigner, il faut être informé; pour enseigner, il faut savoir; pour remplir pleinement votre si noble tâche d'informateurs, il faut avoir compris. Ainsi donc, pour parler de l'Eglise, il faut la connaître, et pour la connaître, il faut l'étudier; pour conduire le lecteur à saisir la vérité en ce qui la concerne, il faut d'abord en avoir fait soi-même la découverte. Et ce n'est pas facile: car la vie profonde de l'Eglise est tout intérieure et spirituelle: c'est donc à ce niveau seulement qu'on peut la percevoir, l'apprécier à sa juste valeur, et jouir, s'il se peut, de ses expériences magnifiques et mystérieuses.

La fonction de l'information, de la presse, de la radio-télévision, en

un mot de toutes les techniques audio-visuelles, est vraiment considérable, et son importance — qui ne le voit à l'évidence? — ne fait qu'augmenter. C'est dire, chers Messieurs, la gravité de vos devoirs. Il dépend de plus en plus de vous, pour une part sans cesse croissante de l'humanité, que les hommes et les femmes de ce temps accèdent à la vérité. C'est dire que, guidés par le souci de bien faire, et respectueux des valeurs morales et spirituelles, vous pouvez accomplir une mission que Nous n'hésitons pas à qualifier de providentielle.

Vous devinez bien que, pour Notre part, ainsi convaincu de la valeur de votre mission, Nous avons bien la ferme volonté de faire tout ce qui est en Notre pouvoir pour vous aider à la remplir toujours mieux, en tenant compte des nécessités souvent impératives de vos obligations professionnelles. Comme Nous vous le disions au début de cet entretien familier, Nous avons voulu, pendant toute la durée du Concile, satisfaire le plus possible votre légitime requête de recevoir, de bonne source, nouvelles et informations. C'est dans ce but qu'a été créé le bureau de presse du Concile, et Nous sommes heureux de cette occasion de rendre publiquement hommage à ses responsables pour leur labeur quotidien, souvent obscur et austère, à votre service et au service de la vérité.

Et maintenant, Nous direz-vous? Maintenant que le Concile touche à son terme? Certes, la vie de l'Eglise continue, dans son centre visible comme à travers les nations, dans le monde entier. Nous savons qu'un gros effort est fait par nombre de conférences épiscopales pour aider tous les informateurs religieux à remplir leur tâche, leur communiquer des informations, leur fournir aussi les indications et les explications souvent nécessaires pour rendre compte de la vie d'un organisme aussi complexe. De cela, Nous sommes très heureux, et Nous en félicitons de grand cœur les promoteurs et les réalisateurs.

Vous Nous direz aussi: et le Saint-Siège? Eh bien, le Saint-Siège, sachez-le, est tout disposé à continuer, dans la mesure de ses possibilités, le même service, de telle manière que les nouvelles vous soient transmises avec la rapidité et l'ampleur requises par les nécessités d'aujourd'hui et l'importance des informations.

Mais Nous ajouterons aussi quelque chose qui sans doute ne vous surprendra guère, vous qui êtes devenus depuis des années des habitués, des familiers, pourrait-on dire, des milieux du Vatican. Ce n'est pas à vous qu'il est besoin d'expliquer que le Saint-Siège est un organisme tout à fait spécial, de par son origine, de par sa nature, et de par ses fins. C'est dire que ce monde particulier a naturellement aussi ses méthodes particulières, et spécialement en ce qui concerne la manière de diffuser ses informations: le Vatican tient à le faire, à temps certes,

mais bien entendu sans jamais céder à cette fièvre et à cette passion qui sont parfois celles des reporters dans l'exercice de leur profession. Ce n'est pas ici, est-il besoin de le répéter, le sensationnel et le spectaculaire que vous pouvez attendre, mais tout au contraire l'objectivité et la sérénité. Et vous le savez bien, si parfois le Saint-Siège semble réservé dans les nouvelles à donner, ce n'est pas pour se soustraire à ce qui est devenu une obligation dans le monde moderne. De fait, c'est dans ce but même que travaille un organisme que vous connaissez, le service de presse de *L'Osservatore Romano,* qui malgré les faibles moyens dont il dispose, a déjà rendu à beaucoup d'entre vous de grands services, et qui, sans nul doute, continuera à le faire encore dans l'avenir. La réserve du Saint-Siège a une autre cause: c'est la crainte, malheureusement fondée, d'une mauvaise interprétation. Car, trop souvent encore — nul ne peut le nier — les nouvelles du Vatican sont diffusées d'une manière où le respect dû aux personnes et le souci de la vérité sont loin d'être primordiaux.

C'est vous dire, chers Messieurs, que, dans cette situation, il dépend aussi de vous qu'une amélioration soit apportée. Nous sommes pour Notre part désireux de vous aider, tant qu'il s'agit du service de la vérité, mais de ce seul service, et non pas d'autres intérêts auxquels la vérité serait étrangère. Plus les journalistes seront droits et probes dans l'accomplissement de leur tâche, plus ils trouveront auprès des organes compétents du Vatican l'attention qu'ils attendent légitimement et l'information objective dont ils ont besoin.

C'est donc un échange fraternel, prudent et sincère, qui doit s'instaurer toujours plus et une aide mutuelle qui doit se développer toujours mieux. Ainsi, sans nul doute, chacun y trouvera son profit, les uns et les autres seront réciproquement satisfaits, la vérité surtout sera mieux servie, et les hommes la pourront mieux connaître, cette vérité qui, pour les chrétiens, a le nom de l'amour et le visage du Christ Rédempteur dont Nous sommes l'humble Vicaire.

Chers Messieurs, Nous aimerions poursuivre cette conversation. Nous voulons du moins, à son terme, redire à chacune et chacun d'entre vous, Nos remerciements pour le bon travail qu'il a fait, le souhait qu'il emporte de Rome, avec d'heureux souvenirs, la joie d'une découverte plus profonde de l'Eglise et du Saint-Siège, et le vœu que les uns et les autres nous nous retrouvions. En ces lendemains du Concile, votre travail — comme le Nôtre — continue, et le Nôtre contribuera sans aucun doute à alimenter le vôtre! Dieu veuille bénir vos personnes, tous ceux qui vous sont chers, et tout ce que vous faites au service de la Vérité.

22

EPISTULA OBSERVATORUM AD PATRES CONCILIARES *

Venerabiles Patres Conciliares,

Fine Concilii Vaticani II iam adventante, Observatoribus et Hospitibus Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam cordi est sensus gratitudinis exprimere, qua insignes gravissimosque eventus, quorum testes fuerunt, animo considerant.

Invitationem accepimus, ut Concilii labores observando intimius cognosceremus de iisque Ecclesias nostras certiores faceremus. Ubique admodum humaniter accepti sumus. Innumeras aestimationis, caritatis atque amicitiae significationes experti sumus. Dialogus, de quo saepe erat sermo, nullatenus vox vacua vel inanis remansit. Iterum iterumque occasio nobis praebebatur et conversationis personalis et colloquii. Quamvis tam Patres conciliares quam Periti nimio labore occupati fuere, nihilominus vere solliciti erant, quo cognitionem de persuasionibus aliarum Ecclesiarum penitiorem acquirerent. Vinculis ac necessitudinibus personalibus in hisce annis initis ipsi nos Observatores non parum ditati sumus atque pro semper manebimus.

Momentum nunc non est de Concilio et de eius fructibus in hisce annis obtentis singillatim disserere. Id unum hac occasione asseverare Patribus conciliaribus desideramus: nos nempe Concilii labores non solummodo observatione quasi a longe facta, sed vera quadam animi participatione prosecutos esse. Id enim quod in una Ecclesia evenit, ad alias quoque omnes spectat. Hoc certe in sessionum decursu clarius atque clarius elucebat. Seiunctione non obstante Ecclesiae in nomine Christi nihilominus coniunctae manent. Nobis Observatoribus firmiter persuasum est communionem, quae hucusque obtenta est, adhuc crescere posse atque revera auctum iri. In prima audientia, qua Observatores coram admisit, Ioannes Papa XXIII felicis recordationis haec verba Psalmistae protulit: « Benedictus Dominus per singulos dies! ». Quae verba nunc hoc modo iterari possunt: Benedictus Dominus pro omnibus, quae Ipse nobis per Spiritum Eius usque in diem hunc donavit, et pro iis, quae Ipse nobis in futurum etiam donare intendit!

---

* Huiusmodi epistula lecta est a secretario generali in congregatione 167, die 4 decembris 1965.

23

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria III, die 7 decembris 1965: in festo S. Ambrosii Ep. C. et Eccl. Doct. *Hora nona,* in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II publica solemnis sessio erit, SS.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam cum nonnullis Patribus Conciliaribus concelebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et Rev.mi DD. Cardinales qui, *vestibus rubris, calceis rubris* et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et sacra paramenta suo Ordini propria *albi coloris* cum *mitra serico-damascena* (Episcopi pluviale cum formali); deinde in Sacellum SS.mae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis expectabunt, accessuri cum Eo ad Aulam Conciliarem.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Rev.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice celebraturi in praedicto Sacello S. Sebastiani omnes vestes sacras pro Missae celebratione *et mitram albam lineam* induent; postea una cum Cardinalibus, SS.mum D.num processionali more ad Aulam Conciliarem comitabuntur.

Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi, *in atrio Basilicae,* supra rochetum, amictum, *pluviale album* et *mitram albam lineam* assument; cetérique Conciliares Patres et Officiales Concilii vestes sibi proprias induent. Omnes dein *continuo* et ordinate ad Aulam Conciliarem pergent, propria subsellia adepturi.

Officiales, Praelati Cappellae Papalis, ceterique in Cappella locum habentes, vestibus sibi propriis induti ad Basilicam Vaticanam accedent ac pariter *continuo* et ordinatim ad sua loca, prope Altare Confessionis venient.

Decanus Auditorum Rotae, una cum alio e suis Collegis, rocheto et superpelliceo induto, prope lectum paramentorum, Pontificem expectabit et praemonebit alium, qui, vestibus sacris indutus, crucem gestabit.

Decanus Votantium Signaturae praemonebit duos e suis Collegis, qui rocheto ac superpelliceo induti, officio acolythorum fungentur.

Summus Pontifex in Sacello SS.mae Trinitatis sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, comitantibus E.mis Cardinalibus et concelebrantibus Se conferet ad Altare Aulae Conciliaris, ubi, depositis baculo et mitra, aliquantum orabit et, comitantibus duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus, ad sedem eminentem ascendet.

Interim a schola antiph. *Tu es Petrus* cum Ps. 131 *Memento, Domine, David* decantatur universo clero respondente. Proinde rogantur omnes ut, quoquo modo, se abstineant ab acclamationibus, sed uno ore, moderate et devote cum schola alternatim canant.

Fit initium publicae sessionis Concilii.

Post Decreta ab Exc.mo D.no Archiepiscopo Secretario Generali Concilii, nomine Summi Pontificis lecta, ipse Exc.mus Secretarius exquiret a Patribus de decretis lectis sententiam.

Deinde Summus Pontifex, una cum Patribus concelebrantibus ad Altare Confessionis veniet, ubi, depositis formali et pluviali, casulam induet et fit initium concelebrationis.

Expleta Missa, Summus Pontifex, deposita casula, iterum induet pluviale, formale et mitram, duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus Ipsi se sociantibus, et ad sedem eminentem ascendet.

Postea perficitur Ritus publicae sessionis Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum, et qui ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habent.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes Solii Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R. C. A., Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores S. R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Advocati S. Consistorii, Officiales Concilii, ceterique intimari soliti, qui omnes suis locis, scilicet prope Altare Confessionis, praesto esse debent hora *saltem octava cum dimidio.* Ex his, qui cappa induti interesse debent, eas, *cum pellibus,* supra consuetas vestes assument in Sacrario Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

SALVATOR CAPOFERRI
Praefecturam Caerem. Ap.
Regens ad interim

24

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria IV die 8 decembris 1965 in festo IMMACULATAE CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS, *hora decima cum dimidio* in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II postrema solemnis sessio erit, in qua ipsum Concilium concludetur, SS.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam celebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et Rev.mi DD. Cardinales qui, *vestibus rubris, calceis rubris* et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et sacra paramenta suo Ordini propria *albi coloris* cum *mitra serico-damascena* (Episcopi pluviale cum formali); deinde in Sacellum SS.mae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis exspectabunt.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, et supra rochetum, *amicto, pluviali albo, mitra alba linea* sumptis, *sua quaeque loca in Aula conciliari occupabunt.* Ceteri Conciliares Patres et Officiales Concilii, Praelati Cappellae Papalis et qui in Cappella locum habent, *in atrio Basilicae Vaticanae,* vestes sibi proprias induent et *continuo* in ambulacrum, quo descenditur ad portam aeneam, vulgo di *bronzo* appellatam, venient ibique exspectantes donec processionali modo ad aream ante frontem Basilicae Vaticanae patentem, pergant et illic unusquisque locum sibi assignatum occupabit.

Decanus Auditorum Rotae, una cum alio e suis Collegis, rocheto et superpelliceo indutis, prope lectum paramentorum, Pontificem exspectabit et praemonebit alium, qui, vestibus sacris indutus, crucem gestabit.

Decanus Votantium Signaturae praemonebit duos e suis Collegis, qui, rocheto ac superpelliceo indutis, officio acolythorum fungentur.

Summus Pontifex in Sacello SS.mae Trinitatis sacris vestibus sumptis, comitantibus E.mis Cardinalibus, Exc.mis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, sella gestatoria vectus, per plateam S. Petri, processionali more, ad Altare ante frontem Basilicae Vaticanae erectum, Se conferet, ibique missam celebrabit.

In Supplicatione omnes alternatim preces, uti in libello reperiuntur, recitabunt.

Expleta Missa, Summus Pontifex, duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus Ipsi se sociantibus, ad sedem eminentem ascendet; deposita casula, induet pluviale, formale et mitram.

Postea perficitur Ritus postremae sessionis Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, et omnes alii Patres conciliares.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes Solio Assistentes Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R. C. A., Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores S. R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Advocati S. Consistorii, Officiales Concilii, ceterique intimari soliti, qui omnes suis locis, praesto esse debent hora *nona cum dimidio* ut supplicationis initium fieri possit. Ex his, qui cappa induti interesse debent, eas, *cum pellibus,* supra consuetas vestes assument in *Atrio* Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

SALVATOR CAPOFERRI
Praefecturam Caerem. Ap.
Regens ad interim

25

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus SS. Concilio Oecumenico finis imponitur *

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — In Spiritu Sancto congregatum et obtectum praesidio Beatae Mariae Virginis, quam Matrem Ecclesiae renuntiavimus, Sancti Ioseph eius incliti Sponsi nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum sine dubio maximis Ecclesiae eventis est accensendum: etenim frequentissimum fuit numero Patrum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus, ex iis etiam, in quibus hierarchicus ordo recens est constitutus, ad Petri Sedem convenerant; copiosissimum fuit argumentis, quae in quattuor Sessionibus studiose et accurate sunt pertractata; con-

* *A.A.S.,* 58 (1966), pp. 18-19.

venientissimum denique fuit, quod, necessitatum, quas haec aetas induxit, habens rationem, utilitates pastorales imprimis attendit et, flammam alens caritatis, magnopere est annisum, ut christifideles a Sedis Apostolicae communione adhuc seiunctos, quin immo universam humanam familiam fraterno attingeret animo. Quandoquidem ergo omnia ad idem Sacrosanctum Oecumenicum Concilium spectantia, Deo adiuvante, in praesenti absoluta sunt, atque omnes Constitutiones, Decreta, Declarationes et Vota synodali deliberatione approbata riteque a Nobis promulgata, idem Concilium Oecumenicum a Decessore Nostro f. r. Ioanne XXIII die XXV mensis Decembris anno MCMLXI indictum, die autem XI mensis Octobris anno MCMLXII inchoatum, atque post eius piissimum obitum a Nobis continuatum, auctoritate Nostra Apostolica concludere decernimus atque statuimus ad omnes iuris effectus. Mandamus autem ac praecipimus, ut quae synodaliter in Concilio statuta sunt, sancte et religiose ab omnibus christifidelibus serventur ad Dei gloriam, ad Sanctae Matris Ecclesiae decus et ad hominum universorum tranquillitatem et pacem. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Decembris, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. V., anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

CXXVIII-CLXVIII

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

CXXVIII

Congregatio generalis centesima vicesima octava habita est die 15 septembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2266 Patres, nempe 81 cardinales, 3 patriarchae, 7 primates, 336 archiepiscopi, 1683 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Summus Pontifex, Paulus VI, una cum tribus praelatis domus suae et exc.mo P. D. Pericle Felici, secretario generali Ss. Concilii, in Aulam ingressus est, Patribus plaudentibus.

Secretarius generalis S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant antiphonam ad introitum Missae cum psalmo.

Missa de festo Septem Dolorum B.M.V., ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Bernardo Cazzaro O.S.M., vic. ap. Aysenensi in Chilia. Chorus Cappellae Sixtinae una cum Patribus exsecutus est cantus, modo gregoriano: antiphonam ad introitum, *Beata Mater,* cum *Ps.* 45, 44; *Alleluia*; antiphonam ad offertorium, *Recordare, Virgo Mater*; antiphonam ad communionem, *Beata es,* cum cantico *Magnificat.*

Post Missam, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et Summus Pontifex precem dixit: *Adsumus.*

Idem secretarius generalis monuit Summum Pontificem promulgavisse Litteras Apostolicas Motu Proprio datas: *Apostolica sollicitudo,* quibus Synodus episcoporum pro universa Ecclesia constitutus est. Omnes Patres plauserunt.

Em.mus P. D. card. Paulus Marella illustravit Motu Proprio, quem postea secretarius generalis legit.

Deinde Summus Pontifex benedictionem Patribus impertivit et ab Aula discessit.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, decanus Sacri Collegii et primus e consilio praesidentiae, Patres allocutus est.

Etiam em.mus P. D. card. Gregorius Petrus Agagianian, primus e moderatoribus, Patres allocutus est.

Secretarius generalis legit « telegramma » missum a patr. Oecumenico Athenagora ad Summum Pontificem Paulum VI, initio quartae periodi Concilii Vaticani II. Deinde proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema declarationis *de libertate religiosa.*

Post relationem, lectam ab exc.mo P. D. Ioseph De Smedt, ep. Brugensi, ad loquendum de illo schemate ex ordine vocati sunt em.mi PP.DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioannes Urbani, patr. Venetiarum, Ricardus Cushing, arch. Bostoniensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

Tandem secretarius generalis quaedam Patribus communicavit circa licentiam assistendi congregationibus generalibus.

Durante congregatione Patribus distributa sunt: *Missae in quarta periodo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandae,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965; *Missa ante congregationem generalem diei 15 septembris 1965 celebranda*; *Allocutio em.mi P. D. Eugenii card. Tisserant, decani, primi ex consilio praesidentiae*; *Elenco dei Padri Conciliari. A cura della segreteria generale del Concilio,* Tipografia Poliglotta Vaticana 1965; *Relatio super schema declarationis de libertate religiosa.*

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXIX

Congregatio centesima vicesima nona habita est die 16 septembris 1965, feria quinta, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2252 Patres, nempe 81 cardinales, 3 patriarchae, 6 primates, 340 archiepiscopi, 1672 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Ante Missae celebrationem, exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, Ss. Concilii subsecretarius, Patres monuit de ordine et cantibus Missae.

Exc.mus P. D. Michaël Callens, arch. tit. Moxoritanus, praelatus nullius Tunetanus in Tunisia, Missam celebravit, ritu romano, de festo SS. Cornelii et Cypriani Martyrum. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus proprios e communi Martyrum.

Exc.mus P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, subsecretarius Ss. Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit: *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian.

Dein legit nomina Patrum, qui circa schema declarationis *de libertate religiosa* loqui petierant.

Rogavit praesides conferentiarum episcopalium ut ipsi communicarent nomen officiale conferentiae, nomen praesidis eiusque domicilium romanum.

Tandem illustravit ordinem schematum discutiendorum et suffragationum.

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi; beat. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Ioseph Slipyj, arch. maior Leopolitanus Ucrainorum; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis; exc.mi PP. DD. Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, Ioannes Baptista Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis, vicarius gen. pro Sinensibus in Insulis Philippinis, Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis, Simon Lourdusamy, arch. tit. Philippensis, coad. Bangalorensis, Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis, Aloisius Carli, ep. Signinus, Eduardus Mason, ep. tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid, Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Aemilius Tagle, ep. Vallis Paradisi.

Interim Patribus distributa sunt: *Schema decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia. Textus recognitus et modi a commissione conciliari de episcopis et dioecesium regimine examinati,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965; *Schema decreti de accommodata renovatione vitae religiosae. Textus recognitus et modi a commissione conciliari de religiosis examinati,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

Ultimo secretarius generalis Patres monuit de ratione exarandi Modos.

Intimata proxima congregatione generali habenda, sequenti die, hora nona, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXX

Congregatio generalis centesima trigesima habita est die 17 septembris 1965, feria sexta, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2215 Pa-

tres, nempe 82 cardinales, 3 patriarchae, 7 primates, 329 archiepiscopi, 1651 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 37 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Ante Missae celebrationem unus e caeremoniariis Patres monuit de ordine et cantibus.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioanne Aggey, arch. Lagosensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus antiphonarum e graduali romano.

S. Evangelii codex super paratum thronum ab exc.mo P. D. Casimiro Morcillo Gonzalez, arch. Matritensi-Complutensi, Ss. Concilii subsecretario, positus est.

Intimato *Exeant omnes,* post precem *Adsumus...* exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, omina prompsit, Patribus plaudentibus, beat. card. Maximo IV Saigh, in die sexagesimi anniversarii ordinationis sacerdotalis.

Inde promulgavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema declarationis *de libertate religiosa.*

Item illustravit rationem exarandi Modos et elenchum suffragationum circa schema *de divina revelatione.*

Deinde ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mi PP. DD. cardd. Thomas Cooray, arch. Columbensis, Ermenegildus Florit, arch. Florentinus, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Villelmus Conway, arch. Armachanus, Alfredus Ottaviani; exc.mi PP. DD. Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis, Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis, Abilius del Campo, ep. Calaguritanus, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Carolus Maloney, ep. tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus, Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques, Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis, adm. ap. Grossetanus, Paulus Hallinan, arch. Atlantensis, Secundus Garcia de Sierra, arch. Burgensis.

Interim Patribus distributa sunt: *Litterae Apostolicae... Apostolica sollicitudo,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965; *Kalendarium Suffragationum schematis constitutionis dogmaticae « de divina revelatione ».*

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, die 20 septembris, feria II, hora nona, habendam.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Congregatio finem habuit hora 12,20.

CXXXI

Congregatio generalis centesima trigesima prima habita est die 20 septembris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2206 Patres, nempe 79 cardinales, 3 patriarchae, 7 primates, 339 archiepiscopi, 1628 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Ante Missae celebrationem exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, subsecretarius Ss. Concilii, Patres monuit circa Missae celebrationem.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Fremiot Torres Oliver, ep. Poncensi in insula Portoricensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus.

S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, Ss. Concilii subsecretarius.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, una cum Patribus, recitavit orationem *Adsumus...*

Promulgato nomine moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, secretarius generalis annuntiavit obitum exc.mi P. D. Emmanuelis Trindade Salgueiro, arch. Eborensis in Lusitania. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, alternatim cum Patribus, recitavit *De profundis...* cum oratione.

Dein secretarius generalis legit epistulam, quam em.mus card. Decanus proponit, nomine Patrum conciliarium, ad Summum Pontificem mittere, ad gratias agendas pro institutione Synodi episcoporum.

Demum legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema declationis *de libertate religiosa.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis; Stephanus Wyszìński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Ioseph Beran, arch. Pragensis, Owen McCann, arch. Civitatis Capitis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia, Michael Browne, Ioseph Cardijn; exc.mi PP. DD. Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, Ioannes Gran, ep. Osloensis, Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis, Thomas Muldoon, ep. tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis.

Durante disceptatione, peractae sunt sex suffragationes circa schema *de divina revelatione.*

Secretarius generalis proclamavit exitum suffragationum: I (284): praesentes votantes 2199, *placet* 2175, *non placet* 19, *placet iuxta mo-*

dum (nullum) 1, vota nulla 4; II (285): praesentes votantes 2183, *placet* 2180, vota nulla 3; III (286): praesentes votantes 2071, *placet* 2049, *non placet* 20, vota nulla 2.

Intimata proxima congregatione generali habenda, sequenti die, hora 9, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

CXXXII

Congregatio generalis centesima trigesima secunda habita est die 21 septembris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2257 Patres, nempe 79 cardinales, 3 patriarchae, 7 primates, 345 archiepiscopi, 1671 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Matthaei apostoli et evangelistae celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. Basilio Heiser, ministro generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium. Schola Collegii Seraphici Fratrum Minorum Conventualium et schola Cappellae Sixtinae cantus exsecutae sunt.

Codicem S. Evangelii statuit super paratum thronum exc.mus P. D. Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, subsecretarius Ss. Concilii.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, una cum Patribus, orationem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis promulgavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit nomina cardinalium comitum Summi Pontificis ad consessum Nationum Unitarum die 4 octobris 1965.

Dein annuntiavit distributum iri relationem exc.mi D. Gabrielis Garrone circa schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis;* atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema *de libertate religiosa.*

Item communicavit exitum suffragationum IV-VI, quae pridie peractae erant circa schema *de divina revelatione*: IV (287): praesentes votantes 2079, *placet* 1822, *non placet* 3, *placet iuxta modum* 248, vota nulla 6; V (288): praesentes votantes 2068, *placet* 2049, *non placet* 15, vota nulla 4; VI (289): praesentes votantes 2122, *placet* 2071, *non placet* 49, vota nulla 2.

Ad loquendum circa schema *de libertate religiosa* ex ordine vocati sunt: em.mi PP. DD. cardd. Henricus Dante; Journet; exc.mi PP. DD. Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis; P. Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis, coad. s.d. Quitensis.

Postea moderator proposuit ut finis imponeretur disceptationi *de libertate religiosa.* Patres, surgendo, approbarunt, et relator exc.mus P. D. Aemilius De Smedt, ep. Brugensis, disceptationem conclusit.

Interea peractae sunt suffragationes VII-IX *de divina revelatione.* Item suffragatio facta est super quaesitum: utrum textus reemendatus *de libertate religiosa* placeat Patribus tanquam basis definitivae declarationis ulterius perficiendae iuxta doctrinam catholicam de vera religione et emendationes a Patribus in disceptatione propositas et approbandas ad normam *Ordinis Concilii.*

Secretarius generalis proclamavit nomen moderatoris pro altera parte congregationis, em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et legit nomina Patrum qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, relationem legit circa illud schema et disceptatio incepta est.

Ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mi PP. DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis; Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus; Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis; Augustinus Bea.

Interea peractae sunt suffragationes X-XI circa schema *de divina revelatione.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: VII (290): praesentes votantes 2253, *placet* 2214, *non placet* 34, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 2; VIII (291), de integro cap. II: praesentes votantes 2246, *placet* 1874, *non placet* 9, *placet iuxta modum* 354, vota nulla 9; IX (292): praesentes votantes 2241, *placet* 2179, *non placet* 56, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; X (294): praesentes votantes 2064, *placet* 2029, *non placet* 28, *placet iuxta modum* (nulla) 4, vota nulla 3. Suffragatio (293) super quaesitum circa schema *de libertate religiosa*: praesentes votantes 2222, *placet* 1997, *non placet* 224, votum nullum 1.

Interim Patribus distributa sunt: *Relationes circa schema constitutionis pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965; *Commissioni Conciliari,* IV ed., a cura della Segreteria Generale del Concilio, Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

Intimata proxima congregatione generali, habenda sequenti die, hora 9, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXXIII

Congregatio generalis centesima tricesima tertia habita est die 22 septembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2240 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 341 archiepiscopi, 1660 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa de feria IV Quattuor Temporum celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Francisco Ndong, ep. tit. Raphaneotano aux. Liberopolitano in Gabon. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae et altari inservivit Pontificium Collegium Hibernicum.

Ante Missam unus ex caeremoniariis Patres monuit de ordine et cantibus Missae.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Iacobo Le Cordier, ep. tit. Prienensi, aux. Parisiensi, subsecretario Ss. Concilii.

Secretarius generalis intimavit *Exeant omnes.* Monuit versiones in linguas vernaculas schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* distributum iri ad ingressus Basilicae; et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis.

Plaudentibus omnibus, gratulationes dixit em.mo P. D. card. Hamleto Ioanni Cicognani, a secretis Status, sexagesimum sacerdotii annum complenti.

Dein annuntiavit distributionem *Kalendarii suffragationum schematis decreti de apostolatu laicorum,* et legit exitum suffragationis XI (295) *de divina revelatione* super integro cap. III: praesentes votantes 2109, *placet* 1777, *non placet* 6, *placet iuxta modum* 324, vota nulla 2.

Tandem legit nomina Patrum, qui nomine 70 Patrum verbum adhuc facere petierant circa schema *de libertate religiosa,* necnon nomina eorum, qui loqui petierant super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Indicta suffragatione XII *de divina revelatione,* super integrum cap. IV, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, una cum Patribus, precem *Adsumus...* recitavit.

Ad loquendum circa schema declarationis *de libertate religiosa* ex ordine vocati sunt: exc.mi PP. DD. Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis, Michael Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum, Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis.

Dein prosecuta est disceptatio circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere et locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus

Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis; exc.mi PP. DD. Ioseph Amici, arch. Mutinensis, Antonius Jordan, arch. Edmontonensis, Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis, Ioseph McVinney, ep. Providentiensis, Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia, Paulus Rusch, ep. Oenipontanus, Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.

Interea peractae sunt suffragationes XII-XX circa schema *de divina revelatione,* quarum exitum secretarius generalis communicavit: XII (296): praesentes votantes 2233, *placet* 2183, *placet iuxta modum* 47, vota nulla 3; XIII (297): praesentes votantes 2230, *placet* 2211, *non placet* 15, *placet iuxta modum* (nulla) 3), votum nullum 1; XIV (298): praesentes votantes 2233, *placet* 2162, *non placet* 61, *placet iuxta modum* (nulla) 7, vota nulla 3; XV (299): praesentes votantes 2231; *placet* 2219, *non placet* 6, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 3; XVI (300): praesentes votantes 2170, *placet* 1850, *non placet* 4, *placet iuxta modum* 313, vota nulla 3; XVII (301): praesentes votantes 2040, *placet* 2029, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (nulla) 2, *votum nullum* 1; XVIII (302): praesentes votantes 2012, *placet* 1988, *non placet* 21, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; XIX (303): praesentes votantes 2057, *placet* 2041, *non placet* 9, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXXIV

Congregatio generalis centesima trigesima quarta habita est die 23 septembris 1965, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2228 Patres, nempe 77 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 337 archiepiscopi, 1653 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Missa de festo S. Lini Papae et Martyris celebrata est, ritu romano, ab em.mo D. Hamleto Ioanne card. Cicognani, a secretis Status, sexagesimum sui sacerdotii annum complente.

Sacro ritui adstiterunt officiales secretariae Status, membra Corporis Legatorum et delegati ex civitate natali em.mi cardinalis.

Chorus Cappellae Sixtinae, praeter cantus proprios Missae, ad offer-

torium cantavit *Da pacem,* auctore Bartolucci, et ad communionem *O Salutaris Hostia,* auctore Perosi.

Altari inservierunt alumni almi collegii Capranicensis.

S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, Ss. Concilii subsecretarius.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* Post precem *Adsumus...,* proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et communicavit exitum suffragationis XX (304) de integro cap. VI schematis *de divina revelatione*: praesentes votantes 2132, *placet* 1915, *non placet* 1, *placet iuxta modum* 212, vota nulla 4. Praeterea legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Relator exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, legit declarationem quoad suffragationes circa schema *de apostolatu laicorum.*

Ad loquendum *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere, ex ordine, vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis; exc.mi PP. DD. Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis; Simon Lourdusamy, arch. tit. Philippensis, coad. Bangalorensis; Alexander Renard, ep. Versaliensis; Eduardus Mason, ep. tit. Rusicadensis et vic. ap. de El Obeid; Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaitenus, adm. Vratislaviensis.

Interea factae sunt suffragationes IV-VI *de apostolatu laicorum.*

Moderator interrogavit utrum placeret disceptationi *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere, finem imponere. Patres, surgendo, consenserunt.

Secretarius generalis annuntiavit iter Summi Pontificis ad campum gitanorum Pometiae. Deinde legit quaesitum: utrum placeat ut transitus fiat ad disceptationem circa singulas partes schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et proclamat nomen moderatoris pro reliqua parte huius congregationis generalis, em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et legit nomina Patrum qui verbum facere petierunt.

Tunc exc.mus P. D. Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis, relationem legit pro expositione introductiva schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*; et ad loquendum vocantur em.mus P. D. card. Ioseph Cardijn et exc.mus P. D. Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuranensis.

Tandem exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis, subsecretarius Concilii, proclamat exitum suffragationum *de apostolatu laicorum*: suffragatio I (305): praesentes votantes 2224, *placet* 2218,

non placet 5, *placet iuxta modum* (nullum) 1. Suffragatio II (306): praesentes votantes 2224, *placet* 2205, *non placet* 18, *placet iuxta modum* (nullum) 1. Suffragatio III (307): praesentes votantes 2206, *placet* 2185, *non placet* 19, *placet iuxta modum* (nulla) 2. Suffragatio IV (308): praesentes votantes 2130, *placet* 1904, *non placet* 8, *placet iuxta modum* 213, vota nulla 5. Suffragatio V (309): praesentes votantes 2034, *placet* 2025, *non placet* 9. Suffragatio VI (310): praesentes votantes 2077, *placet* 2068, *non placet* 8, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,36.

CXXXV

Congregatio generalis centesima trigesima quinta habita est die 24 septembris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2182 Patres, nempe 75 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 336 archiepiscopi, 1610 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missa de feria VI Quattuor Temporum septembris, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioanne Francisco Janssen, ep. tit. Coelianensi, vic. ap. Gimmaensi in Aethiopia. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservivit Pontificium Collegium Brasilianum.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus fuit ab exc.mo P. D. Maria Yemmeru Asrate, arch. Neanthopolitano in Aethiopia.

Intimato a secretario generali *Exeant omnes,* Patres recitaverunt precem *Adsumus...*

Dein secretarius generalis, proclamato nomine moderatoris huius congregationis em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, obitum annuntiavit exc.morum DD. Ioseph Ferche, ep. tit. Vinensis, aux. Coloniensis, et Alphridi Caselle, ep. tit. Lugurensis, aux. Melphensis, qui erat episcopus electus sed nondum consecratus. Em.mus card. Tisserant cum Patribus recitat *De profundis* cum oratione.

Tunc secretarius generalis proponit pro dominica proxima, die natali Summi Pontificis, telegramma eidem mittendum, quod legit et quod plausu excipitur.

Dein communicat exitum ultimae suffragationis heri factae super quaesitum ut transeatur ad discutienda singula capita schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* (311): praesentes votantes 2157, *placet* 2111, *non placet* 44, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Et legit nomina Patrum qui verbum facere petierunt circa prooemium, introductionem et primam partem, et ad loquendum vocati sunt ex ordine em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, cuius textum tamen legit secretarius generalis; Hermannus Volk, ep. Moguntinus; exc.mi PP.DD. Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis, Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentoratensis, Andreas Charue, ep. Namurcensis.

Dein fit transitus ad discussionem diversorum capitum primae partis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Ad loquendum vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Paulus Richaud, arch. Burdigalensis, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis et exc.mi PP. DD. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Petrus Cantero Quadrado, arch. Caesaraugustanus.

Tunc secretarius generalis communicat obitum exc.mi D. Francisci Ioseph Tief, ep. tit. Niseni in Lycia, olim ep. Concordiensis; et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, decanus, recitat *De profundis* cum oratione.

Interea peractae sunt suffragationes VII-XIV (312-319) *de apostolatu laicorum.* En exitus: VII (312): praesentes votantes 2171, *placet* 2163, *non placet* 8; VIII (313) de integro cap. II: praesentes votantes 2167, *placet* 1975, *non placet* 2, *placet iuxta modum* 190; IX (314): praesentes votantes 2172, *placet* 2161, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; X (315): praesentes votantes 2162, *placet* 2145, *non placet* 14, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; XI (316): praesentes votantes: 2073, *placet* 2065, *non placet* 6, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; XII (317) de integro cap. III: praesentes votantes 2023, *placet* 1707, *non placet* 4, *placet iuxta modum* 311, votum nullum 1; XIII (318): praesentes votantes 1975, *placet* 1972, *non placet* 3.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti feria II, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

CXXXVI

Congregatio generalis centesima trigesima sexta habita est die 27 septembris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2143 Patres, nempe 75 cardinales, 4 patriarchae, 7 primates, 324 archiepiscopi, 1592 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Missa de festo SS. Cosmae et Damiani martyrum celebrata est, ritu romano, ab exc.mo D. Stephano Loosdregt, ep. tit. Amaurensi, vic. ap. Vientianensi in Laos. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservivit Pontificium Collegium Pio-Latinum americanum.

S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus D. Ioseph Attipetty, arch. Veropolitanus in Kerala.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et Patres recitaverunt orationem *Adsumus...*

Dein secretarius generalis annuntiavit obitum exc.mi P. D. Hyacinthi Ioannis Ambrosi, arch. tit. Anchialitani, olim arch. Goritiensis. Em.mus card. Eugenius Tisserant recitavit *De profundis...*

Secretarius generalis, proclamato nomine moderatoris congregationis, em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, legit, surgentibus Patribus, telegramma quo Summus Pontifex respondebat ad omina, quae Patres ad eum miserant die eius natali.

Dein legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant *de Ecclesia in mundo huius temporis,* parte I. Item communicavit exitum suffragationis XIV (319) *de apostolatu laicorum*: praesentes votantes 2022, *placet* 2013, *non placet* 8, votum nullum 1.

Prosecuta est disceptatio circa primam partem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mi PP. DD. cardd. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Ermenegildus Florit, arch. Florentinus, Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia; exc.mi PP. DD. Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum, Petrus Arrupe, praepositus generalis S. I., Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, Antonius Pildain, ep. Canariensis, Iacobus Corboy, ep. Monzensis, Anicetus Fernandez, magister generalis O. P.

Interea peractae sunt suffragationes XV-XXII (320-327) *de apostolatu laicorum*. En exitus: XV (320): praesentes votantes 2143, *placet* 2104, *non placet* 35, *placet iuxta modum* (nulla) 3, votum nullum 1; XIV (321), de integro cap. IV: praesentes votantes 2128, *placet* 1834, *non placet* 7, *placet iuxta modum* 287; XVII (322): praesentes votantes 2139, *placet* 2123, *non placet* 11, vota nulla 5; XVIII (323): praesentes votantes 2139, *placet* 2121, *non placet* 18; XIX (324) de integro cap. V: praesentes votantes 2140, *placet* 1894, *non placet* 9, *placet iuxta modum* 230, *vota nulla* 7; XX (325): praesentes votantes 2080, *placet* 2063, *non placet* 17; XXI (326): praesentes votantes 2020, *placet* 2012, *non placet* 5, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2;

XXII (327) integro cap. VI: praesentes votantes 2016, *placet* 1865, *non placet* 3, *placet iuxta modum* 143, vota nulla 5.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXXVII

Congregatio generalis centesima trigesima septima habita est die 28 septembris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2161 Patres, nempe 73 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 328 archiepiscopi, 1608 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Ante Missam subsecretarius Concilii, exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux Parisiensis, Ss. Concilii subsecretarius, Patres monuit de precibus in Missa recitandis.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ab em.mo D. Ioseph card. Beran, arch. Pragensi. Chorus Cappellae Sixtinae cantus exsecutus est et Pontificium Collegium Poloniae altari inservivit.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...* annuntiavit obitum exc.mi P. D. Ernesti Tweedy, arch. tit. Assurensis, olim arch. Hobartensis in Australia.

Em.mus card. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus recitavit *de profundis...*

Tunc secretarius generalis proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et legit nomina Patrum, qui circa partem I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* verbum facere petierant. Deinde Patres monuit de ratione suffragandi Modos circa schema *de episcopis et dioecesium regimine* proximis diebus.

Ad loquendum de parte I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* ex ordine vocati sunt beat.mus P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum, exc.mi PP. DD. Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum, Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis, Paulus Hnilica, ep. tit. Rusaditanus, Franciscus Marty, arch. Remensis, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus, aux. Fuldensis, Michael Rusnack, ep. tit. Tzernicensis, aux. Torontinus Ucrainorum, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis, Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilensis, Franciscus Kuharić, ep. tit. Metensis, aux. Zagra-

biensis, Alfredus Bengsch, arch.-ep. Berolinensis, Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis, Felix Romero, ep. Giennensis.

Dein moderator exhaustum declarat numerum eorum qui de parte I schematis loqui petierunt, et ad discutiendum de Parte II congregationem generalem indicit, crastina die hora 9 habendam.

Interea Patribus distributus est fasciculus cui titulus: *Variationes in textu schematis decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, et in relationibus generalibus a commissione conciliari de episcopis et dioecesium regimine propositae.*

Secretarius generalis rogavit praesides conferentiarum episcopalium, qui petitas notitias (congr. gen. 129) nondum dederant, ut eas illa die mitterent.

Indicta congregatione generali habenda, sequenti die, hora nona, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,20.

CXXXVIII

Congregatio generalis centesima trigesima octava habita est die 29 septembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2190 Patres, nempe 75 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 334 archiepiscopi, 1630 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 75 superiores generales.

Missa de dedicatione S. Michaelis Archangeli celebrata est, ritu romano, ab exc.mo D. Ludovico Haller, ep. tit. Bethleemitano, abb. null. S. Mauritii Agaunensis in Helvetia, abb. primate Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae, et altari inservierunt alumni Congregationis S. Salvatoris Lateranensis (S. Petri ad Vincula) ex Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo D. Andrea Cesarano, arch. Sipontino et Vestano, in cuius archidioecesi situm est sanctuarium S. Michaelis in Monte Gargano.

Secretarius generalis intimavit *Exeant omnes* et post precem *Adsumus...* promulgavit nomen moderatoris congregationis generalis, em.mi D. Leonis Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Deinde legit epistolam Secretarii Status, qua Summus Pontifex respondebat ad epistolam Patrum conciliarium gratias agentium pro editione Motu Proprio *Mysterium Fidei.*

Item annuntiavit distributum iri relationes super schema decreti

de activitate missionali Ecclesiae, et super II partem *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Patres monuit de suffragationibus, illa die faciendis, de Modis super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Tandem legit nomina Patrum, qui verbum facere petierant circa II partem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Dein exc.mus P. D. Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis, legit relationem Modorum de prooemio et cap. I schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis legit relationem super II partem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus; Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus; Ioseph Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; Ioannes card. Colombo, arch. Mediolanensis; exc.mi PP. DD. Ludovicus Alonso, arch. tit. Sionensis, Paulus Taguchi, ep. Osakensis, Casimirus Majdonski, ep. tit. Zorolensis, aux. Vladislavensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Henricus Nicodemi, arch. Barensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus.

Interea peractae sunt suffragationes nn. 328-334, *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* En exitus: suffragatio 328: praesentes votantes 2182, *placet* 2160, *non placet* 22; suffragatio 329: praesentes votantes 2182, *placet* 2171, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; suffragatio 330: praesentes votantes 2162, *placet* 2144, *non placet* 18; suffragatio 331: praesentes votantes 2137, *placet* 2115, *non placet* 22; suffragatio 332: praesentes votantes 2122, *placet* 2070, *non placet* 51, votum nullum 1; suffragatio 333: praesentes votantes 2097, *placet* 2041, *non placet* 54, vota nulla 2; suffragatio 334, quaesitum generale: praesentes votantes 2014, *placet* 1999, *non placet* 15.

Intimata congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,25.

CXXXIX

Congregatio generalis centesima trigesima nona habita est die 30 septembris 1965, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2177 Patres, nempe 71 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 328 archiepiscopi, 1627 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 75 superiores generales.

Ante Missae celebrationem secretarius generalis invitavit Patres ut in Missa orare vellent pro victimis explosionis vulcani in Insulis Philippinis.

Missa de festo S. Hieronymi celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Martin, ep. Bururiensi.

Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae, et altari inservierunt alumni Collegii Anglici.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus fuit ab exc.mo P. D. Ludovico Magliacani, ep. tit. Diensi, vic. ap. Arabiae.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.* Post precem *Adsumus...,* proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et annuntiavit distributum iri relationem super schema decreti *de accommodata renovatione vitae religiosae,* et schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones nonchristianas.*

Item legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant circa partem II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis, legit relationem circa Modos super cap. II decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Tunc ad loquendum de parte II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Carolus Journet, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia, Villelmus Conway, arch. Armachanus, Michael Browne; exc.mi PP. DD. Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus, Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis, adm. ap. Pragensis, Franciscus M. da Silva, arch. Brakarensis, Remigius De Roo, ep. Victoriensis in ins. Vancouver, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus, aux. Moguntinus, Herbertus Bednorz, ep. tit. Bullensium Regiorum, coad. Katovicensis, Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis (eius textum legit exc.mus Ioannes Baptista Przyklenk, ep. Ianuariensis), Ignatius de Orbegozo, ep. tit. Ariassensis, prael. null. Yauyosensis.

Interea peractae sunt suffragationes 335-339 *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* En exitus: suffragatio 335: praesentes votantes 2178, *placet* 2172, *non placet* 5, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 336: praesentes votantes 2175, *placet* 1989, *non placet* 185, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 337: praesentes votantes 2176, *placet* 2163, *non placet* 13; suffragatio 338: praesentes votantes 2170, *placet* 2137, *non placet* 32, votum nullum 1; suffragatio 339: praesentes votantes 2147, *placet* 2137, *non placet* 9, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,20.

CXL

Congregatio generalis centesima quadragesima habita est die 1 octobris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2128 Patres, nempe 75 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 321 archiepiscopi, 1577 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 37 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa celebrata est, ritu Ecclesiae Siro-Antiochenae, ab exc.mo D. Athanasio Ioanne Bakose, arch. Babylonensi Syrorum in Iracq.

Servitium altari praestitum est ab alumnis syriacis Pontificii Collegii Urbaniani de Propaganda Fide qui cantus etiam exsecuti sunt.

Exc.mus D. Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria, aux. patr. Antiocheni Syrorum, ritum illustravit. Patribus distributus fuit libellus, cui titulus: *Divina Liturgia iuxta Ritum Ecclesiae Syro-Antiochenae coram Sacrosancto Concilio Oecumenico Vaticano II in Patriarchali Basilica S. Petri ad Vaticanum ab exc.mo ac rev.mo Mar Athanasio Ioanne Bakose, arch. Babylonensi Syrorum celebrata.*

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo D. Basilio Habra, ep. tit. Bathnensi Syrorum, vic. patr. in Aegypto et Sudan.

Post missae celebrationem secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.* Prece *Adsumus...* recitata, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis- Bruxellensis, et illustravit Kalendarium congregationum pro mense octobri. Deinde legit nomina Patrum, qui loqui petierant de parte II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Ioseph Slipyj, arch. maior Leopolitanus Ucrainorum; exc.mi PP. DD. Hadrianus Ddungu, ep. Marakaensis, Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis, aux. S. Bonifacii.

Interea peractae sunt suffragationes 340-343 *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Moderator proposuit transitum ad disceptationem cap. II partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Patres fere unanimiter consenserunt.

Nomine plus quam 70 Patrum, de cap. I partis II adhuc locutus est exc.mus P. D. Paulus Schmitt, ep. Metensis.

Ad loquendum de cap. II ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Leo

Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis, Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis, Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis, Anicetus Fernandez, mag. gen. O. P., Michael Pellegrino, arch. el. Taurinensis, Aemilius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia, Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius.

Secretarius generalis legit nuntium, a Summo Pontifice ad O.N.U. mittendum, atque communicavit exitum suffragationum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Suffragatio 340: praesentes votantes 2129, *placet* 2093, *non placet* 36; suffragatio 341: praesentes votantes 2125, *placet* 2046, *non placet* 76, vota nulla 3; suffragatio 342: praesentes votantes 2118, *placet* 2090, *non placet* 26, vota nulla 2; suffragatio 343: praesentes votantes 2060, *placet* 2039, *non placet* 20, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali feria II, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLI

Congregatio generalis centesima quadragesima prima habita est die 4 octobris 1965, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1944 Patres, nempe 62 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 292 archiepiscopi, 1464 episcopi, 9 abbates nullius, 10 praelati nullius, 31 praefecti apostolici, 65 superiores generales.

Ante Missae celebrationem exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Pienensis, aux. Parisiensis, subsecretarius Ss. Concilii, quaedam monuit circa celebrationem Missae. Interim distributum est folium cum oratione fidelium in Missa adhibenda.

Missa de S. Francisco Assisiensi, Patrono Italiae, ritu romano, celebrata est ab exc.mo D. Cyro Silvestri, ep. Fulginatensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus Missae et *Da pacem Domine,* auctore Bartolucci, et *O Sacrum Convivium,* auctore Bartolucci.

Altari inservierunt Fratres Minores. S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit rev.mus P. Clementinus da Vlissingen, min. gen. O.F.M. Cap.

Subsecretarius Ss. Concilii, exc.mus D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, intimavit: *Exeant omnes.* Post precem *Adsumus...,* proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina Patrum, qui verbum facere petierant circa capp. II et III schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Dein communicavit obitum exc.mi D. Iacobi Navagh, ep. Paterso-

nensis, cuius exsequiae celebratae sunt illa die, in ecclesia romana S. Susannae, hora 16. Item communicavit obitum exc.mi D. Attilii Beltramini, ep. Iringensis.

Em.mus P. D. Achileus Liénart, e Consilio Praesidentiae, recitavit *de profundis...*

Ad loquendum de cap. II partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis, Augustinus Frotz, ep. tit. Coradenus, aux. Coloniensis, Otto Spülbeck, ep. Mismensis, Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Aloisius Bettazzi, ep. tit. Thagastensis, aux. Bononiensis.

Deinde ad loquendum de cap. III partis II eiusdem schematis ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis; exc.mi PP. DD. Eduardus Swanstrom, ep. tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, Gregorius Thangalathil, arch. Trivandriensis Syrorum Malankarensium, Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis, coad. Delhiensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis, Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis, Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis, Secundus García de Sierra, arch. Burgensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Achilleus Liénart recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLII

Congregatio generalis centesima quadragesima secunda habita est die 5 octobris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2174 Patres, nempe 67 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 331 archiepiscopi, 1619 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa, pro gratiarum actione pro Summo Pontifice, ex Neo-Eboraci redeunte, celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Alfredo Bengsch, arch. ep. Berolinensi. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservivit Congregatio Immaculati Cordis Mariae. S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Gustavo Raballand, ep. tit. Egugensi.

Exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, subsecretarius Ss. Concilii, intimavit: *Exeant omnes.* Post precem *Adsu-*

mus..., promulgavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa cap. III partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Praeannuntiato ordine suffragationis et disceptationis pro sequenti die, communicavit obitum exc.mi P. D. Augustini Rousset, ep. Ventimiliensis, et exc.mi P. D. Angeli Rossini, arch. Amalphitani.

Em.mus P. D. card. Achilleus Liénart recitavit *de profundis...*

Ad loquendum de cap. III partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Stephanus Wysziński, arch. Gnesnensis-Varsaviensis, Ioseph Cardijn; rev.mus P. D. Geraldus Mahon, sup. gen. Societatis S. Ioseph de Mill Hill; exc.mi PP. DD. Carolus Himmer, ep. Tornacensis, Emmanuel Larrain, ep. Talcensis, Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis, Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis, Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus, Marius Castellano, arch. Senensis, Conradus De Vito, ep. Lucknovensis.

Dein item ad loquendum de cap. IV ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Abilius del Campo, ep. Calaguritanus et Eugenius Beitia, ep. tit. Verronensis, Antonius Baraniak, arch. Posnanensis, Dionysius Hurley, arch. Durbaniensis.

Ad loquendum de cap. V eiusdem schematis vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis et Owen McCann, arch. Capetownensis.

Postea moderator finem imposuit congregationi et indixit proximam congregationem generalem sequenti die, hora 9, habendam.

Subsecretarius, Ioannes Krol, annuntiavit suffragationes sequenti die faciendas. Tunc Ss. Concilii Aulam ingressi sunt Legatorum Corpus aliique invitati.

Summus Pontifex cum comitatu sui itineris, ad atrium Basilicae a Consilio Praesidentiae, moderatoribus et subsecretariis receptus, ingressum fecit in Basilicam et ad sedem praesidentiae perrexit.

Em.mus card. Achilleus Liénart illum gratulatorie allocutus est. Summus Pontifex ei et omnibus Patribus gratias egit.

Tandem em.mus card. Liénart recitavit preces *Agimus... Angelus...,* et Summus Pontifex Benedictionem impertivit.

Dum Summus Pontifex discedit, omnes canunt: *Christus vincit...* Congregatio clausa est hora 13,05.

CXLIII

Congregatio generalis centesima quadragesima tertia habita est die 6 octobris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2180 Patres, nempe 75 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 333 archiepiscopi, 1620 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 37 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Cucherousset, arch. Banguiensi. Chorus Cappellae Sixtinae cantus exsecutus est. Altari inservierunt alumni Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum. S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus P. D. Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.* Post Patrum precem *Adsumus...,* proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et annuntiavit distributum iri textum emendatum cum Modis schematis declarationis *de educatione christiana.*

Dein legit nomina Patrum, qui verbum facere petierant circa cap. V partis II *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Tandem indixit suffragationem 344 quoad totum schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Ad loquendum de cap. V partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt em.mi cardd. Achilleus Liénart, ep. Insulensis, et Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus.

Exc.mus P. D. Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus, legit relationem super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* iuxta Modos recognitum.

Postea disceptatio prosecuta est et locuti sunt circa cap. V partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* em.mus P. D. card. Leo Stephanus Duval, arch. Algeriensis; exc.mi PP. DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Franciscus Simons, ep. Indorensis, rev.mus P. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Angliae O.S.B., Villelmus Wheeler, ep. tit. Theudalensis, coad. Medioburgensis, Laureanus Castán, ep. Seguntinus-Guadalajarensis, Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis, Carolus Grant, ep. tit. Alindensis, aux. Northantoniensis, Paulus Rusch, ep. Oenipontanus, Paulus Brezanoczy, ep. tit. Rotariensis, adm. ap. Agriensis.

Interea peractae sunt suffragationes 345-350 *de accommodata renovatione vitae religiosae.* En exitus: suffragatio 344 super integrum schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: praesentes votantes 2181, *placet* 2167, *non placet* 14. Super schema *de accommodata renovatione*

vitae religiosae: suffragatio 345: praesentes votantes 2176, *placet* 2163, *non placet* 9, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 3; suffragatio 346: praesentes votantes 2124, *placet* 2113, *non placet* 9, vota nulla 2; suffragatio 347: praesentes votantes 2062, *placet* 2057, *non placet* 5; suffragatio 348: praesentes votantes 2064, *placet* 2057, *non placet* 5, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; suffragatio 349: praesentes votantes 2057, *placet* 2040, *non placet* 15, vota nulla 2; suffragatio 350: praesentes votantes 2055, *placet* 2049, *non placet* 3, vota nulla 3.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus card. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLIV

Congregatio generalis centesima quadragesima quarta habita est die 7 octobris 1965, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2147 Patres, nempe 74 cardinales, 2 patriarchae, 7 primates, 327 archiepiscopi, 1602 episcopi, 9 abbates nullius, 15 praelati nullius, 37 praefecti apostolici, 74 superiores generales.

Missa de festo B. M. V. a Rosario celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Villelmo Bolatti, ep. Rosariensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus. Altari inservierunt Fratres O.P. S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo D. Villelmo Cobben, ep. Hilsinkiensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Item legit nomina Patrum, qui de cap. V partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* verbum facere petierant. Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis, Alfredus Ottaviani; exc.mi PP. DD. Marianus Gaviola, ep. Cabanatuanensis, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus; Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis, Aloisius Carli, ep. Signinus et Georgius Beck, arch. Liverpolitanus.

Postea moderator proposuit finem imponere disceptationi circa cap. V schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Dein secretarius generalis legit nomina Patrum, qui circa schema *de activitate missionaria Ecclesiae* loqui petierant. Em.mus P. D. card. Gregorius Petrus Aganianian

schematis disceptationem introduxit, et rev.mus P. Ioannes Schütte, superior generalis Societatis Verbi Divini, relationem legit.

Ad loquendum vocati sunt ex ordine em.mi PP. DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Iacobus de Barros Camara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis.

Interea peractae sunt suffragationes 351-357, circa Modos super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*. En exitus: suffragatio 351: praesentes votantes 2140*placet* 2133, *non placet* 4, vota nulla 3; suffragatio 352: praesentes votantes 2136, *placet* 2126, *non placet* 7, vota nulla 3; suffragatio 353: praesentes votantes 2150, *placet* 2142, *non placet* 7, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 354: praesentes votantes 2148, *placet* 2088, *non placet* 57, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; suffragatio 355: praesentes votantes 2136, *placet* 2112, *non placet* 22, *placet iuxta modum* (nulla) 2; suffragatio 356: praesentes votantes 2130, *placet* 2126, *non placet* 3, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 357: praesentes votantes 2097, *placet* 2089, *non placet* 7, *placet iuxta modum* (nullum) 1.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLV

Congregatio generalis centesima quadragesima quinta habita est die 8 octobris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2150 Patres, nempe 72 cardinales, 2 patriarchae, 7 primates, 324 archiepiscopi, 1603 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Missa celebrata est, ritu coptico alexandrino, ab exc.mo D. Isaac Ghattas, arch. Thebano, adsistentibus sacerdotibus Ioseph Sarraf et Ioseph Khoury. Exc.mus Ioannes Nuer, ep. Lycopolitanus ritum illustravit. Cantus exsecuti sunt exc.mus D. Ioannes Kabes, ep. tit. Cleopadritensis, aux. patr. Alexandrinus Coptorum, et alumni Pontificii Collegii Urbaniani de Propaganda Fide.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo D. Paulo Nousseir, arch. Hermopolitano.

Patribus distributus est libellus cui titulus: *Ordo Missae iuxta ritum copticum alexandrinum occasione Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II in Basilica S. Petri celebratae.*

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Ad-*

sumus..., a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Gregorii Petri Agagianian, et legit nomina Patrum, qui nomine 70 Patrum loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*, necnon eorum qui loqui postulaverant de schemate *de activitate missionali Ecclesiae.*

Item monuit distributum iri folium continens nova quaesita circa schema *de institutione sacerdotali.*

Ad loquendum circa cap. V partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt ex ordine exc.mi PP. DD. Alfredus Ancel, ep. tit. Myrensis, aux. Lugdunensis, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus, Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis, Petrus Boillon, ep. Virodunensis.

Secretarius generalis monuit vitandas esse foliorum distributiones in Aula, absque licentia factas.

Exc.mus D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, conclusit disceptationem *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Deinde ad loquendum circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Carolus Journet; exc.mi PP. DD. Martinus Legarra, ep. tit. Lupercianensis, prael. null. Buccae Taurinae, Sixtus Mazzoldi, ep. tit. Lamenus, vic. ap. Jubaensis, Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal, Radulphus Koppmann, ep. tit. Dalisandensis, vic. ap. Vindhoekensis.

Interea peractae sunt suffragationes 358-363 super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* En exitus: suffragatio 358: praesentes votantes 2150, *placet* 2122, *non placet* 27, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 359: praesentes votantes 2152, *placet* 2134, *non placet* 16, vota nulla 2; suffragatio 360: praesentes votantes 2141, *placet* 2127, *non placet* 12, vota nulla 2; suffragatio 361: praesentes votantes 2132, *placet* 2110, *non placet* 20, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; suffragatio 362: praesentes votantes 2112, *placet* 2109, *non placet* 2, votum nullum 1; suffragatio 363: praesentes votantes 2082, *placet* 2071, *non placet* 9, vota nulla 2.

Intimata proxima congregatione generali feria II habenda, hora 9, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLVI

Congregatio generalis centesima quadragesima sexta habita est die 11 octobris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2125

Patres, nempe 72 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 320 archiepiscopi, 1584 episcopi, 8 abbates nullius, 13 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Ante Missam exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, subsecretarius Ss. Concilii, Patres monuit de ordine celebrationis atque de anniversario initii Concilii. Item Patres rogavit ut preces funderent pro memoria Ioannis XXIII et pro Paulo Papa VI.

Missa de festo Maternitatis B.M.V., ritu romano, celebrata est a rev.mo P. D. Ignatio Gillet, abb. gen. Trappistarum. Chorus Capellae Sixtinae exsecutus est cantus Missae, et ant. *O Salutaris Hostia,* auctore Perosi.

Altari inservierunt alumni Ordinis Trappistarum.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Stephano Kuypers, ep. Paramariboensi in Guyana.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Gregorii Petri Agagianian. Item annuntiavit distributum iri relationem circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum;* libellum, cui titulus: *I Concili Ecumenici nei documenti dell'Archivio Vaticano*; relationem super schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas.*

Tandem legit nomina Patrum, qui verbum facere postulaverant circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Exc.mus D. Ioseph Carraro, ep. Veronensis, legit relationem circa schema *de institutione sacerdotali.*

Ad loquendum *de activitate missionali Ecclesiae* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, rev.mus P. D. Mauritius Quéguiner, sup. gen. M.E.P., exc.mi PP. DD. Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia, vis. ap. pro Ucrainis in Argentina, Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambenianus, Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis, Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis.

Secretarius generalis legit epistolam Summi Pontificis ad em.mum P. D. card. Eugenium Tisserant circa disceptationem de lege caelibatus.

Postea disceptatio prosecuta est et locuti sunt: exc.mi PP. DD. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, Nicolaus Geise, ep. Bogorensis, Iacobus Corboy, ep. Monzensis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus.

Interea peractae sunt suffragationes 364-373. En exitus: suffragatio 364, super integrum schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: praesentes votantes 2142, *placet* 2126, *non placet* 13, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; circa schema *de institutione sacerdotali,* suffragatio 365: praesentes votantes 2138, *placet* 2125, *non*

placet 11, vota nulla 2; suffragatio 366: praesentes votantes 2139, *placet* 2119, *non placet* 19, *placet iuxta modum* (nullum) 1; suffragatio 367: praesentes votantes 2141, *placet* 2046, *non placet* 95; suffragatio 368: praesentes votantes 2127, *placet* 2038, *non placet* 88, votum nullum 1; suffragatio 369: praesentes votantes 2057, *placet* 2054, *non placet* 3; suffragatio 370: praesentes votantes 2024, *placet* 2020, *non placet* 3, votum nullum 1; suffragatio 371: praesentes votantes 1989, *placet* 1971, *non placet* 16, vota nulla 2; suffragatio 372: praesentes votantes 1981, *placet* 1975, *non placet* 6; suffragatio 373: praesentes votantes 2022, *placet* 2011, *non placet* 11.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLVII

Congregatio generalis centesima quadragesima septima habita est die 12 octobris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2177 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 331 archiepiscopi, 1614 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Alberto Cousineau, ep. Capitis Haitiani. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservierunt alumni Congregationis SS. Redemptoris.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Daniele Liston, ep. Portus Ludovici.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Gregorii Petri Agagianian, atque commemoravit tertium anniversarium initii Concilii. Item legit responsum, quod em.mus card. Tisserant misit ad Summum Pontificem circa litteras diei 10 octobris de caelibatu sacerdotali, atque annuntiavit distributum iri nova quaesita circa schema *de educatione christiana,* et pittacia vehicularia Civitatis Vaticanae ob iter Summi Pontificis ad O.N.U.

Tandem legit nomina Patrum, qui verbum facere postulaverant circa schema *de activitate missionaria Ecclesiae.*

Ad loquendum vocati sunt em.mi P. D. cardd. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis, Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Paulus Zoungrana, arch. Uagadaguensis; exc.mi PP. DD. Ioseph Guffens, ep. tit. Germaniaciensis, Victor Garaygordobil, ep. tit. Prudentianensis,

prael. null. Fluminum, Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis, Ioseph Martin, ep. Dururiensis, Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis, Michael Ntuyahaya, ep. Bulumburaensis, Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis, Petrus Arrupe, praep. gen. S.I., Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus, Paulus Yüpin, arch. Nanchimensis, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis.

Interea peractae sunt suffragationes 375-379, super *schema de institutione sacerdotali.*

Moderator proposuit ut disceptationi *de activitate missionali Ecclesiae* finis imponeretur. Patres surgentes consenserunt, et statim facta est suffragatio (n. 380) super quaesitum: utrum schema placeat tanquam basis ulterioris elaborationis. Ad loquendum, nomine 70 Patrum, de eodem schemate, vocatus est exc.mus D. Daniel Lamont, ep. Umtaliensis.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: n. 374: praesentes votantes 2179, *placet* 2164, *non placet* 14, votum nullum 1; n. 375: praesentes votantes 2185, *placet* 2127, *non placet* 58; n. 376: praesentes votantes 2189, *placet* 2170, *non placet* 16, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; n. 377: praesentes votantes 2186, *placet* 2180, *non placet* 6; n. 378: praesentes votantes 2174, *placet* 2166, *non placet* 6, vota nulla 2; n. 379: praesentes votantes 2135, *placet* 2120, *non placet* 13, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Deinde communicavit obitum exc.mi D. Bartholomaei Badalik, ep. Veszprimiensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Intimata proxima congregatione generali die sequenti, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CXLVIII

Congregatio generalis centesima quadragesima octava habita est die 13 octobris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2210 Patres, nempe 77 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 337 archiepiscopi, 1638 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Adolfo Schmitt, ep. Bulauaiensi. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservierunt alumni Congregationis Missionariorum B. M. V. Immaculatae.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo D. Ioanne Rupp, ep. Monoecensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque annuntiavit distributum iri relationem super schema declarationis *de educatione christiana* necnon disceptationem et suffragationes in hac congregatione faciendas. Item legit exitum suffragationis n. 380, super schema *de activitate missionali Ecclesiae*: praesentes votantes 2085, *placet,* 2070, *non placet* 15.

Deinde legit nomina Patrum, qui nomine 70 Patrum verbum facere petierunt *de activitate missionali Ecclesiae,* necnon nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Exc.mus D. Iulius Daem, ep. Antverpiensis, legit relationem super schema *de educatione christiana.*

Ad loquendum nomine 70 Patrum *de activitate missionali Ecclesiae* vocati sunt ex ordine exc.mi PP. DD. Carolus Heerey, arch. Onitshaensis, Omer Degrijse, sup. gen. Congregationis Immaculati Cordis Mariae, Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiensis, prael. null. Abactiensis, Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoensis, Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis, Laurentius Nagae, ep. Urawaensis, Ioannes Baptista Velasco, ep. Sciiamenensis, Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianensis, Petrus Han Kong-Ryel, ep. Ieoniuensis, et Ioannes De Reeper, ep. Kisumuensis, Auditor Eusebius Adjakpley, ex Togo.

Rev.mus D. Ioannes Schütte, superior generalis S.V.D. conclusit disceptationem schematis *de activitate missionali Ecclesiae.*

Interea peractae sunt suffragationes 383-390 *de educatione christiana.*

Exc.mus D. Franciscus Marty, arch. Remensis, relationem super schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* legit.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: n. 381, de integro schemate *de institutione sacerdotali*: praesentes votantes 2212, *placet* 2196, *non placet* 15, votum nullum 1; *de educatione christiana*: n. 382: praesentes votantes 2202, *placet* 2117, *non placet* 85; n. 383: praesentes votantes 2194, *placet* 2098, *non placet* 96; n. 384: praesentes votantes 2181, *placet* 2105, *non placet* 76; n. 385: praesentes votantes 2120, *placet* 2007, *non placet* 111, *placet iuxta modum* (nulla) 2; n. 386: praesentes votantes 2108, *placet* 2020, *non placet* 85, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; n. 387: praesentes votantes 2088, *placet* 2000, *non placet* 83, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,40.

CXLIX

Congregatio generalis centesima quadragesima nona habita est die 14 octobris 1965, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2196 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 334 archiepiscopi, 1632 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Missa de festo S. Callisti, Papae et Martyris, celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Paulo Mazé, ep. tit. Ascalonitano, vic. ap. Insularum Tahiti. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae. Altari inservierunt alumni Ordinis SS. Trinitatis.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Mariano Bergonzini, ep. Volaterrano.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque communicavit exitum suffragationum *de educatione christiana*: n. 388: praesentes votantes 2063, *placet* 1961, *non placet* 99, *placet iuxta modum* (nulla) 3; n. 389: praesentes votantes 2040, *placet* 1956, *non placet* 79, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 3; n. 390: praesentes votantes 2083, *placet* 1977, *non placet* 102, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 2.

Deinde legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Paulus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis.

Interea peractae sunt suffragationes 391-394 *de educatione christiana.*

Em.mus card. Augustinus Bea, praeses secretariatus ad unitatem christianorum fovendam, legit relationem *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas.*

Postea *de ministerio et vita presbyterorum* locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Paulus M. Richaud, arch. Burdigalensis, Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis.

Interea peractae sunt suffragationes 396-398, super schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super schema *de educatione christiana*: n. 391: praesentes votantes 2187, *placet* 2068, *non placet* 116, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; n. 392: praesentes votantes 2180, *placet* 2043, *non placet* 132, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4; n. 393: praesentes votantes 2184, *placet* 2095, *non placet* 87, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; n. 394: praesentes votantes 2181, *placet* 2079, *non placet* 100, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Ad loquendum *de ministerio et vita presbyterorum* vocati sunt ex ordine exc.mi PP. DD. Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis-Ferroliensis, Ioannes Guyot, ep. Constantinensis, Aloisius Henriquez, ep. tit. Lamdiensis, aux. Caracensis, Antonius Santin, arch.-ep. Tergestinus et Iustinopolitanus, Narcissus Jubany, ep. Gerundensis.

Interim adhuc peractae sunt suffragationes 399-401 *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.*

Exc.mus P. D. Ioannes Krol, subsecretarius Ss. Concilii, communicavit exitum suffragationum (*de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*), n. 395: praesentes votantes 2185, *placet* 2071, *non placet* 110, vota nulla 4; n. 396: praesentes votantes 2143, *placet* 1953, *non placet* 184, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 397: praesentes votantes 2105, *placet* 1910, *non placet* 189, vota nulla 6; n. 398: praesentes votantes 2099, *placet* 1937, *non placet* 153, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 7; n. 399 (de integro schemate): praesentes votantes 2096, *placet* 1912, *non placet* 183, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali die sequenti, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CL

Congregatio generalis centesima quinquagesima habita est die 15 octobris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2122 Patres, nempe 78 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 333 archiepiscopi, 1560 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 35 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu Ecclesiae Antiochenae Maronitarum, ab exc.mo P. D. Francisco Ayoub, arch. Aleppensi Maronitarum. Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Collegii Maronitarum, Balladitarum et Antoninorum.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus fuit ab exc.mo D. Antonio Khoraiche, ep. Sidoniensi Maronitarum.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Deinde communicavit exitum suffragationum super schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas*: n. 400: praesentes votantes 2072, *placet* 1875, *non placet* 188, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 8; n. 401: praesentes votantes 2080, *placet* 1821, *non placet* 245, *placet iuxta modum* (nulla) 4, vota nulla 10.

Ad loquendum circa schema *de ministerio et vita presbyterorum* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus, Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Angelus Herrera Oria, ep. Malacitanus; exc.mi PP. DD. Michael Miranda, arch. Mexicanus, Franciscus Franić, ep. Spalatensis, Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia, Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, Andreas Charue, ep. Namurcensis, Stanislaus Brzana, ep. tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis, Alexander Renard, ep. Versaliensis, Titus Mancini, ep. tit. Vartanensis, aux. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae, Aloisius Tomé, ep. Mercedensis.

Interea peractae sunt suffragationes super schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas* nn. 402-405. En exitus: n. 402: praesentes votantes 2118, *placet* 1905, *non placet* 199, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 11; n. 403: praesentes votantes 2128, *placet* 2064, *non placet* 58, vota nulla 6; n. 404: praesentes votantes 2108, *placet* 1856, *non placet* 243, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 7; n. 405 (de integro schemate *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*): praesentes votantes 2023, *placet* 1763, *non placet* 250, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 9.

Intimata proxima congregatione generali die sequenti, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CLI

Congregatio generalis centesima quinquagesima prima habita est die 16 octobris 1965, sabbato, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1694

Patres, nempe 58 cardinales, 3 patriarchae, 5 primates, 251 archiepiscopi, 1263 episcopi, 9 abbates nullius, 11 praelati nullius, 34 praefecti apostolici, 60 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. Petro Arrupe, praep. gen. S.I., in vigilia beatificationis Iacobi Berthieu S.I. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae. Altari inservierunt alumni S.I.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo Vitali Bertoli, ep. tit. Attaeatano, vic. ap. Tripolitano in Lybia.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant *de ministerio et vita presbyterorum.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis, Mauritius Roy, arch. Quebecensis, Ermenegildus Florit, arch. Florentinus, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia, Augustinus Bea; exc.mi PP. DD. Ioannes Klooster, ep. Sarabaiensis, Ioannes Bank, ep. tit. Materianensis (cuius textum legit exc.mus Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis), Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus, aux. S. Antonii, Franciscus Zak, ep. S. Hippolythi.

Moderator quaesivit utrum Patres vellent disceptationi de illo schemate finem imponere. Patres surgentes annuerunt. Deinde peracta est suffragatio (n. 406) super quaesitum: utrum schema placeat ut basis ulterioris elaborationis.

Interea discepatio prosecuta est et locuti sunt exc.mi PP. DD. Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Cordubensis, Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis.

Tandem secretarius generalis communicavit exitum suffragationis n. 406: praesentes votantes 1521, *placet* 1507, *non placet* 12, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; et exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, conclusit disceptationem super illud schema.

Intimata congregatione generali proxima die 25 octobris, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CLII

Congregatio generalis centesima quinquagesima secunda habita est die 25 octobris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2039 Patres, nempe 67 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 310 archiepiscopi, 1514 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 35 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo D. Ioanne Suhr, ep. tit. Apisanensi, adm. ap. Hafniae. Pueri Cantores Ratisbonenses exsecuti sunt cantus: ad Offertorium, ant. *Confirma hoc,* auctore Aichinger; ad Communionem, *Factus est,* eodem auctore, cum Ps. 142 alternatim cum Patribus; post Benedictionem, *Laudate Dominum,* auctore Palestrina.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo Ioseph Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque legit epistolam, quam Secretaria Status miserat ad card. Liénart ob illius allocutionem ad Summum Pontificem ex O.N.U. revertentem.

Item annuntiavit distributionem quorundam fasciculorum et ordinem suffragationum.

Tandem legit *Intimationem* praefecti Caeremoniarum pro proxima sessione publica, et nomina eorum, qui nomine 70 Patrum loqui petierant circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Dein exc.mus D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, legit relationem circa schema emandatum declarationis *de libertate religiosa.*

Ad loquendum, nomine 70 Patrum, de schemate *de ministerio et vita presbyterorum* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Romanus Arrieta, ep. Pluviensis, Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Ins. Vancouver, Paulus Aemilius Charbonneau, ep. Hullensis, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis, Ioachim Segedi, ep. tit. Gyspariensis, aux. Crisiensis, Thomas Connolly, arch. Seattlensis, Ioseph M. Garcia Lahiguerra, ep. Huelvensis.

Interim Patribus distributa sunt opuscula: *Modi schematis de divina revelatione; Decretum de pastorali episcoporum munere in Ecclesia; Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae; Declaratio de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas,* de quibus agendum erat in sessione publica.

Intimata proxima congregatione generali crastina die, hora 9, ha-

benda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 11,50.

CLIII

Congregatio generalis centesima quinquagesima tertia habita est die 26 octobris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2220 Patres, nempe 77 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 346 archiepiscopi, 1639 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Ante S. Missae celebrationem exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, subsecretarius Ss. Concilii, Patres monuit de ordine concelebrationis Missae de Spiritu Sancto, ritu romano. Concelebraverunt exc.mi PP. DD. Victor De Zanche, ep. Concordiensis, Carolus Gavilanes Chamorro, ep. Portus Veteris, Nicolaus Grimley, ep. tit. Thuburbitanus, vic. ap. Capitis Palmensis, Benedictus Gassongo, ep. tit. Cubdensis, aux. Arcis Rousset et rev.mus P. Sighardus Kleiner, abb. gen. S. Ord. Cisterciensis.

Altari inservierunt alumni Seminarii Gallici. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ioseph Mueller, ep. Siopolitano.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, atque communicavit distributionem *Intimationis* pro sessione publica, necnon fasciculorum decreti *de institutione sacerdotali* et declarationis *de educatione christiana,* de quibus agendum erat in sessione publica.

Ad loquendum circa schema *de ministerio et vita presbyterorum* vocati sunt exc.mi PP. DD. Brian Foley, ep. Lancastrensis, Armandus Fares, arch. Catacensis; Henricus Pechuan, ep. Crucis Axeatae; Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Michael Pellegrino, arch. el. Taurinensis.

Interea peractae sunt suffragationes 407-418 super schema *de libertate religiosa.*

Secretarius generalis, nomine praesidis ac moderatorum Concilii, Patres monuit de obligatione participandi congregationes generales, in quibus fierent suffragationes magni momenti, et communicavit exitum suffragationis n. 407: praesentes votantes 2232, *placet* 2031, *non placet* 193, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 6.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 11,30.

CLIV

Congregatio generalis centesima quinquagesima quarta habita est die 27 octobris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2241 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 350 archiepiscopi, 1657 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. D. Iacobo Ireland, praef. ap. de Insulis Malvinis. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae. Altari inservierunt alumni Societatis Mariae.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Michaele Olçomendy, arch. Malacensi-Singaporensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, atque communicavit obitum exc.mi P. D. Ioseph Do Patrocinio Dias, ep. Beiensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Postea secretarius generalis illustravit ordinem agendorum et communicavit exitum suffragationum super schema *de libertate religiosa*: n. 408, praesentes votantes 2234, *placet* 2000, *non placet* 228, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 409: praesentes votantes 2236, *placet* 2026, *non placet* 206, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 3; n. 410: praesentes votantes 2223, *placet* 2034, *non placet* 186, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; n. 411: praesentes votantes 2161, *placet* 1539, *non placet* 65, *placet iuxta modum* 543, vota nulla 14; n. 412: praesentes votantes 2161, *placet* 1715, *non placet* 68, *placet iuxta modum* 373, vota nulla 5.

Dein D. Thomas Falls, parochus ex archidioecesi Philadelphiensi Latinorum, locutus est, nomine parochorum Auditorum, circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Secretarius generalis monuit Patres de vestibus in sessione publica induendis, de modo suffragia ferendi et de subsignatione decretorum iam approbatorum.

Durante congregatione, peractae sunt suffragationes super schema *de libertate religiosa,* nn. 413-417. En exitus suffragationis n. 413: praesentes votantes 2238, *placet* 2087, *non placet* 146, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem feria VI, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 11,20.

CLV

Congregatio generalis centesima quinquagesima quinta habita est die 29 octobris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2240 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 351 archiepiscopi, 1640 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 94 superiores generales.

Ante S. Missae celebrationem exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, subsecretarius Ss. Concilii, Patribus commendavit preces pro omnibus peregrinantibus et iter facientibus.

Missa celebrata est, ritu armeno, ab exc.mo P. D. Nerses Tayroyan, arch. Babylonensi Armenorum. Ritum illustravit exc.mus Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum. Cantus exsecutus est Pontificium Collegium Armenorum. Altari inservierunt alumni Pontificii Collegii Armeni.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ioseph Genangi, ep. Kamechliensi Armenorum.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque communicavit obitum exc.morum PP. DD. Leonis Taylor, iam arch. Lagosiensis, et Frederici Perez Silva, arch. Truxillensis.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant recitavit *de profundis...*

Dein secretarius generalis annuntiavit distributum iri nummum in memoriam quartae sessionis Concilii, et communicavit exitum suffragationum (circa schema *de libertate religiosa*) n. 414: praesentes votantes 2238, *placet* 1979, *non placet* 254, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 3; n. 415: praesentes votantes 2239, *placet* 2107, *non placet* 127, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4; n. 416: praesentes votantes 2236, *placet* 1751, *non placet* 60, *placet iuxta modum* 417, vota nulla 8; n. 417: praesentes votantes 2202, *placet* 1843, *non placet* 47, *placet iuxta modum* 307, vota nulla 5.

Em.mus P. D. card. Ermenegildus Florit, arch. Florentinus, legit relationem circa schema *de divina revelatione.*

Dein Chorus S. Ioannis Damasceni ex civitate Essendiensi in Germania, sub directione D. Caroli Linke, exsecutus est cantus *Otce nas* (*Pater noster*), auctore Alexandro Grečaninov, et *Voskeiknite Gospodovi* (*Iubilate Deo omnis terra*), eodem auctore.

Deinde peractae sunt suffragationes nn. 423-424 super schema *de divina revelatione*. Exc.mus P. D. Andreas Charue, ep. Namurcensis, legit relationem circa Modos super capp. III-VI schematis *de divina revelatione*. Inde peractae sunt super idem schema suffragationes nn. 425-429, dum Chorus S. Ioannis Damasceni exsecutus est cantus *Chvalide Gospoda S Nebes* (*Laudate Dominum de caelis*), auctore Sergio Rachmaninov; *Velicaem,* hymnum festi Dormitionis Virginis, auctore Alexandro Kastaljski; *Priidite Poklonimaja* (*Venite adoremus et procidamus*), auctore Sergio Rachmaninov; *Bogorodice Devo* (*Ave Maria*), eodem auctore.

Tunc secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: n. 423: praesentes votantes 2194, *placet* 2169, *non placet* 23, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; n. 424: praesentes votantes 2185, *placet* 2123, *non placet* 55, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 6; n. 425: praesentes votantes 2189, *placet* 2154, *non placet* 31, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 2; n. 426: praesentes votantes 2188, *placet* 2178, *non placet* 8, vota nulla 2; n. 427: praesentes votantes 2139, *placet* 2115, *non placet* 19, vota nulla 5; n. 428: praesentes votantes 2146, *placet* 2126, *non placet* 14, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 429: praesentes votantes 2115, *placet* 2081, *non placet* 27, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 6.

Intimata proxima congregatione generali die 9 novembris, hora 9,30, habenda, repositus est S. Evangelii codex. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 11,50.

CLVI

Congregatio generalis centesima quinquagesima sexta habita est die 9 novembris 1965, feria III, hora 9,30 ante meridiem. Interfuerunt 2159 Patres, nempe 79 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 344 archiepiscopi, 1575 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa celebrata est, ritu Byzantino Melchitarum, ab exc.mo P. D. Eftimio Youakim, ep. Mariamnensi Melchitarum, praesidente beat.mo P. D. Maximo IV. Patribus distributus est fasciculus: *Divina Liturgia S. P. N. Ioannis Chrysostomi iuxta Ritum Byzantinum* (*Melchitarum*). Cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Collegii Graecorum in Urbe.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensi, aux. Planensis Albanorum in Sicilia.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congrega-

tionis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque communicavit obitum exc.morum PP. DD. Adulfi Marx, ep. Brownsvillensis, Petri Dib, ep. Cahirensis Maronitarum, Francisci Niccoli, ep. Collensis, Aloisii Francisci Frizar Salazar, vic. ap. Tumacocensis, Alfonsi Rodenas, ep. Almeriensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationum supra Modos ad capp. IV-VI schematis *de divina revelatione*: n. 426 (ad cap. IV), praesentes votantes 2188, *placet* 2178, *non placet* 8, vota nulla 2; n. 427 (ad cap. V): praesentes votantes 2139, *placet* 2115, *non placet* 19, vota nulla 5; n. 428 (ad cap. VI): praesentes votantes 2146, *placet* 2126, *non placet* 14, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 429 (super integrum schema): praesentes votantes 2115, *placet* 2081, *non placet* 27, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 6.

Item annuntiavit distributum iri: *Positio et Relatio de Sacrarum Indulgentiarum recognitione; Textus emendatus et relationes schematis de activitate missionali Ecclesiae; Textus emendatus et relationes schematis de ministerio et vita presbyterorum; Variationes textus de apostolatu laicorum.*

Tandem secretarius generalis communicavit sequenti die, hora 9, coram Summo Pontifice, em.mum card. Hamletum Ioannem Cicognani celebraturum esse Missam in suffragium Cardinalium et Patrum conciliarium, qui elapso anno defuncti erant.

Exc.mus P. D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, legit relationem super textum recognitum et Modos circa schema *de apostolatu laicorum*. Dein em.mus P. D. card. Ferdinandus Cento, Paenitentiarius Maior, legit introductionem ad relationem super schema *de ss. indulgentiarum recognitione*; et rev.mus D. Ioannes Sessolo, S. Paenitentiariae Apostolicae regens, legit relationem super illud schema.

Secretarius generalis legit epistolam Summi Pontificis ad card. Tisserant circa conclusionem Concilii.

Interea peractae sunt suffragationes nn. 432-435 super schema *de apostolatu laicorum.*

Patribus distributi sunt fasciculi, continentes Modos circa schemata *de activitate missionali Ecclesiae; de ministerio et vita presbyterorum.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum (*de apostolatu laicorum*): n. 430, praesentes votantes 2127, *placet* 2117, *non placet* 10; n. 431: praesentes votantes 2116, *placet* 2099, *non placet* 16, *placet iuxta modum* (nullum) 1; n. 432: praesentes votantes 2087, *placet* 2075, *non placet* 12.

Indicta proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, ha-

benda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CLVII

Congregatio generalis centesima quinquagesima septima habita est die 10 novembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2228 Patres, nempe 79 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 351 archiepiscopi, 1634 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Ante Missae celebrationem secretarius generalis monuit Patres ut sedes suas occuparent, ob adventum Summi Pontificis. S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit rev.mus P. D. Urbanus Murphy, praef. ap. Bechuanalandensis, dum Summus Pontifex ingressum fecit in aulam et sedem suam petiit.

S. Missam celebravit, ritu romano, em.mus D. Hamletus Ioannes Cicognani, S.R.E. Camerarius, pro cardinalibus ceterisque Patribus conciliaribus illo anno defunctis.

Patribus distributus est fasciculus, cui titulus *Missa pro Cardinalibus et ceteris Patribus hoc anno defunctis.*

Altari inservierunt alumni Pontificii Collegii Hispanici. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae, modo gregoriano alternatim cum Patribus, secundum ordinem praescriptum in libello, et modo polyphonico, auctore Bartolucci, ad introitum: *Requiem aeternam*; ad offertorium: *Domine Iesu Christe*; ad communionem: *Lux aeterna.*

Post Missam, recitata prece *de profundis,* Summus Pontifex ex Aula discessit.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, atque illustravit ordinem agendorum in illa congregatione.

Dein monuit Summum Pontificem statuisse ut schema *de divina revelatione* in sessione publica diei 18 novembris deferretur, atque communicavit exitum suffragationum circa schema *de apostolatu laicorum*: n. 433, praesentes votantes 2076, *placet* 2061, *non placet* 14, votum nullum 1; n. 434: praesentes votantes 2097, *placet* 2089, *non placet* 8; n. 435: praesentes votantes 2109, *placet* 2100, *non placet* 6, vota nulla 3.

Deinde illustravit Kalendarium agendorum usque ad finem Concilii, atque legit principium et finem singulorum capitum schematis *de apostolatu laicorum* pro suffragatione super integrum schema (n. 436).

Rev.mus P. D. Ioannes Schütte, sup. gen. Societatis Verbi Divini, relationem legit super textum emendatum *de activitate missionali Ecclesiae.*

De SS. Indulgentiarum recognitione ex ordine locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Stephanus I Sidarouss, patr. Alexandrinus Coptorum, Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis.

Interim peractae sunt suffragationes n. 436 (super integrum schema *de apostolatu laicorum*) et nn. 437-446 (super schema *de activitate missionali Ecclesiae*). En exitus: n. 436, praesentes votantes 2208, *placet* 2201, *non placet* 2, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 3; n. 437: praesentes votantes 2207, *placet* 2183, *non placet* 21, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; n. 438: praesentes votantes: 2135, *placet* 2012, *non placet* 117, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 439: praesentes votantes 2114, *placet* 2106, *non placet* 5, vota nulla 3; n. 440: praesentes votantes 2128, *placet* 2083, *non placet* 11, *placet iuxta modum* (nulla) 27, vota nulla 7; n. 441 (super integrum cap. I *de activitate missionali Ecclesiae*): praesentes votantes 2142, *placet* 1858, *non placet* 7, *placet iuxta modum* 272, vota nulla 5.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem sequenti die, hora 9,30, habendam. Repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

CLVIII

Congregatio generalis centesima quinquagesima octava habita est die 11 novembris 1965, feria V, hora 9,30 ante meridiem. Interfuerunt 2204 Patres, nempe 76 cardinales, 2 patriarchae, 8 primates, 339 archiepiscopi, 1626 episcopi, 10 abbates nullius, 16 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa de festo S. Martini celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Aemilio Blanchet, arch. tit. Philippopolitano in Thracia, rectore Instituti Catholici Parisiensis. Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Seminarii Lombardi SS. Ambrosii et Caroli in Urbe.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Paulo Tavares, ep. Macaoensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congre-

gationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, atque annuntiavit obitum exc.mi P. D. Michaelis Blecharczyk, ep. tit. Iotani, aux. Tarnoviensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Dein secretarius generalis communicavit distributum iri fasciculum *Decreta et Declarationes adprobata et promulgata in Sessione Publica diei 28 mensis octobris anno 1965.* Item legit exitum suffragationum super schema *de activitate missionali*: n. 442, praesentes votantes 2161, *placet* 2154, *non placet* 7; n. 443: praesentes votantes 2175, *placet* 2165, *non placet,* 9, votum nullum 1; n. 444: praesentes votantes 2182, *placet* 2138, *non placet* 37, *placet iuxta modum* (nulla) 5, vota nulla 2; n. 445 de integro cap. II: praesentes votantes 2116, *placet* 1982, *non placet* 13, *placet iuxta modum* 118, vota nulla 3; n. 446: praesentes votantes 2166, *placet* 2160, *non placet* 4, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

De SS. Indulgentiarum recognitione locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsoviensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioannes Urbani, patr. Venetiarum, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Interea peractae sunt suffragationes nn. 447-456 super schema *de activitate missionali Ecclesiae.* En exitus: n. 447, praesentes votantes 2209, *placet* 2196, *non placet* 12, *placet iuxta modum* (nullum) 1; n. 448 (super integrum cap. III): praesentes votantes 2209, *placet* 2066, *non placet* 10, *placet iuxta modum* 131, vota nulla 2; n. 449: praesentes votantes 2165, *placet* 2138, *non placet* 18, *placet iuxta modum* (nulla) 6, vota nulla 3; n. 450: praesentes votantes 2151, *placet* 2117, *non placet* 4, *placet iuxta modum* (nulla) 26, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9,30, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,30.

CLIX

Congregatio generalis centesima quinquagesima nona habita est die 12 novembris 1965, feria VI, hora 9,30 ante meridiem. Interfuerunt 2182 Patres, nempe 75 cardinales, 2 patriarchae, 7 primates, 340 archiepiscopi, 1607 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa de festo S. Iosaphat martyris celebrata est, ritu Byzantino Ucrainorum, ab em.mo P. D. card. Ioseph Slipyj, arch. maiore Leopolitano et Metropolita Kievo-Halicensi, concelebrantibus exc.mis PP. DD. Ioseph Schmondiuk, ep. Stanfordensi Ucrainorum in U.S.A., Nilo Nicolao Savaryn, ep. Edmontonensi Ucrainorum et presbyteris Chmil et Urynchyshyn. Cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Collegii Ucraini S. Iosaphat.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ceslao Sipović, ep. tit. Mariamnitano, vis. del. ad Bielo-Russicos in exsilio.

Patribus distributum est folium cui titulus: *Divina Liturgia iuxta ritum Byzantinum Ucrainum...*

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque legit exitum suffragationum super schema *de activitate missionali Ecclesiae*: n. 451 (super integrum cap. IV): praesentes votantes 2138, *placet* 1816, *non placet* 11, *placet iuxta modum* 309, vota nulla 2; n. 452: praesentes votantes 2131, *placet* 2064, *non placet* 53, *placet iuxta modum* (nulla) 7, vota nulla 7; n. 453: praesentes votantes 2125, *placet* 2105, *non placet* 16, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 3; n. 454: praesentes votantes 2142, *placet* 2101, *non placet* 37, *placet* iuxta modum (nulla) 2, vota nulla 2; n. 455 (super integrum cap. V): praesentes votantes 2153, *placet* 1428, *non placet* 9, *placet iuxta modum* 712, vota nulla 4; n. 456 (super integrum cap. VI): praesentes votantes 2171, *placet* 2006, *non placet* 6, *placet iuxta modum* 158, votum nullum 1.

Patribus distributus est fasciculus continens partem II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, legit relationem super textum emendatum schematis *de ministerio et vita presbyterorum.*

Durante congregatione peractae sunt suffragationes nn. 457-465 super schema *de ministerio et vita presbyterorum.* En exitus: n. 457 (super prooemium et integrum cap. I): praesentes votantes 2154, *placet* 1772, *non placet* 16, *placet iuxta modum* 361, vota nulla 5; n. 458: praesentes votantes 2118, *placet* 2073, *non placet* 20, *placet iuxta modum* (nulla) 22, vota nulla 3; n. 459: praesentes votantes 2218, *placet* 2095, *non placet* 16, *placet iuxta modum* (nulla) 6, votum nullum 1; n. 460: praesentes votantes 2114, *placet* 2073, *non placet* 35, *placet iuxta modum* (nulla) 6.

Intimata proxima congregatione sequenti die, hora 9,30, habenda,

repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,35.

CLX

Congregatio generalis centesima sexagesima habita est die 13 novembris 1965, sabbato, hora 9,30 ante meridiem. Interfuerunt 2090 Patres, nempe 67 cardinales, 2 patriarchae, 6 primates, 318 archiepiscopi, 1552 episcopi, 9 abbates nullius, 15 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ignatio Phakoe, ep. Leribensi in Basutoland. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae. Altari inservierunt alumni Pontificii Collegii Belgici.

S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus P. D. Constantinus Stella, arch. Aquilensis.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque annuntiavit distributum iri partem I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*; textum schematis *de divina revelatione,* de quo agendum erat in sessione publica, die 18 novembris; Adhortationem Apostolicam *Postrema sessio.*

Deinde legit exitum suffragationum super schema *de ministerio et vita presbyterorum*: n. 461, praesentes votantes 2120, *placet* 2016, *non placet* 84, *placet iuxta modum* (nulla) 17, vota nulla 3; n. 462: praesentes votantes 2125, *placet* 2107, *non placet* 16, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; n. 463: praesentes votantes 2142, *placet* 2131, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (nulla) 3; n. 464 (super integrum cap. II): praesentes votantes 2129, *placet* 1548, *non placet* 9, *placet iuxta modum* 568, *vota nulla* 4; n. 465 (super cap. III) praesentes votantes 2134, *placet* 2037, *non placet* 2, *placet iuxta modum* 95.

Durante congregatione, peractae sunt suffragationes nn. 466-471 super schema *de ministerio et vita presbyterorum.* En exitus suffragationis n. 466: praesentes votantes 2091, *placet* 2005, *non placet* 65, *placet iuxta modum* (nulla) 17, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali feria II, hora 9,30, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 11,20.

CLXI

Congregatio generalis centesima sexagesima prima habita est die 15 novembris 1965, feria II, hora 9,30 ante meridiem. Interfuerunt 2201 Patres, nempe 73 cardinales, 2 patriarchae, 7 primates, 351 archiepiscopi, 1617 episcopi, 7 abbates nullius, 16 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa de festo S. Alberti Magni celebrata est ab exc.mo P. D. Ioseph Schröffer, ep. Eystettensi. Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Seminarii Romani.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Francisco Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritano.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, atque communicavit obitum exc.mi P. D. Ioannis Ludovici Coudert, ep. tit. Rhodiapolitani, adm. ap. Vicariatus Vhitehorsensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Deinde secretarius generalis Patres monuit de qualificatione theologica doctrinae schematis *de divina revelatione,* et communicavit exitum suffragationum super schema *de ministerio et vita presbyterorum*: n. 467, praesentes votantes 2097, *placet* 2070, *non placet* 6, *placet iuxta modum* (nulla) 18, vota nulla 3; n. 468: praesentes votantes 2076, *placet* 1434, *non placet* 11, *placet iuxta modum* 630, votum nullum 1; n. 469: praesentes votantes 2075, *placet* 2023, *non placet* 45, *placet iuxta modum* (nulla) 5, vota nulla 2; n. 470: praesentes votantes 2073, *placet* 2059, *non placet* 9, *placet iuxta modum* (nulla) 4, votum nullum 1; n. 471: praesentes votantes 2058, *placet* 1510, *non placet* 4, *placet iuxta modum* 544.

Postea exc.mus P. D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, legit relationem super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis, legit relationem circa introductionem eiusdem schematis.

Durante congregatione peractae sunt suffragationes nn. 472-478 super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* En exitus: n. 472: praesentes votantes 2187, *placet* 2009, *non placet* 41, *placet iuxta modum* 134, vota nulla 3; n. 473: praesentes votantes 2113, *placet* 2074, *non placet* 27, *placet iuxta modum* (nulla) 7, vota nulla 5.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, ha-

benda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,35.

CLXII

Congregatio generalis centesima sexagesima secunda habita est die 16 novembris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2211 Patres, nempe 76 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 355 archiepiscopi, 1615 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Ante Missae celebrationem exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, Ss. Concilii subsecretarius, communicavit ordinem ritus atque hortatus est Patres ut orarent pro vocationibus sacerdotalibus. Ante Missam Chorus Puerorum Cantorum Viennensium exsecutus est cantum: *Duo Seraphim,* auctore Vittoria.

Missa de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Narcisso Jubany Arnau, ep. Gerundensi. Altari inservierunt alumni Augustiniani ab Assumptione. Cantus exsecuti sunt alumni Augustiniani ab Assumptione.

Chorus Puerorum Cantorum Viennensium exsecutus est cantus: post Communionem, *O bone Iesu,* auctore Ingegneri; post Missam, *Exsultate Deo,* auctore Scarlatti.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Eduardo Schlotterback, ep. tit. Balanensi, vic. ap. Keetmanshoopensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Gregorii Petri Agagianian, atque annuntiavit distributum iri: Notificationem de qualificatione theologica doctrinae schematis *de divina revelatione*; textum schematis *de apostolatu laicorum,* de quo agendum erat in sessione publica diei 18 novembris.

Deinde legit exitum suffragationum super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*: n. 474: praesentes votantes 2133, *placet* 2088, *non placet* 35, *placet iuxta modum* (nulla) 8, vota nulla 2; n. 475: praesentes votantes 2144, *placet* 2057, *non placet* 74, *placet iuxta modum* (nulla) 11, vota nulla 2; n. 476: praesentes votantes 2149, *placet* 1672, *non placet* 18, *placet iuxta modum* 453, vota nulla 6; n. 477: praesentes votantes 2115, *placet* 2074, *non placet* 34, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 4; n. 478: praesentes votantes 2155, *placet* 2115, *non placet* 35, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 2.

Exc.mus P. D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, relationem

legit circa recognitionem partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Durante congregatione peractae sunt suffragationes nn. 479-493, super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. En exitus: n. 479 (super integrum cap. II, partis I), praesentes votantes 2212, *placet* 1801, *non placet* 18, *placet iuxta modum* 388, vota nulla 5; n. 480: praesentes votantes 2216, *placet* 2173, *non placet* 33, *placet iuxta modum* (nulla) 8, vota nulla 2; n. 481: praesentes votantes 2227, *placet* 2169, *non placet* 45, *placet iuxta modum* (nulla) 9, vota nulla 4; n. 482 (super integrum cap. III partis I): praesentes votantes 2223, *placet* 1727, *non placet* 25, *placet iuxta modum* 467, vota nulla 4; n. 483: praesentes votantes 2227, *placet* 2107, *non placet* 113, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 4; n. 484: praesentes votantes 2222, *placet* 2095, *non placet* 112, *placet iuxta modum* (nulla) 11, vota nulla 4; n. 485 (super integrum cap. IV partis I): praesentes votantes 2202, *placet* 1817, *non placet* 99, *placet iuxta modum* 284, vota nulla 2; n. 486: praesentes votantes 2149, *placet* 2106, *non placet* 39, vota nulla 4; n. 487: praesentes votantes 2150, *placet* 2052, *non placet* 91, *placet iuxta modum* (nulla) 4, vota nulla 3; n. 488: praesentes votantes 2163, *placet* 2011, *non placet* 140, *placet iuxta modum* (nulla) 10, vota nulla 2.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,25.

CLXIII

Congregatio generalis centesima sexagesima tertia habita est die 17 novembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2262 Patres, nempe 75 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 358 archiepiscopi, 1661 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 44 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. D. Georgio Tomzinski, priore gen. Ordinis Fratrum S. Pauli Primi Eremitae. Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae.

S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus P. D. Villelmus Fitzgerald, ep. tit. Zernensis, aux. Portus Hispaniae.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque annuntiavit distributum iri fasciculum continens Modos circa schema *de liber-*

tate religiosa, et *Ordo Concelebrationis et Methodus servanda in Publica Sessione Concilii Oecumenici Vaticani II die 18 novembris 1965.*

Deinde legit exitum suffragationum super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*: n. 489 (super prooemium et cap. I partis II), praesentes votantes 2157, *placet* 1596, *non placet* 72, *placet iuxta modum* 484, vota nulla 5; n. 490: praesentes votantes 2158, *placet* 1202, *non placet* 52, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 2; n. 491: praesentes votantes 2125, *placet* 2058, *non placet* 61, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 492 (super integrum cap. II): praesentes votantes 2146, *placet* 1909, *non placet* 44, *placet iuxta modum* 185, vota nulla 8; n. 493: praesentes votantes 2162, *placet* 2115, *non placet* 40, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 5.

Praeterea secretarius generalis illustravit modum distributionis numismatum Observatoribus, Auditoribus, Peritis atque Patres monuit de subscriptione decretis sessionis publicae.

Tandem illustravit qualificationem constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Durante congregatione, super illud schema peractae sunt suffragationes nn. 494-504. En exitus: n. 494, praesentes votantes 2260, *placet* 2182, *non placet* 68, *placet iuxta modum* (nulla) 4, vota nulla 6; n. 495: praesentes votantes 2233, *placet* 2157, *non placet* 68, *placet iuxta modum* (nulla), 3, vota nulla 5; n. 496 (super integrum cap. III partis II): praesentes votantes 2253, *placet* 1740, *non placet* 41, *placet iuxta modum* 469, vota nulla 3; n. 497: praesentes votantes 2261, *placet* 2188, *non placet* 70, vota nulla 3; n. 498: praesentes votantes 2217, *placet* 2145, *non placet* 66, *placet iuxta modum* (nulla) 5, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali feria VI, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 11,50.

CLXIV

Congregatio generalis centesima sexagesima quarta habita est die 19 novembris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2268 Patres, nempe 78 cardinales, 4 patriarchae, 8 primates, 368 archiepiscopi, 1651 episcopi, 11 abbates nullius, 14 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 92 superiores generales.

Missa celebrata est, ritu Byzantino-Hungarico, ab exc.mo P. D. Nicolao Dudàs, ep. Hajdudoroghensi. Cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Collegii Germanico-Hungarici.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Paulo Bresanoczy, ep. tit. Rotariensi, adm. ap. Agriensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque communicavit obitum exc.mi P. D. Aegidii Lari, arch. tit. Tyrensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Praeterea secretarius generalis communicavit distributum iri: D. ALIGHIERI, *La Divina Commedia,* donum Summi Pontificis; *Il viaggio di Paolo VI in India...*; opusculum continens Litt. Enc. Pauli Pp. VI *Mysterium Fidei.*

Tandem illustravit ordinem quattuor ultimarum congregationum et legit exitum suffragationum super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*: n. 499, praesentes votantes 2241, *placet* 1970, *non placet* 54, *placet iuxta modum* 210, vota nulla 7; n. 500: praesentes votantes 2242, *placet* 2081, *non placet* 144, *placet iuxta modum* (nulla) 12, vota nulla 5; n. 501: praesentes votantes 2170, *placet* 2122, *non placet* 43, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4; n. 502: praesentes votantes 2200, *placet* 2126, *non placet* 65, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 6; n. 503: praesentes votantes 2218, *placet* 2165, *non placet* 33, *placet iuxta modum* (nulla) 17, vota nulla 3; n. 504: praesentes votantes 2227, *placet* 1656, *non placet* 45, *placet iuxta modum* 523, vota nulla 3.

Deinde exc.mus P. D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, legit relationem super Modos circa schema *de libertate religiosa.*

Durante congregatione, super illud schema peractae sunt suffragationes nn. 507-511, dum Chorus Associationis S. Mariae a Colle Sublacensi, magistro rev.mo D. Aloisio Nocilli, exsequitur cantus: *Exsultate Iusti,* 4 vocibus disparibus, auctore Viadana; *Tu es Petrus,* 4 vocibus disparibus, auctore Armando Antonelli; *Ave Maria,* 4 vocibus disparibus, auctore Vittoria; *Super flumina Babylonis,* 4 vocibus mixtis, auctore Palestrina; *Vergine Chiara,* 5 vocibus mixtis, auctore Palestrina; *Nigra sum sed formosa,* 5 vocibus disparibus, auctore Palestrina; *O bone Iesu,* 4 vocibus mixtis, auctore Palestrina; *Loda il Signore,* 4 vocibus mixtis, auctore J. S. Bach.

Intimata proxima congregatione generali die 30 novembris habenda, hora 9, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 11,40.

CLXV

Congregatio generalis centesima sexagesima quinta habita est die 30 novembris 1965, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2241 Patres, nempe 77 cardinales, 4 patriarchae, 8 primates, 379 archiepiscopi, 1618 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 42 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Summus Pontifex, comitantibus archipresbytero Basilicae S. Petri, em.mo P. D. card. Paulo Marella, et secretario generali Concilii, exc.mo P. D. Pericle Felici, cum Praelatis Domus Pontificiae ingressus est in aulam conciliarem et ad sedem suam accessit.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ioseph Khoury, arch. Tyrensi Maronitarum.

Secretarius generalis Patres hortatus est ut, durante Missa, orare vellent pro omnibus, qui in bellis huius saeculi interempti sunt.

Concelebraverunt, iuxta ritum Ecclesiae Antiochenae Maronitarum, em.mus P. D. card. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochiae Maronitarum, et quidam archiepiscopi et episcopi Ecclesiae Maronitarum.

Patribus distributus est fasciculus *Divina Liturgia iuxta Ritum Ecclesiae Antiochiae Maronitarum, celebrata die 30 Novembris 1965.* Cantus exsecutus est Chorus Monachorum Ordinis Libanensis Maronitarum. Ritum illustravit rev. P. Ignatius Khalife S.I.

Post Missam Summus Pontifex benedictionem impertiit et ex aula discessit.

Secretarius generalis proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit obitum exc.morum PP. DD. Aloisii Yañez Tagle Ruiz, ep. Angelorum in Chile, et Stephani Uzdoczy-Zadrovecz, ep. tit. Domeziopolitani.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Dein secretarius generalis annuntiavit distributum iri schema *de presbyterorum ministerio et vita* (textus recognitus et Modi); *Intimationem* pro sessione publica diei 7 decembris 1965; fasciculum continentem Missas S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph, sequentibus diebus celebrandas.

Rev.mus P. D. Ioannes Schütte, superior generalis Societatis Verbi Divini, legit relationem super Modos circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Postea secretarius generalis legit exitum suffragationum super schema *de libertate religiosa*: n. 507: praesentes votantes 2242, *placet* 1989, *non placet* 246, *placet iuxta modum* (nulla) 3, vota nulla 4; n. 508: praesentes votantes 2200, *placet* 1957, *non placet* 237, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 4; n. 509: praesentes votantes 2210, *placet*

1989, *non placet* 217, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 2; n. 510: praesentes votantes 2228, *placet* 2033, *non placet* 190, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4; n. 511 (super integrum schema): praesentes votantes 2216, *placet* 1954, *non placet* 249, *placet iuxta modum* (nulla) 7, vota nulla 6.

Praeterea secretarius generalis communicavit proiectionem teniolae documentariae de itinere Summi Pontificis Pauli VI in Indiam, ad Palatium « Pio » die 2 decembris, hora 17,30.

Item Patres invitavit ad celebrationem pro christianorum unitate, ad basilicam S. Pauli, die 4 decembris, hora 17.

Durante congregatione, peractae sunt suffragationes nn. 512-521 super Modos circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.* En exitus: n. 512: praesentes votantes 2229, *placet* 2209, *non placet* 20; n. 513: praesentes votantes 2210, *placet* 2189, *non placet* 18, vota nulla 3; n. 514: praesentes votantes 2162, *placet* 2133, *non placet* 26, vota nulla 3.

Intimata proxima congregatione generali feria V die 2 decembris habenda, hora nona, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,10.

CLXVI

Congregatio generalis centesima sexagesima sexta habita est die 2 decembris 1965, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2296 Patres, nempe 74 cardinales, 4 patriarchae, 8 primates, 384 archiepiscopi, 1665 episcopi, 11 abbates nullius, 14 praelati nullius, 43 praefecti apostolici, 93 superiores generales.

S. Evangelii codicem super paratum thronum posuit exc.mus P. D. Andreas Creemers, ep. Bondoensis.

Ante Missam, exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, Ss. Concilii subsecretarius, monuit Missam de S. Ioseph, Concilii patrono, celebrari pro Ecclesiae unitate.

Missa concelebrata est, ritu romano, ab exc.mis PP. DD. Ioseph D'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre, Ioseph Pronti, ep. Nucerino-Tadinensi, Alberto Fletcher, ep. Petriculano, Theodosio Moreno, ep. Huarazensi (qui omnes iubilaeum sacerdotale vel episcopale celebrabant), Mauritio Rigaud, ep. Apamiensi, Gregorio Garavita, ep. tit. Cyparissiensi, aux. Villavicentiensi, Roberto Caceres, ep. Melensi.

Chorus Puerorum Cantorum « à la croix de bois » Parisiensium, magistro R. D. Rogerii Delsinne, cantus exsecutus est.

Altari inservierunt alumni Pontificii Collegii Nepomuceni.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, atque communicavit obitum exc.mi P. D. Ioseph Albers, ep. Lansingensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis...*

Dein secretarius generalis communicavit exitum suffragationum supra Modos circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*: n. 515, praesentes votantes 2161, *placet* 2142, *non placet* 16, vota nulla 3; n. 516: praesentes votantes 2169, *placet* 2147, *non placet* 22; n. 517: praesentes votantes 2169, *placet* 2112, *non placet* 54, vota nulla 3; n. 518: praesentes votantes 2168, *placet* 2152, *non placet* 14, vota nulla 2; n. 519: praesentes votantes 2195, *placet* 2175, *non placet* 18, vota nulla 2; n. 520: praesentes votantes 2186, *placet* 2159, *non placet* 24, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; n. 521 (super integrum schema): praesentes votantes 2182, *placet* 2162, *non placet* 18, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Patribus distributus est fasciculus continens Modos circa partem I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, legit relationem supra modos circa schema *de presbyterorum ministerio et vita.*

Durante congregatione, peractae sunt suffragationes nn. 522-527 super illud schema, dum Pueri Cantores Parisienses exsequuntur cantus: *Iubilate Deo,* auctore Bouzignac; *Ego sum Panis vivus,* auctore Palestrina; *Nous sommes tous des frères,* auctore Rogerio Delsinne; *La Nuit,* auctore Rameau; *Enfants de tous pays,* auctore Macias.

Exc.mus D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, legit relationem super Modos circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super Modos circa schema *de presbyterorum ministerio et vita*: n. 522, praesentes votantes 2298, *placet* 2291, *non placet* 5, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; n. 523: praesentes votantes 2301, *placet* 2262, *non placet* 38, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali sabbato, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 11,40.

CLXVII

Congregatio generalis centesima sexagesima septima habita est die 4 decembris 1965, sabbato, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2246 Patres, nempe 73 cardinales, 4 patriarchae, 8 primates, 372 archi-

episcopi, 1624 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 46 praefecti apostolici, 96 superiores generales.

Unus e caeremoniariis ordinem Missae celebrationis communicavit.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Ludovico Dadoglio, arch. tit. Leriensi.

Exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, Ss. Concilii subsecretarius, annuntiavit Missam offerri pro iis, qui persecutionem patiebantur propter iustitiam.

Missa de S. Ioanne Baptista celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Irenaeo Dud, ep. tit. Barcuseno, vic. ap. Wavensi.

Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Congregationis S. Mariae Montis Oliveti O.S.B.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque annuntiavit in proxima congregatione generali omnibus Patribus distributum iri, ut donum Summi Pontificis, anulum aureum necnon diploma (nominatim) participationis Concilii.

Praeterea legit nuntium reverentiae et gratitudinis Observatorum ad Patres conciliares, et epistolam em.mi card. Wyszinski circa millennarium catholicismi Poloniae.

Tandem legit exitum suffragationum supra Modos circa schema *de presbyterorum ministerio et vita*: n. 524: praesentes votantes 2278, *placet* 2261, *non placet* 15, vota nulla 2; n. 525: praesentes votantes 2271, *placet* 2243, *non placet* 27, votum nullum 1; n. 526: praesentes votantes 2268, *placet* 2254, *non placet* 11, vota nulla 3; n. 527 (super integrum schema) praesentes votantes 2257, *placet* 2243, *non placet* 11, vota nulla 3.

Item annuntiavit, sequenti feria II, distributum iri numisma argenteum ex parte Syndaci et Consilii Comunalis Urbis Romae, qui etiam invitabant Patres ad coetum, die 7 post meridiem.

Durante congregatione peractae sunt suffragationes nn. 528-539 super Modos circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* En exitus: n. 528, praesentes votantes: 2230, *placet* 2153, *non placet* 72, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 4; n. 529: praesentes votantes 2238; *placet* 2103, *non placet* 131, *placet iuxta modum* (nulla) 3, votum nullum 1; n. 530: praesentes votantes 2236, *placet* 2166, *non placet* 68, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; n. 531: praesentes votantes 2230, *placet* 2165, *non placet* 62, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; n. 532: praesentes votantes 2228, *placet* 2149, *non placet* 75, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali feria II, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12.

CLXVIII

Congregatio generalis centesima sexagesima octava habita est die 6 decembris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2387 Patres, nempe 82 cardinales, 4 patriarchae, 8 primates, 407 archiepiscopi, 1717 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 47 praefecti apostolici, 96 superiores generales.

Missa in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli celebrata est, ritu Byzantino Ruthenorum Americae Septemtrionalis, ab exc.mo P. D. Nicolao Elko, ep. Pittsburgensi Ruthenorum.

Altari inservierunt et cantus exsecuti sunt alumni Pontificii Collegii Russici.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus est ab exc.mo P. D. Martino Johnson, arch. Vancuverensi.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et post precem *Adsumus...,* a Patribus recitatam, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, atque legit exitum suffragationum supra Modos circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*: n. 533, praesentes votantes 2209, *placet* 2047, *non placet* 155, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 6; n. 534: praesentes votantes 2226, *placet* 2137, *non placet* 81, vota nulla 8; n. 535: praesentes votantes 2212, *placet* 2110, *non placet* 98, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 3; n. 536: praesentes votantes 2214, *placet* 2086, *non placet* 121, vota nulla 7; n. 537: praesentes votantes 2201, *placet* 1710, *non placet* 483, *placet iuxta modum* (nulla) 2, vota nulla 6; n. 538: praesentes votantes 2174, *placet* 2039, *non placet* 128, vota nulla 7; n. 539: praesentes votantes 2174, *placet* 1873, *non placet* 293, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 7.

Patribus distributa sunt: decreta *de divina revelatione* et *de apostolatu laicorum,* iam in publica sessione approbata; schema *de presbyterorum ministerio et vita,* de quo agendum erat in sessione publica, diei 7 decembris 1965; *Ordo Concelebrationis et Methodus servanda in publica sessione Concilii Oecumenici Vaticani II die 7 decembris 1965*; *Bulla Indictionis Iubilaei extraordinarii*; numisma argenteum Urbis Romae; anulum aureum cum diplomate Summi Pontificis. Secretarius generalis legit textum diplomatis et bullae indictionis Iubilaei extraordinarii.

Interea peracta est suffragatio n. 540 super integrum schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* En exitus: n. 540, praesentes votantes 2373, *placet* 2111, *non placet* 251, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 10.

Tandem secretarius generalis et moderator Patres allocuti sunt. Hora 12,20 repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit.

SESSIO PUBLICA VI

QUA CONCILII VATICANI SECUNDI PERIODUS QUARTA INCHOATUR

14 Septembris 1965

SESSIO PUBLICA VI

14 septembris 1965

Die 14 septembris 1965, feria III, in festo Exaltationis S. Crucis, hora nona, Concilii Oecumenici Vaticani II periodus quarta sollemniter inchoata est.

Patres praesentes 2.245: cardinales 89, patriarchae 4, primates 7, archiepiscopi 336, episcopi 1.660, abbates nullius 10, praelati nullius 14, praefecti apostolici 40, superiores generales 85.

Santa Missa de festo Exaltationis S. Crucis concelebrata est ad altare papale Basilicae S. Petri a Summo Pontifice Paulo VI cum viginti sex Patribus conciliaribus,[1] secundum ritum latinum. Cf. *Ordo concelebrationis et ritus servandus initio quartae sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II, die 14 septembri 1965.*

---

[1] Cum Summo Pontifice concelebraverunt omnes Patres, qui munus exercebant in Concilio dirigendo, scil. 12 membra consilii praesidentiae; 4 delegati seu moderatores; membra commissionis de coordinandis Concilii laboribus; secretarius generalis et 5 subsecretarii Concilii: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Eugenius Tisserant, ep. suburb. Ostiensis, Portuensis et S. Rufinae, S. Collegii decanus; Hamletus Ioannes Cicognani, ep. suburb. Tusculanus; Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia; Ignatius Gabriel Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum; Gregorius Petrus Agagianian; Normannus Thomas Gilroy, arch. Sydneyensis in Australia; Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis in Argentina; Ioseph Siri, arch. Januensis in Italia; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis in Polonia; Ioannes Urbani, patr. Venetiarum in Italia; Carolus Confalonieri; Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; Laurentius Ioseph Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Franciscus Roberti; exc.mi DD. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis; Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum in Libano; Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Villelmus Kempf, ep. Limburgensis in Germania; Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis in Gallia.

1. Processio et Missa

Hora 9, exc.mis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque Patribus sua quaeque loca in aula conciliari iam occupantibus, Summus Pontifex ingressum fecit in Basilicam Vaticanam, comitantibus em.mis cardinalibus et patribus concelebrantibus, dum chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus...*, alternatim cum versiculis Ps. 131.

Post brevem orationem ad altare papale, Summus Pontifex alternatim cum concelebrantibus omnique populo preces ad gradus altaris dicit. Ritus prosecutus est modo indicato in *Ordine concelebrationis...*

Rev.mus D. Petrus Mattioli, Auditor S. R. Rotae, ad legile epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant, Evangelium legit.

Post recitationem antiphonae ad Offertorium, duo concelebrantes, scil. exc.mi DD. Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis, et Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, panem et vinum ad altare tulerunt, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat mottetum *Per tuam Crucem...*, quinque vocibus, auctore Morales.

Post communionem Summi Pontificis, dum concelebrantes se communicant, chorus recitat antiphonam ad Communionem, deinde cantat aliquos versus hymni *Adoro te...*, quinque vocibus, auctore Bartolucci.

Sollemni Benedictione a Summo Pontifice impertita, Missa finita est.

2. Quartae Periodi inchoatio et fidei professio

Summus Pontifex, postquam paramenta Missae deposuerit, pluviale induit, sine mitra, accepit Codicem Sancti Evangelii et, comitantibus em.mis DD. cardd. diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, praeeuntibus ceteris em.mis DD. cardinalibus et concelebrantibus (excepto exc.mo D. secretario generali Concilii), sollemniter procedit usque ad altare conciliare ibique, super paratum thronum, Evangelii Codicem statuit.

Chorus Cappellae Sixtinae cantavit antiphonam *Exaudi nos, Domine...*, quinque vocibus, auctore Bartolucci.

Postea Summus Pontifex ad solium accessit, et Patres conciliares, duo tantum, nomine ceterorum, ex unoquoque ordine, scil.: cardinales,

patriarchae, archiepiscopi, episcopi, abbates et superiores generales Ordinum Mendicantium, « oboedientiam » praestiterunt. Chorus et Patres simul cantaverunt, modo gregoriano, antiphonam *Tu es Petrus...*

Em.mus cardinalis Protodiaconus, elata voce, dixit: *Orate,* et, post breve temporis spatium, Summus Pontifex praecinit hymnum *Veni, Creator Spiritus...,* quem chorus Cappellae Sixtinae et Patres alternatim prosecuti sunt: chorus quidem musica polyphonica, auctore Bartolucci, Patres vero cantu gregoriano. Quo finito, Summus Pontifex versiculos et orationes recitavit.

Deinde exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis,* monuit:

Patres, qui primum Concilio participant, velint mecum professionem fidei emittere, stando. In fine professionis, omnes mecum pronuntiabunt verba, quae habentur in libro Missae hodie distributo, pag. 36, n. 13. Stando, igitur, Patres, qui debent professionem emittere..., et iuramentum praestabunt tacto pectore.

Exc.mus secretarius generalis legit textum professionis fidei: « Ego Pericles, Archiepiscopus titulo Samosatensis, firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur ... quantum in me erit curaturum. (*Tacto pectore*) Et ego iuro in omnibus, ac per omnia iuxta formulam nuper perlectam. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Omnes Patres, qui professionem emiserunt, folium subscripserunt et assignatoribus tradiderunt.

3. Summi Pontificis allocutio *

Venerabiles Fratres,

In hoc laetamur admodum, quod quartae Sessionis Concilii Oecumenici Vaticani secundi initium in nomine Domini facere possumus.

Principio Deo Patri nostro omnipotenti, per Iesum Christum eius Filium et Salvatorem nostrum, et in Spiritu Sancto Paracleto, sanctam Ecclesiam alente et gubernante, laudes gratesque habendas esse censemus, quod ad hoc feliciter perducti sumus, ut huius sacrosanctae Synodi oecumenicae extremum conventum cogeremus; summo videlicet communique consilio moti, ut primum dedito firmoque animo haereremus

---

* *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 794-805.

divinis verbis; ut tum fraterno more essemus in catholica fide penitus consentientes; ut deinde liberam ardentemque operam plurimis quaestionibus daremus, ad nostram religionem, in primisque ad naturam munusque Ecclesiae Dei pertinentibus; ut post unanimo studio arctiora necteremus communionis vincula cum christianis fratribus, adhuc a Nobis seiunctis; ut tum sincero proposito ad mundum amicitiae et salutis nuntium mitteremus; ut postremo demissa firmaque mente fore speraremus, ut a Dei misericordia, quamvis indigni, necessaria auxilia impetraremus, quibus fulti nostrum Pastorum munus amanti, alacri, devinctoque animo coleremus.

Grande profecto quiddam est hoc Concilium! Quam ob rem gaudeant vehementer animi nostri, quod nobis illud tribuitur, ut tam magna et composita caerimonia unitatem aspectabilis Ecclesiae celebremus: unitatem dicimus, quam hic iucunde professi sumus non extrinsecus magis quam in intimis animis nostris, ob mutuam, quae inter nos orta est, cognitionem, et ob eas alacres congressiones, in quibus et communiter Deum precati sumus, et una simul res perpendimus, et invicem colloquia seruimus, et in eadem denique sententia fuimus: id semper seduli et laeti spectantes, ut eam unitatem pariter referremus, pariter adiuvaremus, quam quasi pulcherrimam certamque hereditatem, et tamquam supremam hortationem Christus Apostolis reliquit. Gaudeant — iterum dicimus — animi nostri, quod per hanc singularissimam congregationem, quae, statuto anni tempore, in hac Basilica, memoriae sacra Petri Apostoli, Christi Ecclesiae aspectabilis fundamenti, iam tertio habita est, cuiusque nunc quarta incipit Sessio, catholica Hierarchia verbis expressit, firmavit, illustravitque vincula illius concordis et univocae consensionis, qualem, qui multiplicem humanarum gentium varietatem, itemque acerbissimas discordias, homines in contrarias partes distrahentes, cernat, coalescere posse neget; qualem, ex contrario, nostra opera, ad rem veritatemque feliciter traductam, arcanam nempe et catholicam, ante oculos nostros versari videmus.

Qua de re in mentem occurrunt Nostram illa verba eximii Doctoris, eiusdemque veteris et Sancti Decessoris nostri Leonis magni: *cumque hanc venerabilium consacerdotum meorum splendidissimam frequentiam video, angelicum nobis in tot sanctis sentio interesse conventum.*[1]

Atque nobiscum universa Ecclesia, cuius tum Pastores sumus tum personam gerimus, gaudeat, id intellegens et sentiens, se nobiscum congregari, seque ea animorum consensione totam perfundi, qua, si vigilaverit, non poterit quin inflammetur.

---

[1] Sermo II in anniversario die suae assumptionis, *PL* 54, 143.

Grande quiddam hoc est Concilium! Quapropter, cum ob certam eius sessionum iterationem fieri possit, ut animi nostri minus novitate afficiantur huius maximi momenti et ponderis conventus, hortamur, ne ob eam rem minus attenti minusque mirabundi in eventum quod celebramus, intueamur; sed ut potius rei ipsius consuetudo, ab iteratione horum coetuum profecta, nos magis idoneos magisque pios efficiat ad magnam, multiplicem, mysticam huius conventus significationem perscrutandam. Ne quis ergo nostrum — quaesumus — gravissimam huiusmodi horam neglegentia praetereat; neve ea quae e singulari hac re experiendo collecta sunt, permixte cum tot usitatisque casibus implicet, quibus nostrae cotidianae vitae exercitatio continetur. Illud praeterea tenendum est — hoc diligentissime meminerimus! — in hac nostra congressione non unos nos interesse, cum nobiscum sit Christus, in cuius nomine congregati sumus,[2] quique in terrestri hac vita nostrum iter praesens comitatur.[3]

Ex officio, quo tenemur, persequendi plena mentis assensione extremum hoc Concilii tempus, in nos grave manat onus, quod quisque in intimo animo suo aestimet oportet, atque cum peculiaribus suis moralibus et spiritualibus conformationibus congruere iubeat. Ne nos pigeat, Fratres dilectissimi, multiplicibus et instantibus curis, quae nos maneant, tempus hoc anteferre meditationis, ut animos nostros, ut par est, opportune inclinemus ad reconditam Dei actionem cum nostra nescimus quo modo coniungendam. Quae coniunctio, si, ad gratiam quod attinet, semper est in effectione, praecipua tamen ratione et modo efficitur, cum in medio est Ecclesiae fortuna; quemadmodum reapse fit cum Concilium celebratur. Nam in huiusmodi causa optime in nos cadit haec sancti Pauli sententia: *Dei enim sumus adiutores*: [4] non quo nobis hoc sumere possimus, ut ad Dei actionem efficacitatem ipsi adiungamus, sed quod speramus fore ut tenuis et prompta alacritas nostra robur praemiumque a Dei actione capiat. Equidem non ignoramus, Concilium hoc nostrum, cum in exitu erit, ea sacra et formidolosa Apostolorum verba esse usurpaturum: *visum est ... Spiritui Sancto et nobis*.[5] Necesse est igitur nos omni studio niti, ut Spiritus Sancti actio non solum cum nostra coniungatur, sed ut eam etiam penitus afficiat, illustret, corroboret, sanctamque praestet. Quo autem studio nobis sit enitendum pariter novimus, cum in Apoca-

---

[2] Cf. *Mt.* 18, 20.
[3] Cf. *Mt.* 28, 20.
[4] *1 Cor.* 3, 9.
[5] *Act.* 15, 28.

lypseos libro[6] Ecclesiarum primigeniarum Pastoribus — Angelis appellatis — huius generis nuntius apostolicus septies iniungatur: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.* Hoc ergo primum omnium nobis praecipitur, ut proximis diebus, inter hos extremos Concilii coetus, occultae Paracleti voci aures iterum iterumque praebeamus; utque sinamus Spiritum Sanctum in animos nostros eam profundere caritatem, quae in sapientiam, hoc est in eam iudicii aequitatem iuxta excellentissimas scientiae rationes, vertatur, cuius ope ad Deum, a quo inenarrabile hoc donum accepit, mens hominis ascendat, atque adeo quaevis eiusdem cogitatio, quaevis eiusdem actio, in amorem, inque caritatem transeat. A Deo orta caritas in caritatem mutatur, quae ad Deum ascendit, et eo spectat, ut ab homine ad Deum revertatur.

Hic progressus caritatis peculiaris nota esse debet extremae huius partis Synodi nostrae oecumenicae. Oportet quam maxime valeamus ad eum progressum caritatis in nobismetipsis perficiendum, ut hoc tempus plenitudine vitali insigne, quod Ecclesiae contigit, altissimam significationem et vim efficientissimam accipiat. Caritate oportet incitemur ac dirigamur ad veritates, quas hic in sua luce ponere nitimur, et ad proposita, quae hic statuere volumus: quae quidem veritates et proposita annuntiata ab hoc Concilio, quod ipsum est instrumentum auctoritatis pastoralis celsissimae et amantissimae, non sunt nisi significationes caritatis. Ad hanc igitur veritatem sequendam, sive in doctrinis tradendis, sive in edendis normis, caritas nos perducat, memores dilucidae sententiae Sancti Augustini: *nullum(que) bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur.*[7]

Nec difficile esse videtur Concilio nostro Oecumenico notam actus caritatis imprimere: actus nempe caritatis vehementis ac triplicis: erga Deum, erga Ecclesiam, erga genus humanum.

1. Imprimis nos ipsos, Venerabiles Fratres, inspiciamus. Nonne ex convocatione Concilii in ea condicione versamur, quae aliter appellari nequit quam animorum contentio et spiritualis conatus? Ea convocatio a torpore vitae cotidianae nos abduxit ac plenam conscientiam divinae vocationis et muneris nostri in nobis excitavit, vires exstimulavit in nobis latentes, mentesque nostras inflammavit spiritu prophetiae, qui proprius est Ecclesiae Dei. Eadem nos movit, ut necessitatem et officium sentiremus fidem nostram palam profitendi, Dei laudes celebrandi, Christo prorsus adhaerendi, in mundo enuntiandi mysterium Revelationis et Redemptionis. Nonne haec omnia e caritate oriuntur? In haec veluti

[6] *Apoc.* 2, 7 - 3, 22.

[7] *De diversis quaest.* 83; *PL* 40, 24.

rostra arcessiti, unde mundus hodiernus circumspectatur, nubibus dubitationis ac tenebris neglegentiae religionis coopertus, quodammodo in regionem lucis divinae ascendimus; hoc spirituale fastigium adepti, nos ipsi, socii et fratres hominum, inter quos vitam degimus, nobis visi sumus emersisse e terra, ex eius rebus implicatis et perditis, atque solem vitae clarum et calidum cernere, secundum illud: *et vita erat lux hominum*; [8] quinimmo nobis visi sumus Deum, Patrem nostrum, cum humilitate, filiorum in modum, cum gaudio, in spiritu et veritate, alloqui; ei, canendo et flendo, laudes tribuere propter magnam gloriam eius, quae hodie ex aucta cognitione universitatis rerum est magis manifesta, felicitatem nostram ei significare, quod nomen suum, regnum suum, voluntatem suam nobis revelavit; ac deinde patefacere dolorem, quo mundus vexatur, gravem molestiam et immanitatem miseriarum nostrarum et errorum late serpentium. Sed hic fortes, magis quam umquam alias, nos esse sentimus propter certam persuasionem, quam habemus et quae animos nostros singulari cum vi pulsat, eosque monet nos esse defensores spiritus, tutores fortunae hominum, verae spei nuntios. Nonne haec est caritas, de qua in divinis litteris hoc verbis praeclaris et significantibus dicitur: *credimus caritati, quam habet Deus in nobis?* [9]

Concilium enim in vicissitudines mundi huius aetatis inseritur ut eventus, quo ratione praestantissima, clarissima, humanissima affirmatur religio sublimis, non ab hominibus excogitata, sed revelata a Deo; quae posita est in necessitudine, naturam extollente et amoris plena, quam ipse ineffabilis Pater, per Christum Filium suum et Fratrem nostrum, in Spiritu Sancto vivificante cum humano genere constituit.

2. En autem altera ratio caritatis nostrae, Concilii propriae; siquidem, hoc proferentes sentimus nos solos non esse. Unus populus sumus, videlicet populus Dei. Nos efficimus Ecclesiam Catholicam. Efficimus societatem singularem, visibilem simul et spiritualem. Concilium apertius nos monet Ecclesiam nostram esse societatem innixam in unitate fidei et universalitate amoris. Cum de perfecta et superiore consortione sociali comparanda agitur, de quaestione scilicet summi momenti in historia hominum, quae solvi non posse videtur — satis est de perenni illo casu Babylonio cogitare, hac aetate acerbissimis eventibus comprobato — eadem consortio quoad principia pro nobis est absoluta, licet re vera solum *virtualiter* sit ad effectum deducta. Novimus tamen solutionem, quam habemus, non posse deficere, scilicet communionem qua inter nos coniungimur et ad quam hortamur, quia non in rationibus

[8] *Io.* 1, 4.

[9] *1 Io.* 4, 16.

deformis obsequii unius cuiusvis hominis vel societatis innititur, sed in principio religioso quod permutari non potest: in amore videlicet erga homines, quos non propter merita eorum vel utilitates nostras amamus, sed propter caritatem Dei. Ecclesia numquam antea, ex quo, recens ab ortu *erat cor unum et anima una,*[10] affirmando, vivendo et laetando, ita voluit, oravit et concupivit, ut mystica unitas, quam Christus ei concedit, perfecte compleretur, quemadmodum in huius Concilii celebratione. Oportebat quasi experiendo cognosceremus unitatem, qua omnes familia ac templum Dei et Corpus Christi Mysticum efficimur, dum res huius aetatis nostrae turbulente aguntur, dum aliae perturbationes in posterum praevidentur, dum animadvertimus continenter discordias inter homines spe destitutos concitari, dum contra populi ad consociationem coniunctionemque irrevocabiliter progrediuntur; oportebat inter nos congrederemur, sentiremus nos fratres esse, osculum pacis invicem praeberemus, ut paucis verbis dicamus, inter nos diligeremus sicut Christus dilexit nos.

Mutuus amor iam hic ita est manifestatus et manifestatur, ut, in historia praesenti et futura, huius Concilii peculiaris nota evadat. Ex hoc profecto responsum capiet homo cupiens Ecclesiam describere quod attinet ad hoc tempus magni momenti et periculi pro eius vita: quid fecit, ita interrogabit, Ecclesia Catholica tempestate illa? Eam amavisse respondebitur. Amabat animo pastorali, ut omnes noverunt, quamvis altitudo et divitiae huius amoris difficile perspiciantur, quem Christus e pectore Simonis Petri, paenitentia et ardore commoti, ter exprompsit (meministisne? *dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei* [*Iesus*]: *Pasce oves meas*).[11] Sane, mandatum, ex amore Christi profectum, gregem eius pascendi, adhuc vim suam obtinet, et causa est cur haec Sedes exsistat, quemadmodum ad vos, Venerabiles Fratres, adhuc pertinet, et causa est, cur vestrae Sedes sint; hodie vero nova cum conscientia et vi illud a nobis affirmatur. Hoc Concilium asserit Ecclesiam esse societatem, quae in amore innitatur regaturque amore!

Ecclesia, quo tempore Concilium nostrum celebrabatur, amabat — ita dicetur —; amabat animo missionali. Neminem latet hanc Sacrosanctam Synodum unicuique recto proboque Ecclesiae Catholicae filio praecepisse, ut esset apostolus, eamque studium apostolicum eo provexisse, ut universos complecteretur homines cuiusvis generis, omnes nationes, cunctos civium ordines. Hic sollemniter enuntiata est — et velimus id

---

[10] *Act.* 4, 32.

[11] *Io.* 21, 15.

factum esse in omne aevum — universalitas amoris, superantis etiam vires eorum, qui ei adversantur vel qui postulant, ut plane et ad fortissimorum hominum exemplum se aliis addicat.

Sane quidem Ecclesia, cum Concilium Vaticanum secundum agebatur, amabat animo oecumenico, id est animo qui humiliter blandeque aperiebatur omnibus fratribus christianis, perfecta communione nondum coniunctis cum hac Ecclesia nostra, quae est una, sancta, catholica et apostolica.

Quodsi huius Concilii tractationibus nota frequens et animos permovens inerat, haec sine dubio ad gravem spectabat quaestionem de restituenda omnium Christianorum unitate, quam Christus voluit, de difficultatibus, quae obstant, de spe, quae affulget. Nonne, Venerabiles Fratres et reverendi ac dilecti Observatores, haec est nota caritatis?

3. Neque huic universali Synodo, quae tota in nomine Christi eiusque Ecclesiae vertitur, atque adeo indolem certam habet certisque finibus circumscribitur, dicere licet se omnia absolvisse, si excludat, ignoret et neglegat utilitates aliorum innumerabilium hominum, quibus bonum, quo nos sine merito nostro fruimur, non obtigit; scilicet qui in hoc beatissimo regno Dei, quod est Ecclesia, non sunt congregati.

Non ita est, non ita. Amor enim, quo communio nostra roboratur, nos non segregat ab hominibus, non sinit nos ab aliis esse alienos nostrisque tantum commodis servire. Quinimmo, amor, utpote cum a Deo proveniat, universalitatem persequi nos docet; veritas nostra impellit nos ad caritatem; meministis hortamentum Apostoli: *veritatem facientes in caritate.*[12] Hic vero, in hoc Coetu, eiusmodi praeceptum caritatis, quod enuntiatur, nomen sacrum et grave accipit: dicitur scilicet suscepti officii ratio; Sanctus vero Paulus ad hoc significandum utitur verbo urgendi: *caritas Christi urget nos.*[13] Hoc modo toti generi humano nos obligari sentimus. Omnibus debitores sumus.[14] Ecclesia, in hoc mundo, non se ipsam tantum, quasi finem, spectat, sed cunctis hominibus inservit; eius est Christum apud universos et singulos homines et populos, quam amplissime et animo ardentisimo praesentem efficere; hoc est munus ipsius. Ea est nuntia amoris, ea est fautrix verae pacis, haec Christi iterans verba: *ignem veni mittere in terram.*[15] Ut huius etiam rei conscia fieret, ut hoc palam ediceret, opus Ecclesiae fuit; cuius rei opportunitatem Concilium praebuit.

---

[12] *Eph.* 4, 15.
[13] *2 Cor.* 5, 14.
[14] Cf. *Rom.* 1, 14.
[15] *Lc.* 12, 49.

Num oblivisci fas erit, huc tamquam ad suum exitum confluere cursum historiae salutis, hoc est divini amoris terrenas vicissitudines? Num nos effugiet, Ecclesiam, huius Concilii ope, plenius ac perfectius consciam factam esse sive de se ipsa, seu de reconditis consiliis Dei, qui *dilexit mundum,*[16] sive de natura muneris sui, quod dives ac ferax semper exstitit vitalium veluti germinum ad novo vigore donandam hominum societatem?

Concilium Oecumenicum praeterea Ecclesiae, atque in primis omnibus nobis, prospectum praebet ad mundum universum: quid Ecclesia, quid nos aliud agere possumus, nisi hunc contemplari atque diligere? [17] Quare in hac mundi contemplatione haec Sessio, quae initium habet, potissimum versabitur; deinde ac praesertim accedet amor; amorem dicimus, erga homines qui hodie sunt, ut sunt, ubi sunt, scilicet erga homines universos.

Aliter quidem sentiunt atque alia se gerunt ratione, qui ad humanum cultum promovendum longe diversa statuunt principia, cuiusmodi sunt potentia, opes, doctrina, contentiones, privatae utilitates: Ecclesia vero amoris necessitatem edicit. Ac revera Concilium publica ac sollemnis amoris significatio sane est erga hominum societatem. Christus adsit nobis, ut ita reapse contingat.

Hoc loco animum Nostrum cogitatio subit, quae minime congruere videtur cum hac suavi vehementique Nostrae humanae et christianae benevolentiae effusione, qua singulos homines et singulos populos terrarum orbis complectimur. Revera ex acerbo ac praesenti semper rerum usu perspectum hoc habemus, quod etiam amor, immo fortasse praesertim amor, comites habet ac gignit neglectionem, repugnantiam, contemptum, simultatem. Ac revera nullum lacrimabile eventum, nullus miserandus casus comparari potest cum Christi immolatione, cui profecto suus amor et inimicorum odium causa fuerunt, cur ipse supplicium crucis pertulerit. Saepe ars amandi in patiendi artem convertitur.

Haud secus res se habent ad Ecclesiam quod attinet: an ipsa ab amandi studio recedet, propterea quod eius amori insidiae et impedimenta opponuntur?

Rursus audite Sancti Pauli verba: *Quis nos separabit a caritate Christi?*; [18] ac mente recolite adversos casus, quod Apostolus, quasi illos provocans, subinde enumerat, ut admoneat, nihil esse quod nos a caritate Christi separare possit aut debeat. Iamvero hoc Concilium a Deo

---

[16] *Io.* 3, 16.
[17] Cf. *Mc.* 10, 21.
[18] *Rom.* 8, 35.

pie postulat, ut gaudio affici mereatur, sicut primi Apostoli,[19] si forte pro nomine Iesu contumeliae ipsi tolerandae sint. Nam gravis adhuc et acerba contumelia huic pacifico Concilio infertur; non pauci enim ex iis, qui una vobiscum praesentes hic adesse debuerant, Venerabiles Fratres, iniuste prohibiti sunt quominus Nobis, qui eos arcessivimus, obtemperare possent. Quod profecto palam ostendit, graves etiamnunc acerbasque vigere vexationes, quibus in non paucis Nationibus Catholica Ecclesia opprimitur, atque de industria opera datur eidem exstinguendae atque eradicandae. Haec dum Nobiscum reputamus, tristitia oppletur animus Noster, cum pro dolor animadvertamus, mundum sane longe procul adhuc abesse a veritate, a iustitia, a libertate, ab amore, hoc est a pace, ut verbis utamur Decessoris Nostri Ioannis XXIII.[20]

Nos vero cum fideliter viae ac rationi huius Concilii obsecundare velimus, ad haec duplici amoris significatione respondebimus, cuius altera ad Fratres Nostros spectat, qui in aerumnis versantur. Utinam Angeli Dei ipsis annuntient, Nos eis salutem dicere, ad eos mentes cogitationesque Nostras semper convertere, eosque impenso amore prosequi! Ad suum solacium Nostri illi Fratres plane persuasum habeant, exemplum suum in Ecclesiae gloriam transire. Faciant igitur, ut communionem illam caritatis, qua Ecclesiae adhaerent, ne flendo exstinguant, sed sperando corroborent.

Alteram vero amoris significationem ad eos pertinere volumus, qui Christum eiusque Ecclesiam oppugnant, ac Dei cultores timore vexationibusque debilitant; scilicet erga eos Nos gerimus ad normam humilis supernaeque caritatis, quam divinus Magister nobis praecepit: *Diligite inimicos vestros ... et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*[21] Quare hoc Concilium clare quidem et firmiter rectam doctrinam tuebitur; quod autem ad eos attinet, qui praeiudicatis opinionibus permoti contra religionem, aut iniustis ducti propositis adversus Ecclesiam, eam tantopere affligtant, erga eos, dicimus, Concilium, potius quam damnare aliquos, sensus bonitatis et pacis testari exoptat et pro iisdem Deum precabitur. Reipsa, Venerabiles Fratres, nos omnes Deum amanter precabimur, ut misericordiam illam, quam nobis imploramus, iis quoque dilargiri dignetur. Amor dumtaxat apud omnes victor triumphet.

Atque etiam pax inter homines triumphet! Pacem dicimus, quae hisce ipsis diebus veluti vulneratur atque cruentatur acribus populorum conflictionibus, qui pace tantopere egent! Flagrantissimum votum, ne

---

[19] Cf. *Act.* 4, 41.
[20] Cf. Litt. Enc. *Pacem in terris.*
[21] *Mt.* 5, 44.

hac quidem hora, tacere possumus, eo spectans ut bellum restinguatur, ut mutuum honoris concordiaeque officium inter populos tandem redintegretur, ut postremo pax quam primum semperque triumphet!

Hic orationem Nostram concludimus, qua quidem nihil aliud spectavimus, nisi ut significatio huius postremae Sessionis Concilii Oecumenici clarius pateret, eiusque proposita novo vigore firmarentur. Ut vobis in comperto est, nullum eorum argumentorum tetigimus, de quibus in hoc consessu vobis erit disputandum atque decernendum; at silentium Nostrum significatione non vacat, immo vero palam declarat, Nos data opera siluisse, ne scilicet verba Nostra libero vestrarum opinionum cursui impedimentum inferre possent.

Nonnulla tamen silentio praeterire nolumus.

Ac primum memoris gratique animi Nostri sensus patefacere cupimus iis omnibus, qui apud Commissiones et Subcommissiones operam dederunt, eximiam quidem et diligentem, ut proxime excutienda Schemata in aptiorem formam redigerentur. De quibus Schematibus qualecumque vos iudicium tuleritis, nihilominus omnes quotquot in ea exaranda studium, tempus, laborem contulerunt, laudem et gratiam merentur.

Deinde Nosmetipsi vobis iam praenuntiare gaudemus, Episcoporum Synodum, secundum huius Concilii optata et vota, mox constitutum iri; quae quidem Episcopis constabit maxima ex parte a Coetibus Episcoporum variarum Nationum approbatione Nostra nominandis; eandemque Romanus Pontifex convocabit pro Ecclesiae necessitatibus, ut Sacrorum Pastorum consilio et opera adiuvetur, quotiescumque ad commune Ecclesiae bonum et utilitatem id Ipsi opportunum visum fuerit. Supervacaneum addere censemus, huiusmodi auxiliatricem operam sacrorum Antistitum oportere plurimum cedat in bonum Sanctae Sedis et universae Ecclesiae, peculiarique modo prosit cotidianis laboribus Romanae Curiae: cui a Nobis tanta est habenda gratia, ob maximi momenti Nobis latum auxilium; quo Nos, quemadmodum Episcopi in sua quisque dioecesi, pro Nostris apostolicis sollicitudinibus assidue indigemus. Nuntii et normae de hac re in notitiam huius Concilii quam primum perferentur. Nos vero carere noluimus honore et gaudio haec breviter vobiscum communicandi, ut Nosmetipsi rursus vobis significaremus Nostram fiduciam, Nostram fraternam coniunctionem. Novum huiusmodi institutum, eximium sane ac spei plenum, patrocinio Beatissimae Mariae Virginis commendamus.

Quod postremo loco vobis significare cupimus, iam compertum habetis. Siquidem agitur de proposito annuendi invitationi, quae Nobis facta est, ut ad Consilium Nationum Unitarum in sua Neo-Eboracensi sede Nos conferremus, anno vicesimo expleto, postquam hoc omnium gen-

tium Consilium conditum est. Hoc autem iter, Deo volente, inter hanc Concilii Sessionem, brevissimo temporis spatio peragemus, ut ad eos, qui illic una congregati Nationum personam gerunt, Nostri obsequii testimonium Nostrumque pacis nuntium afferamus. Plane confidimus, cum Nostro hoc pacis nuntio vestram omnium consensionem coniunctum iri. Non alio enim consilio ducimur, quam ut vox Nostra concentum referat vocum vestrarum; quae quidem voces apostolici muneris vobis, sicut Nobis, a Christo concrediti, semper annuntiant et precantur concordiam, iustitiam, fraternum amorem, pacem inter homines a Deo dilectos et bona praeditos voluntate.

Reliquum est, ut qua par est reverentia vos singulos universos in Christo salvere ex animo iubeamus, Fratres Nostri, sive Orientis sive Occidentis, qui in hoc Concilio praesentes adestis.

Peculiare etiam obsequii et benevolentiae testimonium deferre placet excellentissimis viris, qui ad Legatorum Corpus pertinent. Item omnes Observatores grato animo salutamus; gaudio affecti atque honori Nobis habentes, quod eos hic praesentes cernere licet, eosdem de sincera Nostra observantia certiores facere volumus. Salutamus denique Auditores, Auditrices, Peritos, Nobis sane carissimos, ac ceteros omnes qui assistunt aut operam collocant in Concilio celebrando, ac viros praesertim qui nuntiis dandis sunt addicti, sive scriptis, sive radiophonicis et televisificis instrumentis. Extremum, Apostolicam Benedictionem universis impertimus.

4. Sessionis conclusio

Post allocutionem Summi Pontificis, exc.mus secretarius generalis, benedictione Summi Pontificis accepta, e suggesto admonuit:

Faveatis, Patres venerabiles! Sedeatis. De mandato Summi Pontificis, crastina celebrabitur centesima duodetricesima congregatio generalis huius Sacrosancti Concilii, hora nona, ut suetum est. In hac Congregatione incipiet disceptatio schematis *de libertate religiosa* [*plausus*].

Congregatio initium habebit hora nona; attamen, cum crastina sedes assignandae sint, rogo vos, venerabiles Patres, ut saltem hora octava cum tribus quadrantibus in hac Basilica vos stetis.

In congregatione generali, a crastina ac deinceps, habebitur Missa iuxta novum ordinem approbatum a Sacra Rituum Congregatione. Vos invenietis in vestris subselliis librum liturgicum, ut ita dicam, in quo invenientur omnes caeremoniae et precationes et schemata Missarum quae celebrabuntur durante hac quarta et ultima periodo Concilii, simul cum cantibus.

Hodie, post meridiem, uti nostis, celebrabitur sollemnis supplicatio paenitentialis, nempe habebitur processio a Basilica Sessoriana Sanctae Crucis in Ierusalem usque ad Archibasilicam Lateranensem.[1] Omnes Patres humanissime invitantur. Patres, qui volunt et valent processioni participare (spatium est septingentorum metrorum), se paratos habeant hora quinta cum dimidio in Basilica Sessoriana et processioni participabunt. Alii vero exspectent ante Archibasilicam Lateranensem. Postquam Summus Pontifex benedictionem impertitus fuerit cum reliquia Sanctae Crucis ante Basilicam, omnes Patres cum Summo Pontifice Archibasilicam ingredientur, ex ordine quidem, et in Archibasilica ritus sacer finem habebit.

Videatis, Patres venerabiles: omnes illi qui utuntur autocinetis nostri Secretariatus, iisdem vehiculis transvehentur ad Basilicas praedictas. Ergo exspectent vehicula ita ut commode possint se transferre ad Basilicas, nempe ad locum sollemnis processionis.

Habitus est rochetum cum mantelleta, sine mozzeta.

Omnia dixi, ni fallor. Ergo, congregatio generalis centesima duodetricesima habebitur crastina, practice hora octava cum tribus quadrantibus.

Gratias multas, Patres venerabiles!

Deinde Summus Pontifex omnibus praesentibus Apostolicam Benedictionem impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

℟. Amen!

Summus Pontifex, renuens sedem gestatoriam, pedibus discedit, praeeuntibus DD. cardinalibus et Patribus Concelebrantibus, dum chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus...* alternatim cum versiculis Ps. 131.

---

[1] *Processione Penitenziale in occasione dell'apertura della IV sessione del Concilio Ecumenico Vaticano II,* a cura di G. Nolli-A. Del Giudice, Roma 14 settembre 1965 (*pro manuscripto*).

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXXVIII
15 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXVIII

15 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Ad loca vestra, venerabiles Patres, quia venturus est Summus Pontifex.

Summus Pontifex, una cum tribus Praelatis domus suae et exc.mo secretario generali Concilii, intravit in aulam, veniens ex parte dextra transepti Basilicae, omnibus Patribus plaudentibus, et ivit in locum sibi praeparatum, inter mensam moderatorum et altare conciliare, ad missam participandam.

Unus ex caeremoniariis: Hodie, festum Septem Dolorum B. Mariae Virginis. Indicationes pro Missa inveniuntur in folio particulari, quod una cum libello Missarum pro tota periodo Concilii distributum est.

Missam celebrat exc.mus D. Bernardus Cazzaro, Ordinis Servorum Mariae, Vicarius Apostolicus Aysenensis in Chilia (Cile).

Deinde fit processio ad inthronizandum librum Evangeliorum et ad introitum Missae. Canitur antiphona ad introitum cum psalmo.

Post inthronizationem Codicis Evangeliorum recitatur *Kyrie* et prosequitur Missa.

Postea exc.mus secretarius generalis monuit: *Exeant omnes!*

Summus Pontifex accessit ad sedem suam, in medio mensae Consilii Praesidentiae, et, preces *Adsumus* recitavit una cum omnibus praesentibus.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, hac die, 15 septembris, Summus Pontifex promulgavit Litteras Apostolicas Motu Proprio datas, quibus Synodus Episcoporum pro universa Ecclesia constituitur [*plausus*].

Litterae incipiunt a verbis *Apostolica sollicitudo.*

Nunc, venia obtenta a Sanctissimo Domino, em.mus card. Paulus Marella Motu proprio illustrabit. Postea legam vobis, venerabiles Patres, has Litteras Apostolicas.

Loquatur em.mus card. Paulus Marella.

EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA

RELATIO

SUPER MOTU PROPRIO « APOSTOLICA SOLLICITUDO »

Venerabiles Patres,

Heri, in sollemni instauratione quartae Sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II, commoto animo, audivimus Beatissimum Patrem verba caritatis et pacis colloquentem, nobisque demum praenuntiantem constitutionem auspicatissimi novi Instituti in Ecclesia, quod Synodus Episcoporum nuncupabitur.

Inter vos omnes, venerabiles Patres, praesertim inter viros commissionis conciliaris de episcopis et de dioecesium regimine, constat quam exoptata et expetita fuerit, nunc autem valde exspectetur constitutio cuiusdam centralis ac permanentis Instituti, quo Augustus Pontifex arctius sibi adiungere possit episcopos, circa ea quae ad Ecclesiae regimen pertinent.

Res huiusmodi ab ipso Summo Pontifice — qua eius est sagacitate, caritate ac sollicitudine — proposita fuit apertis verbis, quae allocutus est primum ad Romanae Curiae viros die vigesima prima mensis septembris anni millesimi nongentesimi sexagesimi tertii, postea ad Concilii Patres, occasione sollemnis initii secundae Sessionis Concilii ...[1], die vigesima nona eiusdem mensis.

Res autem, vota flagrantia et communem episcoporum exspectationem explens, expresse refertur in n. 5 cap. I schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* quod, recognitum atque emendatum iuxta modos a Patribus propositos, tempore opportuno, iterum hic nobilis conciliaris coetus rite perpendet atque omnino confirmabit.

Nunc mihi committitur, utpote praesidi commissionis de episcopis et dioecesium regimine, honorificum ac pergratum munus Patribus conciliaribus in hac aula nuntiandi Beatissimum Patrem benigne statuisse ut optatum votum, a Concilio Ipsi significatum, conficeretur et publico sollemnique instrumento sanciretur, videlicet illo Motu Proprio *Apostolica Sollicitudo,* quod mox promulgabitur cuiusque textus vobis cunctis in hac aula *suo tempore*[2] dabitur.

Illud instrumentum perlegendo, vobis ipsis, venerabiles Patres, patebit agi de re magni momenti, quippe quod significat, exprimit ac perficit arctissimam unionem et adiumentum, quae vigere debent inter Romanum Pontificem, Petri Successorem, et episcopos, apostolorum successores et episcopalis collegii membra.

Instrumentum Pontificium, igitur, habemus, cuius momentum doctrinale, pastorale et historicum facile neminem vestrum latet, quodque certo in universo catholico orbe haud parvi existimabitur ac, denique, uberes fructus afferet Ecclesiae Dei.

Summus Pontifex, in illo Motu Proprio, non tantum significavit constitutionem istius novi et centralis Instituti, scil. « Synodi Episcoporum », sed, nulla interiecta mora, statuit quoque ac decrevit, in duodecim articulos, ea omnia quae ad eiusdem Instituti naturam et rationem attinent; necnon ad fines generales et peculiares assequendos; ad auctoritatem, quae illud efficiat, moderetur ac dirigat; ad triplex genus conventuum; ad genus et numerum virorum, qui conventibus ipsis interesse debent, et ad eorum electionem; ad rationem et naturam, denique, eorum muneris persolvendi, quod a quaestionibus illis propositis definitur, proinde ad tempus durabit.

Ad rem apte componendam, postea, eligentur secretarius generalis, secretarii speciales et administri officii secretariae.

Quae omnia nuper enuntiata, ita sapienter composita et definita sunt, ut Synodus huiusmodi munus suum obire possit statim ac eius convocatio urgeat.

Hoc modo, Ecclesiae regimen augebitur novo instrumento, vere apto atque efficaci, hisce praesertim temporibus tam inquietis et difficilibus, ita ut Augustus Pontifex directe certior fieri queat de quibusdam rerum condicionibus, de episcoporum sententia, necnon uti possit eorum sapienti consilio in explendo suo apostolico munere pro universa Ecclesia.

Potissimum autem velim considerationem vestram intendatis in grave illud amplissimumque munus quod in Motu Proprio conferentiis episcopalibus delegatur, deligendi scil. episcopos qui variis huius Episcoporum Synodi conventibus intersint.

Neminem certe vestrum momentum ac pondus praeterit huius dispositionis, quae rursum in conferentiis episcopalibus vim et virtutem instrumenti Ecclesiae universalis agnoscit et tamen minime violat principale illud atque firmissimum Institutum, libertatis scil. singulorum episcoporum in illorum dioecesis administratione, et liberi commercii illorum cum Ipso Summo Ecclesiae Moderatore in omni tempore, omnique occasione.

Haec omnia pariter momentum comprobant illarum praescriptionum ad conferentias episcopales spectantium quae, in cap. III schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* prolatae, a maiore episcoporum parte, in congregatione generali diei sextae mensis novembris anni praeteriti, adprobatae fuerunt.

Fraterna, itaque, tantum sollicitudine impulsus, munerumque et officiorum, quae in Motu Proprio conferentiis episcopalibus delegantur, rationem habens, episcopos illarum nationum ubi conferentiae episcopales opportunis fortasse carent Statutis ab Apostolica Sede rite probatis; vel episcopos illos, quibus Statuta ipsa episcopalis conferentiae mutare vel innovare in animo est, admonere audeo praeclaram ipsis occasionem offerri ut, *conlatis consiliis cum omni caritate,* dispositiones ineant idoneas, rationibus illis et normis, ut fundamento, innixas, quae in schemate decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* quod supra memoravi, continentur, quasque quam primum, ut est in votis, hoc Sacrosanctum Concilium ratas habebit et confirmabit.

Compertum habeo, venerabiles Patres, sed et multis ex vobis pariter constat, quam intenta cogitatione, quam assidua meditatione, quam ardenti oratione Summus Pontifex omnia sit prosecutus; quot homines edoctos aut variarum disciplinarum peritos, episcopos praesertim, sit percontatus; quam accurate atque subtiliter disceptationes, opiniones, sententias perquisiverit, quas de hac difficili quaestione conciliares Patres e commissione praesertim de episcopis et dioecesium regimine, sive in praeparatoriis actibus sive in conciliaribus ipsis consessibus exposuerint.

Hac quidem ratione, ut prudentis scientisque meditationis fructus, hoc Motu Proprio editum est.

Liceat denique mihi iucundam vestram attentionem ad verba ipsa sollicitare quae huic Motu Proprio Vicarius Christi praefatus est: in eis etenim verbis eminet « primatus ille servitii » cuius tam saepe Paulus VI mentionem facit et in quem re ipsa « primatus auctoritatis » resolvitur. Paterna pariter in eis eminet Summi Pastoris de Sanctae Ecclesiae salute summa atque diuturna sollicitudo.

Tota in hoc documento orationis ratio Fratris animum exprimit cum fratribus in Christo colloquentis et eorum opem, firmamentum, solacium hisce Ecclesiae temporibus quaeritantis.

Si munus officiumque confirmandi fratres Beatissimus Pater recepit, debent et hi fratres, necessitate urgente, in unitate spiritus Ipsi Patri adesse, summa illa, magnanima, ab antiquitus tradita fidelitate, qua semper catholici orbis episcopi gloriati sunt quaeque populi nostri, populi scil. Dei, semper est laudem admirationemque consecuta.

In textu scripto tradito: [1] Oecumenici. [2] deest.

Secretarius generalis:

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PAULI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE VI

LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO

DATAE

QUIBUS SYNODUS EPISCOPORUM
PRO UNIVERSA ECCLESIA CONSTITUITUR

[*Cf. pag. 19*].

Nunc Summus Pontifex suam Benedictionem impertit.

Summus Pontifex:

Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
℟. Amen. [*Plausus*].

Summus Pontifex ex aula discessit et congregatio generalis prosecuta est.

Em.mus P. D. GREGORIUS PETRUS card. AGAGIANIAN, *moderator*: Venerabiles Patres, velitis audire nunc allocutionem quam em.mus card. Eugenius Tisserant, decanus Sacri Collegii, primus e Consilio Praesidentiae, faciet Patribus conciliaribus ac omnibus in laboribus Concilii partem habentibus [*cf. pag. 24*].

Secretarius generalis: Allocutio em.mi card. Decani typis impressa omnibus Patribus nunc distribuitur.

Moderator: Venerabiles Patres, roborati effusione Divini Spiritus cuius dona invocavimus, una cum Summo Pontifice hesterna die sub auspiciis Sanctissimae Crucis concelebrantes, et confortati veneranda allocutione Supremi Pastoris, moderatores auctos sibi ducunt honori et officio suos venerationis et amoris sensus erga Summum Pontificem Paulum VI, cum Consilio Praesidentiae et omnibus Patribus ostendere.

Membris pariter Consilii Praesidentiae fraternum exhibent obsequium; peritis, parochis, Observatoribus, Auditoribus et Auditricibus existimationem et salutationem; peculiari autem modo grates rependunt praelatis secretariae generalis eorumque administris, optime de Concilio meritis et certe merituris.

Ab em.mo card. Decano, Primo ex Consilio Praesidentiae, monita audivimus et vota; valde moderatores exoptant ut illis fideliter pareatur, haec rite compleantur.

Velit Immaculata Virgo, per merita suorum Dolorum, quorum memoriam in actione liturgica recoluimus, nobis impetrare affluentem Spiritus Sancti gratiam, ut tam grande opus nobis commissum ad felicem exitum perducatur in gloriam Ss.mae Trinitatis: renovationem et incrementum Populi Dei in bonum totius generis humani in Christo a finibus terrae congregandi.

Velit nunc exc.mus secretarius generalis legere nomina Patrum, qui verba petierunt circa schema declarationis *de libertate religiosa.*

Secretarius generalis: Antequam legam nomina praedicta, de mandato Summi Pontificis, lego vobis telegramma quod Patriarcha Oecumenicus Athenagoras Suae Sanctitati Paulo VI misit [*plausus*].

Lego gallice, uti possum. Parcant mihi Galli! « Sa Sainteté Pape de Rome Paul VI, Cité du Vatican. A l'occasion de l'ouverture de la quatrième session du Concile Vatican deux, nous adressons à Votre bienaimée Vénérable Sainteté nos félicitations fraternelles et nos souhaits pour une clôture de ses travaux heureuse et grandiose au profit de toute l'Eglise de Notre Seigneur Jésus-Christ.

Patriarche Athenagoras ».

[*Plausus*].

Huic congregationi, quae est 128, praeest, ut iam audistis, em.mus ac rev.mus card. Gregorius Petrus Agagianian.

Disceptatio habebitur schematis *de libertate religiosa.* Iam distributa est dissertatio relatoris, ni fallor; et circa hoc schema verbum facere petierunt — non lego omnia nomina mihi data, nam multum tempus non est; lego tantum nomina eorum qui praevidentur posse loqui, horae vel paulo amplius spatio. Hi sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (New York).

Hoc dico, venerabiles Patres, quia aliqui Patres a me petierunt ut, pro quibusdam latinis nominibus longe distantibus a lingua nostra ho-

dierna, dicerem etiam, si possibile esset, nomen dioecesis lingua hodierna. Nescio utrum hoc bonum sit. Hoc faciam quantum potero; nam non sum polyglotta!

Cardinales, igitur, Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia; Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis in Hispania; Ioannes Urbani, patr. Venetiarum in Italia; Richardus Cushing, arch. Bostoniensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Neerlandia (Utrecht); Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (Saint Louis); Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chilia (Santiago in Chile); Paulus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum; Ioseph Slipyj, arch. maior Leopolitanus.

Alias communicationes dabo postea, ne taedio vos afficiam.

Hoc mane vobis distribuetur etiam libellus, qui continet nomina Patrum conciliarium huius quartae periodi. Si quis error irrepserit, venerabiles et patientissimi Patres, parcite nobis!

Moderator: Velit loqui em.mus D. card. Franciscus Spellman...

Veniam peto! Loquitur nunc exc.mus D. De Smedt Ioseph, ep. Brugensis, relationem super schema declarationis *de libertate religiosa.*

1 – SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA * [5]

Textus emendatus

DECLARATIO

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

.. LIBERTATIS RELIGIOSAE GENERALIS RATIO

1. [*Rerum status hodiernus*]. Dignitatis ›ersonae humanae hac nostra aetate homines nagis magisque conscii fiunt. Exigunt liber-ates civiles, ut possint in societate vitam age-e homine dignam. Itemque postulant iuridi-:am limitationem potestatis publicae, ne fines ıonestae libertatis personalis nimis circumscri-›antur. Quae libertatis postulatio maxime ea espicit, quae ad religionem spectant. In per-nultis publicis civitatum constitutionibus ci-ium libertas in re religiosa instituta est tam-uam stabile regimen.

Textus reemendatus

SCHEMA DECLARATIONIS

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

1. Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt.[1] Postulat haec dignitas, ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur, sitque non coercitione commotus sed officii conscientia. Quae libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit, quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere, quantum sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt.

*N. 3, pag. 6, lin. 37-42 ***

Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu am descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate

I. DECLARATIO

2. Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum

---

* *In initio fasciculi legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto im-›ertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad iusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVIII mensis Maii, anno MCMLXV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis »

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

** Numeri, paginae et lineae referuntur ad textum emendatum Patribus Conciliaribus die 17 novembris 1964 n Aula distributum.

Textus emendatus

personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare.

N. 1, pag. 3, lin. 17 - pag. 4, lin. 5

Percipitur insuper esse ius, secundum quod homines debent liberi seu immunes esse a coercitione ex parte hominum et cuiusvis potestatis mere humanae, non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam in religionis libero exercitio. Quod quidem exercitium religionis agnoscitur liberum esse debere duplici sensu, ut scilicet in re religiosa nemo cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat, intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur.

N. 3, pag. 6, lin. 37-42

Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare.

N. 1, pag. 4, lin. 5-19

Denique intelligitur tutelam huius iuris tum ad singulos homines tum maxime ad potestates publicas pertinere.

Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur, nullatenus significatur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Dei potestate emancipari. Non enim concipitur ac si persona humana falsum et verum possit aeque aestimare, vel ipsi officium non incumbat formandi veram sibi de rebus religiosis sententiam vel arbitrario statuere valeat utrum,

Textus reemendatus

in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur.[2] Huiusmodi autem libertas in eo consistit quod homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites.

Insuper declarat huiusmodi ius in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare. Cura autem huius iuris tum ad cives tum ad potestates publicas pertinet modo unicuique proprio.[3]

Declarat denique, ex hac libertatis religiosae affirmatione non sequi hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut esse a Dei auctoritate emancipatum. Libertas enim religiosa non implicat personam humanam falsum ac verum posse aeque aestimare, aut dispensari officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut posse arbitrario statuere, utrum et in qua religione et quanam ratione

]

Textus emendatus

in qua religione et quanam ratione Dei servire velit.

N. 3, pag. 6, lin. 18-21

Insuper declarat haec Sacra Synodus, hanc catholicam de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda.

7] II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta

N. 4, pag. 8, lin. 9-18

d) (*Conscientia humana*). Suprema humanae vitae norma est lex divina, quae est aeterna, absoluta, obiectiva, universalis.

Homo autem legi divinae obtemperare tantummodo potest, secundum quod illam sui ipsius conscientiae dictamine percipit. Neque finem suum ultimum consequi potest, nisi certa conscientiae iudicia, mediis adhibitis idoneis, sibi prudenter efformet et his dictaminibus fideliter oboediat.

N. 4, pag. 7, lin. 16-30

b) (*Inquisitio veritatis*). Homo habet officium et ius quaerendi veritatem. Veritatem autem quaerere, eique iam inventae firmiter adhaerere tenetur humano modo, libera scilicet inquisitione atque assensu personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem inter homines,

Textus reemendatus

Deo servire velit. Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia.

II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta

3. Suprema humanae vitae norma est lex divina, aeterna atque universalis, qua Deus consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat.[4] Deus autem huius suae legis hominem participem reddit, eam veluti quadam irradiatione ipsi naturae humanae imprimens, ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque cognoscere possit.[5]

Dictamina vero huius legis divinae homo semper percipit et agnoscit mediante conscientia sua; hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet. Quapropter tenetur quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter, ut ad Deum, finem suum, perveniat.

Ideo homo officium et ius quoque habet veritatem in re religiosa quaerendi, ut sibi mediis adhibitis idoneis certa conscientiae iudicia prudenter efformet. Veritas autem est humano modo inquirenda, libera scilicet inquisitione, eique inventae firmiter est adhaerendum, assensu nempe personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et in-

Textus emendatus

in qua alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel se invenisse iudicaverint. Quae omnia maxime valent de veritatibus in re religiosa. Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis.

N. 4, pag. 8, lin. 18-29

Inde sequitur principium morale absolutum, quod vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam. Hisce autem nostris diebus, aucto sensu dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigitur, ne scilicet quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo ordine publico, qui partem essentialem totius boni communis constituit. Quae quidem exigentia est prorsus rationi consentanea et homine digna.

N. 4, pag. 7, lin. 31 - pag. 8, lin. 5

c) (*Indoles religionis*). Ex ipsa religionis indole, exercitium eius consistit primario in actibus interioribus prorsus voluntariis atque liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo quidem animo ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret, in actus exteriores prodeunt.

N. 4, pag. 7, lin. 4-8

Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget.

Textus reemendatus

venitur per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate quaerenda adiuvent.

Sollemne ergo est principium morale, quod vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam.[6]

Nostris autem diebus, aucto sensu dignitatis humanae personalis et civilis, exigitur insuper ne quis in societate humana, ulla vi adhibita vel a singulis hominibus vel a coetibus socialibus aut a potestate publica, impediatur quominus privatim et publice agat in re religiosa iuxta suam conscientiam, intra videlicet debitos limites. Quae quidem exigentia est rationi prorsus consentanea et homine digna.

Etenim natura socialis personae humanae necessario sese exhibet in rebus quoque ad religionem pertinentibus. Exercitium namque religionis, ex ipsa eius indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo nempe animo, ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Sed praeterea ipsa socialis hominis natura exigit, ut homo internos religionis actus socialiter manifestet, seu actibus externis, quibus in societate cum aliis communicet. Iniuria ergo homini fit, si quis internam cuiusque libertatem in re religiosa agnoscat quidem at simul ei deneget liberum in societate religionis exercitium debitos limites non excedens.

Textus emendatus

N. 4, pag. 8, lin. 30 - pag. 9, lin. 10

e) (*Moderatio civitatis*). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur, et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur. Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici. Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum est necessarium. Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat.

N. 4, pag. 8, lin. 21-28

Hisce autem nostris diebus, aucto sensu dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigitur, ne scilicet quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo ordine publico, qui partem essentialem totius boni communis constituit.

N. 5, pag. 9, lin. 11-37

5. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque quibusdam normis limitantibus obnoxium est. Quarum prima est principium morale responsabilitatis personalis erga alios. Etenim in iuribus suis exercendis unusquisque

Textus reemendatus

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt. Competentia vero potestatis civilis ob ipsum eius finem proprium, qui exactius his diebus perspicitur atque describitur secundum exigentias dignitatis personae eiusque iura, ad ordinem terrestrem et temporalem eo consilio restringitur,[7] ut personae humanae expeditiore libertate ad finem suum ultimum secundum conscientiam suam tendere possint. Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat. Neque ideo ullo modo e naturali sua dignitate excidere dicenda est, si suas erga communitatem partes agat, sese ad res huius saeculi restringendo, atque ita personam humanam agnoscat eique inserviat.

Dignitas ergo personae humanae exigit, ne quis impediatur, etiam a potestate publica, quominus in re religiosa tum privatim tum publice agat, intra debitos limites, iuxta suam conscientiam.

4. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est. Quarum prima est principium legis moralis observandae. In vita autem sociali eminet principium responsabili-

Textus emendatus

debet rationem habere iurium aliarum personarum suorumque officiorum erga alios, quibuscum est ei agendum secundum iustitiam et humanitatem.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui perpetrari possint adducto titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis ordinis publici. Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut praecipue vi coercitiva legis protegatur. Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum.

N. 4, pag. 9, lin. 5-7

Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum est necessarium.

N. 6, pag. 10, lin. 1-18

III. Consequentiae practicae

6. [*Cura libertatis religiosae*]. Inviolabilia hominis iura tueri praecipuum est cuiusvis potestatis publicae officium. Debet igitur potestas publica, per iustas leges, efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica

Textus reemendatus

tatis personalis et socialis. Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales debent rationem habere et iurium aliorum et suorum officiorum erga alios; cum omnibus enim secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo necessarium, ut actus, qui grave damnum ei inferant, sint reprimendi. Exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum. Ceterum servanda est regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.[8]

5. [*Cura libertatis religiosae*]. Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium.[9] Debet igitur potestas civilis per iustas leges efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Eidem providen-

[10]

Textus emendatus

providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter rationes religiosas.

Ex quibus sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.

N. 9, pag. 12, lin. 15-18

9. [*Libertas associationis religiosae*]. Personae humanae ius inest ne a potestate civili impediatur quominus communitatem religiosam ingrediatur aut relinquat.

Textus reemendatus

dum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia iniusta media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire, quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.

[11]

Textus emendatus

N. 6, pag. 10, lin. 18-27

Immo vero huic Sacrae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur et efficaci tutela iuridica muniatur. Quo magis enim societas civilis propitias suppeditat condiciones ad veritatem divulgandam vitamque religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.

Textus reemendatus

Huic Vaticanae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur, efficaci tutela iuridica muniatur et aptis mediis consulatur ut cives revera ipsa religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant. Ceterum, quo magis societas civilis propitias suppeditabit condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[10]

Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto, ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

Textus emendatus

N. 7, pag. 11, lin. 3 - pag. 12, lin. 2

7. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis, tum ipsius religionis requiruntur.

Illis igitur iure debentur independentia et immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Deum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa status impediantur in suis propriis ministris seligendis atque educandis, in communicando cum auctoritatibus religiosis in aliis orbis terrarum partibus degentibus, necnon in bonis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda. In fide autem religiosa spargenda et usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de pueris vel rudioribus agitur.

Tandem ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem valorem veritatis religiosae in ordinanda societate et in tota activitate humana dirigenda.

Textus reemendatus [1

6. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus iure debetur immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis atque educandis, in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum [1 partibus degunt, necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur.

Tandem ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. Praeterea in sociali hominis na-

12] *Textus emendatus* — *Textus reemendatus*

Textus emendatus

N. 9, pag. 12, lin. 18-24

Praeterea in natura hominis sociali atque in ipsa natura religionis fundatur ius, quo homines possint, salvis iuribus aliorum, conventus vel associationes ad fines religiosos, educativos, culturales, caritativos, sociales prosequendos sibi libere constituere.

Textus reemendatus

tura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

Textus emendatus

N. 8, pag. 12, lin. 3-14

8. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam, sub moderatione parentum. Parentibus autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae liberis tradendae. Parentibus insuper a publicis potestatibus agnoscendum est ius eligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media. Propter hanc autem electionis libertatem non sunt eis iniusta onera imponenda.

Textus reemendatus

7. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda. Potestas civilis iura parentum violat, si unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur.

13] III. Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.

Textus emendatus

N. 12, pag. 14, lin. 12 - pag. 15, lin. 36

12. [*Doctrina evangelica*]. Libertas religiosa, prout hodie intelligitur, altas radices habet in verbo Dei. Libertas, quam Christus praedicavit, donum Dei est quo homo, liberatus a lege peccati (*Rom.* 8, 2), directe ordinatur ad Deum Patrem per Iesum Christum (*1 Cor.* 8, 6). Libertas autem religiosa a societate postulata innititur in dignitate personae, ad quam Christus semper spectavit in conducendis hominibus ad perfectam libertatem filiorum Dei.

Textus reemendatus

III. Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.

8. Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus fundamentum quidem proximum habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam. Ast haec libertas radices habet in divina revelatione, qua primum humanae personae dignitas in tota sua amplitudine incepit manifestari, et inde eo magis a christianis sancte servanda. Praeterea libertas religiosa in societate plene est cum libertate actus fidei christianae

Textus emendatus

Textus reemendatus [1

congrua ac cum debita Ecclesiae libertate in sua divina missione exsequenda omnino consona.

9. [*Libertas religiosa in historia salutis radicatur*]. Deus enim initio ad imaginem suam constituit hominem eumque in manu consilii sui reliquit (cf. *Gn.* 1, 27; *Sir.* 15, 14; 17, 6). Immo voluit, ut libere sancta societate Ei haereat: cum populo qui Ei oboedientiam spoponderat foedus sanctum inivit (cf. *Ex.* 19, 5-8; 24, 7; *Ios.* 24, 16 ss. 22). Per Prophetas illum paulatim edocuit unumquemque personali devotione ad Deum esse convertendum novumque foedus promisit, quo legem suam in corde et mente inscriberet (cf. *Ier.* 31, 31-33; *Ez.* 36, 26-27).

Ubi ergo venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum qui mandatum amoris discipulis suis dedit libere ad Se, trahente Patre, per fidem accedentibus (cf. *Io.* 6, 44). In corda eorumdem Spiritum suum et caritatem effudit, qua non iam servi, sed sicut filii Dei agunt (cf. *Rom.* 5, 5; 8, 14), in libertatem iam vocati (cf. *Gal.* 5, 13), perventuri tandem ad « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21). Distinxit insuper Dominus Iesus quae Dei sunt et quae Caesaris, ita ut Christifideles et Cae- [1 sari propter conscientiam oboediant in iis quae Caesaris sunt (cf. *Rom.* 13, 5), et Deo in iis quae inviolabiliter Dei sunt. Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem.

Quae omnia Ecclesia decursu temporum sedulo custodivit et tradidit. Fideles ad maiorem in dies libertatem spiritus instituit, et in iis genuinum oboedientiae sensum excoluit. Potestatum saecularium oppressioni restitit, suique ministerii sacri libertatem propugnavit. Tandem, etsi inter populum Dei in terris peregri-

[14]

Textus emendatus

Etenim Iesus, qui Christus et Dominus est (*Act.* 2, 36) idemque mitis et humilis corde (*Mt.* 11, 29), in ministerio suo peragendo discipulos allexit quidem et invitavit, numquam vero coegit (*Mt.* 4, 19; 11, 28-30; 19, 16-22; *Io.* 6, 68). Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent; tamen consulto prodigia illa patrare iterum iterumque renuit, quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur (*Mt.* 12, 38-39; *Io.* 6, 30-33).
[15] Revera Satanas huiusmodi prodigia proposuit Christo, tentans Eum (*Mt.* 4, 5-7); Iudaei pariter talia signa petebant (*Lc.* 11, 16; *Io.* 2, 18): quae omnia recusavit Iesus (*Lc.* 11, 16 ss.; *Io.* 4, 48). Respuit prodigia illa quae violentiam redolerent, ut quando Apostoli, a Samaritanis non recepti, Ei proposuerunt: « Domine, vis dicimus ut descendat ignis de caelo et consumat illos? », quemadmodum tempore Eliae prophetae factum est. Severe eos increpavit Dominus dicens: « Nescitis cuius

Textus reemendatus

nantem non defuerunt qui alias vias, spiritui evangelico minus conformes inierint, inconcussa tamen semper mansit Ecclesiae doctrina, neminem esse ad fidem cogendum.

Evangelicum fermentum in mentibus quoque hominum diu est operatum atque multum contulit ad hoc, ut temporum decursu latius agnosceretur principium, in re religiosa homines immunes esse servandos in civitate a quacumque humana coercitione.

10. [*Modus agendi Christi et Apostolorum*]. Deus Ipse quidem homines ad inserviendum Sibi vocat, non vero coercet. Rationem enim habet dignitatis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui debet. Hoc autem summe apparuit in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum ac vias suas tamquam in perfecto humano exemplari manifestavit. Etenim Christus, qui Magister et Dominus est noster (cf. *Io.* 13, 13), idemque mitis et humilis corde (cf. *Mt.* 11, 29), in ministerio suo peragendo discipulos patienter allexit et invitavit (cf. *Mt.* 4, 19; 11, 28-30; 19, 16-22; *Io.* 6, 68). Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, ut auditores verbo suo fide haererent. At vero ea prodigia semper renuit patrare, quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur. Auditores quidem eiusmodi signa petebant (cf. *Lc.* 11, 16; *Mt.* 27, 42-43), quae tamen recusavit Iesus (cf. *Lc.* 11, 16 sq.; *Io.* 4, 48). Ipsos Apostolos increpavit, qui Ei proponebant: « Domine, vis dicimus ut descendat ignis de caelo et consumat illos? » (*cf. Lc.* 9, 54-56). Christus autem sese praebuit ut perfectum Servum Yahweh (cf. *Is.* 42, 1-4), qui « harundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20). Regnum

Textus emendatus

spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare » (*Lc.* 9, 54-56). Christus semper fuit ille perfectus Servus Yahweh (*Is.* 42, 1-4) qui harundinem quassatam non confringit neque linum fumigans extinguit (*Mt.* 12, 20). Venit ut ministraret (*Mc.* 10, 45) et ut testimonium perhiberet veritati (*Io.* 18, 37), quod tandem summopere praestitit sanguine suo. Exaltatus a terra, omnes vi amoris traxit ad seipsum.

Quod Christus fecit et docuit, Apostoli secuti sunt. Ab ipso Ecclesiae initio discipuli Christi laboraverunt ut homines ad Deum converterent non per actionem coercitivam nec per artificia inhonesta, sed per virtutem verbi Dei. Sicuti Christus, Apostoli quoque intenti fuerunt, ut testimonium redderent veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « sine timore verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14; *Act.* 4, 13-20). Firma fiducia tenebant, ipsum evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (*Rom.* 1, 16). Omnibus ergo spretis « armis carnalibus », exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi in divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas et homines ad fidem et obsequium Christi reducendos (*2 Cor.* 10, 3-5).

Iuxta mentem ergo Christi Eiusque principia agit Ecclesia, quando hodie, aucto in hominibus sensu propriae dignitatis, regimen libertatis religiosae tuetur, eique fovet pro pastorali sua erga libertatem humanam sollicitudine.

N. 11, pag. 13, lin. 29 - pag. 14, lin. 11

11. [*Libertas fidei*]. Doctrina fundamentalis catholica est, in verbo Dei contenta et a

Textus reemendatus [1

eius non percutiendo vindicatur (cf. *Mt.* 26, 51-53), sed stabilitur testificando et audiendo veritatem (cf. *Io.* 18, 37), et crescit amore, quo homines ad Seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32).

Christi exemplum secuti sunt Apostoli. Ab ipso Ecclesiae exordio discipuli Christi allaborarunt ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed in primis virtute verbi Dei (cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5). Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « sine timore verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14; cf. *Act.* 4, 13-20). Firma fiducia tenebant ipsum evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16). Omnibus ergo spretis « armis carnalibus » (cf. *2 Cor.* 10, 4), exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas et homines ad fidem et obsequium Christi reducendos (cf. *2 Cor.* 10, 3-5).

Ecclesia igitur, evangelicae veritati fidelis,[11] viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae ut hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet. [1

11. [*Libertas actus fidei*]. Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei con-

[6] *Textus emendatus*

Patribus constanter praedicata, hominem habere veram responsabilitatem in credendo, neminem tamen invitum esse cogendum ad amplexandam fidem catholicam. Etenim ipsa sua natura actus fidei christianae liber est. Namque homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus (*Eph.* 1, 5), Deo sese revelanti adhaerere non potest, nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44) et rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Unde etiam sequitur, quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis.

Indoli ergo fidei christianae oppositum est quodvis in re religiosa genus coercitionis ex parte humanae potestatis. Ideo in regimine libertatis religiosae condiciones dantur, in quibus exigentiae doctrinae catholicae in hac materia observantur.

Textus reemendatus

tentum et a Patribus constanter praedicatum,[12] hominem debere Deo libere respondere credendo; invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem.[13] Etenim actus fidei ipsa sua natura liber est, cum homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus (cf. *Eph.* 1, 5), Deo sese revelanti adhaerere non possit, nisi Pater traxerit eum (cf. *Io.* 6, 44) et rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Indoli ergo fidei repugnat ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum adhibeatur. Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum eo confert ad illum rerum statum efficiendum, quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam libere amplectendam eamque in tota vitae ratione actuose confitendam.

N. 10, pag. 12, lin. 25 - pag. 13, lin. 28

Textus emendatus

10. [*Libertas Ecclesiae*]. In bonis Ecclesiae, quae ubique semperque conservanda sunt ab omnique iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, tanta ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec enim est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit. Atque adeo propria est Ecclesiae, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum faciunt. Iuxta totam traditionem catholicam, libertas
7] Ecclesiae est principium fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.

Ecclesia sibi in societate humana et coram quavis potestate publica vindicat libertatem, utpote quae est auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui soli ex divino mandato

Textus reemendatus

12. [*Libertas Ecclesiae*]. Inter ea quae ad bonum Ecclesiae spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, eam tanta perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat.[14] Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae autem adeo propria est, ut qui eam impugnent, iidem contra Dei voluntatem agant. Ex catholica traditione libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.

In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia sibi vindicat libertatem, utpote auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui ex divino mandato incumbit

Textus emendatus

incumbit officium, ut in mundum universum eat atque evangelium praedicet omni creaturae (cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 10-20). Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia, prout est etiam societas hominum divinitus convocata, quorum omnes et singuli in societate civili iure gaudent vivendi ad rationis conscientiaeque christianae praescripta.

Iamvero ubi reapse viget hodiernum regimen libertatis religiosae, ipsa Ecclesia stabilem obtinet condicionem et iuris et facti plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei soli ex mandato Christi committitur. Praeterea Christifideles iure civili gaudent ne impediantur in vita ducenda iuxta fidem catholicam. Concordia igitur datur inter libertatem, quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia postulat pro omnibus hominibus et communitatibus ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum.

Textus reemendatus [17

officium eundi in mundum universum et evangelium praedicandi omni creaturae (cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20).[15] Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia prout est etiam societas hominum convocationi divinae libere respondentium, qui iure gaudent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta.[16]

Iamvero si reapse viget ratio libertatis religiosae, Ecclesia stabilem obtinet et iuris et facti condicionem plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei ex mandato Christi commissa est.[17] Praeterea Christifideles, non minus quam ceteri homines, iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda. Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tamquam ius agnoscenda.

N. 13, pag. 15, lin. 37 - pag. 17, lin. 13

Textus emendatus

13. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et omnes uno animo et ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Obsecrat igitur Ecclesia, a filiis suis « primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram cer-

Textus reemendatus

13. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1).

Enixe igitur rogat Ecclesia ut a filiis suis « primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui [18 omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram

[18] tamque Ecclesiae doctrinam. Dei enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut veritatem, quae Christus est, explicet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7), lumen vitae cum omni fiducia (cf. *Act.* 4, 29) et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant auxiliis naturae et gratiae, quibus ipse Dominus unus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonio perhibito veritati.

Etenim discipulus gravi adstringitur officio erga veritatem Christi, ut eam nimirum plenius in dies cognoscat, fideliter annuntiet, strenue defendat. Simul tamen caritas Christi urget eum ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore circa fidem versantur. Adhibendus est modus suavis et humanae naturae aptatus, quo ipse Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi homines sensim ad suum amorem allicit. Respiciendum igitur est tum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae iura personae, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem libere accipiendam et profitendam invitatur. Error reiiciendus est, veritas praedicanda, intellectus illustrandus, persona humana debita reverentia prosequenda.

certamque Ecclesiae doctrinam.[18] Dei enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut veritatem, quae Christus est, enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae cum omni fiducia (cf. *Act.* 4, 29) et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant.

Etenim discipulus erga inaestimabile donum veritatis Christi gravi adstringitur officio, eam plenius in dies cognoscendi, annuntiandi fideliter, strenue defendendi. Simul tamen caritas Christi urget eum, ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur.[19] Respiciendum igitur est tum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae personae iura, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem libere accipiendam et profitendam invitatur.

[19] *N. 14, pag. 17, lin. 14 - pag. 18, lin. 10*

14. [*Conclusio*]. Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; patet

IV. Conclusio

14. Constat igitur praesentis aetatis homines optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; libertatem autem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut

Textus emendatus

etiam libertatem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari.

Non desunt tamen regimina in quibus, etsi in ipsa eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Christifideles adhortatur et huius aetatis homines universos adprecatur ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis.

Manifestum est enim cunctas gentes magis magisque in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri relationibus, augeri conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, omnino requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur et suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societatem ducendam observentur.

Textus reemendatus [19

ius civile declarari [20] et instrumentis internationalibus agnosci.[21]

At non desunt regimina in quibus, etsi in eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Christifideles hortatur, exorat autem homines universos, ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit, in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis.

Manifestum est enim cunctas gentes magis in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri rationibus, augeri denique conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur atque observentur suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam.

Manifestum praeterea est, cum nostrae aetatis homines varia ratione premantur et in periculum veniant ne proprio libero consilio utantur, Christianis quam maxime incumbere officium veram libertatem in se et in aliis tutandi ac promovendi. Ex altera autem parte non pauci ita propensi videntur, ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant. Religiosa igitur libertas ad hoc inservire et ordinari debet, ut homines eam nobilem libertatem expeditius conse- [20
qui possint, ad quam a Deo vocati sunt.

20]

Textus emendatus

Faxit igitur Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servato regimine libertatis religiosae in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimiorem illam ac perennem libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

Textus reemendatus

Quapropter haec Vaticana Synodus omnes hortatur, praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui et legitimae auctoritati oboedientes et genuinae libertatis amatores sint; homines nempe, qui proprio consilio res in luce veritatis diiudicent, activitates suas cum sensu responsabilitatis disponant, et quaecumque sunt vera atque iusta persequi nitantur, operam suam libenter cum ceteris consociando.

Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 279, ubi Summus Pontifex ad realitates hodiernas animadvertit: « At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri dignitatis suae conscios, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria inviolabiliaque iura in publica civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant ». Cf. *ibid.,* p. 265: « Illud praeterea humanae dignitas personae exigitur, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praesertim impulsu et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas una ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in qua homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressus, ad perfectionemque assequendam apte ipsi incitandi sunt ».

Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est, quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur. [21]

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963, *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 260-261: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen in Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII,* 8 (1888), pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis, quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

[3] De conceptu libertatis religiosae, ut ab aliis Christianis intelligitur cf. documenta Consilii Mundialis Ecclesiarum (World Council of Churches): « *Declaration on Religious Liberty* » (Assembly Amsterdam, 1948), « *Statement on Religious Liberty* » (Assembly New Delhi, 1961).

[4] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 91, a. 1; q. 93, a. 1.

[5] Cf. *Ibid.,* q. 93, a. 2.

[6] Quoad historiam huius quaestionis cf. J. LECLER, S. I., *Histoire de la tolérance religieuse au siècle de la Réforme,* Paris, Aubier, Edition Montaigne, 1955, tom. II, fere passim.

[7] Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Cum multa,* 8 dec. 1882: *A.A.S.,* 15 (1898), pp. 242-43: « Igitur oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis in honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum referens omnia, altius se pandit caelumque contingit... Quapropter religionem et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis ducere ». Traditionem iteravit PIUS XI, Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 303: « La Chiesa di Gesù Cristo non ha mai contestato i diritti e i doveri dello Stato circa l'educazione dei cittadini e Noi stessi li abbiamo ricordati e proclamati nella recente Nostra Lettera Enciclica

[21] sulla educazione cristiana della gioventù; diritti e doveri contestabili finché rimangono nei confini delle competenze proprie dello Stato; competenze che sono alla loro volta chiaramente fissate dalle finalità dello Stato; finalità certamente non sol-
[22] tanto corporee e materiali, ma di per se stesse necessariamente contenute nei limiti del naturale, del terreno, del temporaneo ».

Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, I-II, q. 91, a. 4 c: « De his potest homo legem ferre de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent »; cf. II-II, q. 104, a. 5 c: « In his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini oboedire sed solum Deo ». Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 270: « Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere; quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet ».

[8] Sic redditur aliis verbis nota regula iuris canonici, ex iure romano quoad sensum deprompta, « Odia restringi et favores convenit ampliari ». Cf. V. BARTOCCETTI, *De regulis iuris canonici* (Angelo Belardetti Editore, Roma 1955), p. 73.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 273-274: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim " inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum " ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 200.

[10] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885), p. 161: « Immortale Dei miserenti opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatis, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum ». Quod quidem thema, e S. Augustino derivatum, saepe saepius evolvere solebat Leo XIII.

[11] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 642-43.

[12] LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* lib. V, 19: ed. S. Brandt et G. Laubmann, *CSEL* 19, p. 463; *PL* 6, 614 (cap. 20): « Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 464; *PL* 6, 614: « Itaque nemo a nobis retinetur invitus — inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret — et tamen nemo discedit ipsa veritate retinente ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 465; *PL* 6, 616: « Nihil est enim tam voluntarium quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est ».

S. AMBROSIUS, *Epistola ad Valentinianum Imp.*, Ep. 21: *PL* 16, 1047: « Dei lex nos docuit quid sequamur, humanae leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt ».

S. AUGUSTINUS, *Contra litteras Petiliani,* Lib. II, cap. 83: ed. M. Petschenig,

CSEL 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939): [22]
« Augustinus respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari ». Eandem sententiam illustris Doctor exprimit in Ep. 23 (*PL* 33, 98), in Ep. 34 (*PL* 33/132), et quoad sensum in Ep. 35 (*PL* 33/135).

S. GREGORIUS MAGNUS, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massilliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: ed. P. Ewald et L. M. Hartmann,
MGH Ep. 1, p. 72; *PL* 77, 510-11 (Lib. I, ep. 47): « Dum enim quispiam ad [23]
baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur ».

Epistola ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, Registrum Epistolarum, III, 52: MGH Ep. 1, p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160): « Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ».

CONC. TOLET. IV, c. 57: MANSI 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162): « De Iudaeis hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi ... ».

CLEMENS III, Litterae Decretales: X., V, 6, 9, ed. Friedberg, col. 774: « ... Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum (per violentiam) venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire ... ».

INNOCENTIUS III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum,* X., III, 42, 3: ed. Friedberg, col. 646: « ... Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur ... ».

[13] Cf. *C.I.C.,* can. 1351; cf. PIUS XII, Alloc. ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394, ubi citatur a R. P. *Pro Memoria* Secretariatus Status ad Legationem Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de l'adhésion de l'âme aux vérités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». IDEM, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* (1943), p. 243: « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiant,

[23] ii procul dubio veri Christifideles non fiunt; fides enim, sine qua « impossibile est placere Deo » (*Hebr.* 11, 6), liberrimum esse debet « obsequium intellectus et voluntatis » (CONC. VAT., *Const. de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam, ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobemus ».

[14] Cf. LEO XIII, Litterae *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 22 (187), p. 269: « In bonis autem Ecclesiae, quae Nos ubique semperque conservare debemus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tantam ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec nimirum est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam san-
[24] guine fuso excitavit; qui eam perpetuam in hominibus statuit; qui voluit ipsi ipse praeesse. Atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum et contra officium ». Ut olim Gregorius VII, sic temporibus modernis exstabat LEO XIII propugnator libertatis Ecclesiae. Cf. Litterae *Ex litteris,* 7 aprilis 1887: *A.S.S.,* 19 (1886), p. 465: « Nos quidem vel ab initio nostri pontificatus multo et serio cogitare de vobis instituimus, atque, ut ratio Nostri ferebat officii, consilium cepimus omnia conari, si qua ratione liceat, pacatam tranquillitatem cum libertate legitima catholico nomini restituere ». In sexaginta fere documentis, quae relationes inter rem sacram remque civilem tractant, octaginta vices occurrit formula verborum, « libertas Ecclesiae », vel formula aequipollens. Ipsi enim Leoni XIII, sicut toti traditioni catholicae, libertas Ecclesiae principium est fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et instituta omnia ordinis civilis.

[15] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 445-46: « Quamobrem Nos, ut eius in terris vices gerimus, qui a sacro vate " Princeps pacis " appellatur (*Is.* 9, 6), civitatum rectores eosque omnes, e quorum opera quovis modo publica res pendet, compellamus vehementerque obtestamur ut Ecclesia plena semper libertate fruatur debita, qua suam possit educationis operam exsequi, ac veritatem impertire mentibus, animi inculcare iustitiam, eosque divina Iesu Christi refovere caritate ».

[16] Cf. PIUS XI, Litterae *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 196: « Proposita eiusmodi aestimandarum rerum mensura, concedendum sane est, ad christianam vitam explicandam externa quoque praesidia, quae sensibus percipiuntur, esse necessaria, pariterque Ecclesiae tamquam hominum societati opus omnino esse, ad vitae usuram atque incrementum, iusta agendi libertate, ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta ».

[17] Cf. PIUS XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 802, ubi fines clare definiuntur, quos Ecclesia prae oculis habet in ineundis Concordatis: « I Concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione ». Exinde insuper constat, nihil esse in doctrina de libertate religiosa, quod cum praxi hodierna Concordatorum quovis modo pugnat.

[18] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus, A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-78, de conscientia christiana efformanda.

[19] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,*

pp. 299-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere [24]
aequum est quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

[20] GIANNINI A., *Le Costituzioni degli Stati del Vicino Oriente,* Roma 1931. - PEASLEE AMOS. S., *Constitutions of Nations,* New Jersey (USA) 1950. - MIRKINE-GUETZEVITCH B., *Le Costituzioni Europee,* Milano 1954. - ZAMORA A., *Digesto Constitutional Americano,* Buenos Aires 1958. - LAVROFF D. G. et PEISER G., *Les Constitutions Africaines,* Paris 1963. - STRAMACCI M., *Le Costituzioni degli Stati* [25]
Africani, Milano 1963.

[21] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-296, ubi quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ».

[27]

2 – RELATIO
DE REEMENDATIONE SCHEMATIS EMENDATI

Pars prima

DE ANIMADVERSIONIBUS PATRUM POST SESSIONEM TERTIAM SCRIPTO DATIS

I. *Notae praeviae de genesi schematis.*

Schema Declarationis « De Libertate Religiosa », quod in hoc fasciculo « *Textus reemendatus* » nominatur, est tertia forma textus huius Declarationis quae Patribus Concilii tradita est.

Prima textus forma (« *Textus prior* »), quae tunc temporis caput V schematis Decreti « De Oecumenismo » constituit, die 19 mensis Novembris anni 1963 Patribus in proprio fasciculo distributa est.

Discussio generalis de schemate Decreti « De Oecumenismo », in qua plures Patres etiam de capite V locuti sunt, in Aula habita est a die 19 ad diem 21 mensis Novembris anni 1963.

Die 21 Novembris 1963 discussio particularis de capite V dilata est ad tertiam Sessionem Concilii.

In tertia Sessione die 23 mensis Septembris anni 1964 post Relationem ab Exc.mo De Smedt prolatam discussio particularis de schemate praedicto initium sumpsit, quae die 25 Septembris approbante Concilio clausa est.

Die 28 Septembris quinque adhuc interventiones relate ad schema, unaquaeque nomine saltem 70 Episcoporum, in Aula prolatae sunt.

Examine omnium interventionum Patrum peracto Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam textum priorem emendavit.

Die 17 Novembris 1964 Patribus novus fasciculus traditus est, in quo « *Textus emendatus* », iuxtapositus « Textui priori » nec non Relatio Exc.mi De Smedt, atque Relatio Secretariatus de examine Animadversionum Patrum Conciliarium continentur.

Eodem die Secretarius Generalis in Aula annuntiavit suffragationem textus emendati Schematis faciendam esse feria V, die 19 Novembris 1964.

Feria IV, die 18 Nov., Secretarius Generalis in Congregatione Generali annuntiavit: 1°) multos Patres postulare, ut concedatur congruum temporis spatium, ad normam Articuli 30, § 2, Ordinis Concilii, ad maturanda iudicia de textu reapse novo, qui ad normam Art. 35 eiusdem Ordinis ante suffragationem examini subiciendus sit; 2°) Em.mum

Praesidem Consilii Praesidentiae et Em.mos Moderatores statuisse sequenti die ante praescriptas suffragationes circa schema praemittendam esse suffragationem praeiudicialem an procedendum sit ad suffragationes faciendas. [28]

Feria V, die 19 Nov., Em.mus Praeses Consilii Praesidentiae in Congregatione Generali annuntiavit, re maturius perpensa, visum esse Consilio Praesidentiae negotium quod ordinem Concilii celebrandi tangit non posse a Congregatione Generali per suffragationem decerni, idcirco Consilium Praesidentiae statuisse, post auditam Relationem, non esse procedendum ad suffragationem in hac Concilii Sessione, Patres autem suas animadversiones scriptis intra diem 31 Ianuarii anni 1965 proponere posse.

In eadem Congregatione Generali feriae VI, Exc.mus De Smedt Relationem de schemate emendato « De Libertate Religiosa » pronuntiavit, quae in fasciculo invenitur post textum pagg. 25-31, cuius finem tamen datis circumstantiis mutavit.

Eodem die multi Patres, magno dolore affecti, quod habita non sit suffragatio schematis, supplices Summo Pontifici porrexerunt preces, ut suffragatio quocumque modo fieret antequam haec Sessio finem haberet.

Feria VI, die 20 Nov., in Congregatione Generali Em.mus Praeses Consilii Praesidentiae nomine Summi Pontificis haec communicavit: « Noverint hi Patres dilationem in suffragando fuisse a Consilio Praesidentiae concessam, quia ad normam Ordinis Concilii celebrandi concedenda erat. Eam insuper postulabat reverentia quaedam erga libertatem Patrum Conciliarium, quibus maxime cordi est rite et profunde schema tanti momenti examinare atque perpendere. Itaque schema Declarationis « De Libertate Religiosa » in proxima Concilii Sessione tractabitur et, si possibile sit, antequam alia schemata tractentur ».

Usque ad diem 17 Februarii 1965 *218* interventiones scriptae circa schema emendatum Declarationis, quarum *12* nomine plurium Patrum, Secretariatui Generali missae et ab hoc Secretariatui ad Christianorum unitatem fovendam traditae sunt.

Omnes et singulae hae animadversiones in sessione a die 18 ad diem 28 Februarii 1965 habita a consultoribus Secretariatus diligenti examini subiectae et proposita reemendationis textus emendati exarata sunt. Relatione de his facta membris Secretariatus, in horum sessione plenaria a die 28 Februarii ad diem 6 Martii, ampla discussione instituta, textus reemendatus stabilitus est.

Qui textus initio mensis Aprilis Em.mo Praesidi Commissionis de fide et moribus traditus et ab eo membris huius Commissionis trans-

[28] missus est. Secretariatus *17* vota scripta a Patribus Commissionis accepit atque in sua sessione inde a die 2 Maii habita examinavit et secundum ea plures adhuc emendationes textus perfecit.

[29] Tandem die 11 Maii 1965 Commissio de coordinandis Concilii laboribus statuit, ut textus hoc modo reemendatus simul cum Relatione Patribus Concilii mitteretur.

N. B.: Neque utile neque possibile visum est omnes et singulas emendationes a Patribus post tertiam Concilii Sessionem scriptis propositas in hac Relatione typis mandare. Permultae emendationes mutationem, additionem, omissionem unius alteriusve expressionis proponunt. In sequentibus eae tantum Animadversiones explicite nominantur, quae maioris sunt momenti.

Notandum indicationes numerorum, paginarum et linearum referri ad textum emendatum, qui continetur in fasciculo in tertia Sessione distributo.

II. *Animadversiones Patrum titulum Declarationis spectantes.*

Ab aliquibus Patribus alius titulus Declarationis proponitur, scilicet:

1) Declaratio conciliaris Vaticani II de humana dignitate ac de personae et communitatum libertate in re praesertim religiosa (L-Gen. 20).

2) Declaratio de libertate personae et communitatum in re religiosa (L-Gen. 26).

3) De libertate civili religiosa, seu de iure civili personae et communitatum ad libertatem in re religiosa (L-Gen. 31).

III. *Animadversiones structuram seu ordinem partium schematis spectantes.*

A pluribus Patribus sequentes mutationes ordinis proponuntur:

1) Ordo argumentorum ita invertatur, ut in initio ea ponantur, quae revelatio continet de libertate religiosa, quo declaratio magis appareat ut expositio pastoralis Concilio propria (L-Gen. 28, 33, 36, 40, 49, 63, 75, 77, 85).

2) In numero 1 inseratur, quod in numero 4 de conscientia humana et de obligatione subiectiva hominis exponitur (L-1, 41).

3) Post primum incisum numeri 1 statim sequatur expositio historica ex numero 2 (L-1, 38).

4) In fine numeri 1 inseratur textus de doctrina ex Revelatione desumpta (ex. num. 10, 11, 12) (L-1, 14).

5) Textus numeri 3, pag. 6, linn. 21-24 transferatur ad finem numeri 7, pag. 12, lin. 2 (L-3, 1). [29]

6) Proponuntur varii modi aliter ordinandi argumenta numeri 4 (L-Gen. 43; L-4, 1, 29, 43, 45, 53, 59, 99).

7) Textus incisi *e*) numeri 4, pagg. 8-9, transferatur ad incisum *b*), pag. 7 (L-4, 105).

8) Incisum *e*) numeri 4, pagg. 8-9, transferatur in numerum 5, pag. 9 (L-5, 26). [30]

9) Consequentiae practicae incisi *b*) numeri 5, pag. 9, transferatur in finem numeri 13, pag. 17 (L-5, 10).

10) Numerus 9, pag. 12, transferatur in finem numeri 7 (L-9, 5).

11) In numero 10 prius ponatur textus prior notatus in pag. 13 (n. 30, pag. 32, linn. 25-32), deinde sequantur textus sequenti ordine: num. 12-11-13-10 (L-10, 24).

12) Teneatur sequens ordo textuum: num. 12-13-11-10 (L-10, 25).

13) Textus numeri 10 ponatur post numerum 11 (L-10, 16).

14) Textus numerorum 12 et 13 in unum numerum contrahantur et pro textu incisi pag. 16, linn. 11-28 redeatur ad textum priorem correspondentem (L-12, 22).

IV. *Animadversiones, quibus maiores omissiones proponuntur.*

Ob varias rationes desideratur, ut sequentes partes textus emendati omittantur:

1) Totum Caput I, quia confusum, contradictorium, falsa continens, retentis tantum pag. 6, linn. 8-19 et addita affirmatione solam veritatem habere plenum ius professionis et diffusionis (L-3, 21).

2) Tota tractatio historica numeri 2, cum sit expositio insufficiens, trunca et non necessaria quaestionis spinosae, quae non spectat ad Concilium, sed ad scientiam theologicam (L-Gen. 10, 13, 18, 75; L-2, 1, 2, 3, 13, 29, 43).

vel post correctionem radicalem ad notam aliquam remittatur (L-2, 15, 36, 41),

vel saltem funditus emendetur (L-2, 13, 14, 28, 34, 38).

3) Totus numerus 3 excepta animadversione contra indifferentismum et de certitudine veritatis catholicae (L-3, 23).

4) In numero 3 totum primum incisum pag. 6, linn. 5-28, quia non necessarium pro Declarationis intento (L-3, 1, 12, 15, 28, 43, 44) vel quia est repetitio dictorum in numero 1 (L-3, 39)

aut retinetur tantum prima sententia pag. 6, linn. 5-8 (L-3, 33) vel dicta in linn. 18-21 (L-3, 13).

[30] 5) In numero 3 propositio pag. 6, linn. 11-16 (L-3, 35) vel redeatur ad textum priorem (L-3, 42).

6) In numero 3 secundum incisum, pag. 6, linn. 29-42
vel alio modo formuletur (L-3, 45 cum alia formula).

7) In numero 3 textus pag. 6, linn. 32-39, vel redeatur ad textum priorem (L-3, 20).

8) Ultima proposito numeri 3, pag. 6, linn. 37-42 (L-3, 13, 22 *b*).

9) Totum Caput II, pagg. 7-9, vel ita emendetur, ut salvetur vera religio et Status catholicus (L-4, 54).

[31] 10) Caput II et III cum argumentis ex natura rei, cum talis tractatus non sit munus Concilii (L-10, 1 cf. L-12, 7).

11) In numero 4 incisum *a*), pag. 7, vel saltem linn. 9-15, pag. 7 (L-4, 3) (L-4, 51, 56, 113, 43: « fortasse »).

12) In numero 4 incisum *b*), pag. 7 (L-4, 52).

13) In numero 4 incisum *e*), pagg. 8-9 (L-4, 20, 25, 39, 91).

14) In numero 4 ultima propositio incisi *e*), pag. 9, linn. 7-10 (L-4, 112).

15) In numero 5, pag. 9, linn. 14-15 (L-5, 6).

16) Totus numerus 6, pag. 10 (L-6, 6, 17, 18).

17) In numero 6, pag. 10, linn. 13-18 et redeatur ad textum priorem (L-6, 4).

18) In numero 6, pag. 10, linn. 22-27 (L-6, 31).

19) In numero 7, primum incisum, pag. 11, linn. 2-5 et redeatur ad textum priorem (L-7, 28).

20) In primo inciso numeri 7 propositio pag. 11, linn. 4-5 (L-7, 13).

21) In numero 7, pag. 11, incisum linn. 21-28, vel aliter formuletur, ne damnum inferatur populis catholicis (L-7, 16).

22) In numero 9, pag. 12, linn. 22-23 verba « educativas, culturales, caritativas, sociales », quia inopportuna (L-9, 6).

23) Totus numerus 10, pagg. 12-13, quia laborat « maximalismo » (L-10, 2 cf. etiam L-Gen. 79).

24) Primum incisum numeri 10, pagg. 12-13 (L-10, 26).

25) In numero 10 incisum pag. 13, linn. 16-28 (L-10, 14).

26) In primo inciso numeri 10, linn. 30-34, pag. 12, quia phrasis nimis polemica (L-10, 24, 26).

27) In numero 10, pag. 13, linn. 16-20, cum non correspondeat toti veritati historicae (L-10, 20).

28) In numero 11, pag. 14, linn. 3-5 (L-11, 2, 11, 13, 14, 15; L-Gen. 79, p. 12).

29) Primum incisum numeri 12, pag. 14, linn. 12-21 (L-12, 4).

30) In secundo inciso numeri 12, pag. 14, linn. 27-35 (L-12, 4, 5, 8, 10, 12, 17, 18, 20, 30, 34, 35, 36, 41). [31]

31) In numero 12, pag. 15, linn. 7-10 et 17-29, cum non sint ad rem (L-12, 39).

32) In numero 12, pag. 15, linn. 17-21 (L-12, 26).

33) In numero 12, pag. 15, linn. 31-36 (L-12, 14, 16, 19, 37).

34) Totus numerus 13, quia nil novi affert, vel abbrevietur (L-13, 10).

35) In numero 13, quae pag. 16, linn. 16-19 dicuntur quia inutiliter suscitant controversiam circa auctoritatem Ecclesiae in lege naturali (L-13, 6, 12, 13).

36) In numero 13 incisum pag. 16, linn. 11-28 et substituatur textu priori (L-12, 12).

37) Secundum incisum numeri 14, pag. 17, linn. 20-25, quia fidelibus in certis regionibus difficultates causare potest (L-14, 2. Cf. L-Gen. [32] 2; L-14, 8 contrarium postulat: fortiorem scil. condemnationem persecutionum religiosarum et viriliorem protestationem).

V. *Animadversiones, quibus maiores additiones et completiones proponuntur.*

Ad complendum textum emendatum a Patribus proponitur, ut adda(n)tur:

1) In initio schematis expositio doctrinalis de libertate christiana (L-Gen. 5 [pagg. 3 et 4], 15; L-12, 30).

2) Ante numerum 1 aliquid de ratione tractationis, quae est vindicatio libertatis religiosae contra totalitarismum (L-1, 29).

3) Explicita affirmatio libertatem religiosam non adversari « Statui confessionali » seu religioni Status et concordatis (L-Gen. 23, 31, 40, 42, 48. Cf. etiam L-6, 28).

4) Explicita declaratio etiam eos qui Deum nondum cognoscunt et atheos habere ius ad libertatem (L-1, 27; L-4, 16, 23, 47, 79).

5) In fine numeri 1, verba Relationis pag. 37 « Exinde constat ... collective sumptis » (aliquibus verbis omissis), ut melius patefiat conceptus libertatis religiosae (L-1, 29).

6) Versus finem numeri 1: hominem non posse falsum et verum aeque aestimare, quin ad egestatem quamdam spiritualem, quae dignitati ipsius contradicit, se condemnet (L-1, 19).

7) Pag. 6, lin. 21: « Obligatione enim morali et religiosa libertas creata non minuitur, sed vere libera ab omni coactione constituitur » (L-3, 37).

[32] 8) Pag. 6, lin. 34, post « regimen iuridicum »: « populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur » (L-3, 41, 47. Cf. L-3, 5, 25, 32, 34).

9) In numero 5, pag. 9, aliquid de normis christianis vel saltem de normis iuris naturalis communiter admissis (L-5, 22).

10) In numero 7, pag. 11, lin. 13: « nec non in actuatione caritatis vel in formatione operibus socialibus aut culturalibus secundum eadem principia » (L-7, 27).

11) In numero 7, pag. 11, lin. 20, affirmatio ius Communitatum religiosarum bona acquirendi eisque utendi non esse illimitatum (L-7, 11).

12) In numero 7, pag. 11, lin. 23: « dummodo doctrinas aperte falsas ne doceant, vel mores manifeste pravos ne spargant, contra communem religiosum sensum civium » (L-7, 3, 33) vel « libere accedentibus » (L-7, 4, 6, 31, 33, 39) vel « non renuentibus » (L-7, 23).

13) In numero 8, pag. 12, affirmatio Statum violare ius patrumfamilias, si tantum scholas instituit, in quibus omnis religiosa educatio excludatur (L-8, 3).

[33] 14) In numero 8, pag. 12, affirmatio in iure familiae quoad educationem filiorum partem matris non esse inferiorem quam partem patris; quod magni momenti est in matrimoniis mixtis (L-8, 3).

15) In numero 8, pag. 12, affirmatio ad libertatem parentum tuendam in educandis filiis eis etiam adiumentum esse praebendum a publicis potestatibus (L-8, 6).

16) In numero 10, pag. 13, aliquid de iuribus minorennium erga parentes et tutores et horum erga minorennes, quae etiam ab Ecclesia nequeunt violari (L-3, 37 sub 3).

17) Ante numerum 11, pag. 13, ex Relatione pagg. 38-39 numerus 4 ut introductio historica, propter doctrinam et praxim Ecclesiae saeculo XIX (L-11, 1).

18) In numero 13, pag. 17, lin. 5: « Ipse modus diffundendi veritatis divinae spiritualis esse debet, utpote huic veritati plene cohaerens atque conformis » (L-13, 4).

19) In numero 14, pagg. 17-18, declaratio proselytismo et propagandae, quae fidem aliorum offendunt, debilitant, destruunt, non esse concedendam libertatem, sed iis coactionem esse imponendam (L-14, 3; L-Gen. 39 sub 4).

20) In fine conclusio pastoralis (L-Gen. 35; cf. etiam L-Gen. 5, 81 in fine).

VI. *Animadversiones, quibus clarificationes petuntur.* [33]

Plures Patres petunt, ut quoad sequentia textus clarior reddatur:

1) Quae in primo inciso numeri 1, pag. 3, exponuntur, clariore ordine indigent (L-1, 31).

2) Explicetur in numero 1, in quo consistat dignitas humana ut fundamentum libertatis religiosae (L-1, 39).

3) Cum in numero 1 affirmari videatur libertatem religiosam fundari in conscientia dignitatis personae, clarius efferatur eam fundari in ipsa dignitate personae (L-1, 10).

4) Tractatio historica numeri 2 ne restringatur ad saeculum XIX, sed extendatur ad saecula quoque praecedentia (L-Gen. 8, 49).

5) Numerus 3 funditus mutetur, cum non sit clarus et contineat contradictiones (L-3, 48).

6) In primo inciso numeri 3, pag. 6, melius distinguatur inter libertatem iuridicam externam (i. e. immunitatem a coercitione externa) et libertatem moralem (L-3, 46).

7) Proponitur alius ordo textus secundi incisi numeri 3, pag. 6, linn. 29-42 (L-3, 2, 41, 47).

8) In secundo inciso numeri 3, pag. 6, sollemnius dicatur Ecclesiam agnoscere libertatem religiosam etiam eorum hominum, qui non sunt filii eius (L-3, 12).

9) In secundo inciso numeri 3, pag. 6, linn. 32-33, declaretur, quale [34] regimen libertatis intelligatur (L-3, 24; L-Gen. 39; L-3, 46).

10) Incisum *a*) numeri 4, pag. 9, funditus mutetur, quia falsae interpretationi obnoxium (L-4, 5, 45, 49).

11) Proponuntur aliae formulae pro inciso *a*) numeri 4, pag. 9.

12) Proponitur alia formula pro inciso *d*) numeri 4, pag. 9, qua melius appareat, legem divinam non esse extrinsecam homini (L-4, 100).

13) Incisum *e*) numeri 4, pagg. 8-9, non deberet nimis restringere activitatem Status, cum hic adiuvare debet etiam scholas etc. (L-4, 112).

14) Clarius determinentur limites ordinis publici, cuius tutela auctoritati civili committitur, quia saepe nomine ordinis publici persecutiones fiunt (L-Gen. 54).

15) Proponitur novus textus pro numero 5, pag. 9 (L-5, 9).

16) In numero 5, pag. 9, linn. 12-15, distinguatur inter ius et eius exercitium externum: non ius, sed eius exercitium limitatur (L-5, 25).

17) In numero 5, pag. 9, efferatur auctoritatem civilem debere munire normis iuridicis exigentias ordinis moralis ac boni communis (L-5, 26).

[34] 18) In numero 5, explicite dicatur libertatem religiosam esse elementum essentiale boni communis et quidem magni momenti (L-5, 8).

19) In numero 5 exponatur conceptus ordinis publici secundum ius canonicum (L-5, 82).

20) In numero 6, pag. 10, haec veritas efferatur: Nedum religio civitati noceat, e contrario ei quam maxime inservit (L-6, 33).

21) In numero 7, pag. 11, lin. 8, loco « Deum » dicatur « Numen supremum aut numina superna », propter religiones non christianas (L-7, 15).

22) Pro quarto inciso numeri 7, pag. 11, linn. 21-28, proponitur alia formula (L-7, 15).

23) In numero 8, pag. 12, explicandum esset, quomodo affirmatio de iure parentum quoad educationem filiorum concilianda sit cum doctrina catholica, secundum quam liberi e matrimonio mixto nati in religione catholica educandi sunt (L-8, 1).

24) Ostendatur nexus inter doctrinam ex ratione in capitibus I, II, III et doctrinam ex revelatione in capite IV (pag. 12 ss.) expositam (L-10, 1).

25) In numero 11, pagg. 13-14, libertas actus fidei melius exponatur (L-11, 12, ubi indicationes).

26) Pro numero 11 redeatur ad textum priorem (L-Gen. 81).

27) In secundo inciso numeri 11, pag. 14, explicite dicatur indoli fidei opponi coercitionem etiam ex parte ipsius Ecclesiae (L-11, 4).

28) Textus numeri 12, saltem pro parte, denuo redigatur, ut melius correspondeat tum S. Scripturae tum themati Declarationis (L-12,
[35] 1, 2, 3, 4, 23, 25, 27, 29, 30, 31, 33, 35, 38, 39, 40, 41; L-Gen. 19, pag. 4; 79, pag. 22).

VII. *Animadversiones principiis Declarationis adversantes.*

Plures Patres contra schema quaedam obiciunt, quae cum principiis Declarationis componi nequeunt:

1) Doctrina schematis contradicere videtur magisterio Summorum Pontificum, praesertim saeculi XIX (L-Gen. 15, 27, 40).

2) Affirmandum esset, iuxta documenta Summorum Pontificum, personam inculpabiliter in errore remanentem habere solummodo ius improprie dictum ad tolerantiam (L-Gen. 25).

3) Schema non considerat principium iuridicum fundamentale, secundum quod sola veritas est fundamentum iuris (L-Gen. 22, 37).

4) Schema non considerat, quod in conscientia invincibiliter erronea non possunt fundari nisi iura putativa et existimata (L-Gen. 25, 77).

5) Schema illegitime in eodem ordine iuridico constituit veritatem et errorem, cultum verum et cultum falsum (L-Gen. 19, 29, 40, 46, 51). [35]

6) Notio iuris in schemate adhibita favet subiectivismo (L-Gen. 37).

7) Schema non sufficienter servat distinctionem inter ordinem subiectivum et ordinem obiectivum (L-Gen. 77).

8) Schema laborat positivismo iuridico, cum pro aequo habeat in ordine iuridico veritatem et errorem (L-Gen. 18, 79).

9) Schema favet passivitati pastorali (L-Gen. 35) et exstinguit spiritum missionarium (L-Gen. 39).

10) Schema falso limitat finem auctoritatis civilis ad meram curam rerum temporalium et ordinis publici, cum revera rectores civitatis adiuvare debeant, ut cives vivant secundum virtutem, in populo christiano secundum virtutem christianam ab Ecclesia edocendam (L-Gen. 15).

11) Schema contradicit doctrinae Ecclesiae de ideali regimine Status confessionalis et fovet separationem potestatis civilis a religione (L-Gen. 18, 76, 79; cf. L-Gen. 24).

12) Schema deberet distinguere inter ius ad veram libertatem et meram tolerantiam et defendere tolerantiam in societate religiose promiscua, necessariam propter exigentias boni communis (L-Gen. 9, 15, 24, 25, 29, 79).

13) Schema deberet affirmare, solam veritatem habere plenum ius diffusionis professionisque, in nationibus secundum sensum christianum ordinatis alias religiones tantum privatim exerceri debere, in aliis nationibus Ecclesiam agnoscere situationem de facto existentem, in qua aliae confessiones faventur (L-3, 21).

14) Falso in numero 3, pag. 6, linn. 40-41, affirmatur omnes communitates religiosas posse sibi vindicare libertatem religiosam, cum communitates falsae religionis tale ius non habeant (L-3, 14).

15) Omnia argumenta numeri 4, pagg. 7-9, sunt fallaciis plena (L-4, 52, 113). [36]

16) Argumentum incisi *a*) numeri 4, pag. 7, exaggerat nexum inter libertatem internam et externam; sapit subiectivismum et liberalismum; non distinguit inter veram et falsam religionem (L-4, 2, 3, 4, 5, 27, 43, 47, 65, 76, 81, 96, 101, 113, 114, 118).

17) Argumentum incisi *b*) numeri 4, pag. 7, facit saltum ab officio quaerendi veritatem ad ius propagandi qualescumque sententias; sapit Protestantismum; negat errorem nullum ius habere sese propagandi; non distinguit inter Statum paganum et catholicum; non considerat bonum commune mensurare communicationem idearum; aequiparat veritatem et errorem (L-4, 37, 89, 92, 97, 102, 103, 119).

18) Argumentum incisi *c*) numeri 4, pagg. 7-8, non considerat com-

[36] municationem idearum non esse illimitatam; falso supponit ius erroris ad sese propagandum; falso vetat interventionem legalem quoad cultum (L-4, 83, 103, 113).

19) Argumentum incisi *d*) numeri 4, pag. 8, insufficiens est, quia non agit nisi de libertate externa et iuridica (L-4, 79); ita loquitur, ac si quilibet homo habeat conscientiam certam et veram in re religiosa (L-4, 42); linn. 21-29 delendae, quia falso sensu intelligi possunt (L-4, 38).

20) Argumentum incisi *e*) numeri 4, pagg. 8-9, non considerat, ut deberet, eam tantum libertatem agnoscendam esse, quae est iustitiae consentanea (L-4, 18).

21) Argumentum incisi *e*) numeri 4, pagg. 8-9, imponit opinionem inacceptabilem de Statu (L-4, 50); competentiam Status nimis restringit et manifestat aversionem erga auctoritates civiles (L-4, 52).

22) In inciso *b*) numeri 5, pag. 9, adhiberi deberet conceptus traditionalis « boni communis », non vero conceptus « ordinis publici », qui est vagus et abusibus obnoxius (L-5, 3, 7, 13, 14, 17, 19, 22, 23, 24); dicta in linn. 29-38 non correspondent doctrinae traditionali (L-5, 26).

23) In primo inciso numeri 6, pag. 10, non consideratur, quod Status tueri debet tantum iustam civium libertatem, quod in populis catholicis aequalitas iuridica omnium religionum non est iusta et quod in populis unius religionis catholicae potestas publica prohibere tenetur publica vi propagationem ac publicum cultum Protestantismi (L-6, 32).

24) Numerus 7, pagg. 11-12, affirmat quae in populo unius religionis catholicae nequeunt admitti, quia essent contra bonum commune, quod publica potestas promovere tenetur (L-7, 37); quia omnibus Communitatibus religiosis eadem iura agnoscuntur atque Ecclesiae catholicae ac si error eadem iura habeat ac veritas (L-7, 13).

25) In numero 7, pag. 11, linn. 4-5, falso affirmatur religionem natura sua esse socialem (L-7, 35).

[37] 26) In numero 7, pag. 11, falso affirmatur numquam coercitionem esse permittendam ne haeresis propagetur (L-7, 10).

27) In numero 11, pag. 14, linn. 8-11, falso supponitur regimen libertatis religiosae valere etiam pro populo unius religionis catholicae, in quo revera esset perniciosum et bono communi oppositum (L-11, 17; cf. L-11, 11).

28) Numerus 14, pagg. 17-18, admitti nequit, quia proclamat relativismum doctrinalem, indifferentismum practicum, exstinctionem spiritus missionarii et inanitatem sacrificiorum ab Ecclesia pro Veritate factorum (L-14, 4; L-Gen. 37 in fine; L-Gen. 39, 4); quia in populis unius religionis catholicae pro conviventia pacifica non requiritur aequa-

litas inter omnes coetus religiosos, sed sufficit, ut non-catholicis concedatur libertas cultus privati et tutela iurium civilium omnibus communium (L-14, 10). [37]

29) Plures Patres schemati obiciunt, quod loquitur simpliciter de iure conscientiae et de iure ad libertatem, cum sermo fieri possit tantum de iure rectae vel verae conscientiae et de iure ad iustam libertatem.

VIII. *Principia in reemendatione textus observata.*

Omnes et singulae animadversiones Patrum a Secretariatu diligenter examinatae et ad mentem earum, quantum fieri potuit, textus reemendatus est.

In quo labore peragendo Secretariatus sequentia principia observavit:

1) Principia ipsa Declarationis, in « Textu emendato » iam exposita, retinenda sunt, cum hoc sine dubio correspondeat menti longe maioris partis Patrum Concilii.

2) Argumenta, ubi requiritur, melius et clarius exponenda sunt.

3) Ordo partium, ubi et in quantum claritas et structura logica id postulant, mutandus est.

4) Textus secundum eas tantum Animadversiones mutandus est, quae eum certe meliorem et clariorem reddunt. Considerandae autem et ponderandae sunt omnes emendationes, etiam propositae a Patribus, qui principiis Declarationis adversari videntur.

5) Ubi Animadversiones relate ad eundem textum contradictoria postulant, rationes prolatae bene ponderandae sunt et generatim standum est « textui emendato » schematis.

6) Partes textus, quae iuxta mentem plurium Patrum principia Declarationis defendentium non sunt necessariae et maiores difficultates provocant, omittendae sunt.

IX. *Praecipuae mutationes textus emendati iuxta proposita Patrum factae.*

In sequentibus indicantur, iuxta ordinem numerorum textus emendati, praecipuae tantum mutationes textus emendati a Secretariatu factae, non vero singulae emendationes. [38]

Numerus 1:

Cum descriptio status rerum hodierni pluribus Patribus minus placuerit, quae retinenda erant, partim tamquam Introductio schematis adhibentur, partim Capiti I i. e. Declarationi inserta sunt (in numero 1 et 2

[38] textus reemendati). Quaedam in fine Introductionis addita sunt, ut clarius appareat methodus Declarationis (ut infra in Parte altera huius Relationis explicabitur).

Numerus 2:

Cum multi Patres graves rationes contra expositionem historicam textus emendati obiecerint, totus textus huius numeri nunc omissus est. Quaestio difficilis et complexa evolutionis doctrinalis, quae brevi declaratione sufficienter exponi nequit, potius scientiae theologicae relinquenda est.

Numerus 3:

Iuxta vota plurium Patrum textus emendatus concinnior factus et melius dispositus est. Compositus praeterea est cum eis, quae ex numero 1 textus emendati retinenda erant.

Notandum est in textu reemendato (in fine novi numeri 2) secundum petitiones plurium Patrum explicite affirmari libertatem religiosam intactam relinquere doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi.

Numerus 4:

Argumentum ex ratione desumptum, quod in textu emendato (pagg. 7-9) in quinque partes [*a*), *b*), *c*), *d*), *e*)] divisum erat, nunc contractum, melius dispositum et unitum est, ut satisfiat desideriis plurium Patrum, qui maiorem claritatem et meliorem ordinem petierunt.

Ut clarius appareat, in quo sit punctum saliens argumentationis, in textu reemendato (in novo numero 3) proceditur iuxta distinctionem antea iam factam (in fine primi incisi novi numeri 2) inter duplex elementum libertatis religiosae: *primo* nempe ostenditur neminem esse *cogendum,* ut *contra* suam conscientiam agat; *secundo* ostenditur neminem esse *impediendum,* quominus *iuxta* suam conscientiam agat, intra debitos utique limites.

[39] *Numerus 5:*

Textus emendatus totus, exceptis quibusdam emendationibus minoribus a Patribus propositis, in numerum 4 textus reemendati assumptus est.

Numerus 6:

Totus textus emendatus, paucis ulterioribus emendationibus factis, in numerum 5 textus reemendati transiit.

Addita tamen est, iuxta petitiones plurium Patrum, affirmatio attentis circumstantiis historicis legitimam esse posse agnitionem specialem unius communitatis religiosae (ultimum incisum numeri 5 textus reemendati). [39]

Praeterea prima sententia numeri 9 textus emendati translata est, iuxta propositum aliquorum Patrum, in numerum 5 textus reemendati (in secundo inciso), cum hic in contextu congruo collocetur.

Numerus 7:

Textus emendatus totus assumptus est in numerum 6 textus reemendati, paucis emendationibus exceptis.

In fine addita est secunda propositio numeri 9, novo contextui adaptata, cum hic, ut aliqui Patres notarunt, in aptiori loco inveniatur.

Numerus 8:

Totus textus emendatus nunc invenitur in numero 7 textus reemendati.

Votis aliquorum Patrum desiderantium, ut aliquid dicatur de iure parentum erga liberos in re religiosa et de iure liberorum erga parentes, satisfieri, proh dolor, non potuit, quamvis certe quaestio in se sit magni momenti. Nam haec quaestio valde complexa est et gravia suscitat problemata, ita ut brevi expositione nequeat sufficienter absolvi; et cum ad thema Declarationis non stricte pertineat (nam respicit relationes intra ipsam familiam), sine detrimento Declarationis omitti potest.

Numerus 9:

Prima propositio textus emendati, ut supra iam notatum est, translata est in numerum 5 textus reemendati, secunda sententia in novum numerum 6. Numero 9 ergo textus emendati non correspondet proprius numerus textus reemendati.

Numeri 10, 11, 12:

Ordo textuum horum numerorum, sicut natura rerum postulare videtur, inversus est:

primo loco nunc invenitur textus numeri 12 schematis emendati, agens de exemplo Christi et Apostolorum (numerus 8 et 10 textus reemendati),

secundo loco textus numeri 11 schematis emendati, agens de [40]
libertate actus fidei (numerus 11 textus reemendati),

tertio loco textus numeri 10 schematis emendati, agens de libertate Ecclesiae (numerus 12 textus reemendati).

[40] Quoad argumentum ex modo agendi Christi et Apostolorum haec notentur: Cum in circumstantiis historicis Christi et Ecclesiae primaevae quaestio de libertate religiosa, prout hodie ponitur, nondum exsurgere potuerit (sicut ceteroquin multae aliae quaestiones, quae Ecclesiae posterioribus temporibus occurrerunt), in Novo Testamento quaeri nequeunt assertiones explicitae de quaestione hodierna circa libertatem religiosam. Considerari vero possunt et debent mens et modus agendi Apostolorum erga homines, quibus elucet Ecclesiam modo exemplo Christi et Apostolorum conformi agere, si in hodiernis rerum circumstantiis declarat et observat libertatem religiosam omnium hominum in sensu huius Declarationis, servando omnes veritates ipsi commissas. Cum plures Patres petierint, ut amplior argumentatio ex revelatione fiat, novus textus redactus est, quo ostenditur, quomodo libertas religiosa in historia salutis radicetur. Ex hoc conspectu historiae salutis, qui nunc in novo numero 9 invenitur, contextus elucet, in quo Declaratio de libertate religiosa collocanda est.

Numerus 13:

Textus emendatus, aliquo modo contractus, assumptus est in numerum 13 textus reemendati.

Numerus 14:

Textus emendatus transiit totus in numerum 14 schematis reemendati.

Additio tamen quaedam indolis pastoralis iuxta vota plurium Patrum facta est, quae circumstantias nostri temporis respicit.

PARS ALTERA [41]

DE METHODO ET DE PRINCIPIIS SCHEMATIS

I. *De notione libertatis de qua in schemate.*

Libertas religiosa est hodie terminus technicus, cuius sensus in schemate Declarationis exacte describitur. Schema autem etiam adhibet vocabulum « libertas » aliis sensibus, de quibus facile iuxta contextum sermonem iudicatur. Sunt hi sensus, qui sequuntur.

1) Physica: ipsum liberum arbitrium seu facultas sese determinandi in agendo.

2) Psychologica: conscientia de libero arbitrio, de capacitate agendi propria responsabilitate, et de propria consequenti dignitate.

3) Moralis: *a*) positive sumpta: facultas sese determinandi in lege morali implenda in tota eius amplitudine, proindeque etiam quoad ea quae spectant necessitudinem hominis ad Deum. Hoc sensu dicitur, quod quo magis homines legem moralem adimplent et seipsos moraliter perficiunt, eo magis liberi fiunt. *b*) Negative sumpta: facultas legem moralem libere reiciendi. Hoc sensu dicitur, quod quo magis homines legem moralem libere reiciunt vel violant, eo magis propriam genuinam libertatem minuunt, secundum illud: « Qui facit peccatum, servus est peccati » (*Io.* 8, 34). Haec libertas vocatur etiam libertas physica. Hoc sensu dicitur, quod homines, libero arbitrio praediti, legem moralem physice reicere possunt, moraliter tamen ipsam adimplere tenentur.

4) Evangelica: libertas qua homines veritate evangelica et Spiritus Sancti gratia a peccato et a daemone liberi fiunt, sancta societate cum Deo per Christum in Spiritu vivunt, donec tandem in gloria perfectam libertatem assequantur.

5) Ecclesiastica: libertas quae competit Ecclesiae, mandato Christi, in sua missione adimplenda.

6) Religiosa: immunitas a coercitione ex parte singulorum, coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, prout asseritur in ipsa Declaratione.

Libertas religiosa omnino distinguitur ab aliis libertatibus supra enumeratis; cum ipsis tamen intime connectitur. Primo quidem quia fundamentum habet in aliis libertatibus, quamvis diversimode:

1) In libertate physica. Nam si homo non esset libero arbitrio praeditus, de eius libertate religiosa, sicut de omnibus aliis libertatibus, nec sermo fieri posset.

[41] 2) In libertate psychologica. Speciatim quatenus haec libertas connotat hominis responsabilitatem in agendo ac proinde dignitatem per-
[42] sonae in ordine ontologico, prout intelligitur praesertim in nostra aetate.

3) In libertate morali. Ex officio hominis Deo cultum tribuendi ad suae conscientiae dictamen, in ipso quoad alios exsurgit ius prout est immunitas a coactione, et quidem duplici sensu, ut in schemate explicatur. Brevius, e libertate prout est officium versus Deum, exsurgit in homine libertas quoad alios prout est ius ad immunitatem a coactione.

4) In libertate evangelica. Primo per Christum Redemptorem homines elevantur ad filiorum Dei dignitatem, ita ut in eorum necessitudine ad Deum Patrem libertas vivatur praecipue ut dilectio, iuxta illud: « Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus » (*Eph.* 4, 15). Deinde iuxta praeceptum Domini ea quae sunt Deo reddenda clare distinguuntur ab iis quae Caesari debentur. Ex quibus factum est, ut ex historia patet, quod homines, christiani facti, magis ac magis sibi vindicaverunt libertatem prout est ius ad immunitatem a coercitione praesertim ex parte civilis potestatis.

5) In libertate ecclesiastica. Primo, decursu temporis in tota familia humana Ecclesia, propriam missionem adimplens, eo contulit ac confert, ut homines suam ipsorum genuinam dignitatem altius percipiant, prout sunt personae ordinatae ad finem supernaturalem, qui est ipse Deus in gloria aeterna plene possidendus. Deinde Ecclesia libertatem, quam ex mandato Christi habet, indesinenter sibi propugnans, eo pariter contulit ac confert, ne potestas civilis in suis muneribus exercendis propriae competentiae campum evadat. Quae omnia fundamentum inconcussum constituunt pro libertate religiosa, pro libertate scilicet quatenus est ius ad immunitatem a coercitione in re religiosa.

Praeterea libertas religiosa alio ex capite cum aliis libertatibus connectitur. Etenim sua ipsius natura ad hoc contendit ideoque ordinari debet, ut aliae libertates — praesertim libertas moralis, evangelica, ecclesiastica — expeditius ac plenius exerceri possint. Et revera, ubi libertas religiosa agnoscitur, excolitur et efficaciter protegitur, nedum obstacula ponantur, sed potius incitamenta habentur et adminicula offerentur, ut omnes homines officia quoad religionem iuxta suae ipsorum conscientiae dictamen adimplere valeant, et ut Ecclesia suam missionem libere expleat.

Conclusio est, quod libertas religiosa, dum ex una parte fundamentum habet in omnibus aliis libertatibus atque ab ipsis exigitur, ex alia

parte ad hoc ordinatur, ut libertas prout est officium et dilectio expe- [42]
ditius et plenius exerceatur.

II. *De methodo schematis.*

Exinde initium sumit schema, quod hodie libertas religiosa intelligitur esse conceptus technicus iuridicus.

Iam ante 1947 admittebatur in plus quam 50 publicis constitutio- [43]
nibus (cf. BRUNET R., *La protection internationale des droits de l'homme,* Génève 1947, p. 65); posthac autem in permultis constitutionibus noviter confectis locum habet (cf. fontes citatos in nn. 20-21 ad schema).

Secundum hunc conceptum igitur regulantur relationes cives inter et potestates publicas necnon inter ipsos cives. Longiori porro evolutione historica, politica, et morali perventum est ad hunc conceptum, qui nonnisi saeculo decimo octavo valere coepit. Quaestio igitur de libertate religiosa, cum ad ordinem civilem pertineat, distinguenda est ab aliis quaestionibus, quae sunt ordinis theologici. Quarum prima est de sensu atque scopo illius libertatis evangelicae, qua scilicet Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 5, 1); altera autem est de relationibus inter libertatem et auctoritatem intra ipsam Ecclesiam.

His suppositis, argumentum pro libertate religiosa primum haurit schema ex ratione. Ad hoc argumentum construendum appellat ad auctam hominis hodierni conscientiam dignitatis personae atque ad libertatis civilis postulationem, quae exinde profluit. Notandum vero est, argumentum non fundari in nudo facto huiusmodi crescentis conscientiae, neque in nudo facto postulationis libertatis civilis, acsi Ecclesia quasi cederet opinioni publicae vel positivismo cuidam iuridico indulgeret. Quod absit. E contra, fundatur argumentum in veritate de dignitate personae, quam conscientia hodierna manifestat, ac proinde in iustitia ipsa, qua postulatur libertas personae debita.

Posito hoc argumento ex ratione, quod in schemate reemendato structuram clariorem exhibet, ad considerationem libertatis religiosae sub luce revelationis pergit schema. Non eo utique confecta est haec altera pars schematis (nn. 8-12), ut demonstraretur aut exegetice aut theologice, ius hominis ad libertatem religiosam esse validum. Quod quidem ineptum esset atque impossibile. Sed eo tendit haec rei consideratio, ut exponatur atque ostendatur, quomodo conceptus hodiernus technicus et iuridicus radices habeat in verbo Dei scripto, et quomodo bene componatur et concordet cum veritatibus revelatis, quae ad rem spectant, cum doctrina nempe de libertate actus fidei et de libertate propria Ecclesiae. Sequitur denique pars schematis pastoralis.

At proposita est alia methodus. Primo loco, inquiunt, late expona-

[43] tur doctrina scripturistica et theologica de libertate hominis, deinde fiat transitus ad argumentum ex ratione pro libertate religiosa. Concilium enim Oecumenicum decet loqui ex thesauro doctrinae catholicae, et quidem sermone styloque conciliari, non arguendo sed veritatem proclamando, veritatem nimirum de hominis libertate, quae profundior in Sacra Scriptura omnino est.

Quibus tamen argumentis non potuit omni ex parte assentire Secretariatus ad Christianorum Unitatem Fovendam. Agitur enim in schemate quaestio particularis, quae non est de hominis libertate in genere, neque
[44] est cum aliis quaestionibus confundenda, quamvis sit cum illis quodammodo connexa (cf. supra, de notione libertatis). Huc maxime accedit, quod Synodus Vaticana II, cum mentem suam circa libertatem religiosam declarat, audiri vult atque exaudiri ab omnibus hominibus per orbem, et non tantum a Christifidelibus. Sunt autem, proh dolor, plurimi, qui optime intelligunt, quaestionem de libertate religiosa esse formaliter iuridicam et politicam necnon ethicam, quae solvenda est argumentis rationalibus, experientia saeculari confirmatis.

Constat tandem atque conceditur, doctrinam scripturisticam de hominis dignitate de eiusque libertate per gratiam donata profundiorem esse omnino quam illa, quae naturali rationi pervia est. Certo fidelibus est late latius exponendum, quomodo sint iuxta Apostolum in libertatem vocati. Ast inter doctrinam scripturisticam et conceptum modernum libertatis religiosae in societate humana magna percipitur veluti distantia. Libertas utique civilis a libertate evangelica quodammodo exigitur; de modo tamen quo exigatur, disputant periti. Unum vero constat, libertatem nempe religiosam non posse ex libertate evangelica quasi logice deduci, ac si illa huius esset consequentia iuridica. Nexus enim inter utramque libertatem magis, ut videtur, ope experientiae historicae percipitur quam mera argumentatione logica, sicuti in schemate innuitur, cum sermo fit de fermento evangelico inter homines de eiusque fructu per saecula.

III. *De ratione doctrinae in schemate.*

1) Nexum cum doctrina de societate. – Doctrina schematis locum suum organicum habet in generaliori doctrina de humana societate bene ordinanda, prout haec doctrina evoluta est a Summis Pontificibus nostrae aetatis, praesertim a Pio P. XII et a Ioanne P. XXIII. Quattuor principia suprema eiusmodi ordinationis sic enucleantur: « Ordo autem, qui in hominum consortione viget, totus incorporali est natura; siquidem in veritate idem nititur, secundum iustitiae praecepta ad effectum perducendus est, mutuo amore animari perficique poscit, postremo, li-

bertate integra, ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus » (Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963, *A.A.S.,* 55 [1963], p. 266). Secundum haec principia, quae ab ipso Deo, Prima Veritate, initium suum repetunt, ordinari debet hominum coniunctio, ut « recte constituta sit et frugifera, ad hominumque dignitatem apta » (*ibid.,* p. 267). [44]

2) Veritas primaria. – Societas humana tota nititur in veritate de persona humana de eiusque dignitate, tamquam in veritate fundamentali, unde provenit universa eius aspiratio ad iustitiam, ad caritatem, ad libertatem integram. Pio P. XII laudi est, quod hanc veritatem in loco eius fundamentali firmiter collocavit; eumque secutus est Ioannes P. XXIII: « Porro in quovis humano convictu, quem bene compositum et commodum esse velimus, illud principium pro fundamento ponendum est, omnem hominem personae induere proprietatem; hoc est, naturam esse, intellegentia et voluntatis libertate praeditam; atque adeo, ipsum per se iura et officia habere, a sua ipsius natura directo et una simul profluentia. Quae propterea, ut generalia et inviolabilia sunt, ita mancipari nullo modo possunt » (*ibid.,* p. 259). [45]

3) Notio dignitatis personae. – Humanae personae dignitas maxime exigit, « ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis » (*ibid.,* p. 265). Ad rem S. Thomas: « Tertio ostendit eorum dignitatem, in hoc scilicet quod huiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, in quantum scilicet funguntur officio legis ad seipsos, instruendo se et inducendo in bonum, quia, ut Philosophus dicit *Ethic.* (c. XI), *Lex est sermo coactionem habens ab aliqua prudentia et intellectu procedens.* Et ideo dicitur *1 Tim.* 1, 9 quod *iusto lex non est posita,* id est, exteriori lege non cogitur, sed posita est iniustis, qui indigent exterius cogi. Et iste est supremus gradus dignitatis in hominibus, ut non ab aliis sed a seipsis inducantur in bonum. Secundus vero gradus est eorum qui inducuntur ab alio sed sine coactione. Tertius autem est eorum, qui coactione indigent ad hoc quod fiant boni. Quartus est eorum qui nec coactione ad bonum dirigi possint: *Ier.* 2, 30: *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt* » (*Com. in Epist. ad Rom.,* c. 2, lect. 3).

Humanae personae dignitas ex veritatibus divinitus revelatis clarissime elucet, quippe quibus docemur, hominem esse ad Dei imaginem creatum, sanguine Christi redemptum, superna gratia filium Dei factum gloriaeque aeternae heredem, ita tamen ut ad bonum suum supremum, quod ipse Deus est, libere sese moveat, cum gratia divina cooperando. Essentialis autem dignitas personae etiam est veritas, quae humanae ra-

[45] tioni pervia est. Iam olim utique innotuit homini haec veritas. At nostro hoc tempore homines magis magisque conscii sunt facti huius veritatis, et, quod maius est, eius exigentias quoad coniunctionem socialem constituendam atque dirigendam plenius perceperunt. Ideoque postulant sibi libertates civiles, ut possint in societate vitam degere homine dignam. Hae autem animorum appetitiones ad libertatem ex veritate percepta profluunt, in ipsaque veritate de persona humana fundantur iura quae postulantur.

4) Notio societatis liberae. – Veritati de hominis dignitate correspondet conceptus societatis liberae. Ea quippe est societas, in qua libertas responsabilis concipitur ut id quod imprimis est homini debitum ex iustitia, idque simul quod est ab omnibus hominibus amandum tamquam bonum quod ad eorum bonum commune quam maxime pertinet.

[46] 5) Munus potestatis publicae. – Cum igitur commune bonum praecipue in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat, veritas postulat, ut « praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum » (*Pacem in terris,* p. 274).

6) Regula iuris. – In veritate de hominis dignitate pariter fundatur traditionalis regula iuris, secundum quam tanta est homini agnoscenda libertas quanta possibilis est, tanta vero restrictio libertatis est decernenda quanta est necessaria. Usus scilicet libertatis non est restringendus nisi detur ratio valida, proportionata, necessitans. Homo utique, peccati originalis sequelis obstrictus, saepius sua libertate abutitur, in errores incidit, et plura patrat mala. Ex altera parte, nullum exstat praeceptum morale absolutum, secundum quod omnia mala impediantur oportet, quoad eius fieri possit. Ne ipse Deus quidem cuivis auctoritati humanae tale dedit mandatum absolutum et universale (cf. PIUS XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 [1953], p. 799). E contra, praesumptio iuris stat pro libertate personae seu pro eius immunitate a coercitione impediente, quominus agat iuxta proprium suum consilium. Haec autem praesumptio non cedit nisi facto, necessitati scilicet restrictionis, quae tamen necessitas est in casu probanda. Aliis verbis, valet ius personae ad libertatem, nisi in casu probari possit, validis rationibus, ius aliorum cohibendi usum libertatis.

7) Libertas religiosa. – Omnia principia superius allata praesertim valent in iis omnibus, quae ad hominis animi bona spectant, qualia

sunt, e. g., veritatis inquisitio et propriae opinionis pervulgatio, cultus [46]
scientiarum atque artium, etc. Magis adhuc observanda sunt haec principia quoad ea, quae religionem spectant. Religio enim seu relatio atque officium hominis erga Deum est hominis bonum prae ceteris personale atque intimum. Res porro religiosa natura sua talis est, ut ab ea omne genus coercitionis pro principio sit alienum. Ergo quoad res religiosas servanda omnino est circa personam humanam quasi quaedam zona libertatis, curaque summa est adhibenda, ne absque evidenti necessitate circumscribantur religiosae libertatis fines. Nominatim, in ipsa veritate de personae humana dignitate atque in principiis veris circa societatem ordinandam, quae ex dignitate personae profluunt, fundatur ius hominis ad libertatem seu ad immunitatem a coercitione in re religiosa. Quae autem immunitas duplex est, quatenus scilicet nemo constringendus est ad agendum contra suam conscientiam, neque est impediendus, quominus iuxta conscientiam agat. Utraque est ius strictum. Prima autem immunitas est prorsus inviolabilis, altera vero in casu cessare potest,
si nimirum probetur necessitas restrictionis libertatis ex parte legitimae [47]
auctoritatis.

Necessitas autem restringendi libertatem in re religiosa non exsurgit, nisi quando actus ponitur, invocato titulo religionis, qui tamen de facto est crimen vel delictum contra ordinem publicum. Hoc vero accidit, quando actus iste vel laedit iura aliorum, vel communem moralitatem publicam violat, vel pacem publicam graviter perturbat. In his casibus comprobatur ius potestatis publicae cohibendi usum libertatis ad ordinem publicum servandum, et cessat immunitas personae, quae non iam modo suae dignitati consono agit.

8) Conclusio. – Ius hominis ad libertatem in re religiosa fundatur in veritate obiectiva de dignitate personae et in principiis, exinde derivatis et obiective veris, de societate ordinanda.

IV. *De difficultatibus motis circa schema.*

1) Quoad methodum. – Proponitur quandoque alia methodus, ut scilicet quaestio de libertate religiosa initium sumat a doctrina de conscientia, distinguendo inter conscientiam veram et erroneam. Quae tamen methodus non videtur convenire statui quaestionis hodierno. Etenim non agitur quaestio, utrum homo habeat ex conscientia vera ius agendi, quod ex conscientia erronea non haberet. Quaestio enim est de iure hominis eo sensu, quod ius asserit immunitatem a coercitione. Exactius loquendo, quaestio est, utrum et sub quibusnam conditionibus detur ius ex parte aliorum, ac nominatim ex parte potestatis publicae, ad hominem impediendum, quominus publice iuxta conscientiam agat. Iamvero

[47] ex eo quod conscientia agentis est erronea non sequitur, dari in aliis ius impediendi eius actionem. Huc accedit, quod nulla datur competentia apud auctoritatem humanam iudicandi, utrum cuiusvis hominis conscientia sit vera aut erronea, recte formata aut male, « quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet » (*Pacem in terris, ibid.,* p. 270).

2) Quoad argumenta. – In hodierna quaestione frustra adducitur principium quod sonat, iura non aequaliter fundari in veritate atque in errore. Quod quidem verum est, si intelligitur, in errore non fundari ius sed in veritate sola. Rursus tamen considerandum est, agi hodie quaestionem de iure, ut est immunitas a coercitione. Iamvero eiusmodi immunitate gaudet homo conscientiae verae; ea autem gaudet etiam homo conscientiae erroneae, donec probetur, penes alium ac nominatim penes potestatem publicam dari in casu ius impediendi hunc illumve actum externum religionis.

Frustra quoque in hodierna quaestione adducitur aliud principium, potestati scilicet publicae non licere aequo iure habere verum et falsum. Quod quidem principium verum est; non tamen est ei locus in
[48] quaestione, quae coram est. Nullatenus enim agitur de iudicio ferendo a statu circa verum ac falsum in re religiosa. Agitur tantummodo de servanda immunitate personae in agendo publice iuxta conscientiam, nisi forte eius actio sit delictum contra ordinem publicum.

Huc pertinet, quod in schemate Declarationis nullatenus asseritur, hominem verae conscientiae et hominem conscientiae erroneae esse in pari vel simili conditione aut morali aut spirituali. Quod absonum est. Agitur vero tantummodo de eorum conditione iuridica in societate humana, in qua iisdem aequalibus iuribus civilibus gaudere debent, cum constet, « omnes homines esse naturae dignitate inter se aequales » (*Pacem in terris, ibid.,* p. 268).

Item notare iuvat, quod schema Declarationis non affirmat, dari ius ad errores religiosos in societate spargendos. Etenim tum in se tum maxime in statu quaestionis praesenti eiusmodi affirmatio omni caret sensu. Quaestio enim exactius ponitur, utrum et quonam iure possit potestas publica hominem coercitive cohibere, qui sententias suas religiosas publice testatur. Quaestione sic posita, redit principium, ad potestatem publicam non pertinere de veritate vel falsitate religiosa iudicare, ei vero pertinere officium omittendi actionem coercitivam, nisi in casu probari possit crimen publicum.

3) Quoad regulam iuris. – Adducitur quandoque sententia secundum quam intolerantia civilis (seu coercitio, qua impediantur homines, quominus iuxta conscientiam publice agant), exercenda est, ubicumque

haec concessio sit necessaria. Quae quidem sententia videtur supposito [48] niti non probando. Supponitur enim dari principium morale absolutum, secundum quod error in rebus fidei et morum semper est reprimendus, quando eius repressio est possibilis, et non tolerandus, nisi quando tolerantia est necessaria. Quod vix, ut videtur, componi potest cum doctrina Pii P. XII supra citata (*Ci riesce*). Pariter cum traditionali sensu regulae iuris vix componitur sententia, secundum quam tanta in re religiosa adhibenda est coactio, quanta possibilis est, tanta vero admittenda libertas, quanta est necessaria.

4) Quoad tolerantiam a Statu exhibendam. – Tolerari non dicuntur nisi mala, quae a competenti auctoritate indicantur esse mala. Iamvero ipsum regimen libertatis religiosae in societate nullatenus dici potest malum, cum in ipsa dignitate personae fundamentum habeat, atque elementum essentiale boni communis societatis constituit, ut dictum est. Ergo nequit fieri sermo de hoc regimine « tolerando », sive a societate sive a statu sive a singulis civibus.

Utique error in re religiosa est in se quid mali, quod ipse Deus nonnisi tolerat, quodque proinde ab hominibus nonnisi tolerari debet. Hoc autem sensu tolerantia est conceptus moralis, denotans animi habitudinem, veritate simul et prudentia informatam, erga id quod cognoscitur esse quid mali, quod vero ob rationes validas oportet permittatur. Attamen non exinde licet tolerantiam erroris religiosi transferre in [49] conceptum iuridicum, secundum quem ipse status agere tenetur. Status enim non est auctoritas competens, quae possit iudicia ferre de veritate vel falsitate in re religiosa. Ergo nequit esse sermo de errore religioso « tolerando » a statu.

Quandoque allegatur, errores religiosos, praesertim si publice in natione unitatis catholicae pervulgentur, bono communi nocere. Hoc tamen dato, non exinde sequitur, errores istos vel cultus quodammodo in errore fundatos esse a potestate publica coercitive impediendos. Etenim ex una parte ad officium status non pertinet, vi legis vel alia actione coercitiva extirpare omne id quod quovis modo contrarietur bono communi. Ex altera vero parte omnino pertinet ad officium status, iura seu immunitates personae in re religiosa tueri, nisi quidem in casu cessent, ordine publico violato.

Ceterum ad solam Ecclesiam pertinet, potentem esse exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere (cf. *Tit.* 1, 9), ut non decipiantur homines per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi (cf. *Col.* 2, 8).

5) Quoad diversitatem circumstantiarum. – Non una quidem vel univoca est aut esse debet relatio inter Ecclesiam et societates omnes

[49] earumque debite constitutas potestates publicas. De hac enim relatione iudicandum est iuxta circumstantias historicas vel sociologicas, sicut in schemate Declarationis innuitur. Attamen nefas est asserere, non easdem esse exigentias dignitatis personae humanae, aut non eadem esse iura hominis, in statu sic dicto confessionali ac in societate sic dicta pluralistica.

6) Quoad fundamentum iuris. – Verum omnino est, ius non posse fundari in errore, cum in veritate fundetur oporteat. Iura autem personae, ut supra dictum est, fundantur in illa veritate obiectiva, quae est personae dignitas, et in veritatibus obiectivis, quae sunt principia ab illa dignitate profluentia, secundum quae societas est ordinanda. Ultimatim autem fundantur haec iura in ordine morali obiectivo, complete sumpto (cf. S. THOMAS, *Contra Gentes,* III, 129), ad quem dignitas personae pertinet tamquam elementum eius essentiale.

V. *De subiecto iuris de eiusque natura.*

Non raro sermo fit de « iuribus veritatis », de « iure ad veritatem », de « iure ad errorem ». Claritatis igitur causa, iuvabit doctrinam communem de subiecto iuris de eiusque natura breviter exponere.

Subiectum iuris sunt tantum personae physicae vel morales. Ideoque ius connotat immediate et formaliter relationem intersubiectivam, relationem scilicet quae intercedit inter personam et personam. Etenim in omni relatione iuridica habentur semper duae personae seu duo sub-
[50] iecta; est subiectum activum in quo inest ius, et subiectum passivum quod obiectum iuris praestare tenetur, sive agendo sive actionem omittendo. Sensu ergo stricto non datur ius ad veritatem; nam relatio inter personam et veritatem est vel logica vel moralis, non autem iuridica. Dari potest et revera datur ius, ne quis ab aliis impediatur quominus veritatem dicat. Sed in hoc casu obiectum iuris non est manifestatio veritatis; est vero id quod subiectum iuris passivum praestare tenetur, et hoc est immunitas a coercitione seu omissio actionis, quae impediret, quominus veritas dicatur a subiecto iuris activo.

Utique aliquando potest dari ius, ut aliquis veritatem dicat vel doceat, cum agitur, verbi gratia, de testibus in causis vel de praeceptoribus in scholis. Sed etiam his in casibus relatio iuridica non intercurrit inter personam et veritatem; intercurrit vero inter personam (subiectum iuris activum), in qua inhaeret ius ut veritas dicatur vel doceatur, et personam (subiectum iuris passivum), quae correlativum officium habet veritatem dicendi vel docendi. Et si veritas non dicitur vel non docetur, non laeditur ius veritatis non manifestatae; laeditur

vero ius personae, cui veritas erat manifestanda. Ipsa veritas quidem [50] etiam offenditur; hoc tamen est deordinatio moralis, non vero laesio iuris.

Nimis tandem evidens est, non dari ius ad errorem nec posse dari; hoc enim omni sensu caret. Potest tamen dari ius et revera datur, ne quis mediis coercitivis ab aliis impediatur, quominus id quod est erroneum in actum deducat vel etiam aliis communicet. Et hoc quidem sensu sumitur ius in schemate.

VI. *De indole Status.*

Non est timendum, ne schema Declarationis statui « a-religioso » aut « indifferenti » favere videatur.

Etenim schema nititur in doctrina traditionali de distinctione inter duplicem ordinem vitae humanae, sacrum scilicet et profanum, civilem et religiosum. Quam quidem doctrinam modernis temporibus magnifice elaboravit atque auxit Leo P. XIII, clarius nempe quam antea umquam docendo, duas dari societates, duos quoque ordines iuris, duas denique potestates, divinitus constitutas utrasque sed diverso modo, lege scilicet naturali et lege Christi positiva. Sicut ratio libertatis religiosae in hac distinctione ordinum nititur, ita quoque quoddam medium est ad eam sancte servandam contra confusiones, quas quidem non raro peperit historia. Insuper nititur schema in alia distinctione, quam praecipue extulerunt Pius P. XII et Ioannes P. XXIII, id est, inter societatem et statum, de quibus igitur est ex ordine dicendum.

Primo, tantum abest ut ratio libertatis religiosae noceat religioni in societate, ut ei potius non parum faveat. Quod patebit diligenter legenti ipsum schema, nn. 5-7 (ubi constat, quam abunde provisum sit, [51] ut religio in societate protegatur atque provehatur), et etiam nn. 11-12 (ubi constat, quam efficaciter possit Ecclesia missionem suam adimplere eiusque fideles vitam suam christianam agere). Quibus accedit, quod ipsa societas libera est, ut possit actus cultus publici habere, quibus societas qua talis dependentiam suam a Deo agnoscat Eumque debito honore prosequatur, iuxta officium quod societati qua tali incumbit.

Secundo, ratio libertatis religiosae nullatenus secumfert, quod status sit vel esse debeat a-religiosus aut erga religionem indifferens. Quod rursus patebit legenti schema (in iisdem fere locis). Constat enim ipsum principium, quamdam scilicet curam religionis ad statum pertinere ex officio. Hoc est, status tenetur eo modo religioni favere, qui ipsi proprius est, eoque etiam modo quo maxime potest secundum indolem suam terrestrem ac temporalem. Ubi enim status auctoritate sua ra-

[51] tionem libertatis religiosae agnoscit et curat, cives omnes liberi sunt in veritate religiosa quaerenda, amplectenda, testanda, vivenda. Quod quidem est munus non despiciendum personis humanis in societate a statu praestitum. Huc accedit, quod in libertate religiosa tuenda status etiam agnoscit, ipsam religionem esse valorem summum socialem, qui, si a civibus colitur, utilitates non parvas parit tum societati tum etiam ipsi statui, quod quidem in schemate explicite asseritur (n. 5). Vix tandem obiici potest, per tuitionem libertatis religiosae statum sese exhibere indifferentem erga varias religiones, sive vera sit religio sive falsa. Ita enim status tuetur, non indifferentismum religiosum, sed dignitatem personae humanae eiusque iura. Denique schema ipsum declarat, rationem libertatis religiosae non officere confessionalismo status, qui dicitur.

VII. *De conceptu ordinis publici.*

Agnoscitur conceptus in iure canonico: « Peregrini non adstringuntur legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt... » (can. 14, § 1, n. 2). Res exponitur a Vermeersch: « Verba: *ordo publicus* satis parum definita sunt ex voluntate legislatoris, atque usibus receptis interpretationem recipiunt. Satis concordes sunt scriptores leges illas ordini publico consulere quae bonum publicum seu commune non pro fine tantum (sicut omnis lex) sed pro obiecto immediate habent. Quae nisi ab omnibus in territorio commorantibus observantur, ipsa communitas detrimentum patietur. Tales non sunt leges quae sanctificationem fidelium promovere intendunt. Dici fortasse posset ordini publico consuli per eas leges quae ad damnum avertendum potius quam ad bonum commune promovendum latae sunt. Peregrini enim communi alieni territorii bono cooperari per se non debent, cum ad communitatem particularem non pertineant; damnosi tamen esse ve-
[52] tantur » (VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici,* II, ed. 8 [1963], n. 110; de tota re cf. HACKETT, JOHN HENRY, *The Concept of Public Order,* Washington, D. C.: The Catholic University of America Press, 1959).

Distinctio igitur inter bonum commune et ordinem publicum cohaeret cum modo nota distinctione inter societatem et statum. Aliud enim est bene esse societatis, quod societas universa tenetur conservare, aliud vero est ipsum esse societatis, quod status tenetur assicurare. Iamvero ad bene esse societatis pertinent omnia cuiusvis generis bona, quae personae humanae his in terris perfectionem respiciunt. Ast ad ipsum esse societatis pertinent bonum politicum, quod est pax publi-

ca, bonum morale, quod est publica moralitas, et bonum iustitiae, quod [52] est secura possessio atque exercitium iurium humanorum atque civilium.

Aliud igitur est id, quod societati utile foret; aliud vero id, quod societati necessarium est. Itemque aliud est id, quod ordini publico opponitur, quod quidem est reprimendum; aliud vero id, quod bono communi opponitur, quod tamen non necessario reprimendum est, cum per se valeat principium libertatis, quae ipsa regula iuris sancitur. Quae cum ita sint, videre est, cur exigentiae ordinis publici restrictionem libertatis iustificent in casu, simulque cur utilitates boni communis eiusmodi restrictionem non iustificarent. Illae enim speciali modo urgent, haec autem non. Sicuti innuit Vermeersch, restrictio libertati legitima esse potest ad damna avertenda, nullatenus tamen ad bonum commune promovendum. Ad ipsum enim bonum commune pertinet libertas civilis quam maxima, cum ad vitae progressus ad perfectionemque personae humanae assequendam nata sit.

Tandem aliquando verum non est, schema propugnare obsoletum conceptum status sic dicti liberalistici (l'état gendarme). Abstrahentium enim non est mendacium, iuxta tritum axioma. Atqui abstrahere debuit schema a plurimis quaestionibus generalioribus circa interventionem status in vita sociali, qualis et quanta esse possit atque debeat. Breviter tamen tangit schema principium de subsidiis positivis, quae status suppeditare possit ad religionis in societate expeditius exercitium. Ceteroquin haec quaestio est valde complexa, de qua iuxta diversas traditiones politicas atque iuxta varias circumstantias sociologicas est iudicandum, non tamen a priori.

[3]

3 – EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

RELATIO SUPER SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA *

Venerabiles Patres,

Secretariatus Concilii ante diem 28 februarii 1965 non minus quam 218 accepit documenta scripta in quibus Patres Conciliares animadversiones suas exposuerunt et emendationes suas proposuerunt super textum Declarationis ipsis traditum in fine praecedentis sessionis.

Haec documenta a membris et consultoribus Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam accurate examinata sunt. Nonnullae interventiones ipsi doctrinae textus opponuntur; longe autem maior pars animadversionum doctrinae substantiam admittit sed sive alium modum exponendi vel distribuendi materiam sive maiorem claritatem vel mutationem in determinatis punctis particularibus postulat.

Conspectus harum interventionum in prima parte relationis typis impressae invenitur a pagina 27 ad paginam 40. Ibi etiam ...[1] describuntur principia in re-emendatione textus observata et praecipuae mutationes introductae.

Hae interventiones magno auxilio fuerunt Secretariatui in revisione textus. Qua de causa sincere gratias agimus Patribus Conciliaribus qui hoc dialogo valde utili efficaciter nobiscum collaboraverunt ad praeparandum textum reemendatum quem hodie vestro examini submittimus.

Nonnulli Patres, pastoralibus moti rationibus, proposuerunt ut in initio Declarationis daretur generalis expositio doctrinae catholicae de libertate in Ecclesia. Sane, nostris diebus multae agitantur quaestiones de variis aspectibus libertatis quae populo Dei eiusque membris a Christo tribuitur quaeque in Ecclesia vigere debet. Theologica tractatio sine dubio multum conferret ut obiectum nostrae Declarationis, remoto omni confusionis et ambiguitatis periculo, clarius perspiceretur. Profecto, ita melius via praecluderetur indebitae interpretationi nostrae Declarationis. Secretariatus ...[2] non fuit insensibilis his venerabilium Patrum votis. Omnibus tamen consideratis, iudicavimus hanc viam inire nobis non licere. Ratio est quod Secretariatus noster non accepit munus proponendi huic Sacrae Synodo schema in quo doctrina catholica de libertate in universum evolvitur.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali CXXVIII, die 15 septembris 1965.

1. *Status quaestionis* [4]

Ex multis quaestionibus quae circa libertatem in re religiosa oriuntur unum tantum problema explicite tangitur in Declaratione nostra. Agimus nempe de obiecto et de fundamento iuris humani et civilis ad libertatem in re religiosa prout in societate hodierna vindicatur. Obiectum est illud bonum personae humanae quod ei ex iustitia debetur, ut scilicet sit immunis a coercitione in re religiosa. Fundamentum autem est illa veritas de dignitate personae humanae, in qua nititur totus ordo socialis.

In societate evoluta huius temporis homines magis magisque autumant sibi ex iustitia debitam esse personalem independentiam seu libertatem responsabilem. Quo latius extenditur eorum cultura, quo profundius progreditur eorum formatio intellectualis, eo vehementius homines volunt ipsi vitam suam ordinare secundum suas personales persuasiones. Libertatem considerant tanquam bonum ab omnibus amandum. Libertas habetur ut pars boni communis ideoque positivo modo in societate prosequenda. Homo modernus acutius quam antea vult ut observetur traditionalis regula iuris: usus libertatis non est restringendus nisi detur ratio valida, proportionata, necessitans. Iuxta mentem seu « mentalitatem » huius temporis personae humanae ex iustitia debetur ut sit, si ita loqui fas est, circumdata aliqua zona libertatis.

Inter bona in hac zona libertatis praesertim observanda et defendenda habentur bona animi, qualia sunt v. g. veritatis inquisitio et propriae opinionis pervulgatio, methodus et cultus scientiarum atque artium. Sed supremus locus in hac zona libertatis tribuitur materiae religiosae. Homo modernus iudicat suae humanae dignitati oppositum esse quod in hac materia cuivis coercitioni humanae subiceretur. Limitatio eius libertatis sive ex parte alius hominis, sive ex parte coetuum socialium, sive ex parte ipsius potestatis civilis hominibus nostri temporis apparet ut prorsus reiicienda. Hanc suae libertatis restrictionem non admittunt nisi propter graves exigentias ordinis publici. Haec immunitas habetur ut ius personae debitum (cf. pp. 44-46).

Homines moderni aestimant hanc immunitatem a coercitione sociali hominis dignitate exigi, immo volunt ipsam in societate bene ordinata lege civili stabiliri et sanciri. Ita ante annum 1947 libertas religiosa iam agnita erat in plus quam 50 publicis statuum constitutionibus, et hodie hoc statutum invenitur in plus quam centum constitutionibus.

Ex his apparet quod libertas religiosa est in vita sociali et in legislatione civili huius aetatis notio stricte definita vel, ut dicitur, ...[3] technica.

[5] Per ipsam enuntiatur obiectum exigentiae universalis, immo saepe statutum iuridicum, iuxta quod homini competit ius ad immunitatem *a coactione*[4] in re religiosa.

Nonnisi de hac libertate in materia religiosa explicite tractat schema nostrum. Materia igitur est bene determinata et valde limitata.

In quaestione sic circumscripta non examinamus, vel indirecte tantummodo dicimus, v. g. quaenam sint hominis officia erga Deum, neque quaenam sit missio et summa iurium Ecclesiae Catholicae, neque quaenam sint omnia officia potestatum publicarum, neque agitatur quaestio moralis de officio tolerantiae quo unusquisque tenetur erga errantem circa fidem. De his omnibus nihil praeiudicatum est. Quaestio nostra est omnino restricta: competit-ne personae vel coetui humano, vel potestati publicae ius cogendi aliquem hominem vel coetum hominum in re religiosa?

2. *Doctrina proposita*

1) Quaestione sic posita, Declaratio nostra primum exponit argumenta ex ratione desumpta et postea sub luce revelationis materiam illustrat.

Secundum multos Patres prius exponenda esset doctrina scripturistica et theologica de libertate. Secretariatus ...[5] aestimat quidem rationes horum Patrum, sed, re maturius perpensa, ordinem non esse mutandum censuit. Rationes inveniuntur paginis 43-44. Sequentia notentur: *a*) Ut supra expositum est, in materia nostra agitur tantum de notione hodierna libertatis religiosae. Cum multis *peritis*[6] in S. Scriptura iterum atque iterum omnia loca examinavimus; si accurate res inspicitur, concludi debet in Sacris Litteris nullibi directe affirmari hominem ius habere ad immunitatem a coactione in humana conviventia. Religiosa libertas moderna non potest considerari ut iuridica consequentia libertatis evangelicae. Dicendum tamen est nullam inter ambas dari oppositionem, quinimmo libertatem evangelicam adducere ad libertatem modernam aestimandam et colendam. *b*) Sermo noster non ad solos christianos dirigitur. In Declaratione tantopere a mundo exspectata praestat expositionem incipere argumentis quae etiam a non credentibus intelligi possunt.

2) Obiectiones contra doctrinam ipsam vel contra argumenta adhibita attentissime a nobis ponderatae sunt. Re penitus inspecta, putamus non dari veram oppositionem inter ea quae a nobis de hac libertate iuridica hodierna dicuntur et ea quae nobis opponuntur quoad doctrinam de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Hac de causa textum nostrum

amplissima relatione illustravimus. Spem nutrimus fore ut praesertim [6]
ea quae in libello vobis tradito inde a pagina 41 habentur, multum conferre possint ad obiectiones et dubia dissipanda.

Cum res sit maximi momenti, cum venia vestra simul legamus praecipua puncta eorum quae ibi inveniuntur inde a pagina 47 ...[7]

In oratione: [1] postea. [2] noster. [3] notio [4] coercitione [5] noster. [6] peritissimis [7] Velitis igitur inspicere libellum vobis traditum, in pag. 47 ubi sermo est « de difficultatibus motis circa schema ». [*cf. pag. 187-190*]. Et haec sufficiant. Venerabiles Patres, agnitio et iustificatio libertatis religiosae in schemate nostro descriptae ab universa familia humana exspectatur. Votatio circa textum propositum his diebus fiet. Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam unamquamque enuntiationem, unumquodque verbum huius schematis adamussim iterum atque iterum ponderavit. De emendationibus nonnunquam inter se valde oppositas accuratim rationem habuit. In punctis ubi plena non vigebat concordia, media via prudenter incedere conatus est. Speramus fore ut haec Sacra Synodus, votatione sua, textum nostrum ut basim seu substantiam definitivae Declarationis admittere dignabitur. Dixi.

Moderator: Gratias exc.mo relatori et omnibus collaboratoribus in commissione.

4 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

Cum praesertim in hodiernis adiunctis maxima cura adhiberi debet de dignitate personae humanae a Deo creatae et redemptae necnon de iuribus et officiis talis personae, schema declarationis *de libertate religiosa* secundum placita Patrum Concilii nuperrime elaboratum omnino pergratum est.

Tandem aliquando, non solum acatholici sed etiam aliqui catholici ideam partialem vel erroneam sibi efformant de mente Ecclesiae circa personam humanam eiusque ius ad libertatem religiosam. Quam ob rem, opportunius videtur ut vindicatio ab Ecclesia huius libertatis clare elaboretur et quasi systematice redigatur. Perpulchra dicta sunt de dignitate personae humanae et de exclusione omnis externae coercitionis in materiis religiosis. Similiter, optime notatur quod ius ad libertatem religiosam externe exercendam semper et ubique valet et agnosci debet.

Praecipua praestantia huius schematis est quod fundamentum eius doctrinae ponitur in dignitate personae humanae. Caute vitantur verba et dicta quorum significatio est ambigua. Illud dictum: « libertas conscientiae », e. g., ab aliquibus ita intellegi potest ut libertas humana nullis omnino normis moderantibus obnoxia sit. Optime in hoc schemate concinne affirmatur concordia verae libertatis cum obligatione uniuscuiusque sibi recte formandi propriam conscientiam.

Utilissime declaratio decernit de catholicorum cooperatione cum eis qui non sunt catholici et de relationibus inter Ecclesiam et societatem civilem. Simili fere modo ac antea dixi, multi hodierni omnino ignorant quod Ecclesia catholica approbat societates civiles modernas quando, in ordinanda vita civili, libertatem religiosam et aequalitatem politicam asseclis cuiusvis religionis tribuendam esse statuunt. Etiam secundum mentem Ecclesiae nefas est potestati publicae imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Ecclesia desiderat Statum esse impartialem et benevolum erga omnes in rebus religiosis.

Omnia, quae hac in declaratione proposita sunt, verissima sunt et vero oecumenismo valde favent necnon christifideles eorumque pastores

apud homines disparis cultus et diversae religionis degentes vere iuvabunt. Timeo ne aliqua mutatio huius declarationis sit pro multis causa dubitationis, de sinceritate Ecclesiae quando loquitur de libertate religiosa. Declaratio uti nunc elaborata stare debet. Dixi.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Schema *de libertate religiosa* in genere placet, quia spirat spiritum Domini qui voluit Evangelium praedicare nulla adhibita vi et etiam vult praedicari Evangelium eodem modo. Et quia Dominus enarravit discipulis suis parabolam de zizaniis et bono semine, in qua Dominus messis dicit: « Sinite utraque crescere usque ad messem », et ipse sibi vindicat iudicium.

In prima parte huius schematis, quo aliud est meliorandum litterarium genus Declarationis clarius exprimendum, alia sunt abbrevianda, alia veritati historicae adaequanda. Prima quidem parte huius schematis continetur declaratio ipsa de libertate religiosa iuridice sumpta in respectu ad potestates exteriores. Sed augenda, mihi videtur, haec declaratio iis — breviter et iuxta essentiam — iis quae habentur in parte secunda, nn. 4-7, quia quae hic dicuntur non sunt argumenta sed sunt revera declarationes respicientes limites et curam libertatis religiosae, libertatem communitatum religiosarum et familiarum. Ipsi sunt novum in art. 5 in quo agitur de privilegianda aliqua communitate religiosa, servata libertate omnium aliorum, satis periculosum mihi videtur et melius opprimendum.

In secunda parte, iuxta propositum meum, remanet tantum numerus tertius, sed et hic mihi videtur opprimendus, nam non est Concilii sed theologorum et philosophorum ex ratione afferre argumenta. Pro Concilio sufficit declarationem dare. Insuper non omnia quae hic dicuntur concordant cum historia religionum, quia revelatio divina demum et fides catholica illam transcendentiam religionis supra Statum in clara luce posuerunt. Ergo secunda pars decideret, secundum meum humilem propositum.

In tertia parte, quae inscribitur « Doctrina de Libertate in luce Revelationis », articulus nonus mihi videtur tollendus. Quia hic confunduntur variae notiones libertatis religiosae. Alia est enim libertas arbitrii, scilicet eligendi bonum vel malum, datum homini a Creatore; alia est

libertas perfecta filiorum Dei, qua Christus nos liberavit a peccato et per Spiritum Sanctum nobis dat virtutem superandi tentationes ad peccatum; et alia est religiosa libertas iuridica, de qua hic loquimur. Insuper, quae dicuntur hic de praxi et doctrina Ecclesiae male consonant cum factis historicis. Ex hoc numero nono maneat tantum verbum Domini: « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo », quia hoc verbum revera est ad rem.

In parte quarta, multa abbreviari possunt quia est pars pastoralis.

Cetera tradam secretario generali.

Textus scripto traditus:

Schema in genere placet, quia spirat spiritum Domini, qui nulla adhibita vi evangelium praedicare et evangelium praedicari voluit discipulisque suis parabolam de zizaniis et bono semine (*Mt.* 13, 24-30) enarravit, in qua dominus dicit « sinite utraque crescere usque ad messem », et iudicium sibi soli vindicat.

Sed Schema melius est ordinandum, genus litterarium *declarationis* conciliaris clarius efformandum, alia sunt abbrevianda et alia veritati historicae adaequanda.

1. Pars I huius schematis continet ipsam declarationem Concilii de libertate religiosa iuridice sumpta in respectu ad potestates exteriores. Sed haec declaratio augenda videtur iis, quoad essentiam et breviter, quae in parte II, nn. 4-7, continentur, quia revera non sunt argumenta sed declarationes, respicientes limites et curam libertatis religiosae, libertatem communitatum religiosarum et familiarum.

2. In parte II, quae inscribitur « doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta », delendus est n. 3, quia non est Concilii sed theologorum vel philosophorum rationes ex iure naturae afferre. Insuper non omnia hic dicta concordant cum factis historiae religionum, quia revelatio divina et fides christiana demum transcendentiam religionis supra Statum in clara luce posuerunt. Ergo tota pars II schematis decidit.

3. In parte III, quae exhibet doctrinam libertatis religiosae sub luce revelationis, tollatur n. 9 duabus ex rationibus:

a) Notiones diversae libertatis hic confunduntur. Alia est libertas arbitrii a Creatore homini data, alia est libertas perfecta filiorum Dei, quae a Christo datur, qui nos a servitute peccati liberat, alia denique est libertas, quae a iure civili Statuum hominibus et coetibus in re religiosa tribuenda est.

b) Quae de doctrina et praxi libertatis in historia Ecclesiae hic dicuntur, male cum veritate historica consonant et hac de causa expungenda sunt.

4. Quae in parte IV dicuntur, valde abbreviari possunt.

Emendationes additae:

N. 1, pag. 5, lin. 5: tollatur « sed officii conscientia », quia saltem pro Germanis Kantianismum sonat, cuius ethica mere formalis in documentum Conciliare intrare nequit.

N. 1, pag. 5, lin. 9: loco « Ecclesia » dicatur « haec Sacra Synodus », quia de facto subiectum huius textus Sacra Synodus est, quae quidem Ecclesiam repraesentat, sed non simpliciter Ecclesia est.

Nisi, sicut proponimus, pars II, n. 3, pag. 7, lin. 1 - pag. 9, lin. 13, penitus tollitur, ad minimum emendationes sequentes attendendae videntur:

Pag. 7, linn. 6-8: « Eam ... imprimens » tollatur, quia theoriam specialem de participatione luminis divini in homine exprimit, quae non ab omnibus agnosci debet.

Pag. 7, lin. 31: « ergo » scholasticismum sonat et monstrat genus loquendi in hoc numero esse deductivum et scholasticum (quod in suo loco, i. e. in schola, bonum est), non conciliare, declaratorium. Cf. pag. 8, lin. 22, et pag. 9, lin. 9.

Pag. 8, linn. 1-9: Displicet « Nostris autem diebus, aucto sensu ... ». Solummodo nostris diebus exigitur, ne ulla vis adhibeatur? Numquid poterit hoc in futuro denuo mutari imminuto rursus hoc sensu? Numquid vere constat hunc sensum speciatim nostris diebus auctum esse?

Et quid est, « intra ... debitos limites » (lin. 7 s.)?

Melius erat « salvo ordine publico » in textu priori.

Ultima phrasis huius incisi (lin. 8 s.) rationalismum quendam sapere videtur.

Quapropter deleatur totum incisum.

Pag. 8, lin. 10 - pag. 9, lin. 8: Quae hic dicuntur, solummodo in luce religionis christianae dici possunt, quia permultae aliae religiones (forsan omnes) hanc transscendentiam religionis supra Statum nescierunt, et religio pars erat iustitiae civilis. Qua de causa ea, quae hic dicuntur, non simpliciter ex essentia hominis et religionis deduci possunt, sed exprimunt illam progressionem mentis humanae, quam revelatio christiana in historia hominum protulit.

Pars II, nn. 4-7, pag. 9, linn. 14 - pag. 12, lin. 37 multum contrahenda et abbrevianda et in ipsam declarationem (= pars I) brevissime inserenda sunt.

Imprimis pag. 11, linn. 7-20 tollantur, quia male intelligi possent.

Pars III, n. 8, pag. 13, lin. 3: deleatur « proximum », quia nimis scholasticum.

Pars III, n. 9, pag. 13, lin. 15 - pag. 14, lin. 23 tollantur ex rationibus in oratione mea allatis. Quae tamen in pag. 13, lin. 37 - pag. 14, lin. 6 dicuntur, in n. 10 transferri possent.

Pars III, n. 10, pag. 14, lin. 40 - pag. 15, lin. 4 deleantur, quia exegetice non constat Dominum Iesum miracula recusasse, ne libertas humana coerceatur. Sed etsi hoc constaret, necessitas fidei, quae a miraculis veniret, omnino differret ab ea violentia, qua Status libertatem religiosam civium suorum supprimit.

Pars III, n. 10, pag. 15, lin. 15 inseri posset allusio brevis ad parabolam Domini de zizaniis et tritico, in qua Dominus discipulos iubet utraque crescere sini et sic omnem vim exteriorem clare vetat (cf. *Mt.* 13, 28 s.). Haec allusio alicuius momenti esset, quia S. Thomas textui Scripturae hic contrarius affirmavit, haereticos occidi posse, si sine periculo bonorum fieri possit (*Summa Theol.* II-II q. 64 a 2). Etiam verba Domini *Mt.* 26, 51-54 indicare utile videtur, quibus Petro et in Petro Ecclesiae vis externa ad defendendum evangelium prohibetur.

Pars IV, n. 14, pag. 19, linn. 20-30 omittantur, quia iam nimis in documentis conciliaribus de unificatione hodierna generis humani loquimur et hic nil novi affertur.

Pars IV, n. 14, pag. 19, lin. 31 - pag. 20, lin. 2 deleantur, quia nullo modo manifestum est, homines aetatis nostrae plus quam aliis temporibus in periculo esse, ne proprio libero consilio utantur. Et sic etiam ea, quae sequuntur, fundamento sufficiente carent.

Etiam quae in parte IV, n. 14, pag. 20, linn. 3-12 dicuntur, omitti possunt, quia non nimis utilia videntur, etiamsi sine dubio alicuius momenti sunt.

3

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Plura quae in schemate affirmantur, sub aspectu technico iuridico, optima sunt, e. g. de personae humanae dignitate, utpote creatae ad imaginem et similitudinem Dei ...[1] atque praetioso Christi sanguine redemptae ...[2], de hominis iure et officio sequenti conscientiam suam, de libertate actus fidei et *consequenter*[3] de vitanda quacumque *coactione*[4] in re religiosa.

I. Attamen, gravissimo quaestionis momento perspecto, ad difficultates praecavendas et dissentiones — quantum fieri potest — impediendas, oportet omnino — mea quidem humili sententia — ut *initio*[5] clare libertatem physicam, vel psychologicam, a libertate morali, quae tantummodo ad veritatem pertinet, distinguatur; Iesus enim, unus Magister noster, id clare enuntiavit dicens: « Veritas liberabit vos » ...[6] Exinde sequitur libertatem quoque religiosam a veritate seiungere non licere. Cum autem veritas in omni rerum ordine una sit et indivisa, vera religio non potest esse nisi una, ad quam solam, *per se,* ius pertinet libertatis, ius nempe sanctum et inviolabile veritatis proprium. Secus incideremus in libertatem illam quam S. Augustinus « libertatem perditionis » vocavit ...[7] et Pius IX, postquam dixerat illam catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem esse, non dubitavit eamdem cum decessore suo Gregorio XVI appellare « deliramentum » ...[8]

Si vero fit transitus ad vitam, quam re hisce in terris homines ducunt, innumeris tentationibus obnoxii, saepe peccatis gravati et erroribus invincibiliter obumbrati, necesse est ut rerum publicarum moderatores, ad ordini publico vel bono communi consulendum, varia divini cultus genera sinant libera esse, cum patientia et benevolentia eorum qui firmiter tenent se veram habere religionem; nam « Deus omnes homines vult salvos fieri » ...[9] et ad sanctitatem vocat ...[10], attamen multa mala quae impedire posset, ex sapienti misericordia tolerare solet.

Distinctionem, quam supra dixi, omittere minime decet, etiam ne Concilium Œcumenicum, suprema Ecclesiae potestas, omnibus hominibus, proinde etiam catholicis, videatur nihil amplius, ad religionem quod attinet, a Statu exposcere quam observantiam articulorum 18, 19, 20 Declarationis Universalis de hominis iuribus ab O.N.U. mense decembri 1948 adprobatae. Articuli illi sanciunt, fere eisdem verbis quae in

declaratione nostra habentur, libertatem conscientiae et religionis pro singulis hominibus, ius insuper omnium manifestandi tam privatim quam palam publiceque propriam religionem nec non ius se consociandi. Qui conatus maximus Societatis Nationum ad civilem concordiam inter homines diversarum religionum servandam, magna laude dignus est; ast indifferentismum agnosticum redolet.

II. Porro in schemate, initio pag. 9, potestas civilis ex quocumque officio religioso eximitur, cum omnes suae partes erga communitates ad res huius saeculi restringantur; quod mihi videtur infici saltem ambiguitate.

« Competentiam potestatis civilis ob ipsum eius finem proprium — ut legimus in pag. 8 inde a lin. 30 — ad ordinem terrestrem et temporalem restringi », verum est; itemque verum est potestatem civilem limites suos excedere « si in iis, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ».

Profecto quae pertinent ad religionem potestati sacrae subsunt nominatim — secundum doctrinam catholicam — Ecclesiae; sed, iure Ecclesiae servato, potestati civili, ut mihi persuasissimum est, manet *per se* [11] obligatio exhibendi cultum Deo, et, quoad tempora ferunt, tuendi et adiuvandi religionem. Etenim: nonne omnis potestas est a Deo? ...[12] et si ita est, quomodo admitti potest principium: potestatem civilem nullo vinculo Deo astringi? Fines potestatis suae Leo XIII certo non excedebat quando in Encycl. Litt. *Immortale Dei* ...[13] scribebat: « Civitates non possunt citra scelus (i. e. sine scelere) gerere se tamquam Deus non esset ».

Praeterea, si finis plenus potestatis civilis, secundum communem voluntatem, est non solum tueri ordinem iuridicum, sed etiam providere — quantum potest — condiciones *omnimodae* [14] et verae prosperitatis omnium, quis negaverit religionem multa magnaque adiumenta ei praebere, in primis ut castitas, temperantia, mutua fides et sinceritas serventur, ut iustitia semper excolatur, ut vita civium ad rectas ipsius civitatis leges libenter conformetur, ut pax universa foveatur? Itaque potestas civilis religioni semper favere deberet, tum — repeto — quia ipsa ...[15] Deum habet auctorem et conservatorem, tum quia a religione haud paucas utilitates ...[16] facile percipit.

III. Spiritus meus magis angore conficitur dum timeo ne a declaratione de qua agimus consequatur Ecclesiam a potestate civili penitus seiungendam esse; quod Pius IX in Syllabo ...[17] aperte damnavit et Pius XII, in universum, reprobavit ...[18]. Et quis auderet affirmare Summos Pontifices usque ad hodiernum diem errasse?

Reapse in pag. 11, linn. 13-17 ponitur: « libertatis religiosae regimen non impedire quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae *specialis agnitio* in iuridica civitatis ordinatione tribuatur »; *ast* [19] sufficiuntne haec verba ut Conventiones quas Sancta Sedes cum pluribus Statibus inivit intactae remaneant? Ratio dubitandi vi crescit si prae oculis habeantur quae inveniuntur in pag. 10, linn. 19-21: « ... providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas ».

Ne e patria mea exeam, Conventione inter Sanctam Sedem et Italiam inita die 11 februarii 1929 initio statuitur religionem catholicam, apostolicam, romanam esse religionem Status eamdemque unicam; deinde plura iura peculiaria tribuuntur viris ecclesiasticis et catholicis, e. g. exemptio a servitute militari, excepto tempore belli, clericorum in sacris et religiosorum qui vota emiserint ...[20], plena libertas administrandi bona ecclesiastica sine ullo potestatis civilis interventu ...[21], validitas matrimonii religiosi etiam coram Statu, reservatio tribunalibus ecclesiasticis causarum matrimonialium ...[22], ius docendi religionem catholicam in scholis Status ...[23].

Haec omnia si declaratio nostra staret qualis nobis hodie exhibetur, *vi ipsius declarationis,*[24] ab Ecclesiae inimicis, cum firma victoriae spe, *facile* [25] impugnabuntur. Similiter ad instructionem religiosam pro pueris et pauperibus abolendam causa haud dubie praeberetur in pag. 12, linn. 9-13, ubi abstinendum esse dicitur « a suasione religiosa quae minus recta haberi posset, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur ».

Etenim etiam nunc id nobis obiciunt communistae!

IV. Ad finem disceptationis meae properans animadverto in pag. 15 duo priora testimonia biblica nihil prorsus afferre ad demonstrandum quod asseritur, Christum nempe *adhibere noluisse violentiam ut « assensum fidei extorquere videretur ».*[26] Nam primo loco Christus reprobare tantum voluit perfidiam et pervicaciam pharisaeorum scribarumque qui tentantes eum, prava evidenter intentione ducti, signum petebant de caelo; altero autem loco narratur Ioannem et Iacobum exoptasse ignem de caelo non ut Samaritani ad fidem converterentur sed ut subitanea morte punirentur.

V. Demum in textu nonnulla sine sufficienti causa — ut opinor — repetuntur, quarum repetitionum clarum habetur exemplum si inter se *conferantur* [27] quae sunt initio pag. 5 et initio pag. 8.

Venerabiles Patres, quae dicenda habebam iam dixi; vos amantissimi Ecclesiae qui estis, ne pigeat si affirmare audeo declarationem *de libertate*

religiosa gravissima consectaria habituram esse, et idcirco schema eius *in formam accuratiorem redigendum esse.*[28]

In textu scripto tradito: [1] (*Gn.* 1, 26). [2] (*Col.* 1, 14; *1 Pt.* 1, 18). [3] deest. [4] coercitione. [5] deest. [6] (*Io.* 8, 32). [7] (Aug. *Ep.* 105, 2, 9, *ML* 33, 399). [8] (cf. Pius IX, Enc. *Quanta cura,* 8 dec. 1864, Denz. 1690). [9] (*1 Tim.* 2, 4). [10] (cf. *Mt.* 5, 48). [11] deest. [12] (cf. *Rom.* 13, 1). [13] (1 nov. 1885). [14] universae. [15] potestas. [16] ipsa. [17] (prop. 55). [18] (cf. Pius XII, sermo habitus in Conventu V nationali italico Iureconsultorum catholicorum, 6 dec. 1953). [19] sed. [20] (art. 3). [21] (art. 29). [22] (art. 34). [23] (art. 36). [24] deest. [25] expedite. [26] noluisse prodigia patrare « quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur ». [27] comparantur. [28] multo accuratius esse conficiendum.

4

Em.mus P. D. IOSEPH card. SIRI

Archiepiscopus Januensis

Venerabiles Patres,

De hoc schemate circa libertatem religiosam *unum tantum hoc mane* [1] habeo notandum, quod est simplex et grave.

Praemitto: loquor de textu uti iacet, non de interpretatione quae dari potest.[2]

Non loquor contra libertatem, *absit!* [3], sed debeo loqui contra abusum libertatis: notum est enim adesse ex Deo libertatem in homine et posse hominem libere ad malum declinare, non adprobante sed simpliciter permittente et tolerante Deo. Libertas est facultas et dat facultatem peccandi, non vero respectu Dei obtinet adprobationem peccati sed simpliciter tolerantiam peccati.

Quibus praemissis, devenio ad ipsum schema.

Schema religiosam libertatem affirmat et quidem pluries pro omnibus communitatibus religiosis, ideo etiam pro religionibus qui a veritatem saltem naturalem aberrant, immo etiam pro immoralibus et — si adhuc sunt, *nescio* [4] — etiam sanguinariis. Non enim omnes communitates religiosae sunt in veritate et lege divina saltem naturali.

Iamvero respectus obiectivus abusus libertatis, Deus, qui solus libertatem hominibus largitur, factum *tolerat,* non legitimum habet, immo promittit idem se esse puniturum. Nos non possumus aliquid amplecti quod sit alium a Dei iudicio. Ubi Deus tolerat nos non possumus « De-

fendere », sed tantum possumus « tolerare » et quidem possumus « tolerare » et non possumus tolerare ultra quosdam limites, v. g., boni communis.

Atqui hoc schema defendit omnium libertatem ...[5] indiscriminatim. Quod *censeo admitti non possumus.*[6]

Schema vult defendere libertatem et libertas in genere est *utique*[7] defendenda. Sed nobis hominibus et maxime nobis, apostolorum successoribus, magis est defendendus ordo divinus et magis defendenda est lex divina. Quod si defendimus libertatem, despiciendo legem, mala certo obvenient sive theoretica sive practica circa indifferentismum, circa fructum apostolatus, circa illusionem qua plures *credent*[8] animam suam esse servaturos dum faciunt id quod libet et dum conversionem suam ad rectam fidem diu vel semper differunt.

Peto ut, *ulterius attendantur quae de libertate religiosa authenticae fontes theologicae dicunt et praesertim quae*[9] dixerunt Leo XIII, Pius XI et Pius XII. Si mutationes in doctrinam inferimus, non agentes de ...[10] *recta* religione saltem iure naturali — uti suspicor — auctoritatem fontium *theologorum*[11] deprimimus et nostram auctoritatem infirmamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aliquid. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] religiosam. [6] admitti nequit. Res est gravis. [7] deest. [8] credentes. [9] ultra ea quae dixi, quae de libertate religiosa fontes theologicae dicant ulterius exploretur, et praesertim num schema revera conveniat cum his quae de libertate religiosa. [10] solummodo. [11] theologicarum.

Animadversiones additae:

Rationes summae perplexitatis pro adprobando schemate nn. 2-7.

1. Textus, pag. 6, n. 2, linn. 8-13, ita exponit centrum totius « declarationis »: « Huiusmodi libertas in eo consistit quod omnes homines debent immunes esse a coercitione ex parte sive singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat privatim et publice, vel solus vel aliis consociatus, intra debitos limites ».

Hic textus perplexitatem gravem ingerit *non* ob ea quae affirmat, *sed* ob ea quae *tacet.* Etenim, dummodo apte et late intelligantur verba « intra debitos limites » (quae in toto contextu non nimis explicantur), potest admitti. Hi « debiti limites » sunt *magni.*

2. En *quae textus et contextus tacent,* vel insufficienter insinuant: *a*) conceptus cuiusvis libertatis humanae (et ideo etiam « libertatis religiosae ») habet aliquid « relativum »; ideo talis est ut, si ordo non servatur ad ea quibus necessario relationem dicit, recte intelligi non possit et consectaria falsa vel periculosa deducantur;

b) conceptus cuiusvis libertatis humanae, cum haec a Deo Creatore largita sit et solummodo existat ex eadem divina largitione, ordinem necessarium semper

dicit ad ea quae idem Creator et simul posuit et cum quibus explicitam relationem constituit;

c) ea quae Creator simul posuit, cum iisdem relationem inducendo sunt: Ordo divinus et Lex Divina. Persona humana, a cuius essentia deducitur libertas, omnino subiicitur ordinationi divinae et legi divinae ita ut debeat veritati et voluntati divinae plane oboedire. Equidem *potest* non oboedire quia moraliter in libertate ducitur, sed *debet* oboedire; *sanctio* tributa homini libero renitenti, quae est Infernus aeternus;

d) consectaria eorum quae hucusque dicta sunt. Sunt etenim: adprobatio divina respectu actus liberi boni; reprobatio divina relate ad actum liberum malum.

Quibus fit, quamquam in religione libere possit homo agere, ut adprobationem Dei non habeat, habeat vero simplicem permissionem seu tolerantiam, si quovis titulo male agere eligat. Proinde quae, in quavis religione, obiective non sunt secundum veritatem et legem divinas nullo modo obtinent adprobationem divinam.

3. Quibus omnibus supra expositis ac prae oculis habitis:

a) apparet *nimia* defensio cuiuscumque libertatis cuiuslibet societatis religiosae (necnon individuorum). Nimia defensio potest apparere quasi oblivio reprobationis divinae et simplicis tolerantiae divinae. Ita textus totus nn. 2-7 ad pauca, cauta, veriora reducendus esset; *b*) timentur consectaria et interpretationes omnino damnosa.

4. Quae dicuntur pag. 7, n. 3, linn. 22-25 apparent nimis reducere potestatem auctoritatis civilis, ubi — fortasse — nulla esset societas religiosa legitime constituta.

5

EM.MUS P. D. BENIAMIN CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi aliqua breviter et verbis simplicissimis (*ne ergo, quaeso, exspectetis ullam dissertationem doctrinalem*), *repeto: liceat mihi aliqua breviter et verbis simplicissimis* [1] examini vestro subiicere circa schema gravissimum de quo nunc disceptatur in hac aula, scil. *de libertate religiosa.* Nescio utrum aliud sit maioris momenti pro fide nostrorum in themario Concilii.

Principium fundamentale ideoque fortiter in hac re tenendum hoc est: Sola Ecclesia catholica ius habet et officium praedicandi Evangelium. Ideo proselytismus acatholicorum inter catholicos illicitus est ..., *illicitus est* [2] et, quantum bonum commune exigat, impediri debet non tantum ab Ecclesia sed etiam a Statu civili.

Iure meritoque aiebat Pius XII in allocutione ad iuristas catholicos circa ordinem servandum in tolerantia et coexistentia confessionum dissidentium *en verba* [3]: « Modus agendi Ecclesiae in hac re imponitur a

bono communi Ecclesiae et Status (de quo in casu ...[4] tractetur) et a bono communi Ecclesiae universalis et Regni Dei in toto mundo ».

Curet ergo Sacrosanctum Concilium Vaticanum II de non decernenda ruina religionis catholicae in nationibus in quibus practice haec religio unica est. De facto postquam agi coeptum est, sive ore sive scripto, de libertate religiosa, sunt plurimi, maxime inter rudiores, qui dicunt: « Ut videtur, omnes religiones sunt aequales ». Tantum iam deest ut concludant: ergo nulla interest!

Relinquatur ergo solutio huius gravissimae quaestionis conferentiis episcopalibus respectivis, approbante Sancta Sede; etenim applicatio principiorum in hac re accommodari debet circumstantiis temporum, locorum et personarum de quibus episcopi et Sancta Sedes sunt primi iudices.

Aliunde magnum puto errorem eorum qui forte sperant libertatem proselytismi ab Ecclesia definitam libertati praedicationis Evangelii inter acatholicos profuturam.

De cetero hic non agitur de cultu privato acatholicorum qui, meo iudicio, liber esse debet, dum privatus vere maneat, de quo etiam auctoritas civilis curare debet.

Denique perspicuum est nullam religionem, quaecumque sit, nemini vi imponi posse.

Spiritus Sanctus Ecclesiam suam incolumem servet eamque per viam salutis in bonum totius humanae societatis ducat. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] hoc.

6

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI
Patriarcha Venetiarum

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine 32 episcoporum Italiae, quorum nomina tradam secretariae.

1. Textus propositus ad examen nostrum, variis de causis, quoad substantiam placet. *De duabus tantum dicam, alias, brevitatis causa, ad secretariam transmittam.*[1]

Vivimus et diutissime vivemus historico momento, quo homines ex diversa origine et opinione etiam in re religiosa, iisdem finibus simul vitam degere debent, habita ratione invicem reverentiae, aequalitatis iuridicae et concordiae ad bonum commune assequendum, in quo profecto, bonum uniuscuiusque continetur ...[2]. Necesse est *ergo*[3] quam maxime declarare mutua iura et munera civium in re religiosa quoque, quae tam proxime pertinet ad bonum personale uniuscuiusque: ex diligenti enim definitione, ex fideli observantia istorum munerum et officiorum, quae ultro citroque dantur latissime provenit pacifice simul et concordes vivere, in quibus pretiosissima pars boni communis residet sive cuiusvis populi sive ipsius communitatis inter nationes.

Ecclesia per suam doctrinam de vera et iusta libertate in vita religiosa, quam maxime *praestabit*[4] ut magis magisque haec officia et munera mutua cognoscantur, reverenter habeantur et ita in civili communitate pretiosissimum opus efficiet pro pace et animorum concordia, sive inter cives singulae nationis sive in internationali conventu ...[5]

...[6] Quaestio de libertate religiosa, quae nunc expetitur, aliquo sensu nova est, neque absolvi potest simplici ac mera recordatione Magisterii anteacti. Distinguitur vero a quaestione de fidei libertate, *circa quam*[7] diutissime traditio doctrinalis exstat quae ab ipsa revelatione haurit; neque congruit prorsus cum quaestione de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Agitur hic de loco definiendo religiosae libertati civium in apto ordine sociali, praesertim in ipso civili ordine cuiuscumque reipublcae. Est enim libertas religiosa unus ex aspectibus libertatum civilium essentialium, quibus respublica pro omnibus civibus consulere debet ut instituta sua dignitati et aequis postulatis personae humanae vere aptentur ...[8]

Thema igitur libertatis religiosae, quod hic examinatur, agit de rela-

tionibus inter personam, rempublicam et bonum commune; agit quoque de relationibus inter reipublicae vitam quae per se pertinet ad res naturales, et veritatem religiosam revelatam et supernaturalem.

Argumentum ordinationis civilis rerumpublicarum in relationibus cum persona humana eiusque iuribus, *cum quadra progressione investigatum est* [9] a Magisterio Ecclesiae: si *enim* [10] attente et studiose legantur documenta Summorum Pontificum b. m. Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII, Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII, procul dubio conspicietur quomodo progressive ditescat rebus et verbis doctrina de personae humanae primatu, eiusque iuribus quae ex natura defluunt, quasi columen in doctrinis Ecclesiae circa bonum commune et ordinationem civilem rerum publicarum. Doctrina libertatis civilis in re religiosa inhaeret isti progressui, quasi sit ulterior explanatio consequens; Ecclesia vero omnino invenitur fidelis, tum sibi ipsi, tum doctrinae suae circa dignitatem personae humanae et relationes inter personam et rempublicam, quae hodie palam declaratur in Concilio.

... [11] Libertas civilis in re religiosa in primis pertinet ad relationes inter personam et institutionem naturalem reipublicae. Iustum est igitur has relationes examinari et illustrari rationis naturalis lumine, quoniam et Revelatio et Ordo supernaturalis ordinem naturalem et iura naturae non destruunt, sed perficiunt ...[12]

Praeterea optima est quoque methodus habita, *nobis videtur,*[13] ad ostendendam congruentiam civilis libertatis in re religiosa cum doctrina revelata. Textus explicat quomodo iste ordo vitae civilis optime conveniat cum generali spiritu Revelationis divinae, praesertim cum methodo quam Iesus et apostoli habuerunt ad diffundendam veritatem salvificam ...[14]

Attamen vota et desideria proponimus, quae nobis videntur esse necessario recipienda, ut schema plenius illucescat et interdum exacte evadat.

a) Opportunum videtur lucidius et enucleatius declarari in prooemio naturam libertatis religiosae de qua agitur: quae est potius libertas *civilis* in re religiosa.

Titulus declarationis id exprimere melius debet; ita ut non detur ambigendi locus. *Ut materia sit bene determinata et valde limitata, ut dixit egregie Relator in sua relatione,*[15] dicatur ...[16]: « De libertate *civili* in vita religiosa », *iam in titulo*.[17] Non omnes extemplo sunt capaces distinguendi inter erratam libertatem cogitandi et agendi in re religiosa et legitimam libertatem iuridicam agendi, in civili communitate, quoad omnia quae vitam religiosam pertingunt.

b) Eadem de causa pastorali videtur melius posse et debere exprimi

tum distinctio inter aspectum iuridicum et aspectum moralem libertatis religiosae, tum firma et perpes persuasio Ecclesiae catholicae, unam scil. esse veritatem religiosam, quam in eius plenitudine ipsa et possidet et docet. Nemo *putat nec* [18] supponere potest Ecclesiam catholicam tantam hanc persuasionem relinquere vel relicturam esse, neque eam in memoriam revocari mirabitur ...[19]

c) *Argumentum rationale* [20] pro iure civili ad libertatem religiosam videtur nobis non omnino clare et bene expositum. *Quare rogare volumus, versus initium n. 2, ad finem, pag. 6, linn. 16-28, ut perficiatur et forte praeponatur ad initium eiusdem n. 2, vel melius in ipso prooemio ponatur.*[21] Nimium innititur in aspectu subiectivo oboediendi conscientiae, quod difficilius poterit sufficienter iustificare omnia obiective iura libertatis religiosae, quae in textu *ponuntur.*[22]

Fundamenta obiectiva libertatis religiosae, mea sententia, ita exponantur: ius et officium ad vivendum in veritate, praesertim in re religiosa; ius et officium ad inquirendam veritatem omnibus mediis et propriis et dialogi, ad hunc finem necessariis; ius et officium ad vivendum iuxta cognitam veritatem in vita sive privata sive publica, sive pro se quisque, sive communiter; ius et officium ad communicandam veritatem cognitam intra fines ad pacifice convivendum et ab ordine publico requisitos ...[23]

Venerabiles Fratres, ex textu quem probaturi sumus plurimae quaestiones oboriri possunt in animis nostris: fortasse nonnullas sollicitudines ...[24] Non *parvipendimus* [25] quaestiones et sollicitudines huiuscemodi; at ius civile ad libertatem religiosam pro certo inscribitur in doctrina quam Sancta Ecclesia aperte proclamare debet coram mundo in praesenti *et in futuro,*[26] non modo « ratione opportunitatis », sed potissimum « ratione veritatis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] A. Primum ratione opportunitatis. Nostra aetate non desunt aliquae doctrinae et factiones absolutae et effrenatae, quae naturam, dignitatem ac veram libertatem humanae personae ita minantur, ut non modo opiniones et agendi rationes vi comprimere, sed etiam mentes conscientiasque civium ad unicam doctrinam et quidem perversam externa vi coercere studeant. Ecclesia autem iustam ac debitam personae humanae libertatem in re religiosa affirmans, procul dubio fortius efficiet ad hominis spiritualem dignitatem enodandam, ad defendendam iustam ac debitam libertatem, potissimum illam spiritualem, qua homo ad imaginem Dei effingitur et vocatur ad ineundam personalem relationem cum ipso. Propterea homines hodie et in crastinum gratissimi erga Ecclesiam semper erunt, quod in ea veram propugnatricem eorum dignitatem invenient. Insuper. [2] et agnoscere et efficere omnium civium iura et munera mutua omnibus enitendum erit. Quapropter. [3] deest. [4] praestat. [5] Insuper pro certo omnes habent quod Ecclesia hodie magis magisque suam libertatem suorum-

que filiorum defendere debeat, non ut privilegium, sed ut ius et officium ab omnibus hominibus nostro tempore in humana societate conquisitum. [6] B. Ratione veritatis. 1. [7] quoniam circa istam. [8] Quousque libertas religiosa agnoscenda est inter iura civium, servatis tamen et bono omnium et immenso bono veritatis, quam Deus nobis revelavit ut fiat lux et dux omnium hominum. [9] alte investigandum est per partes subsequentes. [10] deest. [11] 2. Etiam modus in textu expositus quoad substantiam non displicet. Placet enim doctrinam catholicam relate ad ius humanum libertatis civilis in re religiosa depromi primum hominis natura et civili vita, postea vero conferri cum doctrina revelata. Necesse enim est ut audiatur ab iis qui ignorant doctrinam revelatam aut eam minime recipiunt ut verbum Dei. [12] quod enim recta ratio ostendit decere naturam personae eiusque vitae civilis, id cognoscendum erit validum etiam in ordine supernaturali, cuius caput et centrum Iesus Christus est: non quidem aegre et taediose, sed quia exigit reverentia Christi Domini ad Patris eius voluntatem. [13] deest. [14] Id vero naturae revelationis christianae respondet, quae sibi non proposuit nobis codicem iurium personae humanae vel ordinis civilis praebere, sed potius edocuit spiritum, quem fideles debent penitus agnoscere et adhibere in omnibus rebus, doctrinas rectae rationis et historiae una cum revelatione comparando. Hisce de causis doctrina exposita in schemate quoad substantiam placet. 3. [15] deest. [16] ergo. [17] deest. [18] deest. [19] e contra, fere omnes mirantur, quandam fucatam dissimulationem, si non explanetur, suspicientes, dum vero plena declaratio non parum proderit ad intelligendam doctrinam fidelibus nostris. Praeterea haec affirmatio maius et melius corroborabit ipsam declarationem de libertate religiosa, cum Ecclesia catholica, quamvis firmiter sibi persuasum habeat se veritatem possidere, tamen libertatem civilem in re religiosa defendit suae ipsius doctrinae causa. Quare ausim rogare versus initium n. 2 ad finem (pag. 6, linn. 16-28) ut perficiatur et forte praeponatur ad initium eiusdem n. 2, vel melius in ipso prooemio. [20] Argumentatio rationalis. [21] deest. [22] proponuntur. Necessario videtur vim addere ad validas vires obiectivas quae connectuntur cum dignitate et integritate personae humanae. Quae. [23] Quae iura obiectiva sunt necessaria ad plenam explicationem et reverentiam debitam integritati personae humanae. Est igitur reipublicae haec iuridice cognoscere, definire in eorum relationibus, ne iura uniuscuiusque obstent aequalia iura aliena, denique pro viribus tueri. Quis enim nostrum negat nonne se offendi velut hominem prius quam velut christianum nisi cognoscere et inquirere possit veritatem in re religiosa, vel vivere iuxta cognitam veritatem pro se quisque et socialiter; vel communicare quod cognoscit in primis familiaribus suis posteaque ceteris? d) Quaedam explanatio magni momenti adiungenda est paenultima paragrapho n. 3, pertiens munera generalia auctoritatis civilis et relationes eius cum vita religiosa (cf. pag. 8, lin. 27; pag. 9, lin. 8). Ut iam scriptum est is videtur nimis agnosticus, neque cohaeret cum verbis relatis ad pag. 11, linn. 13-20. e) Meliorem redactionem assumere debet etiam n. 4 litt. a) quoad terminos morales libertatis religiosae. Nostri officii est affirmare non posse existere vera iura obiectiva libere agendi contra legem moralem naturalem, liceat quidem rationibus religiosis; non potest existere ius faciendi malum. At existere potest necessitudo tolerandi etiam aliquod malum, quo plenius admittatur ius primarium ad religiosam libertatem omnium civium. Hic vero mihi liceat adiungere animadversionem cuiusdam momenti, ius ad libertatem generare posse etiam nonnullos abusus et eventus qui minime desiderantur, at possibilitas abusus non adimit ius.

f) Postremo bene perpendere debetur quomodo ius naturale ad libertatem religiosam, non aliter ac aliis iuribus naturalibus ex parte legis civilis, exigat definitionem certam, quae autem potest accidentaliter variare pro locis temporibusque; atque in reverentia quidem libertatis omnium, debiliores protegere ad satisfaciendum sine dubio omnibus civibus de aequali et germana libertate. Attamen firmum debet permanere principium iuridicum opportune in textu memoratum: libertas scil. concedenda est ad singulos cives quam quae maxime neque coarctanda nisi mensura stricte necessaria (cf. pag. 10, linn. 10-13). [24] Quaestiones technicae quidem, quod ipse textus viam vere novam demonstrat rei tanti momenti de relationibus inter vitam civilem et religionem catholicam, unicam et veram; sollicitudines practicae autem, quoniam dixerim in nonnullis regionibus desinet vel excedetur status relativae tranquillitatis fidei in populo qua ipse usque adeo fruitur. [25] parvipendo. [26] deest.

7

EM.MUS P. D. RICHARDUS IACOBUS CARD. CUSHING

Archiepiscopus Bostoniensis

Patres reverendi et Fratres dilecti,

Duo habeo dicenda de schemate: *primo,* eius doctrina de iure hominis ad libertatem in re religiosa est solide fundata in doctrina catholica; *secundo,* promulgatio huius doctrinae toti mundo est hodie necessitas pastoralis primi ordinis.

Loquor primo de doctrina schematis. Utique non sum ego philosophus magni nominis, attamen cognosco communem doctrinam catholicam de iuribus; i. e. omne ius debet fundari in aliqua veritate, et omne ius debet pro obiecto suo habere aliquid bonum.

Evidens est quod totum schema in his duabus propositionibus fundata est. *Primo* enim docet schema quod *fundamentum* iuris ad libertatem in re religiosa est aliquid verum: dignitas personae humanae quae postulat ut homo agere debet proprio consilio et propria responsabilitate, ut libere agat ex officii conscientia, non propter coactionem externam. Haec veritas de dignitate hominis est fundamentum non tantum omnium iurium humanorum sed etiam totius ordinis socialis. Est etiam fundamentum iuris ad libertatem in re religiosa.

Secundo enim docet schema quod *obiectum huius iuris* est aliquid bonum: bonum libertatis seu immunitatis a coactione. Illud bonum maxime debetur homini in societate. Humanae enim personae bonum necessarium est, ut non cogatur contra conscientiam suam et ut non impediatur ab aliis, etiam a potestate publica, quando agit iuxta conscientiam suam.

Ergo, tum quoad fundamentum iuris, tum quoad obiectum iuris ad libertatem in re religiosa, doctrina schematis fundatur non in ordine omnino subiectivo (uti aliqui dixerunt) sed in ordine obiectivo veritatis et quapropter in sana philosophia morali.

Loquor nunc de schemate sub lumine pastoralis muneris Ecclesiae. Ad hoc munus maxime pertinet praedicatio Evangelii. Hoc Evangelium quod praedicamus est non solum evangelium veritatis sed etiam evangelium libertatis quo homines a Deo ad libertatem vocati sunt.

Haec libertas, tamen, duplex est: ex dono gratiae (in quantum facti sumus filii Dei Patris) et ex iure naturae (in quantum creati sumus ad imaginem Dei). In praesenti ordine salutis, ius hominis ad libertatem in societate est in suo modo pars vocationis eius ad libertatem ab Evangelio annuntiatam. Ergo, haec Sacra Synodus munere suo pastorali fungitur, quando declarat ius hominis ad libertatem religiosam.

Constat, autem, secundum experientiam hodiernam quod in multis mundi regionibus, potestas publica dictatorialis nimis restringit libertatem humanam, praesertim in re religiosa. Propter quod, fortius hodie quam in praeterito, praedicandum est Evangelium libertatis, quia quando denegatur homini eius ius ad libertatem religiosam, plerumque etiam ei denegantur plura alia iura civilia ita ut ipsa societas quasi cessat esse humana.

Concludo. Hisce autem nostris diebus, secundum spiritum Pauli Apostoli, immo vero secundum spiritum dilectissimi Papae nostri Pauli, Ecclesia debet proclamare: « Non timeo Evangelium, secundum quod est Evangelium libertatis ».

Pericula libertatis vero saepe saepius indicantur ab Ecclesia. Sed in vita Ecclesiae, sicut in vita S. Pauli, pericula sunt undique. Hodie tamen periculum maximum datur, ne Ecclesia Evangelium Christi praedicet auribus surdibus.

Valor autem et bonum, quod homo hodiernus anxio animo prosequitur, est bonum libertatis eiusque valor in vita humana. Pro nostro igitur munere pastorali, praedicandum nobis est totum Evangelium libertatis Christi, ut aperiantur aures hominum verbo Dei vero. Quasi initium huius praedicationis per orbem terrarum faciet haec nostra declaratio *de libertate religiosa.*

Faxit igitur Deus, ut praedicatio huius libertatis humanae ubique excitet in cordibus hominum initium fidei in Evangelium veritatis Christi Domini nostri! Dixi.

8

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

In genere schema novum *de libertate religiosa,* funditus emendatum, valde videtur esse laudandum ita ut speremus ut schema istud a Concilio sine difficultatibus unanimi consensu possit acceptari ...[1]

Breviter duas tantum observationes facere vellem, etiam nomine aliorum episcoporum Neerlandiae.

Prima observatio.[2] In pag. 6, lin. 1 ss., libertas religiosa describitur sequentibus verbis, scil.: « ... homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur, quominus iuxta conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites ».

Haec descriptio libertatis videtur esse nimis negativa, in quantum dicitur homines debere esse immunes a coercitione.

Libertas enim in primo loco non est notio negativa, scil. « liber esse a » — in casu, a coercitione — sicut hic et etiam in relatione super hoc schema dicitur. Libertas in primo loco est notio positiva, scil. « ius habere ad » — in casu ius habere ad libere eligendum valores vere humanos quibus dignitas personae humanae perficitur.

Ideo proponitur ut in linn. 16 ss. eiusdem paginae post primam phrasin inserantur verba sequentia, scil.: « Libertas enim religiosa fundamentum habet in hominis facultate libere eligendi valores vere humanos quibus dignitas personae humanae perficitur. Quapropter libertas religiosa non implicat », etc., prout textus prostans sonat.

Et observatio secunda.[3] Pag. 11, linn. 13-20, sermo fit de positione privilegiata et de « speciali agnitione in iuridica civitatis ordinatione » quae communitati religiosae tribui potest.

Statuitur thesis scil. « hoc vero libertatis regimen non impedit, quominus attentis populorum circumstantiis historicis uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur ».

Nescio an talis thesis in documento conciliari opportune statuatur. Primo enim talis positio privilegiata semper cum rebus politicis *concretis* [4] intime connexa est ita ut periculum adsit quod Concilium — etsi modo mere theoretice de hac thesi loquitur — per interpretationem quae huic paragrapho sine dubio postea dabitur, in rebus politicis immiscebitur.

Et secundo animadvertere liceat quod verba ista quae hanc thesim statuunt, non tantum de communitate catholica intelligi possunt et debent, sed etiam de communitate non-catholica et non-christiana.

Thesis ista theoretica de positione privilegiata alicuius communitatis religiosae semper in circumstantiis et conditionibus concretis et determinatis realisatur. Periculum adesse videtur quod haec verba conciliaria in posteriori interpretatione ad approbandas istas conditiones concretas *et determinatas* [5] abutitur.

Ideoque proponitur ut in istis de privilegiata positione unius communitatis religiosae minus positive loquatur.

Quod fieri potest, si prima huius paragraphi pars conditionaliter concipitur, v. g.: « Si attentis populorum circumstantiis historicis uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuitur, vigilandum est ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius laudis rationibus a pluribus oratoribus optime iam expositis. [2] 1. [3] 2. [4] deest. [5] deest.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, congregationes in hac periodo habebuntur omnibus diebus ferialibus excepto sabbato. Si quae aliae vacationes habebuntur, hoc suo tempore indicabitur.

Thermopolia ... (et non thermopylia, uti multi scribunt, nam Thermopylae est quid diversum ...: sunt portae calidae; nunc non sunt portae calidae; calidum est ultra portas ...), thermopolia valvas suas aperiunt hora undecima, uti elapso anno.

Et vobis, venerabiles Patres, aliquam meam anxietatem communico. Aliqui Patres conquesti sunt quod nimiae licentiae dentur assistendi congregationibus generalibus, personis sive ecclesiasticis sive laicis, quae partem non habent in Concilio. Forsan ego in praecedentibus periodis largior fui. Ex alia parte perveniunt ad me centenae et centenae petitiones, ex parte Patrum. Superiores mihi mandatum dederunt ut maxima moderatio adhibeatur. Quapropter commendo vobis, ne nimias petitiones faciatis. Dolet respondere negative. Si quae petitio fit, fiat ab Ordinario, cum explicatione causae gravis, cur petitio fiat, praesertim si petitur licentia pro pluribus diebus. Hoc est mihi mandatum. Quapropter conabor omnibus satisfacere, sed non ultra mandata. Ergo parcatis mihi iam nunc si negative respondere debebo, saltem aliquibus vicibus. Hoc dico quia aliquod incommodum habitum est elapsis sessionibus pro licentiis datis. Et praefero ut commendatio fiat ab Ordinario, cum indicatione causae ob quam petitur licentia. Excusate me!

Nunc, hodie sunt assignatae vobis Patribus sedes. Officiales, qui regesta paraverunt quae vidistis, tota nocte laboraverunt, tota nocte, et ego ipse qui eram supra locum ubi ipsi laborabant comperivi eorum laborem. Proh dolor! aliqui Patres — non numero — heri non erant praesentes; quapropter non potuit dari sedes praecisa omnibus et quidem sine sede hodie manserunt. Ergo habeatis patientiam. Post aliquos dies, cum Patres erunt numerosiores, videbimus adhuc hanc quaestionem et resolvemus, quantum potis erit.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXIX

16 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXIX

16 septembris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Velint Patres audire! Missa celebratur de Ss. Cornelio et Cypriano, Martyribus.

Cantus sumuntur e communi Martyrum exstante in libello Missarum, nn. a 56 ad 60.

Oratio fidelium: schema II, n. 87, et dicitur in cantu peculiari.

Epistola erit a cap. I Actuum Apostolorum. Evangelium e cap. XIII S. Ioannis, secundum Ordinem proprium quartae periodi.

Missam celebrat exc.mus D. Michaël Callens, arch. tit. Moxoritanus, prael. null. Tunetensis in Tunisia.

Velint Patres tantum repetere antiphonam ad introitum post quemque psalmi versiculum ac post *Gloria Patri*. Gratias.

Exc.mus P. D. Pericles FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 129 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Prosequitur disceptatio super schemate *de libertate religiosa*. Verbo uti petierunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (Saint Louis); Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi de Chilia (Santiago del Chile); Paulus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum; Ioseph Slipyj arch. Maior Leopolitanus; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; exc.mi DD.: Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis in Hispania; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis (Tainan); Ioannes Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis (Hsia-Men); Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis in Hispania; Simon Lourdusamy, arch. coad. Bangalorensis in India; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanus in Argentina (Tucumán); Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Eduardus Mason, vic. ap. de « El Obeid »; Ioseph Marafini, ep. Verulanus in Italia (Veroli-Frosinone); Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Æmilius Tagle, ep. Vallis Pa-

radisi in Chilia (Valparaiso); Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania (Zaragoza).

Antequam disceptatio incipiat, rogo praesides conferentiarum episcopalium, quae vel iure constitutae sunt vel de facto exsistunt et operantur, ut mihi notum faciant quam primum nomen praesidis, nomen officiale conferentiae episcopalis et domicilium romanum eiusdem praesidis. Ergo: nomen praesidis, nomen officiale conferentiae episcopalis et domicilium romanum eiusdem praesidis. Cum domicilio indicent quoque numerum telephonicum. Numerus telephonicus quo possit facile perveniri ad personam, nam quandoque frustra utimur numeris telephonicis indicatis!

Si quae conferentia habet praesidentiam collegialem, respondeat tantum senior inter collegas.

Si autem habentur parvae conferentiae, vel iure constitutae vel facto exsistentes, quae in aliquam confoederationem unitae sunt, rescribat praeses illius confoederationis, indicando tamen quaenam sint illae conferentiae quibus ille praeest, de facto saltem.

Potest contingere, venerabiles Fratres, ut praeses conferentiae non sit heic Romae, et tunc est certissime aliquis Pater qui eius vices gerit Romae si conferentia coadunatur. Bene! Respondeat hic vices gerens. Non debet respondere praeses conferentiae qui est v. g. in sua natione.

Puto me omnia clare dixisse. Ceterum, praesides qui aliquas explicationes ulteriores volunt, possunt a me quaerere hic in aula, nam praesides non multi sunt.

Quamprimum igitur velint mittere ad me omnia quae quaesivi.

Communico nunc Patribus ordinem schematum discutiendorum et suffragationum faciendarum. Velitis notas scribere.

Schemata discutientur hoc ordine: 1. *de libertate religiosa,* et nunc disceptatur; 2. *de Ecclesia in mundo huius temporis;* 3. *de activitate missionali Ecclesiae;* 4. *de ministerio et vita presbyterorum.*

Habentur autem duo schemata, quae sunt suffragationi subiicienda et quidem triplici consueta formula: 1. *de divina revelatione;* et suffragationes incipient a die 20 septembris, nempe feria II proxima; et, crastina, dabitur vobis elenchus suffragationum; 2. *de apostolatu laicorum;* et etiam huius schematis dabitur suo tempore, ante aliquot dies, elenchus suffragationum.

Denique erunt quinque schemata suffraganda tantummodo quoad modos; et pro his habebitur suffragatio per duplicem tantum formulam, nempe *placet* vel *non placet,* naturaliter per partes, ut fieri consuevit, nam modi sunt multi, possunt esse multi. Huiusmodi schemata sunt — hic est ordo statutus: 1. *de pastorali episcoporum munere in Eccle-*

sia; 2. *de accommodata renovatione vitae religiosae;* 3. *de educatione christiana;* 4. *de institutione sacerdotali;* 5. *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas.*

Fasciculi, qui continent hos modos, distribuentur vobis gradatim, his diebus.

Hodie distribuetur fasciculus continens modos schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Alii fasciculi commode vobis distribuentur posterioribus diebus.

Si quae alia communicatio facienda erit, decursu huius congregationis eam faciam.

PATRUM ORATIONES

(*De libertate religiosa*)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMAR CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Fratres,

Magnum gaudium exprimere velim de documento quod nunc consideramus. Gratias agamus omnes illis ex secretariatu qui diligentissime laboraverunt ut affirmationem libertatis religiosae firmam, claram, et praecisam reciperemus. Labor eorum nihil relinquit desiderandum — nihil, ut ita dicam, nisi approbationem sine mora et tempore opportuno promulgationem!

In hac maxima aula nemo est qui ignoret totum mundum Romam aspicere et documentum exspectare quod permultorum corda laetificet et vitam amelioret. Nec caritas nec iustitia nec fidelitas aut dilationem aut recusationem nobis permittet.

Primo, « caritas Christi urget nos » ut documentum iam acceptum approbemus. Multis in regionibus mundi homines quasi sine numero persecutiones patiuntur solummodo propter vitas quas sinceras ducere intendunt secundum fidem et conscientias proprias. Sine ulla difficultate, quasi per unum verbum, fratres carissimi, possumus praestare multis, si non omnibus, ut pacem inveniant in qua Deum secundum conscientias colere ac veritatem vitamque Christi abundantius participare possint. Quae cum ita sint, num caritas silentium permittit?

Insuper, ut sincere et aperte loquar, declaratio de libertate religiosa multis debetur ex iustitia — et in sensu pleno. Etenim in aliquibus na-

tionibus catholicis, fratres nostri in Christo — utique separati, germani tamen — multa patiuntur propter conscientias sinceras et vere christianas. Saltem in aliquibus casibus, tales persecutiones religiosae originem habuerunt in ...[1] praescriptis ecclesiasticis. Nonne reparandae sunt nobis conditiones iniustae ex nostra actione provenientes? Nemo dicat has conditiones saltem in parte non provenisse ex actione catholicorum quasi-officiali.

In fine, nisi declarationem firmam et claram de libertate religiosa approbaverimus, multa in constitutione conciliari *de Ecclesia* et in decreto *de œcumenismo* iam *promulgatis,*[2] sine sensu, sine valore, sine veritate remanebunt. Fides, seu fidelitas, quae erga nos et erga alios servanda est, non permittit ut in hac re simus indifferentes. Etenim constitutio *de Ecclesia* docet Spiritum Sanctum in omnibus nationibus omnique tempore gratiam conferre salutemque operari. « Divina Providentia auxilia ad salutem necessaria non denegat his qui sine culpa ad expressam agnitionem Dei nondum pervenerunt et rectam vitam non sine gratia divina assequi nituntur. Quidquid enim boni et veri apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur et ab Illo datum qui illuminat omnem hominem, ut tandem vitam habeat ». Insuper, « Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore *pacifice* uniantur ».

Proinde, fratres carissimi, omnes persecutiones religiosae, ut mihi videtur, militant adversus Spiritum Eiusque actionem et gratiam. Libertatem religiosam promovere nonne est illam pacem fovere in qua homines vocem Spiritus melius audire et illi promptius respondere possunt? Approbemus ergo hanc declarationem *de libertate religiosa* ne negligentia nostra inter Evangelii inimicos mereamur numerari. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] concordatibus et. [2] promulgata.

2

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Textus reemendatus schematis declarationis *de libertate religiosa,* nobis placet et quoad ordinem tractationis, et quoad argumenta adhibita, et quoad emendationem textus prioris.

Obiectum declarationis est determinatum et limitatum: agitur de iure concreto personae et communitatum in re religiosa.

Notio libertatis, tam ampla et analogica, est in schemate omnino restricta et quidem clare secundum distinctiones bene propositas in Relatione in pagg. 41-42.

Circa textum ipsum aliquas habemus observationes faciendas, quas textui profuturas esse humiliter censemus; has vero non legemus, sed in scriptis trademus.

Hic autem explanare nunc cupimus non argumenta ius libertatis religiosae probantia, sed rationem aliquam pastoralem qua « declarationem » istam cum gaudio approbamus: schema *de libertate religiosa* nobis, qui sumus pastores, placet praesertim quia implicat novam mentem in activitate apostolica, extollentem sensum spiritus et libertatis in nuntio Evangelii, et potius quam consectaria relativismi ducit ad consectaria maioris responsabilitatis.

1. *De oeconomia libertatis.* Secundum affirmationem S. Irenaei in suo opere « Adversus Haereses », Novum Testamentum est « oeconomia libertatis » ...[1]; apostoli a Christo missi « libertatis Novum Testamentum dabant his qui nove in Deum per Spiritum Sanctum credebant » ...[2]; « veritatis fuerunt praedicatores et apostoli libertatis » ...[3]

Apostolorum successores accipiunt missionem spiritualem ad hanc libertatem promovendam: sunt, ut verbis S. Irenaei utar, « apostoli libertatis ». Deus enim homines invitat non vi nec metu, nec allicentia divitiarum temporalium, nec conniventia cum potentibus huius saeculi, sed Verbo suo, Iesu Christo, qui est verbum vivum et efficax, penetrabilius gladio ancipiti ...[4]. Iesus Christus, ut asserit S. Ioannes, est veritas quae liberat homines ...[5]; spiritum veritatis effundens, suam actionem liberatricem perficit, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas ...[6]

Schema nobis propositum implicat valorisationem huius sensus evangelici et sic multum iuvabit ad hoc ut christianismus melius appareat quam maxime consonus cum illa dignitate personae humanae, cuius vivam perceptionem in dies augescere videmus.

2. *De activitate apostolica in oeconomia libertatis.* Ista declaratio *de libertate religiosa* revera nos invitat ad subiciendam examini profundo totam activitatem apostolicam populi Dei. Gratias agamus Deo pro isto examine conscientiae omnino indispensabili in hac hora magnae evolutionis humanae.

Activitas apostolica populi Dei ad personas dirigitur, et quidem ad suscitandos earum actus liberos ...[7]. Ad hoc autem obtinendum est hodie necessarium ut vigilanter se abstineant apostoli ab omni specie coac-

tionis: sive ab ea quae inducitur per nimiam confidentiam in pecuniis et divitiis, sive ab actione propagandistica non servante debitam reverentiam erga personam, sive a dependentia ab auctoritate politica in Evangelio praedicando, sive a sic dicto « proselytismo ».

Nunc autem: ista omnia de vitanda quacumque coactione in conversione, non solum consideranda sunt quoad habitudinem ad paganos, et ad christianos non catholicos, sed valent quoque, et hoc pastoraliter considerandum est, et quoad habitudinem Ecclesiae ad domesticos fidei. Nam affirmatio de libertate religiosa respicere debet non tantum accessum ad fidem, sed etiam permanentiam in ea; activitas enim fidei est omnino libera, non solum in sua origine, sed et in tota sua vitalitate. Iuxta sapientem paedagogiam in sacris Evangeliis nobis traditam, omni quo par est conatu, vitandum est quidquid redolet usum mediorum non spiritualium pro servandis credentibus in fide et in praxi disciplinae Ecclesiae. Nulla enim coactio politica, vel oeconomica, vel sociologica, vel psychologica, quae personam laedet, medium est aptum ad servandum fidei assensum. « Deus ipse — dicit schema declarationis — homines ad inserviendum Sibi vocat, non vero coercet » ...[8]

Vitandum est tamen ut, sub specie libertatis, omnis subiectio reiiciatur ac debita oboedientia parvi fiat ...[9]; e contra dicendum est in oeconomia libertatis peculiarem ac profundiorem dari debere sensum auctoritatis, sive in christifidelibus qui hilari ac filiali oboedientia eam conspiciunt ut sacramentum paternitatis divinae ad consecutionem verae libertatis, sive in ipsis pastoribus qui, missionem suam a Patre receptam, ut ministerium pro fratribus et instrumentum eorum liberationis cum caritate et abnegatione plena adimplent.

3. *De necessitate Ecclesiae secundum oeconomiam libertatis*. Denique, ex consideratione istius sensus libertatis deducere possumus peculiarem aspectum responsabilitatis baptizatorum quoad affirmationem necessitatis Ecclesiae, extra quam nulla salus. Possumus enim considerare istam necessitatem Ecclesiae in sua dimensione dynamica et personali. Ipsi baptizati constituunt istam Ecclesiam; ipsi ergo sunt necessarii in sua activitate formaliter christiana, i. e., in sua navitate libera per gratiam Christi vivificata.

In historia salutis necessaria est Ecclesia pro unaquaque generatione humana quae indiget libera activitate apostolica christianorum peregrinantium; gratia salutis, quam Christus omnibus hominibus diversimode donat, ab ista libera activitate apostolica de facto pendet: ab oratione, a sacrificiis, ab evangelizatione, a laboribus missionariis, et cetera, uno verbo, a navitate supernaturali membrorum Ecclesiae peregrinantis.

Maximi ergo est momenti in Ecclesia omnis activitas libertatis a caritate Christi mota, sive in singulis personis sive in communitatibus; potius quam metum ob libertatis abusum excolere debemus amorem pro libertatis usu: maior enim est amor Patris erga liberam oblationem Christi in cruce et erga merita electorum, quam eius detestatio pro libertatis abusu omnium peccantium.

Caritas Christi urget omnes christianos non solum « ut amanter, prudenter, patienter, agant cum hominibus » ...[10], sed etiam ut christianam libertatem quam maxime fructificare satagant ad homines suae generationis salvandos.

Nostra declaratio ergo, quin impulsum evangelizationis et sensum missionarium christianorum deprimat aut debilitet, eum potius extollit ac impellit ad melius et intensius operandum secundum naturam evangelicam fidei. Textus nobis propositus nulli omnino favet relativismo, e contra, maiorem exigit navitatem apostolicam secundum spiritum veritatis et libertatis.

Venerabiles Patres, Verbum et Spiritus Sanctus, et exinde omnes per saecula apostoli, a Patre mittuntur ut extruant eius Regnum, quod est revera « Patria libertatis »; omnes enim, ut dicit apostolus, « in libertatem vocati » sumus ...[11], quinimmo « et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei » ...[12]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (lib. III, 10, 5). [2] (*ibid.* 12, 14). [3] (*ibid.* 15, 3). [4] (cf. *Hebr.* 4, 12). [5] (cf. *Io.* 8, 32). [6] (*2 Cor.* 3, 17). [7] (cf. decl. pag. 8, lin. 14). [8] (pag. 14, linn. 25 ss.). [9] (cf. decl. pag. 19, linn. 37-39). [10] (decl. pag. 18, linn. 23 s.). [11] (*Gal.* 5, 3). [12] (*Rom.* 8, 21).

Animadversiones scripto traditae:

Animadversiones generales: 1. Textus, qualis nunc proponitur, perfectior absque dubio iudicandus est. *In genere ergo placet.* Optatur ideo ut, non multis emendationibus magni momenti inductis, Patrum positivo suffragio fulciatur.

2. Valde placet omissio earum rationum quae in textu tertia sessione perdurante distributo inveniebantur sub n. 2, quae iustificationem redolebant in hoc documento innecessariam et postea certe a theologis faciendam.

3. Bene etiam permulta quae in textu priori de vera religione sub n. 3 disserebantur, pariter deleta sunt. Scopus enim et natura huius Declarationis minime indigent illis verbis, pro non catholicis inintelligibilibus et in hoc contextu fere iniuriosis. Textus tamen « reemendatus » de hac re non silet, verbis accuratis simul ac ponderatis.

4. Res quoque pretii est quod nucleus declarationis, sub n. 2 contentus, perspicuus, concinnus nec non brevis est.

5. Ordo quoque totius documenti magis logicus ac simplex evasit.

Animadversiones ad particularia. Ad n. 1. Pag. 5, linn. 1-14: Proponitur nova redactio huius numeri, quae dicendi rationem respicit, minime vero doctrinam: « Dignitas humanae personae, cuius homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt, postulat ut ii in agendo proprio suo consilio ac libertate fruantur, sintque non coercitione commoti sed officii conscientia. Quae quidem libertatis exigentia in societate humana ea maxime respicit, quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit declarare quantum sint veritati et iustitiae conformes; simulque de thesauro doctrinae sibi divinitus traditae, nova et vetera proferre, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt ».

Ad n. 2. Pag. 6, lin. 19: Post verbum « religiosa » addatur « ab externa coercitione ». Sic denuo inculcatur sensus huius libertatis secundum ea quae supra (in linn. 1 ss.) dicta sunt.

Pag. 6, linn. 25 ss.: Proponitur mutatio huius commatis hoc modo: « Ratio itaque huiusmodi libertatis religiosae, minime adversatur doctrinae catholicae de unica vera religione et de necessitate Ecclesiae Christi ad salutem ». *Ratio*: Nova redactione proposita melius ostenditur nexus inter hanc orationem, quae est veluti conclusio, et praecedentia ex quibus conclusio profluit. Porro formula in textu adhibita « intactam reliquit » sic interpretari posset ac si esset hic sermo de doctrina omnino independens, ex qua posset suspicari detrimentum pro doctrina catholica.

Ad n. 3. Pag. 3, linn. 11 s.: Scribatur: « Dictamina vero huius legis divinae homo nonnisi mediante conscientia sua percipit et agnoscit ». *Ratio*: Substituitur verbum « semper » quia ambiguum in hac phrasi, et insuper paululum mutatur ordo orationis, claritatis causa.

Pag. 7, linn. 14 ss.: Scribatur: « Quapropter tenetur quisque, etiamsi ad explicitam Dei cognitionem non pervenerit, in universa activitate sua propriam conscientiam sequi... ». *Ratio*: Verba cuius additio proponitur exhibent sensum Const. Dogm. De Ecclesia, « Lumen Gentium », n. 16 (cf. *A.A.S.,* vol. 57, 30 ian. 1965, pag. 20). Hac additione clarius ostenditur nexus inter conscientiam et tendentiam in Deum. Deinde additur verbum « propriam » ut apertius appareat hic agi de conscientia personali, etiam erronea. Cf. S. Thom. I-II^{ae}, 19, 5, in c.: « Unde dicendum est simpliciter quod omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala »; ibid. ad 2: « Quando ratio errans proponit aliquid ut praeceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et Dei praeceptum ».

Pag. 8, lin. 7: Scribatur: « ... iuxta suam conscientiam et intra debitos limites ». *Ratio*: Verbum « videlicet » sic sonat ac si conscientia idem esset ac debiti limites, quod saltem perspicuitate caret. Melius si, ut proponitur, debita distinctio sublineetur.

Pag. 8, linn. 25 s.: Deleantur verba « debitos limites non excedens ». *Ratio*: Non apparet cur iteretur quod supra (linn. 7 s.) iam dictum est. Contextus etenim semper respiciendus est.

Pag. 8, lin. 36: Duae citationes S. Thomae quae afferuntur in pag. 22 non videntur ad rem. Melius videtur ut deleantur.

Pag. 9, lin. 8: Transferantur in hunc locum ea quae leguntur sub n. 5, pag. 11, linn. 13-20, et quidem parva emendatione inducta: « Regimen vero libertatis religiosae non impedit... observetur ». *Ratio*: Res de qua in hac alinea, melius

congruere videtur cum iis quae in pag. 9, linn. 1-8 dicuntur, ubi de modo sese gerendi Status, quam cum verbis generalibus et sollemnibus initii pag. 11. Notandum est quod specialis agnitio potius veluti exceptio considerari debet.

Pag. 9, lin. 12: Deleantur verba « intra debitos limites ». *Ratio*: Non videntur necessaria et iam paulo supra allata sunt (cf. pag. 8, linn. 7 s.). Recole ea quae dicta sunt ad pag. 8, linn. 25 s.

Ad n. 4. Pag. 9, lin. 15: Post verbum « Ius » addatur « tamen »; sic enim melius currit concatenatio idearum, praesertim post suppressionem verborum « intra debitos limites », in lin. 12.

Pag. 9, linn. 18 s.: Deleatur phrasis « Quarum prima est principium legis moralis observandae ». *Ratio*: Phrasis est nimis abstracta et, attentis postea dicendis, superest.

Pag. 9, linn. 19 s.: Scribatur: « In vita enim sociali eminet principium responsabilitatis personalis et socialis; in iuribus nempe suis... ». *Ratio*: Sic melius apparet idearum consecutio et nexus cum praecedentibus.

Pag. 9, lin. 29: Suadetur ut pro verbis « invocato titulo » scribatur « praetextu ». *Ratio*: Quamvis verba quae in textu usurpantur innuunt non agi hic de re ex ipsa natura libertatis religiosae profluente, idem clarius exprimitur verbo proposito. Vel posset adhiberi utrumque: « ... invocato titulo seu praetextu... » sicque aequivalentiam ostenderetur.

Pag. 10, linn. 5 ss.: Suadetur redactio paulo immutata: « Exercitium ergo religionis in societate, legitime potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis si et in quantum contingat vel pacem perturbari publicam vel publicam violari moralitatem, vel iura laedi aliorum ». *Ratio*: Formula proposita est forsitam magis directa et magis accurata, ope praesertim verborum « si et in quantum ».

Ad n. 5. Pag. 10, linn. 14 ss.: Scribatur: « Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est *e* praecipu*is* cuiusvis potestatis civilis offici*is* ». *Ratio*: Textus schematis videtur nimis absolutus, propterea proponitur parva emendatio ad menten notae 9.

Pag. 11, linn. 13-20: Haec paragraphus, correcta quidem, transferatur ad pag. 9, post lin. 8, ut in illo loco notatum est. In correctione istius paragraphi tamen praeferenda videtur alia redactio quam in scriptis tradimus, nomine quoque aliorum Patrum in folio separato.

Ad n. 6. Pag. 12, lin. 9: Post verbum « semper », addatur « illis », claritatis causa.

Pag. 12, lin. 12: Post verbum « quando », addatur « de pueris ». *Ratio* est quia proselytismus exerceri potest etiam erga pueros.

Ad n. 7. Pag. 12, lin. 28: Deleantur verba « sub moderatione parentum ». Loco « his », scribatur « Familiae ».

Pag. 12, lin. 31: Loco « ius parentum » dicatur « ius *familiae* ».

Pag. 12, lin. 35: Loco « iura parentum », scribatur « iura *familiae* ». *Ratio* istarum emendationum: Ne aliquid praeiudicetur de usu libertatis religiosae in sinu ipsius familiae, praesertim si prae oculis habemus quod notio ipsa « familiae » non est univoca ut apparet ex consideratione conditionum familiae in aliquibus regionibus.

Ad n. 8. Pag. 13, lin. 1: Scribatur « Quae de iure hominis *et communitatum* ad libertatem... ». *Ratio*: Sic melius servatur scopus iam in titulo Declarationis expositus.

Ad n. 9. Pag. 13, lin. 22 s.: Supprimatur punctum hoc modo: « ... sanctum inivit (...); *illum deinde paulatim* per Prophetas edocuit... ». *Ratio*: Ut melius appareat continuitas argumenti.

Pag. 13, linn. 28-34: Scribatur: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* 4, 5). In cordibus eorum caritatem Dei diffudit per Spiritum Sanctum, quem dedit eis (*Rom.* 5, 5), ut quicumque Eo aguntur, iam non sunt servi, sed filii Dei (*Rom.* 8, 14; *Gal.* 4, 7) in libertatem iam vocati (cf. *Gal.* 5, 13)... ». *Ratio* harum emendationum est ut magis servetur fidelitas erga textus paulinos.

Pag. 14, lin. 1: Post verbum « Caesaris », addatur nota cum referentia ad *Mt.* 22, 21 et loca parallela.

Ad n. 12. Pag. 17, lin. 19: Scribatur: « Praeterea christifideles sicut ceteri homines (vel: " sicut omnes homines ", vel etiam " eo quod sint homines ") ». *Ratio* huius emendationis est ut vitetur species quaedam comparationis inter christifideles et reliquos homines. Forsitan praeferenda est formula « eo quod sint homines ».

Pag. 17, linn. 21-24: Proponitur ut pro alinea quae incipit « Concordia... » usque ad « ... agnoscenda », scribatur: « Ecclesia itaque sibi nihil plus exigit quam id quod omnibus agnoscit ». Haec redactio commendatur brevitate, perspicuitate, et esset formula omnino intelligibilis unicuique hominum. Verbo « exigit » clare exprimitur Ecclesiam posse aliquid amplius libere sibi oblatum acceptare.

Ad n. 13. Pag. 18, lin. 22: Proponitur additio hoc modo: « ... strenue, *iustis tamen adhibitis mediis* (vel: *" evangelicis adhibitis mediis "*, quod forsan melius est), defendi ». *Ratio*: Oportet vitare interpretationem secundum quam sub verbo « strenue » aliqua lateat aggressivitas.

Ad n. 14. Pag. 19, lin. 39: Post verbum « faciant » proponitur ut addatur: « quod hodie praesertim periculum non spernendum constituit ». Sic phrasis magis completur et simul iudicium aliquod de hac re profertur.

* * *

Proponitur particularis emendatio. In pag. 11, sub n. 5, linn. 13-20, invenitur paragraphus circa agnitionem specialem alicuius communitatis religiosae in concreta ordinatione iuridica Status. De hac re plura occurrunt observanda:

1) Negative: *a*) Non agitur de iudicanda veritate alicuius religionis, nam hoc excedit competentiam Status qua talis; *b*) Non agitur de tali agnitione quae secumferret iniustam conditionem aliarum communitatum vel personarum.

2) Positive: « Specialis agnitio », si datur, sese ad comprobationem facti sociologici refert.

3) Attamen: *a*) Difficulter determinari potest in quo consistat quousque pergere possit haec « specialis agnitio ».

b) Quid faciendum si civis ad supremam magistraturam Status evectus non profiteatur religionem specialiter agnitam? Prae oculis habenda est conditio non tantum nationis maioritatis catholicae, sed etiam aliae religionis. Nonne melius pro omnibus esset si Status hanc quaestionem non ingrederetur?

c) Quamvis negari nequeat iustitiam in regimine specialis agnitionis servari posse, tamen neminem fugit his in rebus magnum periculum latere.

Quapropter, si textus servandus iudicatur, tunc emendandus videtur hoc vel simili modo, ad mentem dictorum em.mi card. Alfrink: « Si, attentis peculiaribus populorum historicis circumstantiis, *alicui vel aliquibus* communitatibus religiosis specialis *quaedam* agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, id *tantummodo* eo pacto fieri potest ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et servetur, *neque praetextu illius specialis agnitionis aliorum iura vel indirecte minuantur* ».

Hoc modo res melius proponitur: argumentum sub specie hypothesis ostenditur, non veluti ad factum concretum sese referens. Insuper limites huius agnitionis aliquo saltem modo designantur praesertim verbis sublineatis.

Hanc emendationem proponunt Patres, quorum nomina sequuntur: Sergius Mendez, ep. Cuernavacen., Alafridus Viola, ep. Salten., Raimundus Salas, prael. null. Aricen., Aloisius Baccino, ep. S. Ioseph de Mayo, Iosephus Emm. Santos, ep. Valdivien., Wladimirus Boric, ep. de Punta Arenas, Franciscus Fresno, ep. Copiapen., Augustus Salinas, ep. Linaren., Robertus Caceres, ep. Melen., Iulius Laschi, ep. Abiden., Carolus Partelli, ep. Tacuaremben., Michael Balaguer, ep. Castelmin., Hannibal Maricevich, ep. Diocletian., Marcellus Mendiharat, ep. Zerten., Fcus. a Borgia Valenzuela, ep. Antofagasten., Candidus Rada, ep. Guaranden., Ismael Rolon, ep. Caacupen., Franciscus Gillmore, ep. Auzien., Alexander Durán, ep. Ancudien., Henricus Alvear, ep. S. Philippi.

3

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Centum annis post illas condemnationes errorum saeculi praeteriti, contra veram notionem libertatis religiosae, a Pio IX latas, quae tantas et varias commentationes habuerunt, nostrum Concilium, in idem problema libertatis arduum, attentionem dirigit, sed cum mentalitatum et circumstantiarum historicarum diversitate.

Liceat mihi *observationibus quas iam ad secretariam misi de doctrina in schemate de libertate religiosa proposita, duas alias hic adiungere.*[1]

1. *Agitur de terminologia schematis.* Nostra aetate, quaestio de terminologia est, plus quam in temporibus anteactis, maximi momenti, dum evolutio mentalitatum citior fit (vicesimum primum saeculum iam initium habet), et vocabula a christianis et a non credentibus saepe saepius eadem propagantur quin eumdem sensum habeant.

Illa velocitas evolutionis, etenim, a Concilio nostro in schemate praesenti et in schemate praesertim *de Ecclesia in mundo huius temporis,* adaptationem, ut ita dicam, citiorem, necessariam reddit, quinimmo et quasi propheticam, ne considerationes sint evolutioni praesenti inadaequatae, sed cum conceptionibus, ex experientia intellectuali et practica mundi huius, relationem arctissimam habeant.

Vocabula vero, dum saepius pro nobis e systematibus certis philosophicis et theologicis promanant, et in eis solis sensum suum plenum habent, non videntur aptari eisdem vocabulis quibus mundus hodiernus abundanter utitur. Mundus enim *ea vocabula*[2] idearum abundantia ditat, e diversis disciplinis ortarum, scil. culturali, sociali, historica, etc. a nostris systematibus valde diversis.

Problemata denique mundi huius e vita oriuntur, ab exsistentia concreta initium sumunt, et inductionem quamdam supponunt, dum e principiis aeternis ad concreta iter facere assueti fuimus.

Omnia haec ad dialogum necessaria, dialogi sunt fundamenta, et his omnibus uti non debemus, nisi ratione habita mentalitatis saeculi et problematicae, quae dicitur, mundi in quo vivimus et futuri quod praeparare habemus. Dialogum, dico, cum hominibus qui censent se non posse credere, et cum mundo hodierno qui patitur se Deum non invenire et in Incarnationem Verbi divini se non posse credere, et qui in materialismo dialectico liberationem quaerit ad paradisi terrestris beatitudinem stabiliendam.

Ideoque considerationes nostrae non desursum evolvi debent et quasi obiectivo modo, sed manandae sunt e vita hominis qui ad fidem vocatus est, et de eius profunda experientia spirituali et secundum oeconomiam vitae divinae mundo sese revelanti.

His omnibus perpensis, mihi videtur schema *de libertate religiosa,* quod multis fulget qualitatibus, reconsiderandum esse in luce huius nostrae primae considerationis.

2. *Consequenter: Agitur de methodo nostri schematis in exponenda doctrina.* Methodus adhibenda in exponenda doctrina de libertate religiosa non debet esse theologica et metaphysica, sed in experientia fundata et per vitae semitas progrediens, usquedum fides in libertatem lucem veram iniiciat, valorem profundiorem ei ex intimo det, et homo non credens in hac fide inveniat plenitudinem desideriorum suorum; siquidem Ecclesia conscientiam suiipsius habet, non in aliqua deductione a priori ex principiis aeternis promanante, sed dum mundus ei obviam venit; siquidem etiam Evangelium actualitatem suam ex tentationibus, problematibus et quaestionibus hominis sumit.

Libertatem igitur homo experitur, dum ubicumque et ex antiquis eam quaesivit et eius iura fortiter propugnavit. Illam situationem concretam e natura hominis originem sumit et a dependentia reali postulatur quam homo se sentit exprimendam erga Ens supremum a quo vita sua pendet; siquidem libertas religiosa factum universale est, ex intima conscientia oriens et omnibus societatibus idem problema et easdem exigentias, mutatis mutandis, semper imponens.

Methodus igitur ingrata esset proponendi conditiones a priori libertatis e veritatibus aeternis manantes, quia non videtur veritas nec realitas ulla, illo modo, constitui et evolvi. Libertas vero religiosa suum ambitum terrestrem et quasi carnalem habet in quo nascitur, in quo evolvitur et progreditur, et sine quo nec intelligi nec fundamentum iuridicum realem habere potest; ille ambitus consideratur vel individualis vel socialis; in eo, non alio modo, experitur libertas cum omnibus suis difficultatibus, tentationibus, excessibus et defectibus. Secundum omnia haec mensuranda est libertas realis, intelligitur in suis exigentiis et intelligitur etiam Status interventus ad ordinem publicum servandum et defendendum.

Dignitas vero personae humanae in qua insistit schema praesens ad iustificandam libertatis religiosae existentiam, non est rationi pervia, nec illa imago Dei quae non est nisi reflexionis et fidei christianae consectarium. *Posset,*[3] in cursu indagationis, constituere quasi secundum gradum ascensionis nostrae ad clarificandam libertatis realitatem et ad mentem conducendam in radices illius realitatis quae homini, plus quam desiderat, lumen serenum offerent.

Sic, mihi videtur, iustificatur libertatis religiosae necessitas, per inviolabilem personae humanae dignitatem, quam exprimit et in qua apparet.

Liceat tamen adhuc progredi et tertium gradum ascendere, scil. fidem, cuius actus personam humanam in suo esse vero constituit et in quo intelligitur interioritas, quam maxima, personae in relatione cum Deo, in una relatione « JE-TU » amicitiae, quae in structura personali hominis intrat. Illa relatio tam realis et profunda est, ut constituat dialogum veritatis, fiduciae et amoris. In illa relatione, veritas et libertas tam arcte connectuntur ut una sine altera esse non possit. Ideoque fides, in qua manifestatur activitas quam maxime personalis hominis in optione sua fundamentali relate ad Absolutum Personale, fundat libertatem religiosam et eam exigit. Fides, igitur, vera esse non potest, quin sit libera.

Tunc vero ...[4]

Moderator: Em.me Domine, pergas ad conclusionem!

Orator: Melius est quod dixi. Sufficit! Pauca verba remanent.

Moderator: Gratias, em.me Domine!

In textu scripto tradito: [1] praeter alias quas iam ad secretariam misi, duas observationes facere de schemate de libertate religiosa. [2] eis vocabulis. [3] Possent. [4] Tunc vero exemplum Christi Domini et apostolorum potest esse quasi iustificatio illius libertatis religiosae in fide fundatae, quod exemplum rationem plene reddit praedicationis Iesu Christi et testimonii apostolorum, ad quae non necessitantur homines, sed libere et sponte a Patre alliciuntur. Conclusio: Methodus schematis praesentis theologica et metaphysica esse non debet, sed magis exsistentialis et in circumstantiis concretis radicata, quod gallice interpretatur « les conditionnements historiques et sociaux ». Si vero illa methodus recognoscatur, quasi sponte reconsiderantur vocabula et problemata textus nostri, ut sint evolutioni saeculi consona et mentalitati hominum nostri temporis accommodata, ne in vacuum laboremus et simus quasi vox clamantis in deserto.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SLIPYJ

Archiepiscopus Maior Leopolitanus Ucrainorum

Venerabiles Fratres et Patres,

Loquar nomine aliquorum patriarcharum et episcoporum orientalium et conferentiae episcoporum Ucrainorum.

1. Ventura saecula et futurae generationes sine dubio admirata fuerint immensum laborem impensum a Concilio Vaticano II in defendendo schemate *de libertate religiosa,* quamvis veritas ipsa luce clarius pateat et nemo id *serie* [1] negavit. Sicuti libertas necessaria est ad vitam physicam et corporalem fovendam, ita etiam ad vitam spiritualem, cuius religio semper centrum constituit. Attamen omne Concilium, necessitatibus sui temporis in Ecclesia emergentibus, remedium procurare sibi proponit, contra errores fidei, haereses, abusus disciplinares, transgressiones legis, crimina moralitatis, etc. Qua de causa et Concilium Vaticanum II ex professo quaestionem de libertate religiosa movet, quia haec dolorosissime vitam Ecclesiae contemporaneam afficit. Eoque magis quod schema nostrum cum constitutione dogmatica *de Ecclesia* intime coniunctum est. Quamvis persecutio et oppressio Ecclesiae decursu saeculorum a Domino Nostro Iesu Christo praedicta sit, attamen nostris temporibus haec calamitas gravior, vehementior et universalior prae

anterioribus saeculis evasit, et Concilii attentionem in primo loco prae ceteris aliis attrahit. Ideo clarius et expressius hoc dicendum est in initio ipsius introductionis quamvis brevissime, ne schema tantum ut theoreticum et academicum appareat, neque sine ulla generaliori ratione adducta schema indeferenter de dignitate personae incipiat. Ratio libertatis religionis clare et fortiter in initio schematis reddi debet, uti multi Patres Concilii ardenter iam desiderabant.

2. Reemendatus textus pluribus defectibus purgatus est, tantum manet ut quibusdam imperfectionibus liberetur. Immunitas a coercitione et vi non solum indispensabilis proprietas Ecclesiae est ut ex revelatione et ratione probatur, sed etiam ad uniuscuiuscumque Status salutem et bonum pertinet ne ipse suis civibus et subditis onus sit insupportabile, a quo iure merito cives se liberare in intimo suo corde semper desiderium fovent et data occasione *etiam* [2] vi ad actum reducunt. Ultimis decenniis elaboratae sunt a sociologis limites *intra* [3] ius personae humanae et Status, quae etiam hodie sub respectu religionis agnitae sunt, ut cives pacifice vivant et bonum suum prosequantur et ut finis ultimus non solum a singulis hominibus, sed etiam a societatibus et Statibus assequatur. Concilium has rationes quoad limites religionis sufficienter supplet.

3. Si ad magis concreta transeamus, in n. 4 schematis non superfluum esset addere post verba: « Exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum, *de facto vere et non ficte* », ne ianua aperiatur abusibus et excusationibus in Statu *praesertim* [4] religioni hostili.

Ad 5: « Huic Vaticanae Synodo *in firmis* votis est ... ».

Ad 6 ...[5]: « Praeterea in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales, *scientificas* constituere *omniaque quae ad vitam religiosam colendam et evolvendam necessaria sunt* ».

Ad 7: « Potestas civilis iura parentum violat, si unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur *et huic atheisticae educationi suos cives omnibus repressalibus sibi possibilibus se subiicere conatur* ». Quae statuta ad defendendam educationem religiosam viam habeant non solum pro temporibus nostris sed etiam pro futuris, Concilium alta voce enuntiet.

Ad 9: Argumenta ex S. Scriptura non omnia ne quidem indirecte thesim probare videntur, ceterum quaedam textus sufficerent.

Inter n. 9 et 11 quaedam repetitio esse videtur.

Ad finem n. 9 addere *debetur* [6]: « In defendenda libertate personae humanae et libertate religionis, Ecclesia Christi semper omni cum dignitate sine vehementi resistentia, perturbatione et aggressione processit et vero in primis aciebus ut historia confessorum et martyrum usque ad nostra tempora testatur ».

Ad n. 12: « Inter ea *speciatim,* quae *contra Dei voluntatem agunt immo contra bonum ipsius civitatis* ... ».

« Ex catholica traditione libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae, *quodque pro futuro ab ea non solum numquam recusandum sed semper strenue defendendum est ut iura inalienabilia, quibus necessariis instructa sine impedimento frui queat utpote auctoritas spiritualis et societas perfecta* ».

Ad n. 13: « ... ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur, *sua principia non perdendo* ...[7] ».

Conclusio: Concilium omni auctoritate sua pollens vocem altam sublevat ut in praesenti tristi persecutione libertas religioni restituatur et quae libertas non solum theoretice et negative (*ut card. Siri dixit* [8]) agnoscatur, sed etiam ad actum practice et positive reducatur.

In finem [9]: Omnis libertas non obstanter regulis moralibus et iuridicis deviare potest, nisi nobilitas eam perficiat secundum verba Evangelii: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » ...[10]. Nobilitas autem est animae virtus, qualitas et habitus cogitandi et agendi secundum altissima principia divina et humana in oppositione ad proprias commoditates et egoisticas utilitates, materiales vel spirituales. Nil mirum, quod iam paganus poeta Iuvenalis cantat: « Nobilitas sola est et unica virtus ». Neminem latet nos in atmosphera bellorum vivere et omnibus crudelitatibus volens nolens affici. Omne autem bellum ferocitatem, brutalitatem, rusticitatem, ruditatem, morum pravitatem secumfert. Et hodie proh dolor! ab infimis *societatis* [11] humanae usque ad verticem immo clerus tali ignobili influxui subicitur ita ut ait S. Paulus revera « non multi nobiles sunt » ...[12]. In tractanda libertate religionis quaestio nobilitatis praetermitti nequit. Nobilitas defectus inevitabiles in omnibus litibus et pugnis in quibus caeca vis physica vincit, supplet. In omnibus talibus casibus non obliviscendum est adagium « noblesse oblige ». Nobilitas unctionem quamdam et odorem dat toti rationi cogitandi et agendi et homines altae culturae characterizat eorumque ornamentum est, ad quos primo loco clerus pertinere debet. Nam nobilitas est etiam perfectio pietatis et religionis ita

ut vita supernaturalis eiusque manifestatio si in forma brutali appareat, deformitas et monstrum est immo et caricatura.

Moderator: Em.me Domine, tempus explicit.

Orator: Finiam! Ideo in libro *De Imitatione Christi* legimus sacerdotis « conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra » ...[13]. Sine dubio nobilitas omnem actionem, cogitationem et praedicationem perficit et libertatem religionis tum ex parte moderatorum tum ex parte fruentium ab excessibus praecavet, quia nobilis homo solummodo quaerit bonum Dei et suum et proximi sub aspectu divino in forma perfecta, i. e. nobili. Ex altera parte « Beata est terra, cuius rex est nobilis », ut docet *Ecclesiastes*.[14] Concilium nobili tractatione omnium acatholicorum viam nobilitati pandit et data occasione discussionis de libertate religiosa de nobilitate verbum faciat; « noblesse oblige ».

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] inter. [4] deest. [5] (versus finem). [6] deest. [7] Respiciendum igitur ... [8] deest. [9] 4. [10] (*Mt.* 5, 48). [11] societates. [12] (*1 Cor.* 1, 26). [13] (Lib. IV, c. V). [14] Salomon (*Ecc.* 10, 17).

5

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres,

Loquor *etiam nomine conferentiae episcoporum Germaniae,*[1] quorum nomina postea dabo secretariatui.

Schema reemendatum in genere placet, quia argumenta ordine logico clare exponit et sapienti consilio non intrat in particularia historiae doctrinalis, quae magis investigationi theologorum sunt relinquenda. Liceat mihi tamen animadversiones sequentes proponere:

1. Difficultates heri a tribus Patribus ...[2] motae serio sunt ponderandae, nam versantur circa punctum neuralgicum totius discussionis. Puto, quod omnes nos consentimus, rempublicam christianam, sicut in medio-aevo existebat, nunc mutatis circumstantiis historicis omnino evanuisse. Adsunt autem Status, quorum cives fere omnes sunt unius religionis, et ideo considerare debemus situationem Status civilis confessionalis. Schema nostrum ideo in ultimo inciso n. 5, pag. 11, de spe-

ciali agnitione unius religionis prae aliis in iuridica civitatis ordinatione agit. Si haec verba in suo pleno pondere considerantur, iam multae difficultates hac in aula motae solvuntur.

Etenim haberi potest privilegiata positio unius religionis praesertim in istis nationibus, qui fere unanimes sunt in una eademque religione. Cum structura iuridica Status ab eius civibus ad fovendum bonum commune sit constituta, populus v. g. unanimiter catholicus potest a publica potestate postulare, ut vita publica nationalis eiusque cultura informetur a tali religione. Schema nostrum hoc regimen non excludit. Attamen iure meritoque insistit, ut hoc in casu etiam cives, qui aliam religionem profitentur, vera gaudeant libertate religiosa, non solummodo ex rationibus tolerantiae sub respectu pacis ac boni communis, sed ex iure personae humanae debito. Ad hoc non sufficit, ut non cogantur ad amplexandam fidem catholicam, et iterum non sufficit ut solummodo cultum suum privatim exercere valeant. Postulatur, ut in rebus religionis privatim et publice secundum suam conscientiam agant infra limites iustos, quibus v. g. excluditur usus religiosus, qui ethicae naturali vel iuribus aliorum certo contradicit. Schema nostrum sapienti consilio exhibet regulam generalem, quae applicari potest ad omnes nationes ubi aliqua religio speciali gaudet agnitione.

2. Schema reemendatum nullatenus fovet indifferentismo, nam clare affirmat unam esse veram religionem et unicam esse Ecclesiam Christi catholicam, cui ius est praedicandi Evangelium omnibus gentibus. Indifferentismus revera in mundo nostro iam adest, sed nec excitatur nec fovetur hoc schemate, si eius doctrina recte intelligitur. Deinde schema nostrum omnino reprobat autonomiam absolutam conscientiae, sed e contra affirmat officium inquirendi veritatem et efformandi conscientiam suam ad legem divinam.

Forsan haec moralis obligatio clarius adhuc indicetur, ita ut in pag. 6, lin. 25, post verba « Dei servire velit » haec fere sententia inseratur: « Nam dignitas personae humanae eiusque libertas eo magis perficiuntur, quo seipsam libere ad Deum personalem religat secundum ipsius ordinationem ».

Ratio: Etsi libertatis religiosae notio, ubi hoc in schemate supponitur, dicit praecise immunitatem a coactione, tamen tendit in illam libertatem, qua persona humana seipsam libere ligans ad Deum, quasi culmen suae dignitatis attingit. Hac via roboratur etiam sententia de agnitione speciali religioni a Statu civili tributa ...[3]

3.[4] Cum schema nostrum omnes homines etiam non christianos alloquatur, huic fini correspondet partium dispositio, qua primum exponitur argumentum ex ratione desumptum et deinde ostenduntur radices

ex verbo Dei revelato. Propono, ut pag. 14, lin. 32 post verbum « manifestatur » inseratur hoc incisum:

« Etenim Christus repudiabat illam tunc a multis desideratam spem in Messiam, qui vi et armis malos deleret legemque Dei severitatis coercitione imponeret et regnum absolutum voluntatis Dei omnibus etiam invitis cogendo imponeret. Ut hanc vanam opinionem et spem penitus convelleret, usque ad ultimos suae vitae dies a titulo Messiae tam false intellecto abstinuit coram populo, cuius cultum subterfugit ...[5]. Ex alia parte verum conceptum Messiae paulatim sub titulo Filii Hominis manifestans regni sui leges fundamentales in octo beatitudinibus promulgavit ...[6], quas vita sua et passione mirando modo illustravit ».

Ratio: In reiectione et repudiatione messianismi politici et in expositione paedagogica veri messianitatis suae Christus clarissime demonstrat indolem regni Dei et libertatis evangelicae, quae etiam radix est aliquomodo libertatis religiosae.

4.[7] Libertas religiosa ad ordinem civilem pertinens non est confundenda cum libertate morali, a qua est distinguenda, quamvis non omnino separanda. Hac distinctione observata solvitur etiam difficultas, quae exoriri possit ex consideratione conscientiae mala fide erroneae. Etenim hoc problema non intrat in ordinem iuridicum civilem. Nam Status civilis non potest iudicare de secretis conscientiae et ideo communiter praesumere debet suos cives bona fide agere in religiosa. Cum autem problema conscientiae mala vel bona fide erronae sit ordinis moralis, schema nostrum in ultimo inciso n. 2, pag. 6, insistit in obligatione morali efformandi conscientiam veram. Et insuper in n. 4, sub litt. a), in pag. 9, schema postulat rectum usum libertatis religiosae, nam ex recto exercitio huius libertatis multipliciter dependet eius integritas moralis et eius custodia ex parte Status civilis.

Cetera dabo in scriptis. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] nomine 150 episcoporum. [2] ab em.mis cardd. Ruffini, Siri et de Arriba y Castro. [3] 3. Forsan quaedam historiae doctrinalis principia in nota 6, pag. 21 possint apponi. Et tradam in scriptis huius notae amplificandae exempla. [4] 4. [5] (*Io.* 6, 15; *Mc.* 1, 35). [6] (*Mt.* 5, 1-12). [7] 5.

Animadversiones additae:

Pag. 21, ad notam 6, adiungi possint forsan duae animadversiones:

a) In sic dicta « Republica Christiana » medio-aevali, quae Ecclesiam et Statum in uno Corpore christiano amplectebatur, vix cogitari potuit libertas religiosa hodierno sensu concepta. Nam haec libertas praesupponit societatem liberam a societate medio-aevali omnino diversam. Similiter in praefato Corpore christiano

conceptus libertatis conscientiae a theologis scholasticis exculta vix potuit plene ad effectum perduci.

b) Quodsi Ecclesia saeculo elapso pluries libertatem religiosam reprobavit, eius documenta respiciebant libertatem indifferentismi et extremi cuiusdam individualismi, qui tam veritatem revelatam quam etiam normas obiectivas, cui conscientiae oboedire oportet repudiabat. Hanc Ecclesiae iudiciorum indolem rev.mus ep. De Smedt iam in prima sua relatione declaravit.

Cf. etiam P. Bläser, *Freiheit im Verständnis der Schrift,* in: *Lexikon für Theologie und Kirche,* tom. IV (1960), col. 328-331; R. Hoffmann, *Gewissensfreiheit, ibid.* tom. IV (1960), col. 870-873; J. B. Hirschmann, *Parität, ibid.* tom. VIII (1963), col. 103-105; A. Hartmann, *Toleranz und christlicher Glaube,* Frankfurt/Main 1955.

In nota 12, pag. 22, citantur testimonia Patrum, quibus adiungi potest etiam testimonium S. Martini Turonensis, qui omnino interdixit, ne coercitionis mediis contra Priscillianistas ageretur (cf. Sulpicium Severum, *Dialogi* III, 11-12).

* * *

Quamvis placent singula huius schematis argumenta proponam quasdam animadversiones.

In n. 3, pag. 7, lin. 12, deleatur verbum « semper ». *Ratio*: hoc verbum hic superfluum videtur.

In eodem n. 3, pag. 8, lin. 2, forsan loco verbi « et civilis » dicatur: « tam individualis quam socialis ». *Ratio*: nisi fallor, hoc modo intentio effati fit clarior.

In eodem n. 3, pag. 9, linn. 2-3, loco verborum « in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt sese immisceat » forsan melius dicatur: « ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, ullo modo impediat vel dirigat ». *Ratio*: ut clarius indicetur, in quo consistat haec immixtio illicita et ne omne subsidium ex parte potestatis civilis religioni praestitutum speciem immixtionis habere videatur.

In n. 4, pag. 10, lin. 8, post verbum « nisi » inserantur verba « secundum sanum sensus communis iuridicum ». *Ratio*: forsan his verbis melius abusus ex parte potestatis civilis potest vitari.

In n. 5, pag. 11, linn. 8-9, post verbum « vitam religiosam » inserantur verba: « debito modo ». *Ratio*: ut appareat, vitam religiosam infra limites supra iam indicatas foveri debere.

In n. 9, pag. 14, linn. 7-12, loco verborum: « instituit... excoluit... restitit... propugnavit » dicatur: « instituere... excolere intendebat... resistebat... propugnabat ». *Ratio*: conatus et labores iterati, saepius etiam impediti vel imperfecti indicentur, ut omnis species triumphalismi vitetur.

6

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Textus schematis declarationis *de libertate religiosa,* qui reemendatus, Patribus proponitur, talis est qui, meo iudicio, sit acceptandus quoad substantiam. Et de hoc gaudemus atque redactoribus gratulamur, cum omnibus persuasum sit peropportunam esse, immo necessariam, declarationem *de libertate religiosa* in nostri temporis adiunctis.

Nemo tamen negare potest agi de re tam gravi, sive in seipsa sive ratione consectariorum, ut maxima requiratur claritas in principiis enuntiandis et in limitibus definiendis.

Ad isti sane necessariae claritati consulendum, haec quae sequuntur suggerenda censeo.

1. In n. 2 videtur melius determinandum ius ad libertatem religiosam. Haec declaratio de libertate religiosa fit — uti iam anno praeterito notavi — non a quovis hominum coetu, sed a Concilio Œcumenico. Nunc quaero: ius, quod hic affirmatur, estne ius obiectivum et absolutum, quod ideo omnibus omnino hominibus aequali modo obiective pertinet, vel potius agitur de iure subiectivo pro singulis, fundato scil. in dignitate personae, et putatitio quidem? Et insuper, nonne determinanda esset natura huius iuris?

Haec puto legitime quaeri posse si textus remanet uti iacet. Quod si, uti affirmatur in Relatione *hesterna die lecta et* [1] distributa, per libertatem religiosam, de qua hic agitur, tantum « enuntiatur obiectum exigentiae universalis, immo saepe statutum iuridicum, iuxta quod homini competit ius ad immunitatem a coactione in re religiosa », explicitius et clarius hoc indicetur et declaretur quid de hoc sentiat Ecclesia. Ita reapse materia erit bene determinata, *ut dicit Relatio,* [2] et valde limitata.

2. In eodem n. 2, in fine, post verba: « Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica religione et de unica Christi Ecclesia », opportune addentur verba: « Quam doctrinam haec Sacrosancta Synodus propriam facit et integram confirmat atque proponit ».

3. Circa ea quae habentur in n. 3, linn. 18 ss., haec mihi notanda videntur:

a) Nescio utrum in declaratione conciliari, quae certo a Litteris Encyclicis differt, quae sat diffusae et discursivae sunt, necessarium

revera sit ita late doctrinam ex ratione desumptam exponere. Melius ergo fortasse erit concisius principia affirmare.

b) Ea quae dicuntur circa limites potestatis civilis in ordine ad libertatem religiosam non videntur plene consonare cum constantibus Ecclesiae magisterio et praxi. Cavendum omnino est ab illis absolutis affirmationibus, quarum exasperata interpretatio locum dare potest inconvenientibus pergravibus in societate catholica maioritaria.

4. Cum in n. 4 agitur de limitibus libertatis religiosae et de norma iuridica, secundum quam limites ipsi determinari possunt, videtur non attendendum tantum ad ordinem publicum, etsi, ut habebatur in textu praecedenti, ordo publicus « partem essentialem totius boni communis constituit », sed rationem habendam esse de bono communi in tota sua amplitudine, et quidem in suis historicis contentis (i contenuti storici), quod bonum commune in tota sua amplitudine potestas civilis in suis ordinationibus semper considerare debet.

5. Minus placet quod legitur in n. 5, linn. 13-20. Locutio negativa « non impedit » et locutio explicativa-restrictiva « eo tamen pacto etc. » dant sensationem quod concedatur timide et quasi invito animo quod, e contra, perclare affirmari debet.

6. Nihil vel fere nihil dicitur de libertate religiosa in sinu communitatis religiosae, cui quis adhaeret, et modo speciali, immo singulari — quod revera nostra interest et *veritatem* interest — in sinu Ecclesiae catholicae. Dicitur utique in n. 13 Ecclesiam esse magistram veritatis eiusque munus esse « ut veritatem, quae Christus est, enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet ». Non videtur tamen hoc sufficere, sed explicite et determinate sunt indicandae relationes inter fideles et Ecclesiae auctoritatem, cuius munus est fines signare et limites ponere libertati in re religiosa. Cum diffuse — etiam satis diffuse, uti notavimus — alibi, in hoc textu, de aliis sermo factum sit, de hoc quoque, si non diffuse, clare nihilominus et absque ambiguitate, loquendum est. Vitare omnino debemus quod declaratio *de libertate religiosa* ansam praebeat, in futuro, individualismo religioso in Ecclesia, immo dubio, confusioni, contemptui ipsi, fortasse, cuiuscumque auctoritatis, etiam supremae. Cum declaratione *de libertate religiosa* perfecte componi debet exercitium efficax potestatis sive magisterii sive regiminis in Ecclesia; perfecte componi debet ius poenale Ecclesiae. Nemo ex affirmationibus vel ex silentio huius declarationis censere debebit in posterum argumenta deduci posse ad vindicandam falsam libertatem religiosam in Ecclesia.

Quod si ista omnia hic locum habere nequeunt quia, uti in Relatione

ultima affirmatur, quaestio circumscripta est, *bene*[3] explicite et absque ambiguitate hoc est declarandum ad omne dubium auferendum et ad omnem difficultatem praecavendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ultimo. [2] deest. [3] deest.

7

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Exsurgere audeo ut ...[1] libertatem religiosam defendam et, eo ipso, ut schema nobis propositum totis viribus impugnem.

Proferre intendit Concilium declarationem, non constitutionem, immo nec decretum, de libertate religiosa. Iamvero, declaratio, ni fallor, est iudicium quoddam de statu, seu, valeat verbum, de situatione concreta, in nostro casu sociologico-religiosa, quae nobis occurrit in *determinatis*[2] tempore et loco.

Non est, non esse debet declaratio nostra quaedam enuntiatio et prolatio ordinata principiorum ad modum cuiusdam constitutionis doctrinalis quae vel revelationem vel traditionem vel ius naturale declarat. Esse tantum debet accurata problematis contemplatio, iudicium de ipso problemate et promulgatio quarumdam practice agendi normarum iuxta Evangelii praecepta.

1. Iamvero, rerum status in mundo hodierno hic est:

a) Maior nationum pars pluralitatem religionum et religiosarum confessionum patitur. Pluralismus ille, societati malum, non bonum dicendum est; atque ex historicis et difficilibus adiunctis exortus et adhuc perseverans, nunc temporis insuperabilis videtur.

b) Socializatio, intellecta, ut Ioannes XXIII *aiebat*,[3] tamquam « socialium rationum incrementa ...[4] », intensive iam colligat et fortius in supervenientibus annis homines populosque colligabit.

c) Œcumenismus, de quo sapienter iam Concilium locutum est, omnes movet christianos ut in veritate, et caritate et humilitate cum ceteris christianis se habeant et cum eis cooperentur in rebus publicis pro bono communi promovendo.

d) Religiones non christianae et confessiones christianae non catholicae reciprocitatem libertatis postulant ut Ecclesiae catholicae liceat Evangelium populo non catholico praedicare.

e) Negatis omnibus omnino iuribus et libertate religioni christianae, in nonnullis nationibus soli atheismo libertas, iura, privilegia atque statalis protectio concessa fuere.

f) Moraliter impossibile fit multis hominibus per se, seu proprio marte et consilio ob confusionismum pluralisticum ad agnitionem catholicae veritatis venire nisi ipsos traxerit Pater.

Hoc hodierni mundi statu prae oculis habito, habita quoque ratione iuris humanae personae ad agendum iuxta rectam suae conscientiae normam, indubitanter libertas religiosa necessaria nobis agnoscenda et promulganda est.

Iamvero haec argumenta, valida cum sint, mutantia sunt, permanentia non sunt, utpote deprompta et prolata e quodam statu rerum determinato et concreto qui cursu temporum mutari potest sicut iam in historia non semel mutatus est.

Ad coëxistentiam et hominum pacificam conversationem in mundo, rationes illae sufficientes sunt ut de libertate religiosa Concilium, debitis cautelis, declarationem seu iudicium practicum proferat.

2. Attamen de schemate nobis proposito aliter sentiendum est. Fundamentalis error schemati subiacet, ex eo praecise quod statum rerum transeuntem et mutabilem fulcire velit permanentibus argumentis philosophicis et biblicis quae longe a veritate dissonant; ex eo etiam quod pontificium magisterium ignorare et, quod peius est, contravenire intendat. Breviter nonnulla videamus:

a) Verum est quod homines hac nostra aetate dignitatis humanae personae consciores fiunt, et quod, in agendo, proprio consilio et libertate iuxta rectae conscientiae suae normam frui debent. Sed verum etiam est quod omnes homines suam rectam conscientiam ad normam obiectivam veritatis et bonitatis efformare tenentur, nec semper, immo, nec saepe per se ipsos eam efformare valent, ut in rudioribus et in *permultis* [5] non rudioribus apparet. Magisterium illis necessarium est ut plene ius illud adquirant et illo iure bene utantur, sicut in humanis disciplinis et artibus necessarium est et semper et ubique desideratur *et exigitur*.[6]

b) Iure propriae et personalis conscientiae agnito et libenter concesso, aliud inalienabile et irrenuntiabile ius ab humana persona postulatur et a Concilio promulgandum est: Ius humanae personae ut in veritate et morali bonitate continuo edoceatur. Quod in humanis scientiis non toleratur, non est cur in religione, quam veram scimus, admittatur. Alioquin, conscientia efformari potest non solum in errore, sed in aberrationibus moralibus quae, etiamsi e dictamine conscientiae prodeant, nullo pacto tolerari possunt. Ioannes XXIII, sicut antea Pius XII, iam praeclare dixerat: « Ius ad veritatem et ad cognitionem ducentem

ad moralem normam obiectivam, super divinarum legum perennitatem fundatam, prius et superius est omni alii iuri, omni alii exigentiae » ...[7]

c) Libenter quoque consentio cum schemate in hoc quod, in oeconomia christiana, non vero in oeconomia naturali nec in oeconomia vetero-testamentaria, civilis potestas incompetens est ad diiudicandum in re religiosa, sed certo certius asserendum est Statum nullo pacto imparem esse ad audiendum et accipiendum magisterium Ecclesiae, ideoque nec imparem esse ad statuendum Evangelium, religionem scil. catholicam, ut principium omnium suarum ordinationum legalium. Tunc, etenim, civilis potestas non diiudicat in re religiosa, sed Ecclesia. Status audit Ecclesiam et iudicium Ecclesiae facit suum.

d) Schema, improbos aggreditur, et certissime inanes, labores ut verbis Novi Testamenti, immo et Testamenti Veteris — quod non sine admiratione auditur et legitur — thesim doctrinalem de libertate religiosa suffulciat. Maiorem exoptarem reverentiam Sacris Scripturis, nam ut de Novo Testamento pauca tantum dicam, expositio incompleta et tendentiosa in schemate fit: omittuntur, inter alia, textus illi cap. II Apocalypsis damnantes doctrinam Balaam et Nicolaitarum in Pergamo ...[8], et doctrinam Iezabel prophetissae in Ecclesia Thyatirensi ...[9]; omittuntur et textus cap. II Epistolae II ad Corinthios. Exhibet nobis Christum renuentem ea prodigia patrare quae assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur ...[10] et non nobis ostendit Christum sanantem paralyticum in Capharnaum coram scribis et pharisaeis incredulis ...[11]. Potius dicendum quod Christus a miraculis patrandis se abstinebat quando homines pervicaces in incredulitate videbat ...[12].

Diligenter libertatem in Novo Testamento quaesivi et nullam aliam inveni praeterquam illam quadruplicem libertatem qua Christus nos liberavit: libertatem ab errore de qua Iesus perhibuit testimonium ...[13]; libertatem a peccato ...[14]; libertatem a Lege Vetere ...[15]; et libertatem a morte ...[16].

Quae in schemate, ergo, dicuntur, apparent ut thesis praeconcepta et praeiudicata quae in Sacra Scriptura fundamentum incassum et non fideliter quaerit. Opposita via nobis sequenda est: diligentissime videamus quid docet Scriptura et super fundamentum verbi revelati veram *exstruamus* [17] thesim.

Denique, schematis auctores nihil scire volunt de magisterio ecclesiastico, iam a tempore Leonis XII explicite et iteratissime expressum ...[18].

3. Consequenter, postulo ut declaratio de libertate religiosa fiat, quia necessaria est in nostro tempore ratione oecumenismi, ...[19] pluralismi religiosi, *et ceterorum.*[20]

Eadem et potiori ratione postulo ut a schemate auferantur argumenta philosophica et biblica quae, debilia et inadaequata cum sint, nullimode favent, sed potius infirmant schema. Periculosum, etenim, est infirmam philosophiam ad conciliare trahere documentum. Periculosius et gravius est magisterium Ecclesiae expungere in re tanti momenti. Periculosissimum et gravissimum est vim Sacrae Scripturae facere ut ea dicat quae, non Auctor Scripturarum, sed homines, *id est Commissio,*[21] dicere volunt.

Patres, ignoscite mihi, sed, dum tempus est, cogitate.

In textu scripto tradito: [1] totis viribus. [2] determinato. [3] ait. [4] mutuae scil. illae auctioresque in dies civium necessitudines, quae in eorum vitam, atque actionem multiplices induxerunt socialis consortionis formas » (*Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 1961). [5] nonnullis. [6] deest. [7] (Siamo particolarmente, *A.A.S.*, 52 [1960], p. 47). [8] (*Apoc.* 2, 14-16). [9] (2, 20-24). [10] (n. 10). [11] (*Mt.* 9, 1-8; *Mc.* 2, 1-12; *Lc.* 5, 17-19). [12] sicut legitur in *Mt.* 13, 58 et *Mc.* 6, 5 s. [13] et quae liberabit nos (*Io.* 18, 21). [14] quae est et remissio peccati et immunitas ab invincibili coercitione peccati (*Rom.* 6, 18-23; *Io.* 8, 31. 36; *Tit.* 2, 14). [15] quae « propter transgressiones posita est, donec veniret semen » (*Gal.* 3, 19) cui in Abraham « dictae sunt promissiones » (*Gal.* 3, 16; *Act.* 15, 10; *Rom.* 7, 3 s.; 8, 2; *Gal.* 2, 4; 5, 1 et 13). [16] quae stipendium peccati est (*Rom.* 6, 23). Et hanc libertatem hancque solam libertatem habemus per Christum, non libertatem ad errorem, non ad peccatum, non ad aliam legem quae lex Christi non sit. Si tamen vos aliam in Evangelio libertatem invenistis, dicite mihi et circuibo libertatem novae libertatis et intrabo libenter in eam. [17] aedificemus. [18] Magisterium illud, quidquid subtiliter in hac aula dixerit relator, longe abest a consensu cum doctrina schematis de quo disceptamus. [19] ratione. [20] ratione socializationis relationum inter nationes et etiam ratione iuris humanae personae ad agendum iuxta suam conscientiam quia non omnes in veritate et morali bono edoceri et efformari potuerunt. [21] (Commissio).

Animadversiones additae:

Mt. 13, 58: « Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum ».

Mc. 6, 5 s.: « Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens ».

Rom. 6, 18-23: « Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae. ... Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae. ... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro ».

Io. 8, 31-36: « ... Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ». ... « Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi estis ».

Tit. 2, 14: « ... qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum ».

Act. 15, 10: « Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? ».

Rom. 7, 3 s. « ... si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro ».

Rom. 8, 2: « Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis ».

Gal. 2, 4: « ... sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent ».

Gal. 5, 1: « Qua libertate Christus nos liberavit. State et nolite iterum iugo servitutis contineri ».

13: « Vos enim in libertatem vocati estis fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem ».

Textus *Apoc.* 2, 14-16 damnans doctrinam Balaam et Nicolaitarum in Pergamo: « Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari; ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter poenitentiam age: si quominus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei ».

Apoc. 2, 20-24, damnans doctrinam Iezabel prophetissae in Ecclesia Thyatirensi: « Sed habeo pauca adversus te: quia permittis mulierem Iezabel, quae se dicit propheten, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret: et non vult poenitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum: et qui moechantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint. Et filios eius interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes, et corda: et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, et ceteris qui Thyatirae estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanae, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus ».

Christus sanat paralyticum in Cafarnaum coram scribis et pharisaeis incredulis, *Mt.* 9, 1-8; *Mc.* 2, 1-12; *Lc.* 5, 17-19.

Mt. 9, 1-8: « ... Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum; et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus ».

8

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Schema *de libertate religiosa* nobis, qui munus Evangelii praeconis in missionibus agimus, maxime interest ...[1]. Quis enim nostrum non videt quantis difficultatibus quantisque angustiis labores missionales in pluribus regionibus subiciuntur? *Quis nescit quanti concives mei gemunt sub iugo dominationis dictatoriae atheismi? Optamus igitur fore ut hoc schema maiori cum consensu Patrum approbari valeat.*[2]

Novus textus huius schematis perfectiorem formam maioremque claritatem prae se fert quam textus praecedens. Attamen mihi videtur adhuc adesse quaedam obscuritas quae auferri oportet, ut Declaratio Œcumenici Concilii nullum sensum ambiguum nullamque erroneam interpretationem patiatur.

1. Prima obscuritas habetur in sensu ipsius libertatis religiosae. Libertas enim religiosa intelligi potest vel de libertate conscientiae eligendi quamcumque fidem religiosam vel de libertate exercendi fidem religiosam in ordine sociali. In declaratione nostra agitur de libertate religiosa in secundo sensu, scil. de libertate exercendi fidem religiosam in ordine sociali. Cum vero in textu expositio completa vel saltem distinctio de libertate non habeatur, libertas religiosa in declaratione, *speciatim a profanis, a non christianis, ut in missionibus,*[3] intelligi potest in sensu de libera electione fidei religiosae sine respectu ad veram vel falsam religionem. Immo dum in ultima paragrapho *n. 2, pag. 6,*[4] quando haec distinctio innuitur, forma stylistica est nimis negativa ita ut id quod dicitur in textu: « libertas enim religiosa non implicat personam humanam falsum ac verum posse aeque aestimare », profanis appareat esse aliquid artificiale. Etiam id quod sequitur in textu: « Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia », dictum est in forma negativa, nullum nexum indicans, et intelligi potest a non-christianis uti aliquid artificialiter positum ad defendendam ambitionem Ecclesiae catholicae.

Propono igitur ut vel in prooemio distinctio de libertate religiosa clare explicetur, vel saltem in hac paragrapho n. 2 forma affirmativa adhibeatur quae ita fieri forsitan *possit*[5]: « Declarat denique hanc libertatem religiosam per se supponere libertatem ab erroribus et passionibus et consequenter obligationem inquirendi veram religionem erga verum

Deum. Haec obligatio adimpletur mediante dictamine conscientiae, quae quidem in erroribus obiective remanere potest. Doctrina igitur catholica de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi integre remanere debet ».

2. Secunda obscuritas habetur in ultima paragrapho n. 5, *pag. 11*,[6] ubi dicitur: « Hoc vero libertatis regimen non impedit, quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto, ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ».

Haec quidem affirmatio est consequentia necessaria principii propositi in parte praecedenti. Tamen forma dicendi multam ambiguitatem gignere potest. In primis plene aequiparatur regimen specialis agnitionis Ecclesiae catholicae factae ad regimen specialiter agnoscendi alias religiones. Quae aequiparatio in iuridico ordine et sociali poni quidem potest, tamen non in ordine theologico et doctrinali, multo minus in documento sollemni Concilii Œcumenici. Etiam haec aequiparatio multis Patribus conciliaribus displicet et consensum unanimem pro approbatione optatum impedit.

Secundo, verba: « Hoc vero libertatis regimen non impedit, quominus, ... specialis agnitio uni communitati religiosae ... tribuatur ... », videntur implicite innuere quod forma regiminis neutri Status civilis melius est regimini recognoscendi specialiter Ecclesiam catholicam uti religionem Status. Hoc quidem verum est de facto et praesertim in *istis*[7] temporibus Ecclesia catholica in regimine libertatis religiosae indiscriminatim pro omnibus religionibus maiore libertate gaudet. Tamen hoc affirmare vel innuere in documento Concilii Œcumenici valde inconveniens est. Tollantur igitur haec verba et nova forma dicendi adhiberi *potest*.[8]

Documentum huius schematis, attentionem totius mundi ad se trahens et exspectationem catholicorum speciatim persecutorum prae se ferens, maximam gravitatem et sobrietatem in se continere debet[9]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et cum magno consensu Patrum approbari optatur. [2] deest. [3] a profanis. [4] n. 9. [5] potest. [6] deest. [7] his nostris. [8] debet. [9] De cetero textus declarationis est nimis longus et sicut em.mus card. Frings dixit, contrahi et sobrior esse debet.

9

EXC.MUS P. D. IOANNES BAPTISTA VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Venerabiles Patres,

Schema « reemendatum » *de libertate religiosa* est penitus *inacceptabile* et novo schemate substitui necesse est.

Schema nostrum *reemendatum inter alia* [1] redolet legalismum iuridicum; doctrinam per saecula edoctam a Magisterio Ecclesiae pervertit; pragmatismum, indifferentismum et naturalismum religiosum *ad minus* [2] gignere potest; subiectivismum in re religiosa plus minusve admittit; iura veri et erroris — si falsum seu error ullum ius obiectivum habeat! quod non *possumus admittere* [3] — non sufficienter distinguit; ac demum anxietates, confusiones atque dubia innumera apud nostros fideles, *de quibus primitus curare debemus,* [4] excitabit immo iam ... [5] nunc excitat (expertis potestis credere).

Substantialiter *enim* [6] hoc schema « reemendatum » idem est ac illud, sic dictum « emendatum », quod Patribus in fine tertiae sessionis traditum erat.

In primis haec reemendatio est, si verbum admittitur, omnino *partialis* ... [7]. In hac namque reemendatione consideratae fuerunt solummodo animadversiones illorum Patrum qui substantialiter schemati favebant. Proinde, aliquibus minoris momenti mutationibus inductis circa titulum, structuram aut ordinem; vel etiam paucis maioris momenti defectibus aut erroribus suppressis, schema, plena luce, idem fere remanet nunc ac illud nobis in fine tertiae sessionis oblatum.

Nunc vero, animadversiones plurimorum illorum Patrum quae *principiis* declarationis adversantur totaliter parvipensae, praetermissae et exclusae fuerunt. Huiusmodi tamen Patrum animadversiones, ... [8] sensu Magisterii Ecclesiae plenae, numerum attingunt saltem *viginti novem,* prout, *reductive,* [9] enumeratae veniunt pagg. 35-37 in Relatione quae subsequitur hoc schema. Istae quidem Patrum animadversiones, et *principiis* declarationis re vera obstant atque huic declarationi sunt ... [10] contrariae. Tamen in doctrina ... [11] in his viginti novem numeris contenta invenitur ... [12] vera doctrina Ecclesiae circa religiosam libertatem, atque fallaciae erroresque excluduntur qui in ... [13] schemate indubie continentur. Tamen apportationes horum Patrum in schemate penitus omittuntur. Liceat hic nobis quaerere: Qua ratione praetermittuntur horum Patrum animadversiones circa ipsa, in hac ... [14] quaestione, fidei principia? *Quae-*

nam valet dici congruitas [15] cum, ex una parte, Patrum sententiae ...[16] exquiruntur, alia vero ex parte illorum ...[17] sententiae praeiudicatae *a priori* [18] habentur et in exclusionem practice mandantur?

Adhuc magis dolendum hoc apparet cum ratio seu motivum huius exclusionis consideretur, quod, ut verbis utamur in pag. 37 allatis, sic exprimitur: « Principia ipsa declarationis in " Textu emendato " iam exposita, retinenda sunt, cum hoc sine dubio correspondeat menti longe maioris partis Patrum Concilii ». His verbis plane evincitur in compositione huius *reemendationis* mentem fuisse positive excludendi apportationes Patrum qui, *ex conscientiae eorum dictamine,* sincere credunt schema fundari in falsis principiis, et adversari doctrinae fidei, traditionis et Ecclesiae per saecula Magisterio.

Intelligi quidem datur in illis verbis, Patres qui principiis declarationis adversantur esse in minore numero. — *Ista gloriosa minoritas!* [19] — Hoc modo habetur factum contradictorium, cum ex *alia* [20] parte iura conscientiae sive individuae sive communitatum in schemate (licet perperam) *proclamentur;* [21] alia vero ex parte, indubia Patrum iura eorumque strictissimum veram doctrinam edocendi officium eis *practice* denegatur.

Facultas tamen nobis detur aequivocationem in re « de numeris » hic prodendi. Cum de rebus ...[22] a Deo revelatis agitur, nomen, e. g., Irenaei, Hieronymi, Augustini, Thomae, Leonis XIII, etc. personam singularem quidem sonat, at, ut omnes norunt, nomina haec pro legionibus valent! Si vero in re conciliari sistere velimus, nomen Athanasii, in Nicaeno, atque nomen Cyrilli in Ephesino Concilio absque ulla invidia vel aliorum praeiudicio, sacrosancte exaltat Mater Ecclesia. Nos quidem nulli praesentium, *procul dubio,*[23] Athanasii aut Cyrilli nomen vindicare intendimus. Historia de cetero nos, et quidem gravissime atque *strictissime* [24] iudicabit ...[25]! Petimus tamen a Concilio nostro ut Patrum, *omnium* Patrum, iura etiam illorum qui *minoritatem* ...[26] constituunt non verbis sed praxi ac re agnoscantur atque ut eorum interventiones atque animadversiones schemati incorporentur et conciliari disceptationi subiiciantur.

In re tanti momenti sicut in inquisitione veritatis non ad numerum, immo neque ad personarum qualitatem ...[27], sed ad rem ipsam obiective est inspiciendum.

Forsan multi Patres, praesertim nostri reemendati schematis auctores, nos audientes sic cogitent: « Pater Conciliaris qui nunc nobis loquitur schema *de libertate religiosa* nec intellexit neque recte interpretatur ». Dato, sed non concesso, quod res ita sit, liceat mihi vos ...[28] interrogare: Si ego sacerdos, *minimus* [29] episcopus ac in re theologica et doctrinali, *credo,*[30] non *absolute* [31] ignarus, post annos studii, postquam consilia et opinionem multorum in re theologica et pastorali peritorum audivi, sche-

ma nostrum ita non recte intellexi, quid dicendum ...[32] de fidelibus nostris, de populis totius mundi? An ne illi ...[33] sine scandalo *intelligent contenta, in nostro « De libertate religiosa » schemate* [34]? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] admittimus. [4] deest. [5] de facto. [6] etenim. [7] (biased) [8] sapientia et [9] modo complexivo. [10] funditus. [11] vel summatim. [12] certa atque. [13] nostro hoc. [14] gravissima. [15] Immo, et qua iustitia deliberate excluduntur? Et quaenam ratio agendi est illa. [16] et vota. [17] opiniones et. [18] deest. [19] deest. [20] una. [21] declarantur. [22] fidei. [23] deest. [24] stricte. [25] suo tempore. [26] forsan gloriosam. [27] et dignitatem. [28] venerabiles Patres, candide. [29] deest. [30] deest. [31] omnino. [32] erit. [33] recte ac. [34] et innumeris confusionibus intelligent quae in nostro schemate de libertate religiosa uti sollemnis declaratio nostri Concilii continentur?

10

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus Barcinonensis

Venerabiles Patres,

In schemate reemendato magnus gressus factus est versus illam perfectionem declarationis *de libertate religiosa,* quam omnes sincero animo desideramus atque coniunctis viribus intendimus. Correctiones, omissiones, additiones, iuxta vota ac observationes Patrum conciliarium factae, textum declarationis profundiorem, clariorem, securiorem reddiderunt. Quod quidem laeto animo recognoscimus ac laudamus.

Doctrina tamen schematis reemendati, quoad substantiam, fere eadem est quae continebatur in schematibus praecedentibus, cuius theses fundamentales possunt sic enuntiari: Homo, ratione suae dignitatis seu quia est natura sua liber, ius naturale habet religionem quamcumque semper et ubique publice profitendi, docendi, propagandi. Societas civilis hoc ius inviolabiliter revereri ac tueri debet illudque limitare non potest nisi ratione ordinis publici servandi. Hinc immunitas a coercitione et aequalitas iuridica in re religiosa statui ac protegi debet iure quoque positivo, pro omnibus civibus ac coetibus religiosis.

In schemate res tractatur primo *philosophice seu ex ratione,* uti in cap. II, et deinde *sub luce Revelationis,* in cap. III.

At animadvertendum est:

1. *Lumen rationis* ostendit hominem esse quidem natura sua liberum ideoque magna dignitate praeditum, at essentialiter dependentem ab

ordine morali obiectivo, qui in ipsa natura Dei fundatur, et a voluntate divina, quae de facto, historice, per Revelationem Positivam humanitati manifestata est. Exercitium libertatis, quod dignitati personae humanae debetur, haberi non potest nisi intra exigentias huius essentialis dependentiae hominis. Extra ambitum huius dependentiae, nullum verum ius naturale ad libertatem haberi potest.

Ex alia parte, maximum bonum hominis in hac vita in eo consistit quod homo veritatem religiosam cognoscat eique libere adhaereat. Haec vero cognitio et adhaesio obtineri non potest nisi in societate. Hinc est quod veritas religiosa sit unum ex bonis in societate actuandis et obtinendis, quae Bonum Commune a societate procurandum integrant. Status ergo non potest indifferens esse circa veritatem vel falsitatem opinionum religiosarum, quia intra eius finem naturalem cadit illas procurare condiciones iuridicas et sociales, in quibus cives facilius veram religionem cognoscere, amplecti ac conservare possint.

Non est quidem negandum saepe iustum immo et necessarium esse immunitatem a coercitione et aequalitatem iuridicam in re religiosa statuere ac protegere. Hoc tamen ita erit, non quia dignitas personae humanae huiusmodi immunitatem ac aequalitatem exigit, sed vi aliorum principiorum: scil. quia attentis circumstantiis temporis et loci, per dictamen prudentiae gubernativae diiudicandis, talis immunitas ac aequalitas in re religiosa apparent ut convenientes vel necessariae ad bonum commune securius et efficacius procurandum.

2. *Quae ex revelatione afferuntur* ...[1] non probant nec confirmant thesim de iure naturali ad plenam libertatem in re religiosa. Nam textus qui sive ex Veteri sive ex Novo Testamento afferuntur, respiciunt veram religionem, non religiones falsas. Ex illis textibus probatur quidem neminem cogi debere ad amplectendam veram religionem, actumque fidei esse liberum; at minime probant hominem, ratione suae dignitatis, ius naturale habere propriam religionem, quaecumque illa sit, semper et ubique publice profitendi, docendi, *protegendi*.[2] Nec est obliviscendum in Veteri Testamento non tantum prohibitum esse legibus positivis cultum idololatricum, verum etiam severissimas poenas esse statutas contra earum transgressores. Quod quidem difficile explicaretur si plena immunitas a coercitione in re religiosa deberetur homini ipso iure naturali, ratione propriae dignitatis.

3. *Schema praetermittit Magisterium Ecclesiae.* Doctrina tamen in eo contenta certo contradicit tum Magisterio explicito Romanorum Pontificum usque ad Ioannem XXIII inclusive, tum eorum Magisterio implicito in modo gubernandi Ecclesiam. Romani enim Pontifices saepe

doctrinam contrariam explicite proposuerunt, et praeterea semper vel iusserunt vel rogaverunt ut Gubernia in societatibus catholicis minime concederent vel recognoscerent acatholicis ius civile profitendi publice et propagandi confessiones non catholicas. Quod non fecissent, si ratione dignitatis personae humanae tale ius civile exigeretur inviolabiliter pro omnibus, ubique et semper.

Schema igitur corrigendum est, ita ut in eo doctrina catholica recte proponatur, nec quidquam a Concilio dicatur quod constanti rationi loquendi et agendi Romanorum Pontificum contradicat, vel apparenter.

In foliis separatis plurimas emendationes propono quas secretariatui trado quaeque meo iudicio adhuc meliorem et Concilio nostro digniorem declarationem « de libertate religiosa » redderent.[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cap. III). [2] propagandi. [3] deest.

Animadversiones additae:

N. 1, pag. 5, linn. 1-4: Haec introductio non est digna documento conciliari. Est enim nimis abrupta. Praeterea eius stylus est rudis et elementaris, ut patet ex initio uniuscuiusque phrasis: « Postulat *haec dignitas...* », « *Quae* libertatis postulatio ... », « *Ad has* animorum appetitiones... ». Huiusmodi repetitiones vitandae sunt.

N. 2, pag. 6, linn. 5-6: Sic corrigerem: « ... et ita quidem ut in re religiosa neque cogatur ad agendum contra *rectum dictamen* propriae conscientiae, neque impediatur, quominus iuxta *illud dictamen* privatim et publice agat intra debitos limites ». Ratio correctionis: quia locutio « contra suam conscientiam » et « iuxta suam conscientiam » est nimis generalis et non proponit doctrinam veram. Nam: *primo,* potest quis cogi ad faciendum aliquid quod per errorem putat sibi non faciendum, immo ad subeundam poenam debitam si id non fecerit. V. g. obiector conscientiae, qui nullo modo vult operam dare militiae, potest cogi ad eam aliquo modo praestandam, et puniri si non praestiterit; et *secundo* potest quis impediri ne faciat aliquid quod in conscientia putat sibi faciendum, v. g. si quis putat se obligatum esse ad occidendum aliquem, potest et debet impediri quominus illud crimen patret, et punietur, servatis servandis, si id patraverit.

N. 3, pag. 7, linn. 13-14: Supprimatur incisum: « hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet ». Ratio: est evidens, nec est cur dicatur. Hoc incisum interrumpit cursum cogitationis. Praeterea ostendit Redactores possideri veluti obsessione quadam dignitatis humanae extollendae. Cur toties repetitur?

N. 3, pag. 7, linn. 23-24: Supprimatur declaratio: « assensu nempe personali ». Ratio: est superflua, quia homo non potest adhaerere veritati nisi assensu personali.

N. 3, pag. 7, lin. 29: Supprimatur incisum: « vel invenisse putant ». Ratio: quia sapit agnosticismum.

N. 3, pag. 7, linn. 31-33: « Sollemne *ergo* est principium... ». Ex praecedentibus non fluit hoc principium. Praeterea prout iacet non est verum, utpote nimis generale.

N. 3, pag. 8, linn. 1-2: Supprimantur verba: « Nostris autem diebus aucto sensu dignitatis humanae personalis et civilis... ». Ratio: quia ea quae sequuntur vera sunt in se, et non pendent ab eo quod nostris diebus auctus sit sensus dignitatis personae humanae.

N. 3, pag. 8, linn. 8-9: Supprimantur verba: « Quae quidem exigentia est rationi prorsus consentanea et homine digna ». Ratio: sunt superflua, nihilque novi addunt.

N. 3, pag. 8, linn. 27-28 et p. 9, linn. 1-8: Haec paragraphus vel omnino supprimenda vel radicitus corrigenda est. Ratio: Quia continet doctrinam falsam. Plus enim aequo detrahitur competentiae Status in re religiosa. Supponitur notio boni communis nimis materialistica, ut ita dicamus. Iuxta doctrinam traditionalem, functio Status non limitatur ad quid mere negativum in re religiosa, sed positive procurare debet bonum commune integrale, quod includit, ut partem potissimam, bonum spirituale civium.

N. 3, pag. 9, linn. 12-13: Loco « iuxta suam conscientiam », dicatur: « iuxta rectum dictamen propriae conscientiae ». Ratio: cf. supra ad n. 2, pag. 6, linn. 5-6.

N. 4, pag. 10, lin. 2: Supprimatur verbum: « aequalium ». Ratio: quia iura civium possunt non esse aequalia. Iustitia enim postulat ut cuique detur quod ei debetur, non tamen postulat ut detur idem omnibus. Immo dare idem omnibus, saepe iniustitia est.

N. 4, pag. 10, lin. 13: In nota 8, quae ad calcem huius lineae ponitur, omittatur citatio V. Bartoccetti. Regula enim de qua agitur est notissima, nec eget citatione ulla. Si vero citatio alicuius commentatoris affertur, afferatur aliquis inter magnos, minime vero Bartoccetti, qui summarie tantum et elementariter regulas commentatus est. Ridiculum fere est ut in tanto documento huiusmodi opusculum citetur.

N. 5, pag. 10, lin. 20: « Ne civium aequalitas iuridica umquam laedatur... ». Dicatur: « Ne civium *positio* iuridica ... ». Ratio: quia iustitia et aequitas non postulant aequalitatem iuridicam inter cives, sed solum ut suum cuique detur, quod potest non esse idem.

N. 5, pag. 11, linn. 19-20: « Ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ». Dicatur: « *iusta libertas* in re religiosa... ». Ratio: non potest concedi indiscriminatim ius ad libertatem « omnibus civibus et communitatibus religiosis », nisi in concreto Bonum Commune hoc exigat in circumstantiis determinatis.

N. 6, pag. 12, lin. 15: « ... quod communitates religiosae libere possint ». Dicatur: « ... quod communitates religiosae servatis exigentiis boni communis libere possint... ». Ratio: locutio prout iacet videtur nimis generalis et obnoxia laxae interpretationi.

N. 8, pag. 13, lin. 3: Supprimatur verbum « *proximum* ». Ratio: non patet quodnam sit punctum relationis. Quodnam est fundamentum *remotum?* An Revelatio? Id videtur erui ex his quae statim adduntur. At maxime mirum est quod dicatur Revelationem esse fundamentum *remotum,* dignitatem vero humanam fundamentum *proximum* eorum quae dicta sunt de iure ad libertatem in re religiosa.

N. 10, pag. 14, lin. 40 ad pag. 15, lin. 8: Quae dicuntur de miraculis Christi non videntur exegetice bene constare. Christus non illa miracula recusavit, quae requirebant iudaei, quod cogentia essent (poterant enim dicere, ut S. Hieronymus notat, ea praestigiis daemonum deberi), sed quod carnalibus iudaeorum optatis satis

facerent. Et ipse arguebat iudaeos de peccato quia non credebant miraculis ab eo patratis.

N. 10, pag. 16, linn. 1-4: Per modum conclusionis dicitur: « Ecclesia igitur, e. g. viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae ut hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet ». At ex longa textuum serie, quae parum digesta et in aliquibus parum est exegetice secura, id unum sequitur: Neminem cogi debere ad acceptandam fidem christianam. Minime sequitur homini deberi ratione suae dignitatis ius ad exercendam quamlibet religionem in qualibet societate, ut intendit demonstrare schema.

N. 11, pag. 16, linn. 5-24: Totus numerus debet corrigi. Nam quod actus fidei est liber, non est cur hic affirmetur. Quod vero ratio libertatis conferat ad « illum rerum statum efficiendum quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam libere amplectendam eamque in tota vitae ratione actuose confitendam », non est verum pro omnibus circumstantiis possibilibus. Praeterea attendendum ius et correlativa obligatio conservandi fidem ubi iam viget, quod difficilius fit, praesertim apud rudes, ubi viget plena libertas religiosa.

N. 12, pag. 16, lin. 25, ad pag. 17, lin. 24: In toto hoc numero habetur bona expositio libertatis quae competit Ecclesiae iure divino. At ad finem, fit transitus de iure ad factum, et asseritur libertatem religiosam prout in schemate defenditur constituere systema ideale ad exercendam libertatem illam quae Ecclesiae competit iure divino. Dicitur: « Iam vero si reapse viget ratio libertatis religiosae, Ecclesiam stabilem obtinet et iuris et facti condicionem plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei ex mandato Christi commissa est ». Haec vera sunt in hypotesi pluralismi religiosi et praesertim si vera religio opprimeretur nisi haec ratio libertatis vigeret. At non potest statui haec ratio libertatis ut norma idealis pro semper et ubique, ut implicite videtur supponere schema. Reapse, ubi libertas et quidem aequalis viget pro omnibus religionibus, Ecclesia catholica potest missionem suam adimplere maiore fortasse facilitate; sed si agitur de societate iam catholica, libertas aequalis pro omnibus religionibus cum possibilitate propagandi errores, noceret graviter populo catholico, praesertim fidelibus rudioribus. Ibi, igitur, Ecclesia non gauderet positione iuridica sibi debita ad tutandam et promovendam vitam religiosam suorum membrorum, iuxta missionem a Deo sibi commissam. Leo XIII in epistola « Longinqua oceani » dicebat expresse episcopis Americae Septemtrionalis aequalem libertatem pro omnibus confessionibus non esse ideale Ecclesiae Catholicae.

N. 12, pag. 17, lin. 6 et lin. 18: Cur omissum est « soli », quod erat in schemate emendato? Tota haec paragraphus, sicut etiam n. 13, pag. 18, melius in priore schemate.

Ex emendationibus retinendae sunt pag. 33, lin. 19, de proselytismo, et pag. 34, lin. 17, de munitione ordinis moralis.

11

Exc.mus P. D. DURAISAMY SIMON LOURDUSAMY

Archiepiscopus tit. Philippensis, coad. c.i.s. Bangolorensis

Venerabiles Patres,

I. Schema in genere, prout iacet in textu reemendato, valde placet, in quantum vindicat ius personae et communitatum ad libertatem in re religiosa: perspicue et sine ulla inhibitione, sub luce tum rationis tum revelationis, speciatim una cum debitis limitibus talis iuris.

Mihi persuasum est quod, doctrina catholica sic declarata et probata, vera religio et Ecclesia Christi nullatenus detrimentum patientur, e contra bene aestimabuntur ab omnibus hominibus bonae voluntatis.

II. Et nunc, salva reverentia secretariatus ad christianorum unitatem fovendam, qui hoc schema sedulo praeparavit atque magna cum difficultate emendavit et reemendavit, sequentes animadversiones facere audeo:

In n. 3, pag. 7, linn. 24-30 *sic sonat:* « *Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate quaerenda adiuvent* ».

Sane [1] homo communicat aliis hominibus veritatem a se inventam. Huiusmodi agendi ratio (i. e., veritatem *a se* [2] acquisitam aliis communicare) non est merae utilitatis causa, sed verae necessitatis causa, — est non solum ius, sed etiam officium hominis. Haec necessitas et obligatio clare enuntianda est in schemate.

Praeterea hoc officium seu obligatio oritur non tantum, ut in textu dicitur, ex natura sociali hominis, qua homines « sese invicem in veritate quaerenda adiuvent », sed oritur etiam ex natura universali ipsius veritatis. Nulla nempe veritas acquiritur suumque sensum habet exhaustivum soli uni aliive individuo vel communitati; inventio veritatis secumfert convictionem illam veritatem omnibus hominibus valere. Quae convictio, in re tam maximi momenti ut in veritate religiosa, imponit officium veritatem salvificam ceteris hominibus communicandi; ex altera parte, haec communicatio ab aliis hominibus exigi potest.

Si officium hoc communicandi veritatem aliis et huius officii origo duplex bene declarantur in schemate, ius ad propagandam *veritatem religiosam* [3] melius fundabitur, quod ius quidem in n. 6 ...[4] proclamatur, in textu tamen nec clare nec fortiter enuntiatur et vindicatur.

Deinde n. 5, pag. 11, linn. 13 ss. *agunt de speciali agnitione quae attentis populorum circumstantiis historicis uni communitati religiosae in iuridica civitatis ordinatione tribui licet. Sed,*[5] salvo meliore iudicio, puto magis prodesse has lineas omittere; nam:

1. *Talis specialis agnitio esset difficilis intellectu tam pro catholicis quam pro aliis, speciatim in Statibus hodiernis saecularibus.*[6]

2. Talis agnitio specialis, etsi theoretice concipi et agnosci possit, in praxi tamen periculum discriminationis avertere nequit; consequenter libertas religiosa aliorum civium in periculum versari potest ...[7]

3.[8] In mundo huius temporis — in societate ex una parte pluralistica, ex altera autem magis in unum coalescente (ut bene dicitur in schemate, in n. 14 ...[9]) —, talis agnitio specialis uni communitati religiosae tribuenda in fine finali causae eiusdem religionis magis nocebit quam favebit.

Et tandem, quando sermo fit de tali agnitione speciali, mihi videtur prae oculis haberi forsan tantum regiones catholicas. Quid de regionibus non-catholicis, speciatim missionibus? Sicut em.mi DD. cardd. Alfrink et Jäger iam dixerunt, si in illis regionibus agnitio specialis tribuatur, v. g. communitatibus non christianis in Asia, attentis quidem circumstantiis historicis, conditio civium catholicorum in illis regionibus deplorabilis evadet.

Quae cum ita sint, mihi videtur melius esse omittere lineas supradictas [10] ...[11]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] religionem. [4] pag. 12, linn. 4-23. [5] deest. [6] Specialis agnitio quae, secundum schema, in iuridica civitatis ordinatione uni communitati religiosae tribui licet, esset difficilis intellectu tam pro catholicis quam pro aliis, speciatim in sic-dictis statibus saecularibus. [7] 3. Quando sermo fit de tali agnitione speciali, mihi videtur prae oculis haberi forsan tantum regiones catholicas. Quid de regionibus non-catholicis, speciatim missionalibus? Si in illis regionibus agnitio specialis tribuatur, v. g. communitatibus Hinduistarum, Buddhistarum etc., attentis quidem circumstantiis historicis, conditio civium catholicorum deplorabilis evadet. [8] 4. [9] pag. 19, linn. 20-24. [10] deest. [11] N. 9, pag. 14, linn. 8-17: Quod his in lineis dicitur non est totaliter verum; nam, teste historia, modus agendi Ecclesiae hac in re non fuit quandoque omnino inculpabilis. Ergo melius est has lineas omittere, vel saltem emendare mutatis mutandis quin factum historicum celetur.

12

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU

Archiepiscopus Tucumanensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Fratres,

Loquor nomine aliquorum episcoporum Argentinae.[1] Quamvis certe datur ius ad libertatem religiosam exercendam, tamen existunt limites huius exercitii sicut schema exponit in doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta.

Sed cum ibi exponuntur causae exceptionem facientes ab exercitio libero religioso, schema praesentat quoddam principium quod nimis probat, propter suam diffusam et illimitatam significationem, et videretur dicendum ipsum principium de facto impedire mandatum Domini Nostri Iesu Christi praedicandi Evangelium omni creaturae.

Loquor de sequentibus verbis schematis in pag. 10, linn. 5 ss. ubi dicitur: « Exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis, *nisi perturbet pacem publicam* ... etc. etc. ».

Dubium est circa verba: « ... nisi perturbet pacem publicam ». Quid vero significat phrasis « pax publica »? Estne fortasse tranquillus et communis status morum iam existens, i. e. ordo externus et socialis iam stabilitus? Sed ex hoc solo, non eo ipso colligitur statum illum tranquillum, externum et socialem esse fundatum in iustitia iuxta ordinem naturae hominis.

Praeterea quid vero significat « publica pax », quatenus « publica »? Estne tranquillitas externa et socialis maioritatis personarum, vel etiam minoris partis ipsarum, vel etiam parvae partis, sed non despicienda, alicuius societatis?

Si haec phrasis « publica pax » hic non ampliori modo et concrete specificatur, tunc Concilium Vaticanum II statuet principium quod nimis probat, et erit, in mundo, periculum magnum exsistens, sicut anceps gladius, praesertim si ibi iudex ad determinandum sensum authenticum phrasis « pacis publicae » est potestas civilis sicut traditur in ipso schemate.

Si « pax publica », sine addito, significat tranquillus status rerum iam exsistens seu ordo externus socialis, iuxta hoc principium doctrina Christi, in mundo pagano et imperio Romano in initio praedicationis, non habebat ius ad libertatem praedicationis ipsiusmet quia perturbabat,

vere in suis principiis fundamentalibus, ordinem externum et sociale tunc exsistentem, et tranquillitatem paganismi et Imperii Romani.

Et in ipso initio praedicationis discipulorum Christi in Ierusalem, licet magistratus et ministri « timebant populum ne lapidarentur », princeps sacerdotum, quia discipuli Iesus avertebant populum post se, praecepit eos ne docerent populum quia iam replebant Ierusalem doctrina sua, et ipsi apostoli respondent: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » ...[2]

Idem possent dicere actuales Status athei quia religio v. g. catholica vel alia perturbat tranquillitatem socialem communiter iam exsistentem in illis locis cum atheistico sensu. Ita iudicant auctoritates illorum locorum quoad exercitium liberum cuiusque religionis.

Idem esset de recenti perturbatione, secundum periodisticam informationem, in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, propter sic dicta iura nigrorum, ad stabiliendam plenam aequalitatem iurium omnium hominum *cuiusque* [3] coloris vel stirpis illi sint.

Ibi datur in aliquibus locis, quaedam perturbatio pacis publicae, vel tranquillitatis externae et socialis, etiam cum destructione vitae hominum et etiam ...[4] rerum. Et fundamentum huius perturbationis pacis seu tranquillitatis externae et socialis est, in suis fundamentis, adimpletio mandati fraternitatis et aequalitatis contenti in doctrina Domini Nostri Iesu Christi, et de facto a non paucis hominibus non admissa, etiam violenter reiecta.

Ergo hic, in hoc casu, iuxta hanc exceptionem schematis ad utendum libertate religiosa (i. e. « nisi perturbet pacem publicam » sine addito) videtur non esse licitum illam restaurationem aequalitatis iurium omnium hominum cuiuscumque coloris vel stirpis ipsi sint, ubi datur perturbatio pacis publicae.

Etiam iuxta illam exceptionem (« nisi perturbet pacem publicam » sine addito) non fuisset licita Sacrae Crucis Militia (le crociate) in medio aevo quia sensus religiosus ipsius Militiae vere perturbabat pacem publicam in dominio Mahometanorum illius regionis et temporis.

Idem dicendum esset de liceitate (hoc modo non agnita) abolitionis servitutis humanae (la schiavitù) facta diversis temporibus historiae humanae propter doctrinam evangelicam Domini Nostri Iesu Christi, quia ipsa permutatio socialis perturbabat magis vel minus pacem publicam.

Et ita porro de quibusdam aliis factis ex historia sumptis.

Tamen schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in cap. V, loquens « de communitate gentium et de pace promovenda », docet in suo textu haec verba: « pax nunquam est quidquam factum, sed semper aliquid faciendum ... ».

Et Dominus Noster Iesus Christus dedit mandatum praedicandi Evangelium omni creaturae. Certe haec omnia intelliguntur pacifice facienda. Sed solum factum tranquillitatis externae et socialis in aliqua societate nequit esse impedimentum ut detur quaedam psychologica excutio religiosa ad modum evolutivae permutationis in melius iuxta naturam humanam impulsam versus suum proprium progressum.

Ergo erit necessarium vel mutare verba « nisi perturbet pacem publicam », vel addere eis aliquid specificans ita ut significet non quaecumque pax vel tranquillitas externa et socialis de facto exsistens in quovis loco, sed pax naturaliter legitima i. e. consentanea naturae humanae et eius recto progressui, seu fundata in principiis superioribus seu in ordine morali a Deo insito ipsae naturae humanae.

Sic, quamvis non generaliter admissa in aliquo medio sociali, non impeditur quaecumque humaniter legitima et non violenta evolutio seu permutatio in melius, sive iurium, sive morum hominum et eius societatis iuxta principia naturalia magis ac magis evoluta, quae semper erunt concorditer consentanea cum doctrina Domini Nostri Iesu Christi.

Ergo concludo proponendo ut aut expungantur verba sequentia: « vel perturbet pacem publicam », et suo loco scribantur alia, v. g. « vel perturbet publice ordinem naturae *hominis* [5] a Deo insitum » aut aliquid simile; vel etiam ipsa verba « perturbet pacem publicam » specificentur ita, nempe « vel perturbet legitimam et naturalem pacem publicam », aut aliud similiter et melius. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Act.* 5, 29). [3] cuiuscumque. [4] cum destructione materiali sive domorum sive aliarum. [5] humanae.

13

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI

Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

In pag. 44 relationis sic [1] legimus: « Inter doctrinam scripturisticam et conceptum modernum libertatis religiosae in societate humana magna percipitur veluti distantia ».

Rebus ergo sic stantibus, ad talem distantiam abolendam vel saltem breviandam alterutra patebat via: aut conceptum modernum diiudicare et conformare ad mentem doctrinae scripturisticae, aut Sacram Scriptu-

ram ad suffragandum conceptum modernum quoquo modo distrahere ac veluti detorquere.

Iamvero, hanc alteram viam schema nostrum inivisse non dubito. Nam:

...[2] Thesis vere nova et, ut ita dicam, nevralgica quae toti schemati, licet inexpressis verbis, subiacet eiusque veluti animam constituit, haec est: « Homo habet verum (scil. reale minimeque putativum) et obiectivum (ergo: non tantummodo subiectivum) ius naturale — fundatum enim asseritur in ipsa dignitate personae humanae, i. e. in illa iurium summa quam Auctor naturae Deus omni homini inalienabiliter concessit — ius naturale ut sine ullo impedimento externo possit externe manifestare et propagare, etiam inter asseclas unius verae religionis, suas ideas religiosas et morales, licet obiective falsas aut malas, dummodo ipse sit in bona fide et agat intra limites ab auctoritate civili statutas intuitu ordinis publici ».

Neque obiiciant auctores schematis se libertatem religiosam sumere tantummodo in sensu « iuris ad immunitatem a coercitione externa ». Quibus ita respondendum censeo: *re intimius perpensa*[3] et seposito omni lusu verborum, illud, quod statuitis, ius ut ego non impediar ab aliqua actione ponenda est aliquid negativum, relativum et consequens, quod exigit omnino iustificari et fundari in aliquo positivo, absoluto et antecedenti, videlicet in iure quo ego potior illam actionem libere ponendi. A. v.: mea immunitas a coercitione externa, seu melius officium quo alii tenentur ne meam libertatem externam coarctent, non est nisi consequentia et quasi protectio mei anterioris iuris, aliunde profecto demonstrandi.

Unde stat punctum nevralgicum a me superius indicatum, quod debebat aut ratione aut Revelatione aut utraque simul ab auctoribus schematis demonstrari. Nunc autem demonstrationem ex Revelatione in schemate allatam equidem opinor non esse validam.

II. *Animadversiones generales*: 1) Mirum profecto videbitur quod schema, dum lucem e divina Revelatione invocat, omnino praetereat lucem S. Traditionis, ad eamdem Revelationem aequo iure ac Scriptura pertinentis. Suspicari fortasse quispiam potuerit ita *evenisse,*[4] quia Traditio aegre componi posse videtur cum thesi fundamentali schematis!

2) Sex illi textus, qui e Vetere Testamento citantur, probant quidem libertatem hominis *psychologicam* in adhaerendo vero Deo, sed nihil amplius. E contra plurimi silentur loci Veteris Testamenti in quibus Deus ita loquens aut agens inducitur ut hominibus et populis falsarum religionum nullo pacto recognoscere probetur ius aliquod naturale propagandi suas falsas ideas!

3) Sed etiam doctrina Novi Testamenti exponitur modo unilaterali et manco, praetermissis videlicet illis locis qui ad rem nostram aliquid conferrent, sed non in sensu schematis.

Nihil v. g. legimus de illa « eleutheria », seu libertate in Christo filiorum Dei, ad mentem S. Pauli ...[5], S. Ioannis ...[6] et S. Iacobi ...[7], quae est unica libertas religiosa admissa ut legitima in Nova Œconomia, cum in veritate revelata fundetur.

Item non commemoratur Christus Dominus avertens fideles a pseudochristis et pseudoprophetis ...[8]; minitans incredulis Corozain et Capharnaum ...[9], necnon et Iudaeis ...[10] licet arbitrentur obsequium se praestare Deo, praedicationem apostolorum impediendo eisque mortem inferendo ...[11]. Non commemoratur Christus loquens de inimico homine zizania spargente et de messoribus ea ad comburendum alligantibus ...[12]; de domino excludente a sua coena invitatos qui invitationem detrectaverint ...[13]; necnon de fratre tamquam ethnico et publicano habendo quippe qui Ecclesiam audire noluerit ...[14]

Nihil in schemate legimus de S. Paulo tam severo contra eos « in quibus deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium » ...[15], contra magum Elimam in insula Cypro ...[16], contra denique iudaizantes qui rectae Galatarum fidei errores superseminabant ...[17]

Nihil de S. Ioanne tam severo contra pseudoprophetas et antichristos seductores fidelium ...[18]

Uterque autem apostolus contra « errantes et in errorem mittentes » ...[19], contra « lupos rapaces », viros scil. « loquentes perversa ut discipulos abducant post se » ...[20] durissime loquitur, iubetque ut corripiantur, ut vitentur, ut vel salutatione et communione mensae priventur ...[21]

Haec autem omnia inexplicabilia forent si Christus Dominus, si Paulus et Ioannes agnovissent in falsa praedicantibus ius verum ac proprium, et quidem fundatum in naturali dignitate personae humanae, suas ideas propagandi inter christianos. Nisi dicas sive Christum, sive Paulum, sive Ioannem falsos praedicatores sui temporis omnes in mala fide versari supposuisse, quemadmodum, e converso, nos nostri temporis omnes in bona fide versari supponimus!

III. *Animadversiones particulares.* 1. Textus biblici citati in n. 9 schematis non probant libertatem religiosam in sensu schematis, scil. neque ut ius naturale propagandi religionem quamcumque homo veram censuerit, neque ut ius immunitatis a coercitione externa in suae religionis externa manifestatione. Id unum, ad summum, probant: libertatem psychologicam actus fidei ex parte eorum qui veram amplectuntur religio-

nem. Quod quidem nemo umquam negavit, neque in quaestionem nunc venit.

Quaedam praetermitto[22]...

c) Ex effatu ...[23] « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » ...[24], sequitur quidem non posse Caesarem exigere a subditis aliquid contrarium iuribus veri Dei — de Deo enim vero, non autem de diis putativis, Christus loquitur —, at minime sequitur non posse Caesarem subditos iustis mediis urgere ad iura veri Dei explenda!

In pag. 14 legitur[25]: « ... inconcussa semper mansit Ecclesiae doctrina, neminem esse ad fidem cogendum ». *Utique.*[26] Sed pariter inconcussa mansit — saltem hucusque — Ecclesiae doctrina errantes, licet bonae fidei, ius nullum habere verum ac proprium ad propagandos suos errores inter catholicos, et proinde eos a tali propagatione esse aut iustis mediis impediendos aut, ad summum, tolerandos; aiente Pio XII: « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione »...[27]

2) Textus biblici citati in n. 10 schematis aut nihil ad rem nostram probant, aut probant tantummodo vel libertatem psychologicam actus fidei vel Christum Dominum tam esse misericordem et patientem ut *toleret* errantes et malefacientes in hoc mundo, nullum profecto eis ius recognoscendo ...[28]

Concludo. Nn. 9 et 10 schematis aut integri reficiantur, ita ut solide probetur quod schema probare intendit, aut integri — et melius esset — supprimantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In relatione ad schema (pag. 44). [2] I. Fundamentum. [3] rebus intimius perpensis. [4] esse factum. [5] (cf. *Rom.* 6, 18 ss.; 7, 24; 8, 2. 21; *2 Cor.* 3, 17; *Gal.* 4, 31; *2 Tim.* 1, 9 etc.). [6] (*Io.* 8, 32. 36). [7] (*Iac.* 1, 25; 2, 12). [8] (*Mt.* 24, 11-24). [9] (*Mt.* 11, 20-24). [10] (*Io.* 15, 18-25). [11] (*Io.* 16, 2). [12] (*Mt.* 13, 24-30). [13] (*Lc.* 14, 15-24). [14] (*Mt.* 18, 17). [15] (*2 Cor.* 4, 4). [16] (*Act.* 13, 8. [17] (*Gal.* 5, 11). [18] (*1 Io.* 2, 18 ss.; 4, 1 ss.). [19] (*2 Tim.* 3, 13). [20] (*Act.* 20, 31). [21] (cf. *1 Cor.* 5, 5-11; *2 Thess.* 3, 14-15; *1 Tim.* 1, 19-20; *2 Io.* 7-11). [22] Notata velim sequentia: *a*) *Rom.* 8, 21 perperam citatur (pag. 13, lin. 36), quia ibi sermo est non de christianis, sed de creatura irrationali perventura, et ipsa, ad liberationem e servitute, quam liberationem secumferet futura gloriatio filiorum Dei. *b*) Libertas ad quam in *Gal.* 5, 13 vocati dicuntur christiani (pag. 13, lin. 35), est liberatio a iugo legis mosaicae. Ergo agitur de uno tantum adspectu, et quidem historice valido pro solis iudaeo-conversis, libertatis christianae. [23] *Mt.* 22, 21. [24] (pag. 13, 37) et ex citatione *Rom.* 13, 5: « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam » (pag. 14, lin. 3). [25] *d*) Utique. [26] (pag. 14, linn. 15-17). [27] (*A.A.S.*, 1953, p. 788). Unde non est

undequaque verum quod scribitur in schemate pag. 14, linn. 18-23. [28] In specie haec notentur: *a*) « Deus ipse quidem homines ad inserviendum sibi vocat, non vero coercet » (pag. 14, lin. 25): physice, concedo; moraliter, nego. Nam ut inserviatur sibi, Deus dat grave praeceptum, comminatione quoque paenarum suffultum. Sed nemini ipse recognoscit ius naturale, verum ac proprium, sibi aut non serviendi aut modo diverso ac a se statuto serviendi, quamquam errorem et rebellionem misericorditer toleret. *b*) « Etenim Christus ... in ministerio suo peragendo discipulos patienter allexit et invitavit » (pag. 14, linn. 35-36). Citati loci *Mt.* 4, 19 et 19, 16-22 agunt de vocatione ad apostolatum et ad perfectam paupertatem, quae duo sunt moraliter libera. Ergo hi loci biblici non sunt ad rem. Etiam locus *Io.* 6, 68 « Dixit ergo Iesus ad Duodecim: Numquid et vos vultis abire? » non est ad rem, quia Christus per hanc interrogationem minime concedit discipulis moralem libertatem non credendi suis verbis. Item locus *Mt.* 11, 28-30 non est ad rem, nam Christus, licet suave et leve ratione gratiae adiuvantis dicat, non tamen diffitetur suam legem esse iugum, scil. moraliter obligare. *c*) « At vero ea prodigia semper renuit patrare, quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur » (pag. 14, lin. 40). Mira affirmatio! Quale prodigium resurrectione mortuorum maius magisque capax provocandi assensum fidei? Et tamen Iesus ter resurrectionem peregit, quin violentiam ullam se exercere censuerit circa assensum fidei eorum, qui propterea crediderunt! Si Christus « signum de caelo » (*Lc.* 11, 16) aut descensionem e cruce (*Mt.* 27, 42-43) concedere noluit, id factum est non quasi ipse scrupulo teneretur non inferendi violentiam in assensum fidei, sed quia illae petitiones ex una parte non erant iuxta imperscrutabilem Providentiam Dei, ex altera vero erant petulantes et minus rectae, immo incredulitatem petentium demonstrabant, quatenus praesupponebant miracula hucusque a Iesu patrata non fuisse sufficientia ad credendum.

d) Citatio *Io.* 4, 48 (pag. 15, lin. 4) non est ad rem quia ex contextu patet ibi non agi de signis a Iudaeis petitis et a Iesu negatis, sed potius exprobrare vult Iesus « immoderatum Galilaeorum studium miracula videndi, et talem animi dispositionem, ut totam regni Dei manifestationem miraculis potius quam interna reformatione fundatam arbitrarentur » (Simon-Dorado, *Praelectiones biblicae, Nov. Test.* n. 318).

e) Item verba *Lc.* 9, 54-56 « Domine vis dicimus ut descendat ignis de caelo et consumat eos » (pag. 15, linn. 5-7) non agunt de libertate religiosa, sed simpliciter respuere intendunt spiritum vindictae.

f) Textus *Is.* 42, 14; *Mt.* 12, 20; 26, 51-53; *Io.* 18, 37; 12, 32 citati in pag. 15, linn. 10-15 probant quidem quae sit natura Regni Christi, voluntario nempe actu fidei recipiendi, sed nihil probant pro libertate religiosa in sensu schematis. Insuper minime contradicunt iis quae alibi habent Evangelia de obligatione morali audiendi vocem Veritatis et aures claudendi falsa praedicantibus: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16).

g) Cetera quae in pag. 15, linn. 16-35 scribuntur de exemplo Apostolorum id unum demonstrant: fidem non esse imponendam actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis. Minime vero demonstrant non debere praedicatores *verae* fidei uti etiam licitis mediis humanis, quae possint favere praedicationi veritatis. Ceterum, nonne dicitur in toto schemate XIII Ecclesiam assumere et sanctificare velle omnes « valores » vere humanos ut Regno Christi instaurando inserviant?

14

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de « El Obeid »

Velim praemittere meam adhaesionem ex toto corde iis quae nuper ab exc.mo Aramburu declarata sunt et iis quae heri ab em.mis Alfrink et Silva declarata sunt.[1]

De cura libertatis religiosae, in n. 5. Huic perpulchrae declarationi de libertate religiosa mihi videtur aliquid addendum esse tum de *mediis* ad istam libertatem fovendam et practice colendam tum de *insidiis* quae ipsi a pluribus parantur; hoc necessarium est ne nos videamur *tantum generaliter loqui*[2] pulchris eloquiis et definitionibus, omissis vero practicis adiumentis.

Circa *media* quae curae libertatis possunt inservire, duo velim indicare, scil.: *educationem iuvenum,* tum in familia quam in societate civili *et in scholis,*[3] ad respectum opinionum ceterorum hominum; *dein etiam educationem*[4] *et formationem hominum* gubernia moderantium ad sic dictam *libertatem religiosam vel*[5] tolerantiam civilem.

Sensus respectus opinionum et tolerantiae non est ex sua natura evidens in societate nostra hodierna nisi foveatur speciali cura inter homines omnes ad hanc libertatem educandos ...[6]

Quod vero ad tolerantiam religiosam attinet, nostis, Patres Venerabiles, quod adsint in mundo homines politici et rectores rerum publicarum qui postquam declarationem libertatis religiosae *vel libertatis universalis*[7] subscripserunt S. Francisci de California eamdem libertatem Californiae dereliquerunt, nec desint alii qui in conventibus Nationum Unitarum New York buccis crepantibus libertatem religiosam acclament, dum in suo territorio cives proprii eadem misere priventur.

Circa vero *insidias* contra libertatem religiosam omnibus compertum est quam maximae insidiae parentur ab iis qui communismo atheo nomen dederunt, ab iis qui inordinato amore propriae stirpis capti propriam culturam colunt in damnum aliorum; ab iis qui separationem socialem stirpium acerrime propugnant; et tandem ab iis qui deliramenta colunt a graeca voce « PAN » incipientia. Cultores errorum istorum a nobis publice indicandi sunt et arguendi ne alios decipiant.

Nec otiosum erit si nos in nostra hac declaratione expressius notemus libertatem religiosam esse quoddam unum indivisibile cum ceteris libertatibus humanis, ita ut, hac destructa, vel quomodocumque inficiata, necessario et ceterae aliae *libertates*[8] damnum patiantur. Hoc dico propter

illos homines qui hisce diebus videntur maximi facere de libertate sociali vel politica *tantum,*[9] dein vero parum vel nihil curant de libertate religiosa. Intelligant et isti quod bonum indivisibile libertatis numquam impune labefactetur sive agatur de christianis Africae in suis iuribus impetitis, sive de Buddhistis Asiae.

Conclusionem faciens, rogare velim vos, Patres *venerabiles,*[10] et praesertim eos qui e regionibus ex maxima parte catholicis proveniunt, ut hanc declarationem paucis additamentis amelioratam, velint suo suffragio quam cito approbare.

Mihi videtur quod Ecclesia missionalis nullum maius impedimentum vereatur vel reapse patiatur quam carentiam libertatis religiosae!

Itaque sincere deplorando omnia vulnera libertati religiosae inflicta saeculis elapsis sive a quibusdam viris Ecclesiae sive a multo-maioribus aliis, iter praebeamus hominibus ad Deum in caritate libertatis fundatum.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] aerem verberare. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] Omnes homines ius habent ad respectum et considerationem suarum opinionum tum intuitu dignitatis personae humanae a Deo libertate ditatae, tum intuitu participationis veritatis quam haud raro continent, et praesertim intuitu principii reflexi experientiae nostrae quotidianae qua persaepe accidit quod ea quae prima facie videntur contraria, inveniantur postea in multis convenire. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] venerandos.

Animadversio addita:

Suggero ut huic numero, in pag. 11, in lin. 12 post verba: « ... erga Deum Eiusque sanctam voluntatem » haec sequentia inserantur modo novae paragraphi: « Cum vero sensus libertatis religiosae saepe obnubiletur humanis passionibus, curandum est ut homines, praesertim iuvenes, educentur in familia, in scholis, et generatim in societate civili ad hunc sensum efformandum, colendum et exercendum.

Monet insuper Synodus Vaticana ut homines bonae voluntatis non tantum se custodiant ab erroribus virorum illorum qui specie oeconomica decepti, vel inordinato amore propriae stirpis et culturae libertatem aliorum hominum impetunt, sed etiam ceteros homines doceant bonum libertatis amare et custodire in sua integritate », dein prosequitur: « Hoc vero libertatis etc. » ut in textu pag. 11, lin. 13.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH MARAFINI

Episcopus Verulanus-Frusinatensis

Venerabiles Patres,

Schema nobis propositum magnam considerationem meretur, cum faveat iuridicae ordinationi de libertate religiosa, quae postulatur et proponitur sive ob hominum evolutionem civilem et auctum dignitatis personae sensum, sive ob correlativam evolutionem civilis potestatis.

Ne autem repetam quae a quibusdam Patribus iam et melius dicta sunt, pauca dicere audeam.

Ad praecavenda pericula falsae interpretationis textus, videtur pressius et clarius definiendos esse limites libertatis religiosae non solum ab extrinseco, sicut habetur revera in n. 4, i. e. ex ratione ordinis publici et publicae moralitatis, sed etiam ab intrinseco, nempe ex convenientia religionis cum principiis ordinis moralis et religiosi naturae, quae semper exstant fundamentum iuris et de quibus potestas civilis iudicare potest et debet cum non sufficiat conscientia bonae fidei ad fundandum verum ius.

Insuper, ad tollendum periculum interpretandi schema tamquam si notioni « Status » areligiosi aut indifferentis faveat — quod periculum iam a ...[1] Patribus est denunciatum — necessarium videtur declarationem ad rem schemati addi.

Sicut sub n. 2 ...[2] peropportune adfirmatur ex libertate religiosa non sequi hominem nulla obligatione in re religiosa teneri neque falsum ac verum posse aeque aestimare, aut dispensari officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, ita apertis verbis adfirmandum est curam libertatis religiosae non eximere Statum suis officiis ethico-religiosis, conformandi nempe leges, dispositiones et instituta cum rationibus moralis naturalis atque religioni quodammodo favendi, salvo respectu variarum communitatum religiosarum.

Nam Status potest esse aconfessionalis, ut dicitur — quod immo, in praesentibus rerum adiunctis, considerata societatis « pluralisticae » exsistentia, bonum esse videtur —, attamen areligiosus vel indifferens aut amoralis esse non debet. Potestatis civilis incompetentia in iudicandis rebus religiosis non implicat indifferentiam in rebus religiosis.

Nam, quamquam Status nullam religionem ut propriam agnoscit et ius libertatis religiosae constituit et defendit, tamen tenetur sequi rationes moralis naturalis, quae potentialiter doctrina christiana perficienda

est, necnon appetitiones et opiniones religionis naturalis, quae in fide Dei supremi legislatoris, mundi artificis et ipsius ordinis socialis et iuridici fundatoris condensantur.

Quo rectius suos fines temporales consequatur, debet Status exigentias religiosas magni facere atque dispositiones rationesque rei publicae administrandae cum praeceptis et moribus rectae rationis componere. Quapropter Statui, cum religiosae libertati institutum decernat, nota ethico-religiosa semper attribuenda est.

Etenim stricta ac indissolubilis est coniunctio inter regulam morum et religionem; nam religio non solum veritates credendas et ritus sacros peragendos complectitur, sed etiam doctrinas et regulas de moribus, quae singulis et societati servandae proponuntur.

Atqui in quadam religione contineri possunt normae de moribus, quae naturae legis adversantur, vel normae quae naturae legem perficiant, sicut *v. g.*[3] caritatis lex, a religione christiana promulgata.

Status igitur alienum aut neglegentem huiusmodi condicionum se habere nequit, sed tenetur et eas sequi, quae magis legi naturali conveniunt, et eas repellere quae eidem legi opponantur.

Qua de re, illius officia in ordine publico tuendo contrahi nequeunt, sed ad bonum commune promovendum revera ordinantur ope actionis subsidiariae, quae liberae civium actioni non obstet.

Declaratio igitur, quae affirmaret Status officium esse exigentias morales et religiosas naturae humanae sequi, componitur, *mihi videtur,*[4] cum instituto iuridico religiosae libertatis, simulque timorem removet ne Statui areligioso faveretur, immo efficeret ut potestas civilis fautrix civitatis Dei esse posset, i. e. illius societatis informatae plena veritate morali-religiosa, quae habetur in religione revelata.

Huiusmodi declaratio n. 5, ubi de cura libertatis religiosae disseritur ex parte auctoritatis civilis, addi potest his verbis: « Cura libertatis religiosae non implicat potestatem civilem se habere areligiosam vel indifferentem, neque illam eximit officio et conformandi dispositiones et instituta cum lege naturali sive morali sive religiosa eamdemque legem positive aptisque modis promovendi ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quibusdam. [2] in linn. 16-18. [3] deest. [4] deest.

16

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores carissimi,

Textus reemendatus schematis declarationis *de libertate religiosa* ...[1] laudandus est et iam acceptari potest *post aliquas emendationes.*[2] Liceat mihi tamen duas animadversiones proponere, ut principia declarationis magis cohaereant tum consequentiis suis internis, tum ceteris documentis huius Concilii.

1. *Circa n. 5,* pag. 11 ...[3]. *Plures Patres iam locuti sunt, quapropter trado illam observationem in scriptis et venio ad secundam.*[4]

2. *Circa n. 7,* pag. 12 (De libertate religiosa familiae). Post principia enunciata in prima parte, applicatio fit in secunda parte ad officia civilis potestatis erga ius parentum. Propono ut fiat etiam brevis applicatio ad *officia Ecclesiae* erga idem ius, scil. circa matrimonia in quibus sponsi in eadem fide non conveniunt. (Liceat ibi dicere per transennam, expressio « matrimonium mixtum » inter christianos theologice recte non sonat, sed abusive et univociter a matrimoniis cum parte achristiana desumpta est; matrimonium autem inter baptizatos qui fidem habent in sacramentum Ecclesiae, mixtum esse nequit sed vere homogenum evadit. Optandum est ergo ut expressio « matrimonium mixtum » paulatim amoveatur a glossario oecumenico).

Quoad libertatem religiosam familiae, principium firmum est ac firmiter tenendum est: nemini licet agere contra dictamen conscientiae suae. Omnis actus, contra conscientiam effectus, culpabilis est. Contra hanc legem naturae, a revelatione confirmatam ...[5], nulla lex positiva, etiam ecclesiastica, potest praevalere. Itaque nobis numquam licet quemquam inducere ad agendum contra praescriptiones fidei suae, etiamsi erroneae, dum convictus sit fidei suae. « Omne autem quod non est ex fide, peccatum est »...[6]

Quae cum ita sint, quotiescumque requirimus a parte acatholica aut achristiana ut polliceatur prolem suam baptizaturam ac instructuram esse in Ecclesia catholica, eam inducimus ad agendum contra conscientiae suae dictamen. Adest enim convictio seu bona fides.

Ideo in his casibus corrigere oporteret rationem nostram agendi, secundum normas sequentes:

1. Pro certo habere debemus convictionem partis acatholicae aut achristianae.

2. Si nullam convictionem habet, eam rogare licet utrum libere consentiat baptismo ac instructioni prolis in Ecclesia catholica.

3. Si veram convictionem habet, licet tantum requirere ut agnoscat reapse parti catholicae libertatem sequendi fidem suam.

4. In hoc casu, cautiones requiramus tantum a parte catholica, in quantum potest.

5. In omni casu matrimonii inter christianos, optandum est collaborationis incrementum inter pastores utriusque Ecclesiae, ita ut libertas fidei magis ac magis foveatur et fructum suum ferat, i. e. fraternam caritatem in veritate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] valde. [2] fere ab unanimi voce. [3] linn. 13-20. [4] N. 5 clarus est, moderatus et consequens cum principiis supra edictis. Sed cur, quaero, cur repente in cauda venenum? Quid significat hodie « uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione » tributa, nisi quaedam discriminatio? In hodiernis adiunctis omnis discriminatio iniuria est. Non sumus contemptores neque laudatores temporis acti. Sed hodie conscientia humana necnon libertas christiana admittere nequeunt principium in istis lineis suppositum, etiamsi mitigatum, « cuius regio, eius religio ». Talis concessio in fine n. 5: 1) contradictionem internam secum fert, quia de facto libertati religiosae sese opponit; 2) valde periculosa est, quia explicite approbat discriminationem religiosam in tantis nationibus vigentem nomine « specialis agnitionis » huius religionis aut illius ideologiae; 3) iniuriosa est libertati evangelicae, quia e contra christiani omni potestati legitimae subiici debent, speciali autem protectione civili non egent. Cauda venenum, ergo amputanda est. [5] (*Rom.* 2, 14-15). [6] (*Rom.* 14, 23).

Emendationes additae:

1. Ad n. 5, pag. 11, linn. 13-20: deleatur. Rationes: adest contradictio interna inter duas partes huius paragraphi; de iure ac de facto talis « specialis agnitio » aequivalet discriminationi contra ceteras communitates religiosas; datur approbatio potestatibus musulmanis et marxistis: nomine Islamismi et religionis Status aut nomine atheismi Status, communitates christianae in statu discriminationis subiiciunt, v. g. RAU, Sudan, Iraq, Democratiae populares...; dignitas Concilii laeditur: revendicatio libertatis religiosae debet eadem esse pro nationibus sic dictis « christianis » ac pro ceteris.

2. Ad n. 7, pag. 12, lin. 30: addatur post verba « suis liberis tradendae » haec propositio: « Ideo lege ecclesiastica de cautionibus matrimonii agnoscendum est ius utriusque partis, ita ut nihil ultra requiratur quam id cui consentit liberum dictamen conscientiae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius... ». *Rationes*: 1. Lex ecclesiastica catholica olim fuit, et non desinit, iniusta erga partem acatholicam circa cautiones requisitas: principium revisionis legis convenienter hic inseritur. 2. Propositio supra dicta convenit etiam Ecclesiis acatholicis; quod non est inutile in aliquibus regionibus. 3. Declaratio nequit requirere a civili potestate plus quam requirendum est a lege ecclesiastica; a. v. mundus non expectat a lege

ecclesiastica minus quam a lege civili. 4. Casus matrimonii inter christianos tanti momenti videtur oecumenismo quod valde inconveniens esset saltem brevem allusionem non facere de hac quaestione.

17

EXC.MUS P. D. ÆMILIUS TAGLE COVARRUBIAS

Episcopus Vallis Paradisi

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 45 Patrum Americae latinae. Textus « reemendatus » *de libertate religiosa,* qui nunc nobis proponitur ...[1], plurima iam continet quae sunt certo laudanda.

Attamen sincere confiteor quasdam inveniri in textu contradictiones. Hae contradictiones, nisi auferantur, maximam ingererent confusionem atque ambiguitatem in hoc vere gravi argumento de libertate religiosa.

Contradictiones vero quae magis sub oculis versantur, sunt:

1. In pag. 5, lin. 5, affirmatur principium veritatis et iustitiae ut animorum appetitiones modernae possint approbari ab Ecclesia; at, iterum, in pag. 8 ...[2], approbatur *modo absoluto* sensus hodiernus dignitatis humanae et opinio hodierna circa competentiam potestatis civilis in re religiosa.

2. In pag. 7 ...[3], statuitur egregie Lex divina, aeterna atque universalis, ut suprema humanae vitae norma, qua Deus consilio sapientiae et dilectionis suae, mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat. Iam vero, et modo contradictorio, in pag. 6, lin. 9 dicitur: « Insuper declarat huiusmodi ius, in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare ». Hoc autem est contradictorium, quia omnes communitates religiosae non possunt esse verae; ergo non possunt esse conformes veritati et iustitiae; non possunt ergo sibi vindicare legitime verum ius civile, quod sit conforme Legi divinae, aeternae et universali.

3. In pag. 5 ...[4], ius ad libertatem religiosam fundatur in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur. Hoc autem « ius » esse non potest illud « ius civile » quod recognoscitur omnibus hominibus, et omnibus communitatibus religiosis indiscriminatim a vero et falso, a bono morali vel immorali. Quia persona humana non habet propriam suam et veram dignitatem nisi quando est constituta in vero et bono; et verum ius, secundum rectam rationem et maxime revelationem, recognosci nequit nisi unicae religioni verae, i. e., Ecclesiae catholicae.

4. In pag. 6, lin. 16 textus reemendatus optime procedit damnando liberalismum religiosum et indifferentismum; at est contradictio evidens cum concedit verum ius ad libertatem religiosam omnibus simul et indiscriminatim communitatibus religiosis.

5. In eadem pag. 6 ...[5], affirmatur modo praeclaro ita: « Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia ». Iam vero haec sollemnis declaratio deinde pluries vel obscuratur, vel etiam negatur semper ac idem ius recognoscitur omnibus simul et indiscriminatim communitatibus religiosis.

6. In toto n. 13 textus reemendatus optime et feliciter extollit spiritum missionarium in Ecclesia catholica. Attamen, in pag. 12 ...[6], affirmatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda ... ». Ergo Ecclesiae catholicae denegatur unicum et verum ius evangelizationis; nam, qua ratione iam « missionariis catholicis, et in genere fidelibus catholicis » dici possit, etiam in textu: quod « lumen vitae cum omni fiducia et fortitudine apostolica ad sanguinem usque effusionem diffundere satagant »? Etenim, si et aliae communitates religiosae habent verum ius in diffusione suae doctrinae, ut quid flumen sanguinis a martyribus christianis effusum? ut quid ...[7], *dicam,*[8] mors cruenta Christi?

7. In pag. 5 ...[9], dicitur quod Ecclesia profert de thesauro suo nova et vetera; i. e. affirmatur esse perfectam concordiam inter doctrinam traditionis catholicae et doctrinam qua hodie proponitur. Iam vero, doctrina catholicae traditionis, prouti clarissime invenitur in Litteris Encyclicis Pontificum ...[10], est aperte contraria recognitioni eiusdem iuris religiosi omnibus communitatibus religiosis, quia, uti dicebat egregie Leo XIII: « *Vetat* iustitia, vetat ratio ... singulis religionibus iura promiscue largiri ». Et non minus egregie aiebat Papa Pius XII: « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione ».

8. In pag. 19 ...[11], dicitur quod: « non pauci ita propensi videntur ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant ». Quod utique rectissime et prudentissime dictum est. At liceat mihi quaerere: num sit sufficiens quod in fine tantum declarationis, et quidem per modum exhortationis, indicentur pericula quae certissime in textu ipso inveniuntur? Melius absque dubio esset ut textus ipse corrigatur ut ne propendat in subiectivismum quoddam effrenatum fovendum, ut multoties, hodie, accidit. Textus clare favet et roborat ...[12] subiectivismum et inoboedientiam.

Ordo iuridicus ab ordine theologico et morali separari nequit. Non potest dari ius aliquid quod in ordine divino, i. e. in veritatis et iustitiae norma obiectiva, fundamentum suum non habeat. Contrarium erit positivismum iuridicum.

Ecce, venerabiles Patres, contradictiones aliquae, non parvae molis, quae inveniuntur in textu nunc ultimo proposito. Haec contradictiones sunt adeo evidentes, ut nisi corrigantur, textum ipsum reddunt confusum, ambiguitatibus plenum, ideoque non aptum ut a Concilio Vaticano II proponatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] post tot tantosque labores perpessos. [2] linn. 1 et 3. [3] lin. 1. [4] lin. 16. [5] lin. 25. [6] lin. 4. [7] ipsa. [8] dico. [9] lin. 12. [10] iam ab uno integro saeculo. [11] linn. 36 ss. [12] in omnibus.

[*Subscripserunt etiam*] J. Cl. Maurer, arch. Sucrensis; A. Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis; A. Duque Villegas, arch. Manizales; C. Crous y Salichs, vic. ap. Sibundoy; M. Solà, ep. tit. Colofone; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; D. Zambrana Camader, ep. Facatativà; J. Giraldo, ep. Pasto; A. M. Ocampo Berrio, arch. Tunja; M. A. Builes, ep. S. Rosa de Osos; J. Franco Arango, ep. Duitama; M. A. Medina, ep. Monteria; E. Mari, vic. ap. Riohacho; J. J. Florez Hernández, ep. Ibagué; B. Arango, ep. Barranca Bermeja; G. Valencia Cano, vic. ap. Buenaventura; B. Alvarez, ep. Pereira; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; A. Castro Bocerra, ep. Palmira; J. Coronado Caro, praef. ap. Ariari; J. I. López, arch. Cartagena; P. J. Rivera Mejía, ep. Socurro y San Gil; J. G. Calderón, ep. Cartago; H. Correa Yepes, praef. ap. Mitu; G. de Proença Sigaud, arch. Diamantina; H. Rueda Hernández, ep. Bucaramanga; V. Escobar, ep. Antioquia; J. Pimiento, ep. Garzón-Neiva; P. Grau, ep. tit. Pella; E. Vallejo, praef. ap.; A. García Rodriguez, vic. ap. Tucupita; Fr. Bruls, ep. Villavicencio; G. Garavito, aux. Villavicencio; G. Villa Gaviria, ep. Barranquilla; V. Gomez Frande; G. Posada Peláez, vic. ap.; F. Gillmore Stock, ep. tit. Auzia, vic. castr. Chile; B. Chiriboga, ep. Latacunga; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; A. Mery Beckdorf, ep. tit. Fasi; A. Silva Santiago, arch. tit. Petra di Palestina; C. Oviedo Cavada, ep. tit. Benevento; C. Gomez Villa, vic. ap. Caroni; A. Tortolo, arch. Paraná: M. Sanchez B., arch. Concepción.

[*Adhaeserunt*] A. Cifuentes, arch. La Serena; E. Larrain C., ep. Rancagua; P. Fariña, ep. tit. Citarizo.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, crastina vobis dabitur fasciculus continens Litteras Apostolicas Motu Proprio datas, quas heri legi, nempe *Apostolica sollicitudo*.

Quidam Pater a me quaesivit utrum indicari deberent nomina praesidum conferentiarum episcopalium regionalium. Non! Tantummodo nationalium vel quae sunt inter nationes. Iam hoc dixi, ni fallor, clare.

Denique, ut dixi, suffragationes incipient feria II proxima.

Elapsis periodis nos animadvertimus modos exarari quandoque, immo forsan saepe, in foliis cuiuscumque generis, etiam inferioris notae; quod non congruum videtur dignitati Concilii et multa incommoda pro consultatione documentorum procurat. Vae nobis si post 50 annos ii qui studebunt his rebus videbunt haec folia! Quapropter nos inceptum habuimus dandi Patribus aliqua folia quae sint destinata modis. Est aliqua pars scripta typis, v. g. « Modum quoad ... numerum ... capitis ... » etc., et reliquum est scribendum a Patribus. Haec folia potestis vos habere inde a crastina in nostro officio mechanographico, vel potestis etiam petere ab assignatoribus locorum. Petatis numerum foliorum quae possunt esse praesto vel utilia modis significandis, et modos — si vultis ponere, uti patet — scribatis in his foliis. Melius est etiam pro consultatione, pro « catalogatione », uti dicitur, et etiam pro conservatione documenti. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXX

17 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXX

17 septembris 1965

Unus e caeremoniariis: Hodie, missa erit de Spiritu Sancto. Cantus sumentur e primo schemate missarum de Spiritu Sancto, nn. 1-5. Schola cantabit antiphonas iuxta modos gregorianos Gradualis Romani. Ad introitum, si tempus processionis id requisierit, coetus aliquos versus psalmi alternatim cum schola concinet. In cantibus inter lectiones occurrentibus, coetus *Alleluia* cantabit.

Ad Epistolam et Evangelium continuatur lectio Actuum Apostolorum et Evangelii Sancti Ioannis, secundum ordinem libelli.

Oratio fidelium profertur in cantu iuxta schema III, n. 88.

Missam celebrat Exc.mus D. Ioannes Aggey, arch. Lagosensis, Nigeria.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, nunc recitabimus orationem *Adsumus*. Videatis paginam ultimam libelli qui continet missas. Variae phrases huius orationis distinguuntur lineola. Velitis aliquam pausam ad unamquamque lineolam facere, ita ut ordinatim oratio pronuncietur.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *Adsumus, Domine...* (Omnes Patres prosequuntur orationem).

Secretarius generalis: Patres venerabiles, hodie cadit sexagesimus anniversarius ordinationis sacerdotalis Suae Beat. card. Maximi IV Saigh [*plausus*].

Beat.me Domine, hic plausus, nunc valde laudabilis, dicit nostra omina, vota, preces. Ad multos, ad plurimos annos! [*Plausus*].

Moderatur 130 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Prosequitur disceptatio *de libertate religiosa*. Verbum facere postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd.: Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon (Colombo); Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis (Westminster), Anglia; Villelmus Conway, arch. Armachanus (Armagh) in Hibernia; Alfredus Ottaviani; exc.mi ac rev.mi DD.: Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania (Za-

ragoza); Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia; Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia (Annecy); Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia; Leo Elchinger, ep. coad. Argentoratensis in Gallia (Strasbourg); Abilius del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania (Calahorra); Thomas Toolen, arch.-ep. Mobiliensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (Birmingham); Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (Louisville); Custodius Alvim, arch. de Lourenço Marques in Mozambico; Franciscus Da Silva, arch. Bracharensis in Lusitania (Portogallo, Braga); Primus Gasbarri, adm. ap. Grossetanus in Italia; Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (Baton Rouge); Secundus García de Sierra, arch. Burgensis in Hispania (Burgos).

Heri, venerabiles Patres, dixi praesto esse pro vobis aliqua folia ad indicandos modos, si, forte, velitis apponere in variis suffragationibus. Hoc factum est in vestrum commodum. Nulla obligatio est utendi illis foliis. Attamen folia, quibus forte utemini, sint digna hoc Sacro Concilio et, si possibile est, eiusdem formae ac folia quae nos paravimus. Ergo nostra folia sunt tantum in commodum. Si velitis accipietis; ceterum potestis vestris foliis liberissime uti.

Hodie distribuetur elenchus suffragationum circa schema *de divina revelatione*. Suffragatio, uti dixi, incipiet feria II proxima, die 20 mensis huius. Et hoc mane, iterum, distribuetur vobis textus Litterarum Apostolicarum motu proprio datarum, scil. *Apostolica sollicitudo*.

PATRUM ORATIONES

(*De libertate religiosa*)

1

Em.mus P. D. THOMAS card. COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Venerabiles Patres,

Liceat mihi *perpauca* [1] proponere super hoc schema *de libertate religiosa, ...* [2] ad nn. 2 et 4.

Dicitur in n. 2, pag. 6, in fine: « Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia ».

Humili meo sensu, expositio doctrinae de libertate ...[3] ita debet fieri ut ipsissima expositione et non per meram assertionem quamdam quasi externam, quaelibet incertitudo hac de re ex mentibus legentium tollatur. Immo, si ex expositione, vel dubium vel obscuritas relinquitur intrinsece, indignum Concilio Oecumenico est hunc defectum occultare per meram assertionem externam.

Unde propono ut, quando agitur de limitibus libertatis religiosae, nempe in n. 4, expresse dicatur *limitationem per se primo exoriri ex parte veritatis obiectivae.* Ut patet contra veritatem obiectivam non datur libertas per se. Dico contra veritatem *obiectivam,* cum veritas potest esse etiam subiectiva. ...[4] « Per se » *et non* [5] per accidens, v. g. propter ignorantiam ex parte personae humanae aliter potest fieri. Contra talem veritatem ne quidem in re physica datur libertas; multo minus in re dogmatica quae fundari debet super veritatem metaphysicam.

Etiam norma moralis et norma iuridica valorem proprium non habent nisi fundantur super veritatem obiectivam. Ceteroquin, quid dicendum de doctrina fautorum materialismi atheistici qui fundamentum tam moralitatis quam iuris ponunt in bono seu utilitate Status civilis?

Ius ergo veritatis sic vindicando, nempe ratione veritatis obiectivae, ab intrinseco « intacta relinquitur doctrina catholica de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi », Christi qui est Veritas, qui venit ut testimonium perhiberet veritati ...[6], immo qui istud testimonium proprio sanguine sanxit. Nos ipsi debemus defendere libertatem certissime in omni caritate, sed semper secundum veritatem.

Unde propositio mea est ut ad n. 4, pag. 9, sub verba « Limites libertatis religiosae » primo in loco ponatur sub littera *a*) haec verba, nempe « per se primo ratio veritatis obiectivae » cum paucis adnotationibus explicativis. Postea quasi secundo sub *b*) « Norma moralis », et sub *c*) « Norma iuridica ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quaedam brevissime. [2] et quidem in specie. [3] religiosa. [4] Dico. [5] quia. [6] (*Io.* 19, 37).

2

EM.MUS P. D. EERMENEGILDUS CARD. FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

1. Schema ...[1] omnino praestat aliis ipsius anteactis redactionibus.

Etenim ius, quod universale affirmatur ad libertatem religiosam, in dignitate personae humanae directe fundatur, potiusquam in veritate ipsa religiosa qua absolutam obiectivitatem accepit a revelatione divina. Hic modus procedendi profecto confert ut nostra declaratio non solis christianis, sed cunctis quoque gentibus intelligibilis evadat.

2. Videtur tamen ius prorsus peculiare quod uni competit Ecclesiae, ad religionem divinitus revelatam profitendam, aliquatenus obscurari. Verum quidem est hoc ius originarium et proprium Ecclesiae agnosci in n. 10, ideoque periculum praecavetur quominus iuri omnibus hominibus communi assimiletur. Cavendum tamen est ne ius ad libertatem *religiosam christianam* appareat tamquam aliquid superadditum, veluti elementum subiectivum ad instar aliorum elementorum subiectivorum quibus conscientia hominum efformatur et iuxta quam libertate religiosa fruuntur. In oeconomia namque salutis, natura ipsa humana ita elevatur ut quidquid a Deo supernaturaliter provenit, ad eiusdem obiectivam dignitatem pertineat quam naturaliter acceperat. Inde consequitur, ex voluntate Dei, professionem unius verae religionis ipsam qualitatem ontologicam seu essentialem dignitatem personae humanae attingere ideoque haud parem esse condicionem hominis non christiani et hominis christiani: aliud enim est sequi religionem quae vera putatur, aliud est sequi religionem quae vera ex testimonio Dei comprobatur.

Ex hoc etiam duo distincta iura habentur quoad libertatem religiosam: ius mere naturale quod omnibus indistinctim competit hominibus; ius naturale insimul et supernaturale, quod soli competit in Christum credentibus, quodque longe praecellit ius in sola dignitate personae humanae fundatum.

Hisce praenotatis, petere liceat ut: 1. inde ab initio declarationis affirmetur summum et sacrum ius — *ideo distinctum a naturali, etsi in christiano identificetur vel locupletetur —, igitur, petere liceat ut inde ab initio declarationis affirmetur summum et sacrum ius*[2] ad libertatem religiosam habere omnes et singulos qui christianam religionem profitentur;

2. pariter declaretur Ecclesiam omni tempore plenam libertatem in re religiosa sibi posse et debere vindicare, eamque exercere iuxta Evangelii exigentias;

3. claris verbis dicatur Ecclesiam, semper iuxta dictamina humanae probitatis et christianae caritatis, ius habere ad exercendam suam libertatem religiosam etiamsi hoc exercitium perturbationem suscitet in libertate religiosa naturali qua alii fruuntur homines dummodo id intuitu faciat *Ecclesia* [3] non illam libertatem per vim destruendi, sed verbo Dei sacrandi. Cum enim agatur de iure ipsius Dei, pro christifidelibus omnium temporum, illa valent verba quae apostoli coram Synedrio protulerunt: « Non enim possumus ea quae vidimus et audivimus non loqui... Oboedire oportet magis Deo quam hominibus » ...[4];

4. aperte affirmetur libertatem religiosam christianam minime ad id tendere ut pro Ecclesia commoda vindicentur, sed ut potius incommoda *rememorentur* [5] ad quae astringitur vi conditionis suae uti depositaria religionis divinitus revelatae, omnibus hominibus, ex praecepto Christi, praedicandae ...[6]

Venerabiles Patres, si placuerit, poterit deinde aliqua organizatio internationalis e nostro textu extrahere declarationem de libertate civili in re religiosa. Sed Concilium est realitas sacra et sacra imprimis considerare debet. In casu nostro ...[7] praeter *ius naturale* etiam ius *sacrum* libertatis christianae declarare velit *Concilium*.[8] Si hoc fieret schema nostrum quod generatim laudandum est, ditabitur iusta dimensione theologica et plenius exspectationi destinatariorum, maxime domesticorum fidei obviabit.

Ad hoc ausus sum prooemii instar brevissimum textum proponere ...[9]

Secunda animadversio ...[10] Iuxta schema — *haec est medulla quaestionis* [11] —, homo, ratione suae dignitatis, i. e. ut natura liber, ius naturale, ubique et semper, opiniones suas in re religiosa, quaecumque sint illae, publice docendi et vulgandi, quin societas publica ius ullum habeat eum impediendi, possidet.

Cuius libertatis non alii dantur limites nisi necessitates ordinis publici.

Status seu societas civilis, dummodo ordo publicus servetur, circa veritatem vel falsitatem opinionum religiosarum indifferens esse debet, quia agitur de re posita extra suum finem naturalem. Potest tamen alicui religioni, non quidem propter maiorem veritatem, sed propter rationes quasdam historicas, magis favere. Tunc plenam tamen ceterarum libertatem tuebitur.

Haec est, venerabiles Fratres, si bene intellexi, substantia totius schematis. Iamvero, liceat mihi haec animadvertere [12]:

1. Indifferentia Status in re religiosa contra ipsam naturam eius procedit. Status enim est societas naturalis cuius finis est bonum commune civium. Unde ad naturam Status pertinet cura totius boni communis (utique temporalis in hac terra).

Bonum autem commune multo latius patet quam ordo publicus. Aliis ac maioribus bonis constat, ut sunt veritas et virtus, necnon rectus ordo civium et societatis erga Deum, societatis auctorem. Proinde ad finem naturalem Status pertinet veritas religiosa acquirenda, conservanda, defendenda.

Unde sequitur limites libertatis religiosae non esse tantum necessitates ordinis publici, sed etiam et maxime necessitates veritatis religiosae.

2. In hac quaestione species iurium distinguendae sunt. Quamvis propagatio erroris non iure nitatur naturali — *ego puto* [13] —, dari potest tamen ut a prudenti legislatione permittatur et hoc in casu ius conceditur ei quoddam positivum, *i. e.*[14] immunitas a repressione. Etenim, cum temporibus modernis adsit de facto in omnibus fere nationibus pluralismus opinionum religiosarum, Status potest, vel etiam debet leges ferre quae libertatem religiosam extendant usque ad limites in schemate positos; et hoc, ut concreto bono communi, datis circumstantiis, provideatur.

Venerabiles Patres, verba schematis huius, quae nimis in una linea videntur ponere conscientiam rectam, sed erroneam, et conscientiam quae veritati adhaeret, adnotavi et proposui aliquas emendationes unice ad fraternam aliquam praestandam cooperationem in quaestione satis complexa, nova pro notabili parte et summe actuali.[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nunc propositum. [2] deest. [3] deest. [4] (*Act.* 4, 20; 5, 29). [5] revocentur. [6] (cf. *Mc.* 16, 15). Quae quidem incommoda, usque ad persecutiones et martyrium, alium aspectum libertatis christianae manifestant: libertatem nempe mortem ipsam subeundi propter veritatem religiosam, respectu ad persecutores; et libertatem spiritus, quae gaudium generat, respectu ad ipsos christianos, iuxta exemplum apostolorum qui « ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » (*Act.* 5, 42). [7] etsi breviter. [8] deest. [9] Benignissimus Deus omnes homines illa libertate donavit, qua suam imaginem et similitudinem, ad quas creavit eos (*Gen.* 1, 26, 27), exprimere valerent, praesertim cultum religiosum Deo dignum praestando, quod etiam in humanae personae dignitatem redundat.

Cum vero, ob peccatum, homines insipientes facti fuerint in cogitationibus suis (cf. *Rom.* 1, 21), placuit Deo Filium suum Unigenitum mittere, qui illos a lege peccati et mortis liberaret (cf. *Rom.* 8, 21).

Hac perfecta lege libertatis fruentes (cf. *Ic.* 1, 25), quae est lex spiritus et

vitae (cf. *Rom.* 8, 2), scimus quae a Deo donata sunt nobis (cf. *1 Cor.* 2, 12), ea imprimis, quibus Patrem in spiritu et veritate adorare possimus (cf. *Io.* 4, 24).

Libertas igitur, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 5, 1), in omnimoda facultate profitendi et diffundendi religionem divinitus datam maxime collocatur, eademque competit omnibus christifidelibus non ratione alicuius terrestris privilegii, immo vero iniunctione divini Magistri, Apostolis suis mandantis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20; cf. *Mc.* 16, 15-16).

Huiusmodi christiana libertas, utpote in praecepto divino fundata, illam religiosam libertatem longe praecellit quae in una humanae personae dignitate innititur. « Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum qui, ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur » (Concilium Vaticanum I, Const. dogm. *Dei Filius,* cap. III: DENZ. 1794).

Propterea Ecclesia ius inalienabile sibi vindicare numquam destitit Evangelium Dei, cuius discipula et magistra est a Christo constituta, semper et ubique profitendi et praedicandi in multa sollicitudine (cf. *1 Thess.* 2, 2).

Scit enim, huic libertati abrenuntiando, in libertatem perditionis se esse incursuram, cum et ipsi, veluti vitae suae suaeque missionis integra ratio, illa apostolica verba incumbant: « Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui » (*Act.* 4, 20).

Hoc autem dum facit, non libertatem ad quam vocata est, in occasionem dat carnis, sed per caritatem Spiritus servire intendit (cf. *Gal.* 5, 13), omnes illuminando qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis (cf. *Lc.* 1, 79). [10] Exsistitne ius naturale ad propagandum (bona fide) errorem? [11] deest. [12] Rationes cur haec doctrina emendanda sit. [13] deest. [14] deest. [15] E contra in schemate nimis in una linea poni videtur conscientia recta, attamen erronea, et conscientia quae adhaeret veritati (obiectivae). Cum error sit in se malum et error religiosus sit magnum malum, natura sua procedit contra bonum commune societatis; etenim bonum commune est finis naturalis societatis. Posset autem error religiosus non turbare ordinem socialem (speciatim in sua prima propagatione, antequam radices egerit) et tamen multum obstare ceteris bonis. Itaque tali in casu error diffundi nequit ex iure naturae, sed potius ex tolerantia ob timorem maioris mali, vel propter consecutionem maioris boni, quod tandem ad prosecutionem boni communis redit. Si haec necessaria distinctio non clare ponatur, doctrina schematis contradicere videtur traditioni Ecclesiae, usque ad Pium XII, et etiam, quidquid dicatur in contrarium, usque ad Ioannem XXIII inclusive.

Animadversiones additae:

N. 3, pag. 7, lin. 21: « ... prudenter efformet *ad illum finem assequendum* ». *Ratio*: in alinea praecedenti (« Dictamina vero... ») quaestio erat de iudiciis conscientiae *et* de officio conscientiam fideliter sequendi. Transitus factus est ad subsequentem alineam per coniunctionem deductivam « ideo ». Oportet, igitur, utramque ideam deducere; eo magis quod obligatio attingendi Deum iuxta dictamina conscientiae certae non multum urgeri videtur in schemate.

Pag. 8, lin. 20: Non « manifest*at* », sed « manifest*et* ». Vel potius « manife-

stare possit », aut « manifestare permittitur ». *Ratio*: non fit quaestio de « obligatione » religionem socialiter exercendi. Si autem abstrahitur ab ea obligatione, natura socialis hominis exigit quidem ut actus religiosos socialiter manifestare possit. Non autem ut de facto manifestet. Re vera si talis esset exigentia naturae, Status posset compellere ad talem manifestationem.

Pag. 8, linn. 27 ss.: Non videtur quod « actus religiosi quibus homines... sese ad Deum ordinant, natura sua terrestrem... ordinem transcendunt », ita ut *undequaque* civilis potestatis interventui subtrahantur. Habent enim magnum valorem moralem et socialem; et, sub hac ratione, etiam potestati civili intersunt. Secus non posset limites ullos ponere activitati religiosae, nec aequum esset specialem agnitionem concedere uni communitati religiosae (cf. pag. 11, linn. 13 ss.). Revera etiam « ad ordinem terrestrem et temporalem » (pag. 8, lin. 35) pertinet vita religiosa; ideoque, aliqua ratione, etiam curae potestatis civilis committitur.

Nota 7 refert textus qui non videntur esse ad rem. Clarius hoc patet de textibus S. Thomae, qui referuntur ad actus *internos,* iudicio et potestati humanae subtractos. Sed etiam Leo XIII et Pius XI alia mente locuti fuisse videntur.

Pag. 9, linn. 2-3: Consequenter suggereretur parva additio, mutato ordine verborum ex motivo grammaticali: « ... in ea sese immisceat quae ipsam hominis ad Deum ordinationem, *ut talem,* respiciunt ».

N. 4, pag. 10, linn. 7-10: Meliori logica videtur adhibenda forma assertiva, attenta affirmatione immediate praecedenti: « Exercitium religionis... legitime potest prohiberi... quando vel perturb*at*... vel viol*at*... vel laed*it*... ».

N. 5, pag. 10, linn. 14 ss.: Textus videtur indigere emendatione. Munus fundamentale status civilis non consistit solum in defensione et promotione « iurium » hominis, sed etiam in advigilando ut iidem propria officia adimpleant. Textus schematis opportune remittit ad documenta Pii XII et Ioannis XXIII. Nunc autem in Encyclica *Pacem in terris* (sufficiat hanc citare) legimus: « Cum... commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus *et officiis* consistere putetur... in eo sint oportet curatorum rei publicae partes ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, *illinc* suisquisque officiis facilius fungi possit ».

Hac emendatione neglecta sensus naturalis huius textus mutilus fieret. Retineretur pars prior (de iuribus), congruens cum thesibus Rousseau et omitteretur pars altera quae urgetur a recentioribus documentis Ecclesiae. Evidens etiam fit sub lumine humanae rationis « bonum commune » pendere sive ab adimpletione suorum *officiorum* ex parte singulorum civium sive ex observatione iurium eorundem. Proponere liceat ergo hanc levem sed momentosam emendationem « ad praecipuum potestatis civilis officium *essentialiter pertinet* » loco « est praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium ».

Pag. 10, lin. 21: Fortasse: « Propter rationes *formaliter* (vel " specifice ") religiosas ». *Ratio*: mens religiosa, antireligiosa, proselytista falsae religionis attendi posse videtur ad quandam inaequalitatem iuridicam admittendam relate ad certa munera, cathedras publicas etc.

Pag. 10, lin. 30: Dicatur « ad religionem *quamlibet* delendam », loco « ad religionem *ipsam* delendam ». *Ratio*: ne videatur « religio », generice considerata, implicare iam per semetipsam talem valorem essentialem, cuius religiones particulares, haud excepto christianismo, nihil aliud essent nisi modalitates plus minusve secundariae.

Pag. 11, linn. 7-12. Dicitur quod aliquis status quo magis conditiones propitias ad vitam religiosam fovendam promoverit, eo magis prosperitate gaudebit. Sed hoc fortasse esset accuratius enucleandum. Formula praesens videtur ita considerare « vitam religiosam » ac si nonnisi *bona* esse possit. Verum est, e contra, quod haberi possunt « religiones » potius crassae et utcumque parum « moralizatrices ».

Rectius dicatur « ad *sanam* vitam religiosam fovendam »; quo sufficienter indicatur non esse sub hoc aspectu omnes religiones inter se aequiparandas.

Pag. 11, linn. 13 ss.: Peropportune sublineatur nullam adesse intentionem excludendi legitimitatem « status confessionalis ».

Liceat tamen animadvertere verba linn. 13-17: « non impedit quominus... uni communitati religiosae specialis *agnitio* in iuridica civitatis ordinatione tribuatur » posse intelligi hoc tantum sensu: Conditio praestans huius vel istius religionis in hoc vel isto statu agnoscatur veluti quoddam factum quin inferatur erga illam esse eo ipso exercendam quandam benevolentiam. Sufficeret additio unius vocabuli: « Specialis quaedam agnitio et *protectio,* in iuridica civitatis ordinatione tribuatur ». Sic haberetur textus congruentior cum doctrina Leonis XIII. Patet vero servandam esse subsequentem restrictionem « *eo tamen pacto* ut simul omnibus... ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur » (linn. 17-19).

N. 6, pag. 12, lin. 10: Fortasse: « coercitionem vel suasionem *vel attractionem seu invitatione...* ». *Ratio*: in quibusdam regionibus assistentia oeconomico-socialis quoad laborem obtinendum, studia peragenda etc., videtur esse medium obtinendi conversionem ad sectas.

N. 9, pag. 13-14. Placent quae hic dicuntur. Tamen sub aspectu divinae revelationis si eadem exhibeantur simpliciter veluti argumenta quae confirmant doctrinam iuris generalis personae humanae ad adoptandam in re religiosa illam vel istam quamcumque positionem, lector inducitur ad credendum quod elementum essentiale libertatis mundo allatae a Christo (linn. 28-36), « libertatis », quam martyres effusione sanguinis defenderunt (pag. 14, linn. 4-6), et pro qua Ecclesia semper pugnavit (linn. 7-12) tandem aliquando nihil aliud esset nisi illa libertas generalis, quae provenit ex simplici dignitate personae humanae.

Ad praecavendas confusiones huius generis nobis videtur esse *praeponendam* doctrinam Ecclesiae circa ius eminens et sacrum quod per viam Revelationis vindicatur verae Religioni et omnibus eam profitentibus, ita ut nonnisi *postea* perveniamus ad considerationem *complementarem* (et, specifice, « modernam ») iuris *generalis* hominum ad libertatem in re religiosa.

Fortasse textus praesens nimis vitat ut directe et explicite efferatur ius primordiale sacrumque quod Deus habet ut colatur ab hominibus per exercitium *verae* religionis. Hinc modus procedendi aliqualiter timidus, habetur etiam in raris allusionibus quae incidentaliter inseruntur. Sic e. g. in pag. 16, linn. 32-34, nisus detegitur explicandi quid omnino proprium sibi vindicat huiusmodi *libertas* sacra verae religionis, qui inopinata consideratione fulcitur: nempe qui libertati christianae sese opponunt « agunt contra Dei voluntatem ». Sed nonne idem dici potest de violatione cuiuslibet « libertatis » ad quam ius habeat persona humana?

N. 10, pag. 14, linn. 27 et 29: suggero « conditionis » loco « dignitatis »; « convenit » pro « debet ». Unde textus sit: « Rationem enim habet *condicionis* personae... libertate frui *convenit* ».

Ratio: coram Deo minus proprie loquimur de dignitate creaturae (in textu quaestio est de Deo!) et de iure eiusdem.

Pag. 14, linn. 40 ss. Ad quidnam explicatur Christum noluisse « vim inferre » hominum mentibus per miracula quae ut « signa de caelo » praeberentur? Id ad rem non pertinet: 1. quia est potius ingenuitas supponere quod « signa caelestia » fuissent adeo evidenter « divina » ut supressissent libertatem fidei (signa caelestia nonne potuissent, sicut et ipsa signa resurrectionum et sanationum, fortasse tribui alicui diabolicae fraudi?);

2. quia in qualibet hypothesi, manifestatio *evidens* veritatis Revelationis christianae (ut illa, qua fruiti fuissent apostoli, iuxta quosdam theologos) nullimodo constituerent quandam « violentiam contrariam » dignitati personae humanae: E contra, nihil honorabilius homini quam perceptio evidens veritatis.

Haec igitur quaestio proprie non attinet quaestionem iuris naturalis secundum quod homo cogi nequit ad profitendas convictiones quas minime possidet.

Pag. 15, linn. 5 ss.: Textus non videntur plane ad rem; *Lc.* 9, 54-56 agit de sanctione in non credentes, qui supponuntur culpabiles, *Mt.* 12, 20 revelat modum procedendi; sed non inde sequitur indignum vel iniustum esse recursum ad minas, poenas etc. Ceterum, Christus eas non semel adhibuit.

* * *

Applicationes *particulares* ad textum iudicii generalis superius prolati seu secundae *Animadversionis Generalis.*

1. Sit primum sententia quae legitur in n. 3, pag. 8-9: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis respiciunt, sese immisceat ». Verba quidem electa sunt — « sese immisceat » — quae ex seipsis insinuent abusum ex parte eius qui se immiscet. Nihilominus dicendum est potestatem civilem non tantum non excedere limites suos si ad ordinationem hominis ad Deum attendat eique faveat, sed proprio officio incumbere, cum nata sit ad bonum commune procurandum. Haec est explicita doctrina Leonis XIII: « Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae, necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat. Quarum praecipua est ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt » (*Immortale Dei*: *A.S.S.,* 18, p. 64).

2. Sint deinde linn. 30 ss. in pag. 9, n. 4. In hoc loco definiuntur debiti limites religiosae libertatis, qui in n. 2 (pag. 6, lin. 7) positi sunt ut definitionem libertatis illius integrantes, et qui continuo invocantur (etiam in eadem pagina, lin. 12). Unde libertas religiosa quam schema dicit iure naturali debitam — i. e., ex dignitate humanae personae —, non habet alios limites praeter eos qui hic determinantur. Res proinde est summi momenti. Porro isti limites restringuntur, lin. 33, ad necessitates ordinis publici.

Ordo autem publicus, sicut explicite dicebatur in praecedenti textu emendato, est quidem pars essentialis boni communis, sed tantum pars. Bonum commune multo latius extenditur. Ioannes XXIII docet in enc. *Pacem in terris*: « bonum commune ad integrum hominem attinere, hoc est ad eius tam corporis quam animae necessitates »; et in eodem loco recitat definitionem quam ipse dederat in encyclica *Mater et Magistra,* nempe « bonum omnium commune summam complecti earum vitae socialis condicionum quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi » (*A.A.S.* 55 [1963] 273).

Finis autem naturalis societatis civilis est bonum commune civium, et non tantum pars huius boni. Limites igitur libertatis religiosae non sunt solum « necessitates ordinis publici », ut habetur in lin. 32, sed « necessitates boni communis ».

Sic, v. g. libertas non solum tenendi, exercendi, sed etiam vulgandi gravem errorem religiosum, etiamsi non turbet ordinem publicum, procedit tamen per se contra bonum commune; ergo non est secundum ordinem naturalem, i. e. per se, concedenda; non procedit ex iure naturali, non est ius naturale. Qui vero approbat schema reemendatum prout iacet, approbat hanc propositionem: homines habent ius naturale propagandi errorem religiosum, dummodo ordinem publicum non disturbent.

Exinde non sequitur libertatem propagandi errorem esse necessario negandam. Ius quod non habetur a natura aliquando datur legitime a lege. In certis condicionibus concretis, prudens legislator iudicabit melius esse concedere ius civile, quod *per se* esset contra bonum commune, sed quod in casu concreto minus malum vel maius bonum quam eiusdem negatio procurabit.

Ita hodie, dato pluralismo et datis aliis condicionibus, libertas haberi potest etiam diffundendi gravem errorem religiosum, non quidem ex iure naturae, sed ex lege prudenter condita.

Quod proinde corrigendum est in schemate non est extensio quae datur libertati concedendae, sed doctrina qua haec extensio iustificatur. Nec dicendum est hoc non multum referre. Concilium non potest falsum docere: sed falsum est dari ius naturale diffundendi errorem religiosum.

Deinde certum est Ecclesiam a tempore Patrum usque ad Pium XII, et quidquid dicatur, ad Ioannem XXIII, repressionem erroris admisisse vel diffusionem erroris nonnisi ex prudenti tolerantia permisisse. Si schema prout iacet probaretur, dicendum esset Ecclesiam contra ius naturale docuisse et egisse per saecula. Quid gravius dici potest?

Consequenter ad supra dicta, hae correctiones indicantur: pag. 8-9: a pag. 8, lin. 30 ad pag. 9, lin. 8: hae lineae supprimantur vel corrigantur secundum textum Leonis XIII supra laudatum.

Pag. 9, n. 4, lin. 33: ut supra dictum est, loco dicendi: « necessitates ordinis publici », ponatur « necessitates boni communis ».

Pag. 10, linn. 5-10: « Exercitium... ». Haec sententia tollatur.

N. 6, pag. 12. Mutetur prima sententia, quae asserit ius naturale propagandi errorem religiosum. Dici posset: « Communitates religiosae ius civile obtineant ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda, legitimis exigentiis boni communis servatis ».

Quamvis res sit minoris momenti, bene supprimeretur quod legitur n. 5, pag. 10, lin. 20: « ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas ». Hoc nimis absolute dici videtur: intenditne Concilium prohibere quominus in natione catholica rex debeat esse catholicus? Et quomodo posset dari « uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione », ut in eodem numero postea, — pag. 11, lin. 16 —, conceditur?

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres,

Libertas religiosa certe est conditio ut vita religiosa hominum plene efflorescere possit, simul ac fundamentalis necessitas Ecclesiae ut missionem suam salvificam in mundo hodierno adimplere valeat. Ipsa iam proclamatio libertatis religiosae maximi habenda est in hodiernis rerum adiunctis, quamvis modica spes forsan affulgeat libertatem religiosam in omnibus terrae regionibus mox futuram esse vere realem et plenam. Abusus et iniustae oppressiones semper sunt possibiles, at essentialis momenti est, si in conscientia communi hominum et in opinione publica vivat manifesta condemnatio omnium quibus ius libertatis in re religiosa infringitur aut mutilatur. Ideo promulgationem eiusmodi declarationis a Concilio faciendam omnino *puto.*[1]

Maxima nobis incumbit responsabilitas, ut in Concilio conceptum libertatis religiosae describamus et affirmemus quam accuratius, plenius et hodiernis conditionibus generis humani quam accommodatius.

Specificis experientiis ex parte innixus, dicturus sum aliqua, quae partes Status in ordine ad libertatem religiosam respiciunt, quae autem in schemate accuratius ponenda velim.

1. Maxime attendendum est, ne problema libertatis religiosae concipiatur primarie tamquam quaestio habitudinis et aequilibrii inter diversas communitates religiosas, inter quas tunc potestas civilis (Status) tamquam quidam arbiter supremus haberetur, qui omnibus aequalem libertatem concederet atque praestaret.

Evitandum est omne vel minimum vestigium, quod ansam praebere possit conclusioni, velut si potestati civili ullum ius competeret, ut ab intus — i. e. sub aspectu specifice religioso et spirituali — deiudicet, quid sit obiectum libertatis religiosae. Provincia libertatis religiosae non est quid a potestate civili hominibus concessum aut largitum, sed est ius nativum et inalienabile personarum, quod ex ipsa natura rei ad ipsas competit. Status est, ut hanc libertatem magni faciat et instrumentis suis specificis efficaciter protegat tamquam elementum non parvum boni communis. Per accidens tantum exercitium libertatis limitari potest, attamen non ex ratione quae ex deiudicando interno valore religionis — sive obiective sive subiective sumptae — peteretur, sed ex consequentiis funestis in campo cuius protectio a potestate civili dependet.

Quapropter mentionem *conscientiae* ex contextu schematis, ubi de partibus potestatis civilis agitur (*ergo non omnino, sed solummodo ubi de partibus potestatis civilis agitur*) [2], expungendam esse puto. Potestati civili nefas est sive religionem imponere sive impedire vel reprimere, *seclusa quaestione de recta aut certa conscientia,* de qua potestas civilis iudicare non debet nec potest (« de internis non iudicat praetor »). Coercitio ex parte potestatis civilis in rebus religionis nec *iuxta* nec *contra* conscientiam civium locum habet.

Praeterea, ad ipsam notionem iuris ad libertatem religiosam pertinet ius ut nullus in bonis et iuribus, quae sunt extra ambitum *religiosum* [3] et quae sunt omnibus civibus communia, quoquo modo defraudatus sit, aut civis secundi ordinis habitus. Omnis igitur discriminatio civilis in fundamento religioso radicata fortiter et expresse reprobanda est in ipsa descriptione libertatis religiosae.

Textum quem propono, ut hoc modo reformetur textus praesentatus, scripto trado.[4]

2. Possibilitas ut una religio prae aliis in legislatione civili et bonis distribuendis praeferatur, quae certe locum habere potest, petatur oportet non ex titulis religiosis sed ex titulis extrareligiosis, in quibus potestas civilis certe competentiam habet: *i. e.*[5] fructus religionis in vita et bonis civitatis qua talis. Si Status aliquem favorem nonnullis communitatibus religiosis tribuit ex his titulis, qui ut iusti sint debent de facto existere, nullam iniuriam aliis communitatibus infert, dummodo omnia iura, quae ex libertate religiosa qua tali proveniunt, his aliis communitatibus earumque membris agnoscuntur et servantur. Potestas civilis certe potest communitatem religiosam adiuvare in conservandis monumentis artis, in institutis scholaribus, educativis et caritativis gerendis, et in permultis aliis rebus, quibus communitas quaedam religiosa in vitam civitatis etiam temporalem reapse historice introivit et influxum salutarem de facto exercet. Immo quandoque potestas civilis id facere et agnoscere debet, cum agatur de bono communi.

Ideo propono ut [6] textus, igitur, in n. 5, pag. 11, linn. 13-20, *hoc* [7] modo rescribatur:

« Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus aliquibus, aut etiam uni communitati religiosae, in iuridica quoque civitatis ordinatione, specialis positiva agnitio civilis tribuatur necnon favores et respectiva subsidia assignentur, suadentibus id peculiaribus rationibus quas huiusmodi communitates religiosae etiam in vita civitatis temporali salubriter reapse adimplent, eo tamen pacto, ut simul exclusa sit quaevis limitatio libertatis religiosae aliarum communitatum pariter

ac discriminatio erga earum membra in iuribus civium communibus fruendis ».

3. Ordo publicus, ex quo limitatio libertatis petitur, *in iustitia* fundatus et constitutus esse debet. Explicita mentio huius momenti moralis, i. e. iustitiae, in adducendo conceptu ordinis publici prorsus necessaria videtur, ut pateat non agi de re iuridice tantum ordinata et vi atque oppressione omnium qui contenti non sunt conservata. Limites, de quibus pag. 6, linn. 7-8 et passim, dicantur *iusti,* non simpliciter *debiti.*

N. 4, pag. 9, linn. 26 ss., *propono ut*[8] sic reformetur: « Societas humana (i. e. non solus Status aut societates temporales, sed etiam e. g. Ecclesia) ius habet sese protegendi contra abusus, qui forsan sub titulo libertatis in rebus religionis oriri *sibique in damnum cedere possint* ». Sic accuratius determinantur isti abusus, ne textus noster ansam praebeat falsis et arbitrariis interpretationibus, sicuti e. g. accidit quandoque cum conceptu *sic dicti*[9] « abusus religionis in fines politicos », qui in aliquibus Statibus lege vetatur et punitur, sed qui conceptus valde ambiguus est et arbitrarie applicatur; *v. g. sacerdos qui condemnatus est quia loquebatur de martyribus in Congo: hoc fuit abusus religionis in fines politicos apud aliquos.*[10]

Ideo propono ut[11] sequentia sic reformentur: « Pertinent praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario vel ope sic dictae liberae discretionis magistratus, sed secundum accurate stabilitas normas iuridicas, quas necessitates iusti ordinis publici postulant » ...[12] Satis.

In textu scripto tradito: [1] fulcire vellem. [2] deest. [3] religiosorum. [4] Propono igitur ut ipsa declaratio (n. 2, pag. 5, linn. 15-19 et pag. 6, linn. 1-8) fiat verbis sequentibus: « Haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam fundatum esse in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur. Hoc autem ius in eo consistit, quod homines possint ab extrinseco non impediti dictamina propriae conscientiae in re religiosa sequi, quatenus inde ius aliarum personarum non laeditur aut aliquod malum certum societati humanae non provenit ». Haec est descriptio iuris in se. Nunc obligationes ex parte aliorum: « Nulli, igitur, homini aut coetui sociali vel publicae potestati licitum esse potest quamcumque coercitionem adhibere, sive ut aliquis ad agendum in re religiosa cogatur, sive ut impediatur quominus intra iustos limites private vel publice iuxta religionem suam agat ». Hic nulla mentio conscientiae. Et addatur: « Nefas est, pariter, iustam aequalitatem in fruitione iurium civilium et bonorum societatis temporalium cuicumque ob rationes religiosas quoquo modo denegare vel in discrimen vocare ». [5] deest. [6] deest. [7] sequenti. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] Ratio patet.

4

EM.MUS P. D. IOANNES CARMELUS CARD. HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Momentum huius declarationis nemo est qui ignorat. Brevissime, tamen, hoc momentum sublineare vellem. Pluribus acatholicis est persuasum nos duplicem normam hac in quaestione de libertate religiosa seu tolerantia profiteri. Ubi scil. Ecclesia caret hegemonia politica, i. e., quando fideles parvum civium numerum constituunt, libertates proclamantur. Cum autem *maiore* parte in gubernio civili gaudent catholici, tantum de sic dictis iuribus veritatis loquuntur. Libertas religiosa aliorum supprimitur. Hanc accusationem examini sincero subiicere debemus.

Apud nos revera non duplex datur lex. De facto minime verum est doctrinam catholicam sic sonare. Haud tamen negare poterimus in aliquibus regionibus Protestantes aliquando persecutionem manibus catholicorum sustulisse. Tolerantia inter Protestantes et catholicos est phaenomenon recentius. Decursu saeculorum usque ad tempora moderna quaestiones de religione modo simplici aggredi consuebantur. Christiani alienae confessionis aut haeretici aut schismatici tum a nobis tum a Protestantibus nuncupabantur. Ius hominis conscientiam sequendi vix considerabatur et certo certius non admittebatur. Principium bene notum, « Cuius regio eius religio », quasi norma legis civilis observabatur. Haeretici unius aliusve campi comburi solebant. Nemo inter christianos hanc intolerantiam hodie defendere promptus esset. Sunt autem inter nos qui, dum inhumanitatem temporis acti minime plaudunt, nihilominus contendunt — cum error natura sua ius habere dici non possit — acatholicas doctrinas utpote falsas propagari non licere.

Absurdum videtur affirmare errorem in se (vel veritatem in se) iura habere. Iura enim tantum in personis, nunquam in rebus collocantur. Ius autem inviolabile hominis est conscientiae suae oboedire dummodo ordini publico et iuribus aliorum non noceat. Ecce argumentum nostrae declarationis!

Planum est *vero* [1] in regionibus ubi fere omnes sunt catholici periculosum esset viam ad proselytismum pandere. Nos omnes scimus quod interdum membra alicuius sectae fanaticae catholicis incultis graviter nocent. Ordo publicus facile destruitur ab eis qui loco doctrinae positivae exponendae, ad oppugnandam et vilificandam Ecclesiam *sanctam* [2] Dei se restringunt. Praedicatores qui mendacia de nostra doctrina et

moribus profitentur, qui Sanctissimam Eucharistiam et Virginem Dei Genetricem Immaculatam blasphemant, certo certius tumultum in populo catholico excitaturi sunt. Attamen nostra declaratio (pag. 9, lin. 1) hunc casum praecise spectat ubi dicit « salvis tamen exigentiis ordinis publici ». Etenim oblivisci non debemus quod Anglicani, Lutherani, Methodistae et ceterae ecclesiae et communitates nostrorum fratrum seiunctorum activitatem huiusmodi sectarum minime approbant. Nec, ni fallor, inter membra Concilii Mundialis Ecclesiarum (World Council of Churches) adnumerari illis sectis insolentibus licentia datur.

Loquenti de Eucharistia mihi in mentem venit dicere, per transennam, quam gratum animum nos episcopi sentiamus pro egregia et maxime opportuna Encyclica de Sanctissima Eucharistia. Multorum quidem sacerdotum, multorumque acuti ingenii iuvenum fidelium mentem illuminabit, qui novis et inusitatis doctrinis confundebantur. Hac praesente hora Concilii necessitudini Ecclesiae Encyclica *Mysterium Fidei* iustissime obvia facta est.

Ab hinc aliquot diebus de intolerantia civitatum Sovieticarum Summus Pontifex fortiter est locutus. Ius hominis ad conscientiae suae dictamina sequenda et religionis liberum exercitium verbis ardentibus vindicavit. Omnino funestum esset si hoc Concilium Sancti Patris exemplum et praeceptum non sustentaret. Coram mundo haec quarta et finalis sessio iudicabitur ex modo quo declaratio *haec*[3] accepta erit.

In dissertatione quadam de conscientia, card. Newman opinionem dat Salmanticensium secundum quam conscientiae semper est oboediendum, sive vera docet sive falsa — idque sive error culpabilis sit vel non. Liceat etiam citare ipsa verba card. Newman: « Primum conscientia, deinde Summus Pontifex ».

Christiani hodierni motu oecumenico impulsi studiose rixas et iniurias inter se evitant. Spectaculum facti sumus omnibus mundi religionibus. Apud non-christianos tolerantia non semper exercetur. Levamini oculos, Patres venerabiles, et videbitis odia et — proh dolor! — bella inter filios Dei non christianos. Sicut in Ecclesia nascente mundus mirari possit, dicendo « Hi christiani se invicem diligunt ».

Nunc est tempus acceptabile. Religio fratrum Christi est religio amoris. Semel pro semper, clara et unanimi voce dicamus Ecclesiam catholicam ubique terrarum plenam libertatem et tolerantiam audacter proclamare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] de libertate religiosa.

5

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. CONWAY

Archiepiscopus Armachanus

Venerabiles Patres,

Schema declarationis *de libertate religiosa* placet.

Placet praesertim doctrina schematis quae fundamentum iuris ad libertatem religiosam ponit in dignitate personae humanae, placet definitio data talis iuris tanquam ius ad immunitatem a coactione.

Quoad ea quae saeculis anteactis acciderunt, iuvat in memoriam revocare quod quaedam intolerantia religiosa diu erat omnibus fere regionibus communis. Nos quidem in Hibernia multa passi sumus, usque ad sanguinis effusionem, propter denegationem quasi totalem libertatis religiosae per plus quam ducentos annos — et tamen, immediate post adeptam libertatem politicam, plenam libertatem religiosam pro omnibus declaravimus et in ipsa Constitutione nationali expressis verbis firmavimus.

Quamvis tamen schema placet, nonnulla in eo sunt, meo iudicio, corrigenda — inter quae de duobus velim verba facere.

1. De libertate religiosa quoad educationem puerorum. Ius ad libertatem religiosam includit — uti in par. 7 expresse affirmatur — ius parentum ad scholas seligendas quas pueros suos frequentare volunt.

Iamvero nemo in dubium vocare potest quin potestas civilis pleno iure polleat exigendi ut omnes cives ad congruentem educationis generalis gradum accedant — ut magistri aptis diplomatibus academicis instructi sint, ut appropriatum studiorum curriculum ab omnibus iuvenibus observetur, *et sic deinceps.*[1]

Attamen potestas civilis, hoc munus exsequendo, debet aequali modo se habere erga omnes scholas quae has conditiones adimplent.

Non debet declarare se subsidia praebiturum illis scholis quae has conditiones adimplent, *dummodo* instructio religiosa in schola non detur.

Talis enim agendi ratio qua scholae catholicae — vel acatholicae — a subsidiis civilibus *destituuntur*[2] ob solum suum characterem religiosum, ipsi principio libertatis religiosae uti in schemate nostro enuntiato contradicit.

Nec sufficit agnoscere ius liberae electionis. Si ius elegendi scholas ita parentibus porrigitur ut ii qui scholas religiosas eligunt gravibus ideo oneribus pecuniariis quandoque importabilibus plectantur, hoc nihil aliud

est quam ius theoretice proclamare et statim in praxi idem ius vel valde limitare vel fere nugatorium efficere.

Libenter fateor hanc quaestionem esse valde complexam in praxi. Sed ipsum principium non est complexum: est simplex et clarum: potestas civilis non debet discriminare contra scholas religiosas ob solum suum characterem religiosum, et hoc, meo submisso iudicio, debemus clare dicere. Eo vel magis quod aliquae novae nationes, exemplum nationum antiquarum secuti, educationem areligiosam uti normam nunc videntur considerare.

Propono ergo ut pag. 12, lin. 35 sic mutetur: « Potestas civilis iura parentum violat si libertatem electionis limitat oneribus pecuniariis ...[3] vel si imponat unicam educationis rationem ... » ut in textu.

2. Par. 3 dicitur quod potestas civilis non debet sese immiscere in ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt sed debet sese restringere ad res huius saeculi.

Haec verba *sunt*[4] valde ambigua. Si quidem nihil aliud intendunt quam ut finis Status sit hominum bonum temporale promovendum, nulla exoritur difficultas. Sed verba possunt etiam suggerere religionem nihil cum mundo commune habere et ex eo sequi quod Status nihil cum religione commune habeat.

Hoc, ut patet, non est verum. Tota enim historia, etnologia, psychologia socialis attestantur factum religiosum ...[5] esse datum primordiale totius situationis humanae, elementum constitutivum ipsius naturae humanae. Potestas civilis non potest praescindere ab isto facto: non debet ita se gerere quasi si religio a sua sphaera totaliter aliena sit. Non de religione catholica tantum, uti patet, hic loquor sed de religione ut sic, de illa ipsa ordinatione hominis ad Deum de qua schema loquitur.

Haec ordinatio ad Deum a parlamentis per orbem terrarum dispersis agnoscitur cum sessiones invocato nomine Dei inchoantur, cum Praeses Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis officium inaugurat tacto libro Sacrae Scripturae, cum Angliae Regina caeremoniis religiosis coronatur. His et similibus signis Status moderni — et christiani et non christiani — habitudinem hominis ad Deum agnoscunt et participant.

Num ideo dicendi sunt excedere limites suos — ut verbis schematis utar? Certissime haec non fuit mens redactorum schematis. Sed num dicere possumus quod verba non ita intelligentur ab iis qui totalem saecularizationem vitae civilis et politicae postulant — ab iis qui non vident quod ordo temporalis qui prorsus profanus est, ex quo Deus et religio qua talis excluduntur, est ordo temporalis non dico incompletus sed simpliciter inhumanus?

Libenter sane acceptemus omnia et singula principia libertatis religiosae in hac declaratione enuntiata, sed pro posse vitemus periculum ne libertas religiosa confundatur cum totali exclusione *Dei*[6] e vita publica civili.

Meo submisso iudicio verba in par. 3 quae citavi — quaeque in priori textu aberant — non sunt necessaria ad scopum declarationis et sunt tam ambigua ut in conceptum erroneum vix non possunt aliquos inducere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] destituantur. [3] ab iis qui scholas religiosas eligere volunt suscipiendis. [4] mihi videntur esse. [5] uti dicunt. [6] ipsius religionis.

6

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Fratres,

Sinatis me aliquod praenotamen praemittere quod fortasse superfluum videretur post ea quae em.mus card. Florit enunciavit in initio suae declarationis. Sed, quia in rebus fundamentalibus mihi videtur quod etiam in Concilio repetita iuvant — in fundamentalibus, ne contradicam secretario qui dixit non esse multas orationes faciendas ad repetenda ea quae iam dicta sunt — igitur, quia sumus in fundamentalibus, mihi videtur bonum esse eas repetere.

Dico igitur esse praemittendam in hac declaratione sollemnem assertionem: Ecclesiam catholicam verum, nativum, obiectivum ius habere ad suam libertatem, quia ipsa habet originem divinam missionemque divinam. Igitur ponitur in conditione speciali tum origine, tum missione. Secus nos ageremus de Ecclesia sicut de aliis societatibus, quomodo ageret etiam verbi gratia societas quaedam laicalis, societas nationum. Sed nos hic loquimur nomine Ecclesiae quae est fundata a Christo Domino Filio Dei.

Et nunc, ad singula quae ad ipsam declarationem pertinent.

1. Licet saepe conclamatum fuerit hic in Concilio abstinendum esse a rebus disputatis seu ab his quae adhuc in controversia sunt, et hac de causa eliminata fuerunt plura quae tamen erant in tuta possessione doctrinae quae passim tradebatur, e contra, in hac declaratione, multa attinguntur quae sunt in controversia, et quidem etiam datur eis solutio, et solutio quae est ut plurimum contraria doctrinae communi. Igitur, sub hoc aspectu, haec declaratio omnino reformanda est.

2. Licet sub n. 3 expressis verbis dicatur verum et falsum non esse aeque aestimanda, tamen reapse in parte priori, falsa religio et vera religio, conscientia erronea et conscientia recta in eadem linea ponuntur. Ita ut consequantur quaedam conclusiones, et commendentur, et proponantur quaedam quae ad summum toleranda essent, toleranda quandoquidem, sicut dixit Leo XIII, « boni alicuius maioris adipiscendi causa aut avertendi mali ratione sunt permittenda », sed heic potius commendantur.

3. Tota declaratio velut fundamentum ponit dignitas humana. Est aliquod fundamentum naturale, utique. Sed nescio utrum dignitatis humanae sit v. g. falsum docere, vel etiam Deo revelanti fidem negare, et ideo peccare contra Spiritum Sanctum. Eo vel magis quod in ipsa declaratione edicitur quod dignitas humana petit, expedit, exigit quod praesertim in rudioribus et simplicioribus tutetur, salvetur eorum directio in perfectionem illam quae consistit in ultima perfectione, seu filiationis divinae et cognitionis rerum divinarum.

4. Esset melius distinguendum intra coactionem physicam et coactionem moralem, seu: potius quam coactio moralis, obligatio moralis. Deus non cogit, tamen obligat, et igitur edicitur in Evangelio: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ». Igitur et Christus et Ecclesia obligationem moralem possunt imponere, et in rebus religiosis, quae obligant in conscientia.

5. Declaratio contendit postea confirmare ex Revelatione ea quae ex iure naturali desumpsit et ex dignitate personae. Et quaedam utique bona dicit, sed selectae sunt citationes uti dicam unilateraliter. Quia omissae sunt, non fit verbum quidem de aliis quae fieri deberent ad ostendendam obligationem, quam habent cives seu omnes homines amplectendi veritatem, inquirendi veritatem, conscientiam bonam, rectam sibi efformandi. Verbi gratia nihil dicitur, tantummodo verba pacifica citantur ...; non, nihil dicitur v. g. de gravibus verbis Domini Nostri contra Corozain, Capharnaum et Bethsaida. Nihil dicitur etiam de comminatione perditionis aeternae, quae est in Evangelio. Nihil dicitur de verbis gravissimis quae Stephanus fecit coram Iudaeis; et alia huiusmodi. Igitur complenda essent illa ad ostendendum quod, licet irenismus quidam inveniatur igitur in Evangelio, tamen habentur quidem comminationes contra eos qui resistunt veritati, et hic possent citari etiam alia verba Sacrae Scripturae, praeter Evangelium.

6. Quod attinet ad habitudinem civitatum erga religionem, dico illam partem esse omnino reformandam, omnino conficiendam ad mentem Summorum Pontificum, praesertim ea quae tradita sunt a Leone XIII in Enc. Litt. *Immortale Dei* et *Libertas,* et in celebri oratione Pii XII

Ci riesce ..., factam anno 1953. Ceterum, si Status in aliquibus debet aliquot — sicut iam dixit em.mus card. Florit — aliquot incommodos sustinere ob res religiosas, hoc pronum est ut abstineat, quia bonum minus debet cedere quodam bono maiori. Est scala bonorum. Et bona superna praemittenda sunt bonis inferioribus. Utique, non omnes hoc intelligunt, quia non omnes veritatem evangelicam et etiam plenam veritatem naturalem admittunt, sed Ecclesia debet ea asserere. Ceterum recordari debemus quod apostoli dicebant: « Non possumus non loqui », et adiiciebant: « Oportet Deo magis oboedire quam hominibus ».

Igitur rogo ut haec pars declarationis recte conformetur praecedenti doctrinae Ecclesiae catholicae. Satis.

Textus scripto traditus:

Praenotamen. Maxime mihi videtur necessarium hoc schema Declarationis ante omnia debere firmissimam assertionem pronunciare secundum quam verum primum et obiectivum ius ad libertatem religiosam competit verae Ecclesiae seu Religioni a Deo Revelatae quam Ecclesia Catholica profitetur. Secus ratiocinantes tantummodo ex dignitate personae Ecclesiam Catholicam poneremus in eadem condicione, in qua sunt, quoad veritatem et quoad iura, aliae Religiones. Quod mihi videtur absonum, cum nos loquamur non tamquam institutum quodcumque civile prout e. g. Societas Nationum, sed ut vocem referentes societatis religiosae a Christo Dei Filio institutae.

Nunc autem ad particularia. 1. In hoc Concilio Vaticano II saepius proclamatum est abstinendum esse a quaestionibus disputatis, et sub hoc titulo eliminata sunt quaedam quae communiter in tota Ecclesia docebantur hactenus; e contra *Declaratio* haec attingit plures quaestiones disputatas, easque ut plurimum solvit contra Doctrinam communem hucusque acceptam.

2. Etsi in n. 3 declaretur expressis verbis falsum et verum non posse aeque aestimari, tamen reapse in parte priore veritas religiosa et error religiosus, conscientia recta et conscientia erronea in eadem linea ponuntur, ita ut, maxime quod spectat ad propagandas doctrinas religiosas, iustificetur et *commendetur* id quod non potest nisi ob maius bonum *tolerari.*

3. In tota Declaratione proceditur ex asserta dignitate personae humanae. Valde dubitandum est num facultas propagandi falsum, negandi actum fidei Deo revelanti ideoque peccandi contra Spiritum Sanctum, procedant e dignitate humanae personae, idque eo vel magis quod praecise in *Declaratione* observatur, quod ipsa dignitas personae humanae, maxime simplicium et debilium, postulat quod protegatur contra ea omnia, quibus consecutio ultimae perfectionis humanae, videlicet filiatio divina et vera cognitio rerum divinarum, impediatur vel in periculo ponatur.

4. Desideratur clara distinctio inter coactionem physicam et coactionem moralem, insuper inter coactionem moralem proprie dictam et obligationem. Istam ultimam Dominus Noster et Ecclesia eius clare adhibent proclamando: « Qui non crediderit, condemnabitur ».

Homo habet quidem plenissimam libertatem physicam Deo revelanti negandi obsequium fidei; sed huic abusui libertatis punitio praedicitur.

5. In parte tertia *Declaratio* id sibi proponit ut, lumine naturali iam exposita, e revelatione confirmentur. Ad id consequendum plura dicuntur vera quidem, sed non plena obiectivitate. Exempli gratia quae dicuntur de modo agendi Christi et Apostolorum sunt quaedam defiguratio, idque per unilateralem selectionem citationum. E contra nihil de *Mc.* 16, 16: « Qui non crediderit, condemnabitur ». Nihil de verbis tremendis contra Corozaim, Bethsaida et Cafarnaum. Nihil de verbis *Mt.* 10, 34 et sequentibus: « Non veni pacem mittere sed gladium. Veni separare hominem etc. ... ». Nihil de vocatione Pauli, qui, spirans minarum contra christianos, efficacissima actione superna prostratur et sic ad conversionem compellitur; nihil etiam de dialogo S. Stephani cum Iudaeis.

6. Quae autem ponuntur de habitudine civitatis respectu religionis et Ecclesiae sunt omnino reformanda, quia scatent periculis in damnum quarumdam nationum Catholicarum et non habent rationem illius assertionis Apostolorum « ... non possumus non loqui ... » et iterum « oportet Deo magis oboedire quam hominibus ». Optimum autem esset si haec pars conformetur doctrinae expositae in Encyclicis Litteris Leonis XIII *Immortale Dei* et *Libertas,* necnon in gravissima Oratione Pii XII ad iuristas habita anno 1953 quae verbis incipit: « Ci riesce ... ».

Non possumus in Concilio Oecumenico prorsus valedicere traditionali doctrinae quae in tuta est possessione Iuris Publici Ecclesiastici, a magisterio Summorum Pontificum firmiter defensa contra conatus Liberalismi, Agnosticismi et Atheismi. Veritas liberabit nos.

7

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO

Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres conciliares,

1. Vocabula et conceptus hominum possunt praestari diversis, immo contradictoriis, interpretationibus. Ni multum fallor, hoc est quod gignit difficultatem principaliorem ad consequendam unanimitatem, saltem moralem, Patrum conciliarium in hac complexa et delicatissima declaratione *de libertate religiosa.*

Hac de causa puto quod in primis necessarium est nonnullas explicationes stabilire, quia, meo humili iudicio, cardo nostrae declarationis stat in ipsa impostatione ideologica, in qua tractetur et resolvatur problema doctrinale libertatis religiosae.

2. Sub aspectu doctrinali, duae quaestiones explicitandae sunt:

Prima quaestio. Oportet explicite et taxative declarare in prooemio aut in n. 2 quod: *a*) hic agitur de libertate religiosa, non de libertate conscientiae in materia religiosa ...[1] *b*) Hic agitur tantummodo de libertate religiosa coram Caesare, et in foro externo sociali, non coram Deo;

quia coram Deo homines et communitates non habent libertatem religiosam neque moralem neque iuridicam ...[2] *c*) Hic agitur, denique, de libertate religiosa tamquam ius civile — non proprie naturale — immunitatis a coactione ex parte Caesaris, hominum et coetuum humanorum, quia, de facto, sic impostatur hodie haec quaestio in societate *moderna,*[3] tum in plano nationali, tum in plano internationali.

Certe, ordo iuridicus civilis non est independens sed est pars integrans ordinis moralis; ideo non potest seiungi ordo iuridicus civilis ab ordine morali, sed exigentiae huius relationis *non* [4] afficiunt distinctionem horum ordinum sed solum ordinationem legalem positivam ordinis iuridici civilis, sive in plano nationali sive in plano internationali.

Unde statuta quaestione iuris ad libertatem religiosam in suo adspectu iuridico civili, quaeritur: 1) homines et communitates sunt aut non sunt *civiliter* liberi coram Caesare et coram aliis ad exercitium — limitatum quidem — profitendi privatim et publice religionem *suam* [5]? 2) Homines et communitates habent aut non habent verum et obiectivum ius civile ad hanc libertatem religiosam coram Caesare et coram aliis ...[6]?

Secunda quaestio. 3. Intra haec delineamenta doctrinalia transire possumus ad secundam quaestionem, scil.: quale sit fundamentum theologicum et iuridicum ad supradictam libertatem religiosam.

Hae duae quaestiones constituunt, meo humili iudicio, perspectivam et essentiam huius declarationis. Cetera omnia sunt corollaria iuridica et pastoralia applicationis principiorum circa has duas quaestiones, iuxta dictamina virtutis prudentiae; nam virtus prudentiae agit de scientia non solum mediorum practicorum sed etiam limitum vel limitationum omnis activitatis humanae.

4. His explicitationibus stabilitis, salva semper doctrina catholica de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi, humiliter puto quod non in plano simplicis tolerantiae sed in plano iuridico civili, agnitio et affirmatio positiva veri et obiectivi iuris civilis personae et communitatum ad exercitium limitatum praedictae libertatis religiosae, potest defendi ut propositio vera et consona non solum cum exigentiis practicis spiritus missionarii Ecclesiae Christi et conviventiae pacificae omnium hominum et populorum in mundo nostri temporis, de die in diem magis ac magis parvulus, unus, socializatus et internationalizatus, sed etiam — *meo quidem iudicio* [7] — cum principiis fundamentalibus Magisterii ecclesiastici, quae principia in sua orientatione et evolutione doctrinali sunt plene cohaerentia ab Encyclica *Mirari vos* usque ad *Pacem in terris* et *Ecclesiam suam* nostri Sanctissimi Patris Papae Pauli VI.

5. *Rationes.* Antequam has rationes exponam, liceat mihi affirmare quod iuxta meam sententiam, rationes allatae in n. 3 novi schematis non sufficienter probant. Nituntur enim, tandem aliquando, in principio quo homo habet obligationem moralem sequendi dictamen practicum suae conscientiae personalis. Hoc principium verum est. Attamen haec obligatio gignit, certe, liceitatem nostrorum actuum humanorum coram Deo et coram nostra conscientia ...[8], sed haec obligatio moralis non gignit nec gignere potest coram Caesare et societate ius obiectivum ad actus externos sociales, i. e., ad actus qui positive aliis personis socialiter afficiant.

Ius enim supponit relationem iuridicam ad alios, scil. alteritatem; indeque implicat bilateralitatem. Hac de causa, omne verum ius hominis secum fert et gignit obligationem iuridicam correlativam ex parte aliorum admittendi praedictum ius. Nunc vero, mihi videtur absurdum quod ista obligatio iuridica correlativa exsurgat ex uno tantummodo facto, quod in se ...[9], seu a natura sua, est internum, immo imperceptibile et *incontrolabile,*[10] sicut est omne dictamen subiectivum internum conscientiae individualis hominum.

Quia: *a*) sic in ordine ontologico et morali identificaretur et confunderetur sinceritas subiectiva cum veritate seu iustitia obiectiva, quod redolet sentimentalismum antiiuridicum.

b) Si fundamentum iuris ad libertatem religiosam niteretur in obligatione morali sequendi dictamina subiectiva conscientiae individualis,

1. ansa praeberetur ad agnoscendum ius hominis ad actus monstruosos, ex eo solo quod possent nasci ex dictamine suae conscientiae;

2. denegaretur, de facto, aliis personis ius primarium ad suam legitimam defensionem, in casu quo exsecutio dictaminis conscientiae laederet iura ipsarum.

c) Destrueretur, in praxi, principium auctoritatis humanae et fundamentum suae competentiae ad ordinationem iuridicam vitae socialis, ut apparet hodie in casu obiectionis conscientiae ad servitium militare.

6. Quale est, tunc, fundamentum theologicum et iuridicum iuris ad libertatem religiosam? Iuxta meam humilem opinionem non sufficit dicere modo generali et indiscriminato quod ius ad libertatem religiosam fundetur in dignitate personae humanae. Quaestio est quare dignitas personae humanae exigat tale ius ad libertatem religiosam.

Mihi videtur quod: *a*) Fundamentum *theologicum* oritur et radicatur in ipso *obiecto* proprio libertatis religiosae; i. e. in natura et transscendentia ipsius assensus et optionis religiosae, quae, *qua tales,* pertinent ad sphaeram responsabilitatis exclusivae personae humanae in vita

sociali. In dominio enim nostrarum relationum religiosarum, auctoritas humana et aliae personae non habent neque competentiam neque ius interventionis et coactionis, nisi agatur de casu in quo actus externi harum relationum laedant iura societatis vel aliorum. Quia in hoc casu, actus religiosi, sicut omnes actus sociales hominum, cadunt sub regulatione iuris civilis, non quatenus actus religiosi, sed quatenus sunt actus sociales; et cadunt sub coactione iuris civilis tantummodo, si isti actus sociales — sive religiosi sint sive non religiosi — laedant iura aliorum et boni communis societatis. Ergo propter suam responsabilitatem religiosam personalem coram Deo et coram societate, et propter naturam et transcendentiam ipsius actus religiosi, homo habet libertatem civilem ad profitendam religionem intra limites legitimos stabilitos in ordinatione iuridica societatis.

b) *Quoad fundamentum iuridicum.* Mihi videtur quod ius civile ad hanc libertatem religiosam *iuridice* fundatur in ipsa libertate psychologica et sociabilitate naturali hominis. Quia libertas civilis ad religionem profitendam esset de facto illusoria, si, data sociabilitate intrinseca et constitutiva hominis, non agnosceretur tale ius, vel lex civilis non praeberet homini et communitatibus « garantias » iuridicas ad libere exercendam in vita sociali suam religionem ...[11]

Unde modificentur nn. 1, 2, 3 huius textus emendati ...[12] et addatur ipsi subtitulo nostrae declarationis verbum « civile », et sic sonaret: « De libertate religiosa, seu de iure civili aut sociali personae et communitatum in re religiosa ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Istae duae libertates non identificantur, ut patet. [2] siquidem semper debent amplecti et adimplere voluntatem Dei in suis decisionibus religiosis. [3] hodierna. [4] nos. [5] secundum suam rectam conscientiam. [6] hominibus. [7] deest. [8] personali. [9] ipso. [10] inverificabile. [11] Verum est quod exercitium religionis, ex ipsa ipsius indole, consistit primario in actibus internis quibus homo sese ad Deum ordinat; tamen ipsa natura socialis hominis exigit quod homo possit manifestare actus religiosos socialiter, i. e. actibus externis. Ergo si homo habet libertatem religiosam personalem, seu ius personale coram Caesare, habet etiam ius ad exercitium sociale huius libertatis intra limites iam praedictos. [12] declarationis de libertate religiosa.

8

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Concilii,

Neminem sanae philosophiae principiis imbutum latet, quod inter iura principalia, quibus homo in societate constitutus fruitur, adnumerari debeat ius ad plenam libertatem religiosam. Cum autem iura religiosa haec — uti constat — persaepe adhuc violentur, necesse est ut Ecclesia universalis in Concilio adunata iura haec alta voce proclamet atque vindicet. Quod fit in schemate declarationis *de libertate religiosa.*

Episcopi Poloniae iudicant textum reemendatum declarationis *de libertate religiosa* essentialiter recipi posse, additis nonnullis momentis corrigendis et supplendis.

Textus reemendatus per se recipi potest, nam melius quam textus priores dat notionem libertatis religiosae, tradit argumenta ex ratione et revelatione pro hac libertate, ostendit valorem eius relate ad individuum, familiam, societatem, civitatem et Ecclesiam. Denique textus reemendatus habet characterem oecumenicum et pastoralem.

Attamen etiam in hoc textu reemendato correctiones quaedam et supplementa addenda videntur, ut res melius pateat et ut vitetur falsa et perversa interpretatio declarationis *de libertate religiosa* ex parte hominum malae voluntatis.

In primo capite huius textus libertas religionis definitur ut ius hominis ne quisquam — neque singularis persona, neque coetus socialis, neque ulla potestas humana — cogat eum in re religiosa ad agendum contra conscientiam neque prohibeat ab actione secundum conscientiam. Inter hos, qui libertati religiosae imminere possunt, enumerandae videntur — ut historia docet — etiam ipsae communitates religiosae. Propterea, si hoc possibile est, iam in hac parte textus ...[1] addenda videntur verba doloris, quod etiam in Ecclesia existebant institutiones, quae contra libertatem religiosam agebant. Tali modo satisfactio quaedam iis, qui olim hac de causa passi sunt, insimul probatur Ecclesiam velle promovere sincerum dialogum cum hominibus alias religiones profitentibus.

Videtur quoque, quod in definitione libertatis religiosae verbum « coactio » deberet expressim explicari, i. e. quando in textu adhibentur verba « coactio, coercitio, vis », addatur, quod hic agitur solum de talibus mediis influendi in alios, quae in se et secundum communem aestima-

tionem iniusta sunt. Scimus enim ex tristi experientia nostrorum temporum, quod in non paucis regionibus, ubi omnis religio impugnatur, sermo fiat de coactione et suppressione libertatis religiosae etiam tum, quando iuventus ante 18 annum vitae religiose instituitur vel quando fideles invitantur ad ecclesiam visitandam et sacra exercitia peragenda.

In definitione recte indicatur libertatem religiosam suos limites provenientes ex norma morali et iuridica, respiciente bonum individui, bonum commune et ordinem publicum, habere. Etsi illud per se pateat, ut vitentur dubia et abusus, putamus addendum esse formaliter et expresse ...[2], quod norma iuridica (i. e. ius civile custodiens ordinem publicum) debeat respondere normae morali, ergo debeat esse iusta et utilis. Timendum enim est, ne quaedam potestates civiles irreligiosae ordinem publicum interpretentur contra bonum individui et societatis.

Cautissime procedendum est in adiudicandis iuribus, quae *competerent*[3] Statibus in ordinanda libertate religiosa, cum vel ipse conceptus iuris, quem Status totalitarii accipiunt, differat omnino a nostris definitionibus et « ius » vocetur id omne, quod Statui inservit ad fines proprios politicos assequendos, licet, e contra, potius maxima iniustitia et libertatis religiosae *praesertim*[4] violenta sit destructio.

Dantur enim — ut scimus —, temporibus tam praeteritis quam praesentibus, exempla falsae interpretationis ordinis publici, quando, e. g., propter hunc ordinem prohibetur publicus usus vestium clericalium, *aut*[5] vetantur publicae functiones religiosae, ut processiones *et similia.*[6]

In capite, in quo argumenta pro libertate religiosa proponuntur, dicitur ...[7]: fundamentum libertatis est dignitas personae humanae necnon pacifica cohabitatio membrorum societatis. Sed respiciendum videtur etiam *obiectivum* fundamentum libertatis religiosae, i. e. veritas ipsius religionis, quae res in textu non satis patet. Ergo directe exponendum videtur, fontem libertatis religiosae esse etiam veritatem religionis, quae in iis, qui sine culpa errant, est solummodo subiectiva, apud christianos autem etiam obiectiva. ...[8] Supplementum hoc, textui additum, praecavebit a falsis interpretationibus nostri textus, i. e. in sensu promoventi subiectivismum, relativismum, indifferentismum.

Verba textus de cura libertatis religiosae ...[9] magna gratitudine recipientur in civitatibus, ubi exsistit discriminatio civilis propter rationes religiosas, praesertim verba sequentia: « Eidem (potestati civili nempe) providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas ». Verba haec tamen maiorem valorem habebunt, si ex eis apertius patebit *etiam potestati civili non licere* adhibere discriminationem civilem ob causas religiosas. Bene enim scimus in regionibus mul-

tis ob rationes religiosas cives iustis iuribus privari: iure ad laborem, educationem, proprietatem, ad certas occupationes, actionem socialem, caritativam etc.

Denique declaratio de libertate religiosa familiae tractans statuit ...[10], quod potestas civilis iura parentum violat, si unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur. Sed in multis civitatibus iura parentum etiam multo peiore modo violantur: non solum ex statutis scholarum omnis formatio religiosa excluditur, sed etiam positive atheismus propagatur. Ergo verbis declarationis de iure parentum idoneum supplementum addendum est.

Haec non numerosae observationes sunt, tamen valde graves, quodsi acceptae non fuerint, partem eorum assumerem qui schema reiiciunt tamquam non aptum ad temporis circumstantias praesentes. Limites enim necessario ponendi sunt ad praecavendas falsas et perversas applicationes principiorum a nobis statutorum.

In diiudicando et adaptando schemate de libertate religiosa, prae oculis habenda sunt ea quae Summus Pontifex Paulus VI pronunciavit his ultimis diebus ad catacumbas orans: imago Ecclesiae realistica et tristissima.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 2, lin. 5, pag. 6). [2] (n. 4, lin. 15, pag. 9-10). [3] competunt. [4] deest. [5] deest. [6] etc. [7] (I et II). [8] Inde accuratius patebit discrimen internum inter iuridicam libertatem religiosam qua gaudent Ecclesiae fideles, et hanc libertatem quae alias religiones confitentibus competit. Distinctionem hanc iuste urgebat in aula Concilii die 23 septembris 1964 em.mus card. Ottaviani, loquens de subiectivo et obiectivo iure ad libertatem religiosam. [9] (n. 5, lin. 15, pag. 10). [10] (n. 7, lin. 35, pag. 12). [11] Animadversiones has pronuntiantes spem in Deo profitemur, declarationem *de libertate religiosa* tali labore praeparatam neminem adhibiturum esse in damnum religionis, sed ut medium efficax ab Ecclesia traditum serviens concordiae et salutari vitae omnium membrorum familiae humanae, quae tam ardenter aspirat ad veritatem et pacem.

9

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres et Sorores,

Assentio[1] iis omnibus qui dixerunt hunc textum reemendatum placere et progressum evidentem manifestare *quoad textus priores.*[2] Speramus nunc illum cum labore ...[3] Patrum conciliarium in meliorem ac

definitivam formam redactum iri et approbari cum illa unanimitate quae iure meritoque ab omnibus exspectatur.

Ad hunc effectum assequendum necesse est ut firma sit ac stabilis ...[4] ratio procedendi ...[5]: ex rationali ...[6] probatione ad eius concordantiam cum revelatione.

Ad hunc etiam effectum assequendum a nobis firmiter standum erit *conceptui sociali iuridico* iuris ad libertatem religiosam, qui obiective in hoc consistit quod ita disponuntur relationes inter personas et communitates ut *ne quis* [7] impediatur ab assensu et cultu personali et sociali, *ne quis* [8] cogatur, *secundum normas* [9] iuris naturalis.

Si firmiter sistitur in *hac* [10] *formali ratione* iuris ad libertatem religiosam, exprimetur fons universalis minimus (affirmation universelle minimum) qui ab omnibus retineri *potest.*[11] Et sic vitare *possumus* [12] quaestiones *difficillimas* [13] de arctiore nexu inter Statum et religionem et de valore *doctrinali* [14] talis ac talis religionis relate ad veram religionem. *In his intricatis quaestionibus non potest ingredi Concilium in hac limitata declaratione.*[15] Sufficit ut affirmetur non esse quaestio *de* [16] christiana libertate, *cuius doctrina integra remanet aliunde, et quaestiones alias relinquat apertas ulteriori disquisitioni.*[17]

Sed accuratius deberet *tractare* [18] de *fundamento iuris illius ad libertatem religiosam.* Secunda paragraphus pag. 8, quae est quasi cardo totius argumenti, non sat explicitat omnes aspectus illius dignitatis humanae personae. Melius esset si, sub hoc respectu, concordantia statueretur cum schemate XIII, quod hac de dignitate *personae humanae* [19] etiam loquitur ...[20]

Revera dignitas personae humanae, in quantum puro rationis lumine perspicitur, centrum dicit agnitionis volitionis et amoris quod transcendit omnes alias creaturas inanimatas vel viventes *et* [21] est *aliquid sacrum.* Et hoc includit autonomiam simul ac ...[22] capacitatem distantiae inter seipsum, suas tendentias ...[23] influxus sociales suosque proprios actus. En proprium mysterium dignitatis personae humanae.

Fatendum tamen insistentiam totius schematis *ad aspectum personalem, qua individualis est,*[24] non sufficiens praebet aequilibrium *dignitatis* [25] personae. Magis et magis positive loquendum esset de natura sociali personae humanae. *At* [26] cum de hac natura sociali loquitur textus noster, nimis timidus apparet et eius formulatio videtur inadaequata. Interna actio hominis ...[27] dicitur esse « primaria », et hoc iustum. Sed quomodo qualificabitur eius externus effectus et socialis manifestatio? Vocabulum « secundaria » esset aequivocum. In hac perspectiva conceptus hominis nimis exclusive *insistat* [28] in aspectu personali existentiae humanae et, dum mentionem facit aspectus socialis, nunquam *dicit* [29]

aspectum illum esse partem constitutivam dignitatis humanae personae. Homo non est tantum capax intelligendi, volendi, amandi per seipsum, est etiam capax relationis structuralis cum aliis personis. In hac relatione constituitur etiam homo, et non tantum in actibus *eius intimitatis liberae.*[30]

Expediret igitur ut in nostro textu non tantum sermo fieret de aspectu sociali ...[31] ut limites exprimantur iurium societatis in personam (vide relationem, pag. 44 ...[32]) vel ut vindicentur iura personae in societate (vide n. 3, pag. 7 ...[33]; pag. 8 ...[34]; n. 6, pag. 11 ...[35]). Optatur in hac parte textus magis positivus ubi exprimatur ille aspectus socialis existentiae *et dignitatis humanae, qui,*[36] si non principaliter hic tractatur, nunquam tamen in oblivionem versetur et semper in iustum aequilibrium praesentetur.

Et hoc[37] permitteret exprimere officia *ab hoc respectu*[38] sociali promanantia in exercitio libertatis *personalis,*[39] non excepta libertate ...[40] religiosa.

Hoc etiam daret occasionem, in formidanda partitione totius nostri mundi, manifestandi transcendentiam *positionis*[41] Ecclesiae quae ...[42] salvat integrum hominem, et individuum et socialem, et facit ex utroque unum, *sub eodem respectu dignitatis personae humanae.*[43]

Emendationes cum hoc aspectu concordantes tradam scripto secretariae generali.[44] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Consentio. [2] prae textibus prioribus. [3] omnium. [4] teneatur. [5] qua schema utitur. [6] scil. [7] nemo. [8] nemo. [9] salvis normis. [10] illa. [11] poterit. [12] poterimus. [13] intricatas. [14] proportionato. [15] In his enim quaestionibus nostra brevis declaratio non potest ingredi. [16] hic de sic dicta. [17] prout revelatur in Sancta Scriptura et cuius doctrina remanet aliunde integra et dicatur has quaestiones apertas manentes relinqui ulteriori inquisitioni. [18] tractari. [19] deest. [20] (cf. nn. 13-14-15-16). [21] in hoc mundo. Persona sic intellecta. [22] tendentiam ad verum et bonum, simul ac consequentem. [23] spontaneas. [24] in aspectu personali, qua distinguitur ab omni alio. [25] in fundanda dignitate humanae. [26] De facto. [27] quae promanat ex eius libera intimitate personali. [28] insistit. [29] affirmat. [30] ex eius liberae intimitatis promanantibus. [31] personae humanae. [32] n. 2. [33] linn. 24-30. [34] linn. 10 s. [35] linn. 24-25. [36] humanae ut personam constituens. Qui aspectus. [37] Quae aequilibrata praesentatio. [38] ex hoc aspectu. [39] religiosae. [40] in re. [41] deest. [42] veram defendit omnis hominis transcendentiam. [43] deest. [44] deest.

Emendationes additae:

Pag. 7, n. 3, linn.fl 24 s., post « assensu nempe personali » addatur sine puncto sed tantum cum commate: « sed etiam in dialogo cum aliis, sive per magisterium

seu institutionem, sive per simplicem communicationem ». Quae secunda exigentia fundatur in eadem dignitate personae humanae quae est etiam socialis ex natura sua.

Pag. 8, linn. 10-25 reficiatur ut vitetur illa distinctio inter internum et manifestationem externam, cuius una esset primaria, altera « praeterea ». Ceterum in hoc referatur ad meam emendationem iam scripto traditam secretariae generali pag. 3-4.

Pag. 11 ad n. 6 referatur ad emendationem propositam in meo textu pag. 8.

10

Exc.mus P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Venerabiles Fratres,

Episcopis Regionum Æmilianae et Flaminiae (viginti episcopi) quorum nomine loquor, haec de schemate declarationis *de libertate religiosa* dicenda videntur:

Profunda persuasione et firma conscientia declarationem conciliarem *de libertate religiosa* pro possibili, immo et pro necessaria habemus.

Intellectus nempe christianus, ope revelationis illustratus, clare videt libertatem actus fidei absolutam exigentiam esse Dei, qui vult veros adoratores in spiritu et veritate ...[1]; itemque absolutam exigentiam *Matris Ecclesiae* quae, dum coram quavis societate et publica potestate plenam libertatem sibi vindicat, tum filios liberos gignere vult.

Extra autem ordinem revelationis et fidei, libertas religiosa — attenta dignitate personae humanae et pacifica civium conviventia — exigentia fundamentalis est cuiusvis reipublicae bene ordinatae. Libertas ergo religiosa firmiter tutanda est iure positivo in omnibus societatibus politicis, catholicis et non catholicis, pariter pro omnibus hominibus et pro omnibus religionibus.

Quod scil. supra dictum est, perspicue et sine ulla reticentia asserere oportet, non solum contra novas aggressiones quibus libertas religiosa periclitatur, sed hodie praesertim, cum in hominibus bonae voluntatis profundior huius libertatis sensus et conscientia viget.

Nunc autem, quamquam propositum schema supradictis exigentiis substantialiter satisfacit, in textu tamen prout exstat, aliqua remanent quae, nisi corrigantur, non solum optatae maiori perfectioni obstant, sed ipsius declarationis sensum pervertere eiusque vim graviter extenuare possunt.

1. Contra multorum Patrum animadversiones declaratio primo et praecipue in argumentis ex ratione desumptis fundatur. Atqui proprium Concilii est non sensus communis argumenta, sed verbum Dei propo-

nere: hoc enim fideles legitime exspectant, hoc etiam homines qui extra Ecclesiam sunt a nobis audire cupiunt. Aliter, dialogus ipse cum illis ad nihil aliud reducitur nisi ad inutiles repetitiones verborum alterius collocutoris.

Sed et ipsa argumenta quae tali modo sumuntur, in schemate non adeo profunditatem et maturitatem sapiunt. Nec mirum: huius enim doctrinae ...[2] expositio nova recensque est in Ecclesia. Sed proculdubio ipsi laici exculti primi harum probationum exiguitatem agnoscent totamque rerum connexionem fragilem esse videbunt.

Unius verbi gratia, gravissimae difficultates — sub respectu sive iuridico sive philosophico — obstant quin libertas religiosa ius subiectivum stricto sensu dicatur in ordine iuris positivi. Rationes sane in paragrapho octava et sequentibus additae ex revelatione sumuntur, sed rem totam peiorem ac minus perspicuam *saltem* [3] reddunt. Cum enim structura ipsa schematis evidenter in argumentis alius ordinis — rationalis scil. — innitatur, verba revelata hic addita nequeunt cum ceteris bene componi, aut aliquam probationem adducere ad ea quae in priori parte specifice adfirmantur. Nemo enim est qui non videat libertatem evangelicam omnimodo aliam esse ac libertatem religiosam de qua in schemate agitur, sed nostrum schema in citationibus *vel textibus* [4] saepe saepius confundit et propterea varii textus *exegetice* [5] non sunt absolute probativi.

Nostro iudicio, sic potius procedendum erit. Primo simpliciter adfirmanda est ut in revelatione fundata absoluta exigentia libertatis actus fidei. Secundo in personae humanae dignitate — non tantum quatenus in seipsa sumitur sed potius relate ad boni communis exigentias in societate pluralistica — rationaliter fundari potest libertas religiosa proprie dicta pro omnibus hominibus et confessionibus.

2. Secunda contra schema prout exstat gravis animadversio est quod ibi principium *ordinis publici* quasi absolutum quoddam ponitur — quod non est simpliciter verum — et sub hoc respectu limites libertatis religiosae signantur; sed haec observatio iam facta est ab aliis Patribus, quapropter ultra progredior.

Denique 3. Et haec suggerere liceat: ab hac declaratione *pro libertate religiosa* longe abest intentio plenam potestatem magisterii aut regiminis ecclesiastici coarctandi, aut denegandi facultatem Ecclesiae poenas spirituales suis fidelibus comminandi, *dummodo hoc fit secundum Evangelium.*[6]

Hoc autem, nostro iudicio, et in declaratione *clarum, ad evitanda aequivoca,*[7] dicendum est, cum ipsa declaratio — *ut intendo* [8] — non intendat nisi ordini positivo reipublicae negare facultatem iuridice coarc-

tandi actus religiosos sive singulorum sive communitatis, aut discrimina inter cives faciendi pro diversa eorum confessione religiosa. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Io.* 4, 23-25). [2] explicita. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] hoc enim, si secundum Evangelium fit, certo veram libertatem religiosam non minuit. [7] deest. [8] deest.

11

Exc.mus P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

Venerabiles Patres,

Tantummodo tres observationes modeste proponere vellem circa schema, quod, in genere valde placet.

1. Cum schema non tractare intendit, per modum doctrinalis constitutionis, de doctrina specifice christiana circa libertatem, sed tantummodo — sicut iam dictum est — per modum declarationis ad mundum, de libertate civili in re religiosa, iustificatio biblica et theologica tertiae partis aliqualiter extranea apparet, et, ut magis praecise dicam, formaliter non respondens obiecto proprio huius declarationis.

Insuper, prout stat satisfacere nequit homines, tam credentes quam non credentes, tam philosophos quam theologos, difficiles quoad veritatis investigationem.

Genus litterarium, ut dicunt, declarationis ad mundum universum talem investigationem scientificam non requirit, sed, e contra, brevem et omnibus apertam affirmationem postulat, quae rationibus mere naturalibus et iuridicis innititur. Nonne Ecclesia fuit, est et remanere debet etiam custos et tutrix iuris naturalis?

Sufficiens esset adiungere pro credentibus, quod positio ista schematis omnino consentit cum ratione agendi ipsius Domini Iesu et cum fontibus revelationis.

2. Vitandum est ne, occasione huius declarationis, Ecclesia ansam praebeat accusationi alicuius opportunismi.

Ad hoc vitandum, affirmare deberemus in n. 2 quod ius, in nostro textu postulato in favorem valorum religiosorum, se analogice extendit ad omnes valores sic dictos « transcendentales ». Propterea inserendum esset in textu quod optime dixit episcopus relator, in n. 7 relationis suae, pag. 46 fasciculi *de libertate religiosa.* Dixit: omnia principia qui-

bus innititur libertas religiosa « valent in iis omnibus, quae ad hominis animi bona spectant, qualia sunt, e. g. veritatis inquisitio ... cultus scientiarum atque artium, etc. ».

Nisi hoc aliquo modo proponatur, semper dubium remaneret apud multos non catholicos, de Ecclesiae sinceritate. Multi enim contendunt quod Ecclesia doctrinam hanc de libertate religiosa statim relinqueret, si, ulterius, situatio generalis politica forte in beneficium novae dominationis eius, quam theocratiam vocant, denuo verteretur.

3. Declaratio nostra, per modum conclusionis, fraterna invitatione ad omnes communitates religiosas se vertere deberet, ad omnes societates quae culturam humanam fovere intendunt, ad omnes homines bonae voluntatis, ut omnes simul, concordi studio, defendant et promoveant ius personarum et communitatum ad libertatem religiosam, et hoc sine discriminatione inter diversas religiones, culturas, stirpes vel civitatis formas — nunc et in futurum. Dixi.

12

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Venerabiles Patres,

Etsi prioribus perfectior, textus reemendatus eodem tono eademque linea generali ac praecedentes decurrere videtur. In ipso non pauca occurrunt quae vitanda aut corrigenda apparent. Aliqua quoad « orientationem et lineam generalem » *breviter* [1] indicabo ...[2]

I. *Declaratio Naturalismum humanisticum vel Humanismum naturalistam sapere videtur.* In textu saepe mentio fit de « dignitate personae humanae » eaque proponitur tanquam radix et fundamentum « iuris » ad libertatem religiosam cuilibet hominum concessi *aut concedendi.*[3] Haec vero ratio agendi et argumentandi periculosa mihi videtur ...[4]

Etenim a) nullibi dicitur nec explicatur, *quod sciam,*[5] quae et qualis sit vera dignitas personae humanae quidque ipsa reapse importet. Ex contextu apparet debere intelligi de dignitate naturali personae ut sic, quae nempe ex ipsa natura humana derivatur et procedit. Nunc autem in actuali statu historico humanitatis vel, ut accuratius theologice sermo fiat, in praesenti et actuali *oeconomia salutis* ...[6], cum de dignitate personae humanae sermo fiat, necessario attendatur oportet ad realitatem *elevationis* et sub luce ...[7] revelationis *semper* [8] necessario erit iudicandum. Loqui ergo de dignitate personae humanae sub aspectu tantum

naturali, prout de facto fieri videtur in declaratione, erit naturalismum humanisticum proponere vel humanismum naturalistam firmare.

b) Mirum videtur in declaratione saepissime loqui de « iuribus personae humanae », numquam vero de « iuribus Dei ». Quomodo autem in materia religiosa proclamari valeant iura hominis et oblivisci iura Dei, non intelligo ...[9]. Posita vero elevatione et necessaria consequenti revelatione ipsius Dei, unam prae aliis viam determinantis, possibilitas illa pluralistica, *ad ius* quod attinet, stricte loquendo amplius homini non datur. A momento elevationis et revelationis *initialiter et radicaliter* [10] nullum homini competit *ius* eligendi, sed *officium* imponitur acceptandi.

c) *Dato iure ad libertatem religiosam ex dictamine propriae conscientiae desumpto, quid* [11] dicendum de activitate missionali Ecclesiae? Nihil iam mirum si quidam, etiam inter ecclesiasticos viros, aperte *hodie* [12] scribant et loquantur contra praxim et systema *evangelizationis* [13] Ecclesiae. Et recte quidem sic loquuntur, supposita doctrina de libertate religiosa. Qui enim in quieta et tranquilla possessione iuris est, v. g. infidelis quis in propria religione, sacram invocare potest inviolabilitatem ne ab alio in sui iuris possessione turbetur.

Liceat mihi nunc memorare [14] exceptionem illam de « duplici mensura et criterio » Ecclesiae, ac si aliter et aliter Ipsa iudicet et loquatur et procedat, prout in maioritate vel minoritate sociali alicubi inveniatur. Ecclesia etenim non duplici sed uno semper criterio iudicat, non duas sed unam tantum applicat mensuram. Una enim est doctrina Ecclesiae, qua semper credidit et docuit *ius et officium* sibi *soli* et non aliis competere ubique terrarum fidem suam libere praedicandi illamque *etiam* [15] a zizania defendendi, non quidem iure ab hominibus dato, sed ab Eo solo cui data est omnis potestas in caelo et in terra. Quod si aliquoties de facto tale ius urgeri non potest vel Ecclesia urgere non vult, hoc nullatenus erit *nullo modo* [16] ob defectum iuris sed ob difficultates practicas in casu concreto datas.

II. Ni fallor, argumentatio, quae schemati subiacet, magna ex parte fundatur et superstruitur in his duobus factis sociologico-religiosis: pluralitas religiosa in maiore parte societatum civilium nostrae aetatis et consequens libertatis religiosae agnitio et sollemnis proclamatio in *plurimis* [17] publicis Constitutionibus hodiernorum Statuum civilium. Ex hoc duplici facto, indubio utique sed particulari et concreto, transitus fit in argumentatione ad principium iuridicum, generale et absolutum, de iure ad libertatem religiosam a Concilio agnoscendo et proclamando.

Quid dicendum? ...[18] Pluralitas religiosa est utique factum indubium in mundo hodierno, at lugendum sane et non canonizandum; qua ergo

ratione adducitur tanquam fundamentum *iuris* ...[19]? Neve dicas agi solummodo de *iure civili,* simili modo ac in « Declaratione iurium hominis » ab O.N.U. factum; etenim *a*) Concilium non est Institutum quoddam iuridicum et iuridico-civile, etsi laude dignum ...[20]; *b*) Concilium exponere et tradere debet non appetitiones hominum, sed iudicia et mentem Dei, quae in re religiosa non factis sociologicis certo certius lugendis, sed revelatione et magisterio Ecclesiae nobis patefiunt; *c*) dato, non concesso, factum pluralitatis religiosae fundare posse *ius civile* ad libertatem religiosam, hoc ad summum validum fuisset pro societatibus vel Nationibus *de facto*[21] reapse pluralistis, minime vero pro Nationibus quarum una sit fides catholica; *d*) non apparet qua ratione « agnitio et proclamatio libertatis religiosae » in publicis Constitutionibus ...[22] Statuum ...[23] adduci possit tanquam argumentum declarationis conciliaris hac de re, *etsi solummodo de opportunitate illius sermo sit*[24]; a saeculis enim non est auditum Constitutiones civiles connumerandas esse inter loca theologica et fontes e quibus Ecclesia catholica doctrinam suam haurire debeat.

...[25] *Veniamus ad*[26] casum concretum: acatholico cuilibet, individuo vel coetui, ius conceditur *in schemate*[27] propriam fidem ore et scripto etiam inter catholicos publice docendi ...[28]; quoniam ius et officium sunt correlativa, si acatholicus ius habet loquendi et docendi, catholicis officium erit illum audiendi; iamvero catholici simul habent sacratissimum officium ...[29] et ius non audiendi, vitandi pericula in fide et ab illis fugiendi; quomodo poterunt in praxi iura haec contradictoria harmonice conciliari? Quae praevalere debent? Quale vos confessarii in confessione consilium daretis? ...[30]

VI. *De libertate actus fidei.* Omnes nos persuasi sumus de libertate actus fidei. Nescio tamen an omnes intime persuasi simus de veritate illorum verborum, quae in n. 11 leguntur: « indoli ergo fidei repugnat ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum adhibeatur ». Notate terminos « quodvis genus coercitionis ». Eritne verum hoc? Quid ergo dicendum de nostro ambienti *religioso*[31] familiari? Quid de baptismo infantulis primis annis dato? Quid de educatione christiana filiorum? Quid de propitio ambienti sociali curando? Quid de thesauro *christianitatis* tot saeculorum decursu obtento quodque nunc laeto animo inconscienter *forte*[32] venumdari tentamus *decreto brevissimo conciliari*[33]? Quid de nostris christianis simplicibus et rudioribus? Quid de *massa* fidelium? Certo, fides nequit violentia imponi, est enim actus psychologicus et psychologia violentiam externam fugit. Attamen, violentia qua-

dam suavi morali in ambiente propitio omnes nos quadantenus indigemus.

Conclusio. Haec unica: loco schematis reemendati, proponatur doctrina Romanorum Pontificum a Pio IX ad nostra usque tempora; illorum enim verba nostris hisce temporibus applicari etiam possunt immo et debent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Liceat primo hanc fidenter proponere sincerationem: Intime persuasus sum de inutilitate proponendi praesentes animadversiones generales. Secretariatus enim noster « firmissimus » apparet in proponendo, approbando et publicando textum reemendatum, quin observationes generales acceptet doctrinali textus orientationi contrarias, cum « principia ipsa declarationis — sic legitur in relatione (pag. 37, VIII, 1) — in textu emendato iam exposita, retinenda sunt, cum hoc sine dubio correspondeat menti longe maioris partis Patrum Concilii ». Curiosa affirmatio democratica libertatis! ... Attamen ad quietam conscientiae, quae etiam Patribus conciliaribus graves imponere potest obligationes, animadversiones quasdam generales, alias quoque inutiliter expositas, impraesentiarum iterabo. [3] deest. [4] Et fallaciis forte obnoxia. [5] deest. [6] non amplius natura ut sic, nuda et pura natura, sed elevata et in statu supernaturali constituta consideranda est. In declaratione ergo sophisma latere videtur, dum confusio fit inter essentiam rerum qua talem et ipsarum statum historicum actualem ». Possumus quidem elucubrationem instituere de essentia et natura personae humanae ut sic et in abstracto, de essentia personae in statu naturae purae etc. etc. At haec omnia erunt simplices elucubrationes abstractae. Status enim naturae purae numquam exstitit a parte rei. Hinc. [7] elevationis. [8] nempe. [9] Fortasse explicatio quaerenda sit in naturalismo de quo sub litt. A nuper dixi. Et merito quidem; si enim homo fuisset in statu naturae purae, solo rationis suae lumine duci, iudicare et agere debuisset. Posset tunc hanc vel illam aliam viam accedendi ad Deum libere eligere « pro suo quisque naturali consilio ». [10] deest [11] Argumento e sola dignitate naturali personae humanae desumpto, nulla de eiusdem personae dignitate supernaturali et consequentibus officiis facta mentione, praeterquam quod Concilio indignum forte appareat, lata aperitur via indifferentismo religioso. Quoniam enim dignitas personae humanae aequalis omnibus est, singuli homines suam possunt eligere religionem, quin ab aliis aliquomodo turbari possint, omnes enim religiones, quoad dignitatem et obligatorietatem, aequales forent atque indifferenter unam prae aliam aequo iure homines sectare possent, quin ullo pacto ab aliis, utputa missionariis, possent induci ad unam vel aliam prae ceteris eligendam. Quid igitur tunc. [12] deest. [13] catechizationis. [14] *d*) de facto, in actuali ordine historico dignitas personae humanae non potest adduci tanquam fundamentum ad proclamandum « ius ad libertatem religiosam », cum de religione revelata sermo est. Nulla enim exigentia nullumque ius in persona humana, quaecumque sit eius dignitas, inveniri potest ad religionem revelatam. Hac de re hoc unum velim notare: Christiani ius ad professionem, et quidem liberam, propriae fidei religiosae non ex dignitate humana, sed ex intima ipsius doctrinae revelatae veritate supernaturali certo desumunt et reclamant, sicut et Ecclesia « ius ad praedicandum ubique terrarum » non ex gratiosa hominum conventione, sed ex

mandato divini Fundatoris. Exinde sequitur nullam vim habere. [15] deest. [16] deest. [17] diversis, plurimis, si placet. [18] Meo simplicissimo iudicio, huiusmodi argumentatio vitio laborat atque ut vitiosa reiicienda semper erit. Nos enim non de factis, sed de principiis, non de phoenomenis, sed de doctrina loquimur. Numquam vero facta et phoenomena principia et doctrinas, sed e converso principia et doctrina facta et phoenomena regulare debent, nisi in positivismum philosophico-iuridicum incidere velimus. [19] coram Deo et in conscientia? [20] velut ONU. [21] deest. [22] plurimorum. [23] verbis saltem facta. [24] deest. [25] III. Ab initio usque ad finem schematis frequentissime sermo fit de iure ad libertatem religiosam illudque tam pro individuis quam pro communitatibus religiosis solemniter proclamatur. Notate pro nunc terminum « ius ». Eritne verum hoc? Qua ratione de *iure* loqui liceat hac in re? Ius est facultas inviolabilis ad aliquid praestandum, agendum vel omittendum. Ius est terminus correlativus, cui necessario correspondet officium. Ius nemini affirmari potest, quin simul affirmetur officium in alio. Quod ergo iure uni competit, ab alio exigi potest praestandum, exigentia enim in alium et ab alio de essentia iuris est. Dum ergo et individuis et communitatibus religiosis ius ad libertatem religiosam solemniter conceditur, quae et qualis et coram quo illis datur exigentia? in quem et coram quo? in Deum et coram Deo, an solummodo in homines et coram hominibus? Fortasse nimium sit loqui de exigentia in Deum, quid enim poterit homo a Deo exigere? Restat ergo ut de exigentia in alios homines unice intelligatur. Quando igitur cuilibet hominum conceditur ius ad libertatem religiosam, eo ipso et insimul datur inviolabilis facultas exigendi ab aliis concivibus recognitionem talis libertatis et praestandi officium correlativum iuri illi concesso. [26] Demus. [27] deest. [28] (cf. schema pag. 12, lin. 5). [29] simul. [30] IV. Declaratio de libertate religiosa fovet subiectivismum religiosum. In schemate conscientia propria institui videtur arbiter et iudex in materia religiosa. Iudicium vero conscientiae quid subiectivum est, personale et proprium; poterit ergo quilibet hanc vel illam aliam religionem publice profiteri, acceptare vel respuere pro consilio suo, quod erit subiectivismum religiosum adstruere. Quis enim unquam poterit alium de falsitate suae religionis arguere? V. Declaratio de libertate religiosa theoriae favet sic dictae de « moralitate situationis ». Religio et moralitas intime connectuntur, cum nec religio sine moralitate nec moralitas sine religione dari queant. Si ergo « ius » ad libertatem religiosam proclamatur, « ius » etiam ad libertatem in moralitate proclametur oportet. Quod si fiat, quis deinde de immoralitate loqui poterit? quis haec vel illa alia prohibere et condemnare? quo iure naturae? Verum quis poterit ius naturae in plurimis determinare? Loquantur qui in certis regionibus ministerium suum exercent. Hac in re duo vellem ultimo notare: 1. In declaratione negatur Statibus vel minima competentia in re religiosa, dum e contra illis aliqualis concedatur competentia in re morali, quando ipsis conceditur facultas restringendi publicam religionis professionem, si quid contra moralitatem in tali cultu viderint; 2. Curiosum et vere mirum est observare qualiter quibusdam in nationibus, in quarum Constitutionibus libertas religiosa proclamatur, prohibita de facto declarari quibusdam civibus aliqua, quae in propria horum religione certo permittuntur. [31] deest. [32] deest. [33] deest.

13

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres,

Quod sit opportunum aliqua ponere de libertate religiosa omnino admitto. Haec tamen statim animadverto. Affirmatio clara normarum practicarum ac promotio dynamica boni communis universalis magis respondet ad quaesita et necessitates mundi hodierni quam cultus plus minusve antiquatus ac negativus libertatis theoreticae.

Liberalismus, sub omni aspectu, a mente vere moderna, praesertim apud iuvenes, alienus est ubi omne quod pondus et momentum habet, nempe via vitae occidentalis (the western way of life) nationalismus, communismus, socialismus, aliaeque ideologiae non tam libertatem abstractam fovent quam conspirationem multorum ad finem assequendum quem nobilem et iustum esse contendunt.

Caveamus ne, si tam fuse de libertate sub aspectu praesertim negativo *scribimus,*[1] ea de christianitate iterum dicantur quae saeculo praeterito de illustri ac nobili Monarchia catholica libenter asserebantur: « Semper serius nova cogitat, prava corrigit, mala eradicat », vel gallice: « Elle est toujours en retard d'une idée, d'une réforme, d'une révolution ».

Itaque ne declaratio nostra remaneat sicuti est, potius dissertatio quam proprie declaratio, propono, ut pars II et III simpliciter deleantur, praesertim pars III ubi argumenta ex Scriptura desumpta saltem dubia videntur. Insuper propono ut septem puncta recenter a Consilio Oecumenico Ecclesiarum Genevensi de libertate elaborata, de libertate religiosa, a nobis simpliciter admittantur.

Breviter sensum septem punctorum expono. Primum punctum: Christiani eam libertatem civilem — *agitur de libertate civili tantum*[2] — quam sibi vindicant, omnibus hominibus competere agnoscant ac tutari velint.

Secundum punctum. Qui ab una ad alteram religionem transit ius habet ad bona socialia, civilia, oeconomica vel politica omnino servanda. Idem valet de homine qui in propria optione religiosa vel a-religiosa permanere vult.

Tertium punctum. Omnibus inest ius propriam fidem manifestam faciendi ac in scholis docendi ...[3] atque ad proprium cultum exercendum.

Quartum punctum. Haec manifestatio fidei potest esse tam publica quam privata.

Quintum punctum. Ius haberi debet ad communicandum cum membris eiusdem societatis religiosae extra fines talis talisve nationis viventibus.

Sextum punctum. Normae libertatis religiosae internationales esse debent ita ut iura propria diversarum nationum ad has normas accommodanda sint, in quantum fieri potest.

Septimum punctum. Ordo publicus limites afferre potest exercitio libertatis religiosae.

Quod si textum propositum in sua substantia salvare cupitis, haec tria animadvertere audeo:

Prima animadversio. Quae de Magisterio in textu ponuntur omnino non sufficiunt. ...[4] Libertas catholicorum in hoc consistit quod, Dei adiuvante gratia, de credibilitate ac credentitate facti revelationis divinae eiusque in Ecclesia transmissionis iudicare possunt; omnes e contra intelligunt ad magisterium pertinere de his quae reapse in doctrina catholica continentur, iudicare.

Secunda animadversio. Hac de causa, quae in § 10 de modo agendi Christi et apostolorum habentur, etsi substantialiter vera, tamen uti leguntur, periculo non carent. Etenim in linn. 35 s. ponuntur: « Miraculis utique suis praedicationem suffulsit et confirmavit, ut auditores verbo suo fide haererent », quae aliquem fideismum sapiunt. Aliter in Vat. I can. 4, ubi damnatus est qui « dixerit in miraculis divinam originem religionis christianae rite probari non posse ».

Ad libertatem ac dignitatem hominis pertinet quod non caeco instinctu etiam supernaturali ad factum revelationis ducetur, sed veris atque rationi consentaneis argumentis quae « rationabile obsequium » de quo S. Paulus, graece « λογικήν » fovent.

Tertia et ultima animadversio. Quae de potestate civili pagg. 8 et 9 ponuntur non sufficiunt, *uti optime hodie dictum est et alio modo,*[5] ad doctrinam catholicam recte exponendam.

Potestas civilis dicitur excedere limites suos si in ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt sese immisceat. Haec miro modo cum littera art. 44 Syllabi (*non dicitur!*) *coincidunt,*[6] ubi ponitur, quoad substantiam, *in Syllabo art. 44,*[7] quod « civilis auctoritas non potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent ». Sed *Syllabus,* de quo cum timore et tremore loquor, prophetico quodam sensu motus, Statum totalitarium ante factum damnat qui contra leges Ecclesiae agit, non vero Statum qui leges Ecclesiae applicat. Ergo textus ad rem non pertinet.

Insuper homo etiam in hoc mundo degens « non in solo pane vivit ». Ergo Status qui famem spiritualem subditorum ignorat ipsum ordinem terrestrem ac temporalem qui ei competit non recte intelligit *ac laedit.*[8]

Vera libertas, quae dignitas est hominis, animos nostros maxime gratos facere debet erga Status, nationes et populos, catholicos vel non catholicos, etiam laicos, qui ministris Evangelii adiumentum praebent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] agimus. [2] deest. [3] (gallice: enseigner). [4] Si. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

14

Exc.mus P. D. CAROLUS GARRET MALONEY

Episcopus tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus

Venerabiles Patres,

Manuscriptum meum, ad tempus redimendum, libenter tradam secretariatui et attentionem vestram pro tribus tantum momentis rogo.

1. Velim offerre demonstrationem « ad hominem », ut aiunt, sed magna cum caritate. In ipsa hac aula quaedam contradictoria in re religiosa prolata, sine dubio, sunt. Ergo quaedam erronea dicta sunt. Nunc quaero: ex quonam iure locuti sunt isti qui errorem protulerunt? Respondeo: non ex iure veritatis neque ex iure erroris: ex iure personalitatis, ni fallor, Patrum Concilii.

Et pari ratione errantes in re religiosa in mundo non debent loqui vel agere ex fundamento erroris vel veritatis sed ex iure personalitatis a Deo datae, ex iure vel facultate, melius, liberi arbitrii a Deo datae et ideo toto caelo distant haec duo: errantem iure agere vel iure omittere actionem debitam aut dicere errantem agere cum iure immunitatis a coercitione.

2. Ex orationibus, mihi videtur obicem conciliationis in hac re esse in hoc quod non omnes unanimiter accipimus rationem praecisam huius declarationis de libertate religiosa. Ratio cur non loquimur de positivo iure agendi in re religiosa est haec, ni fallor: volumus loqui de re quam in communi cum tota familia humana habemus et ideo non possumus loqui neque ex Scriptura neque ex aliis rebus sed debemus loqui, ut melius

loquimur, ex ratione personalitatis a Deo datae. Hoc consonat placitis decreti de Oecumenismo ut dicitur quod oportet quod nos sumamus res quas in communi cum aliis fratribus seiunctis cum aliis hominibus possumus promovere ad bonum communem, ad moralitatem publicam, ad pacem fovendam et ita porro.

Tandem, et maximi momenti est hoc: nocte praeterita Auditores et Auditrices nostri convenerunt et, post discussionem, a me petierunt ut vobis communicem hoc votum unanime: « Omnes Auditores et Auditrices doctrinam schematis de libertate religiosa approbant. Praeterea promulgationem eius maxime cupiunt ».

Votum hoc ego, pro mea parte, commendo. Dixi.

Textus scripto traditus:

Ad tempus redimendum, manuscriptum meum Secretariatui libenter tradam et attentionem vestram pro tribus tantum momentis rogo.

1. Primo velim demonstrationem « ad hominem », ut aiunt, offerre sed hoc facio magna cum caritate. In ipsa hac aula, quaedam vere contradictoria prolata sunt. Ergo, ex necessitate, quaedam falsa dicta sunt. Nunc quaero: Ex quonam iure locuti sunt illi qui errores protulerunt? Respondeo, certo non ex iure erroris neque ex iure veritatis, sed ex iure personalitatis Patris conciliaris.

Pari ratione, in subiecta materia is qui errat non agit ex iure erroris sed ex iure personae humanae.

Haec duo toto caelo distant: Ius agendi vel ius omittendi actionem debitam, ex una parte, et ex altera parte, ius ad immunitatem a coactione, in agendo. Est hoc ultimum quod approbamus.

2. Spectatis omnibus quae in aula dicta sunt, mihi videtur obicem, quae conciliationem opinionum impedit, partim in hoc esse: Non omnes accipiunt rationem formalem secundum quam redacta est nostra Declaratio.

Ratio haec, ut mihi videtur, sic exprimi potest: Maxima ex parte volumus loqui de iure quod communiter cum fratribus seiunctis, immo cum tota familia humana, habemus. Ergo loquimur de iure personae humanae ad immunitatem a vi physica, a coercitione, et a coactione, in re religiosa intra debitos limites.

Et hoc consonat cum placitis Decreti de Oecumenismo, ubi laudantur actiones communes christianorum vel omnium hominum quae tendunt ad bonum commune promovendum, ad moralitatem publicam stabiliendam, ad pacem fovendam, etc. Praeterea, velimus vocem efferre quae aliquo saltem modo a saecularistis audiatur. Ergo de iure loquimur quod ex analysi personalitatis humanae eruitur, potius quam de iuribus revelationis divinae.

3. Tandem maximi momenti est ut hoc dicam: Nocte praeterita Auditores et Auditrices nostri convenerunt et, post discussionem, hodie a me petierunt ut vobis communicem hoc votum unanime.

Omnes Auditores et Auditrices doctrinam schematis de libertate religiosa approbant. Praeterea, promulgationem eius maxime cupiunt.

Hoc votum, pro mea parte, ex corde commendo. Dixi.

Emendationes additae:

Pag. 6, lin. 21: Possibilitas aequivocationis tollitur, si dicitur « aequ*i* aestimare » potius quam « aequ*e* aestimare ».

Pag. 7, lin. 9: Num dicere volumus « in*com*mutabilem » potius quam simpliciter « immutabilem »?

Pag. 7, linn. 11-12: Meo iudicio, verius omittitur verbum « semper », quia aliquando homo simpliciter non percipit.

Praeterea, in quantum loquimur de naturali perceptione sine beneficio Revelationis et Magisterii Ecclesiae, forte adhuc verius diceremus: « Dictamina vero huius legis divinae homo percipere et agnoscere potest mediante conscientia sua; ... ».

Pag. 7, lin. 17, in fine huius alineae, aut lin. 21 in fine periodi, opportune poneretur referentia ad notam huiusmodi: « cf. infra ad n. 13 ». Ita, forte, minui possunt querelae de conscientia catholica informanda.

Pag. 7, linn. 31-33: Obvium est consensum interiorem sensu stricto cogi non posse. Sed potestas publica subditum aliquando exterius cogit ad obligationes suas adimplendas, renitente conscientia. E. g., civis cogitur taxas solvere pro iusta defensione patriae, etiamsi ipse ex conscientia obiiciat contra arma militaria.

Forte, lin. 33 addi oportet aliquid huiusmodi: « dummodo iura aliorum graviter non periclitentur » vel « dummodo iura aliorum detrimentum grave exinde non capiant ». Secus, verba « in re religiosa » arctius quam « in rebus conscientiae » accipiantur oportet; quod non videtur indicari in schemate.

Pag. 8, linn. 19-21: Num melius legeretur: « ut homo internos religionis actus *aliquando* manifest*et modo sociali,* seu actibus externis, etc. ».

Pag. 10, lin. 23: Omittatur verbum « iniusta », quod intimare videtur quaedam media esse iusta; quod falsum est.

15

Exc.mus P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

Cum iam alii em.mi ac rev.mi Patres dixerunt quae dicere velim, ad secretariam iam folia transmisi. Tria tantum brevissime dicam:

1. Verba pag. 7, linn. 24-30, a Concilio Oecumenico, mihi videtur, dici nequeunt. Nam error eodem modo ac veritas tractatur.

2. Pag. 8, lin. 22: « Iniuria fit, etc. »: nequaquam! Iniuria fieret Ecclesiae si haec verba scriberentur. Intelligi omnino non possum quomodo Ecclesia, mater et magistra veritatis, in eadem linea se collocari debeat ac aliae religiones.

3. Pag. 12, linn. 4-23: mirandum omnino quomodo haec verba in documento conciliari proposita sint. Si ita a Concilio declaratur, idem est ac mundo annuntiare Ecclesiam catholicam unam ex tantis esse et simpliciter aequalis: absonum!

Quae tamquam explicationem in pag. 47 dicta sunt nihil probant. Dici quidem possunt opiniones non veritas acquisita et probata. Et dixi.

Textus scripto traditus:

I. - Pag. 6, lin. 7. « Privatim et publice » supprimendum est, quia *a*) non est necessarium ad claritatem textus; *b*) quia exercitium publicum cuiusque religionis inducit ad *indifferentismum, defectum* essentialem schematis et mihi videtur contrarium doctrinae traditionali, quae, decursu saeculorum, semper distinxit inter *veritatem et errorem.*

« Ite, docete omnes gentes » intelligi tantum potest *de veritate.*

Adiunctio facta in schemate, relate ad primam redactionem est manifestatio spiritus aliquorum ven. Patrum, qui per « fas et nefas » de libertate loquuntur. Ut in re tanti momenti cum maxima libertate procedatur, *cautum* saltem sit ut excolatur votum singulis casibus.

Declaratio de qua in linn. 16-27 est aliquid *curiosum.* Claudit ianuam antea apertam. Si quis habet ius *stricto sensu* quomodo potest, alias, obligari ad contrarium? significat, ergo, ius ante dictum non esse stricto sensu intelligendum, sed *tantum quantum* conscientia petit. Reprobat (et hoc est verum) omnem oppressionem.

Videtur in schemate *metum existere* distinguendi inter *veritatem et errorem.* Hoc est falsum oecumenismum et contra sensum Ecclesiae.

II. - Pag. 7, linn. 24-30. Haec certe dici nequeunt a Concilio, quasi homines sine peccato essent et omnes sancti... Error in eodem modo ac veritas tractatur.

Pag. 8, lin. 6, omnino tollatur illud « privatim et publice » propter rationes supra allatas.

Eadem pag. 8, lin. 22, « iniuria etc. »... Nequaquam. *Iniuria fit Ecclesiae,* si *haec verba scribuntur.*

Agnoscit Ecclesia *libertatem internam,* quia conscientia est « sanctum sanctorum », in quo nemo potest introire nisi solus Deus.

Agnosci non debet (mihi videtur) libertatem externam propter malitiam humanae naturae et malum exemplum hominibus debilioris ingenii vel culturae.

Intelligere omnino non possum quomodo Ecclesia, *mater et magistra veritatis,* in eadem linea se collocari debeat ac aliae religiones. Hoc est absonum.

Pag. 10, linn. 5-10: « exercitium ergo religionis »... Tollatur vel scribatur « internum ». Societas ius habet protegendi ab errore subditos suos. Ergo *externe* potest (debet!) aliquod cultum prohibere, scilicet falsum cultum. Si quis dixerit societas civilis non esse magistra cultus, ecce *indifferentismum,* scholium terribile huius schematis.

Pag. 11, lin. 22: addendum « internam » vel « super enuntiata ».

Pag. 12, linn. 4-23: Mirandum omnino quomodo aliquis catholicus haec scribere potuit.

Si ita a Concilio declaratur idem est ac mundo annuntiare Ecclesiam Catholicam *unam* ex *tantis* esse, aliis aequalem. Hoc est absonum et contra fidem.

Si quis me exaggeratum dicat, in mente habeat consectaria huius doctrinae.

Quae tamquam explicationem pag. 47 dicta sunt *nihil probant,* vel melius, hoc tantum: aliqui Patres velle per fas et nefas, *proprias ideas aliis imponere.*

III. - Totum caput ad pauca verba reduci poterat et deberet.

Ad quid haec tam longa dissertatio. *Nunquam Ecclesia aliter egit ac si actus* fidei esset omnino liber. Ignoro quid sibi vult talis erudita dissertatio.

IV. - Conclusio. Pag. 19. Propter rationes allatas tollenda sunt verba « privatim publiceque ».

Optandum est (et esset nobilior pro Concilio) ut totum schema *reduceretur* ad aliqua principia, quibus clare enucleetur:

a) actus fidei esse omnino liber et nemo potest coegeri ad actum fidei vel aliquam religionem amplectendam.

b) Religio catholica romana ex historia probatur esse unicam veram, ideoque privatim et publice libere est colenda et propaganda, independenter ab omni potestate civili.

c) Propagatio aliarum religionum *non esse ius,* sed potest tolerari gravibus causis, non approbari.

d) Nemo, propter proprias convictiones religiosas, est persequendum vel iuribus civilibus privandum.

e) Alia similia et magni momenti.

16

Exc.mus P. D. PRIMUS GASBARRI

Episcopus tit. Thennesiensis, adm. ap. Grossetanus

Venerabiles Patres,

Theoria iuris ad libertatem religiosam excludit theoriam tolerantiae religiosae quatenus hodierna conscientia historica excludit sensum classicum personae humanae. Revera fautores iuris, cum arguuntur a fautoribus tolerantiae de erroribus doctrinae, nempe neoliberalismo, subiectivismo, relativismo, indifferentismo, existentialismo, ethica situationis, irenismo, contendunt huius generis accusationes destitui fundamentis eo quod hodiernus status quaestionis est de iure hominis historici sensu quo ius asserit immunitatem a coercitione. Fautores libertatis religiosae proferunt imaginem libertatis sui generis, nempe quae consequatur historicam necessitatem nostrae aetatis. Recusant igitur categoriam optimi et categoriam tolerantiae, thesim et hypothesim, urgentes momentum instantis contextus historico-socialis. Iuxta eorum theoriam, libertas externa religionis coniungitur iure suo libertati conscientiae, scil. quatenus persona humana essentialiter est historica et socialis.

Quare non est loquendum de conscientia erronea vel non, neque de iure conscientiae erroneae vel de tolerantia, cum hae aliae sint quaestiones. Unice loquendum est de libertate religiosa ut parte integrali amplioris notionis iuridicae libertatis. Ageremus enim hominis dichotomiam, vel speciem quamdam kantismi, seiungentes existentiam hominis interiorem ab eiusdem existentia historico sociali. Libertas conscientiae et libertas religiosa sunt elementa constitutiva integritatis et dignitatis per-

sonae humanae socialis. Talem hominem historicum et socialem reclamant metaphysica ipsa hodierna personae humanae; doctrinae politicae huius temporis quae postulata christiana pessumdederunt; disciplinae historicae quae, post graves tot saeculorum vicissitudines, tandem in theoriam iuris ad libertatem religiosam effloruerunt.

Argumentis brevi comprehensis quae quaestionem de iure ad libertatem religiosam, prouti in praesenti communiter proponitur, spectant, *animadvertere velim*[1] ab his non abstrahere textum reemendatum schematis.

Etenim, in pag. 5, lin. 8, affirmat: « Ad has animorum appetitiones (nempe libertatis, praesertim religiosae) diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere quantum sint veritati et iustitiae conformes »; deinde, ibid., lin. 15: « Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae »; et in pag. 6, lin. 9: « Insuper declarat huiusmodi ius in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum ut ius civile evadat »; tandem in pag. 19, lin. 4: « Libertatem autem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari »; id quod, in eadem pag., lin. 13, Sacra Synodus tamquam « fausta huius temporis signa laeto animo salutat ».

Talis sententiarum progressus ambiguitate non caret, nam imparem includit duplicem notionem iuris. Nempe iuris, ut ita dicam iusti, scil. quod sit consentaneum iuri naturali, et iuris prouti apud modernos et Constitutiones civiles assumi solet, quod positivismo iuridico est infectum. Ex hac confusione revera descendit conflictus inter fautores tolerantiae religiosae et fautores iuris ad libertatem religiosam.

Insuper, his admissis, alia via, redit famosa quaestio de iuribus conscientiae erroneae, a qua Secretariatus pro Unione, mutato consilio, descivit.

Nam, de facto, idem ius civile veritati et errori concederetur. Ius civile, cum sit ius, non potest praescindere a consideratione veritatis et erroris, seu iusti et iniusti, secus incideret in positivismum iuridicum vel functionalismum existentialisticum, qui iustitiam, seu veritatis normam, dissociant a iure.

Videtur, ad summum, schema nobis propositum reducere quaestionem de libertate religiosa ad facilem functionalismum iuridicum legalem qui gradatim generat indifferentismum religiosum, laicusmum, obiectivismum legalisticum, scil. omnia systemata quae conculcant verum valorem personae humanae.

Tandem aliquando, quaestio huc redit: in positione iuridica in qua simplex ius civile unum idemque statuat pro omnibus, Ecclesia catho-

lica aequaretur sectis religiosis. Sed, quaero, ius, etsi tantum sit civile, unum idemque esse potest pro religione vera et pro falsis religionibus?

Fateor me assidue cogitantem de hac re nullum invenisse acceptabilius responsum doctrina catholica traditionali quae a documentis Pontificum praebetur quaeque fundatur in iustitia uniuscuiusque iuris humani et civilis quod tamen, pro bono servando et fovendo, quandoque malum toleret.

Consequenter, iuxta meam submissam opinionem, textus reemendatus esset iterum emendandus, necnon schematis ipse titulus congruenter substituendus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] animadverto.

17

EXC.MUS P. D. PAULUS HALLINAN
Archiepiscopus Atlantensis

Fratres in Christo,

Textus reemendatus schematis *valde* [1] placet in genere. Pauca verba facere volo tantummodo circa eius doctrinam de extensione et de limitibus potestatis publicae in re religiosa.

Est doctrina in se solida et nostris temporibus exacte accommodata. Nititur enim in doctrina Ecclesiae, recentius evoluta, de « Statu iuridico », sic dicto (quod anglice vocatur « constitutional government »). Late evolvit hanc doctrinam Pius Papa XII, quem secutus est Ioannes XXIII. Uterque Pontifex in hac re progressum authenticum doctrinae catholicae perfecerunt. Qui vero progressus correspondet et ipsi veritati et intimis aspirationibus populorum per orbem, praesertim in nationibus quae recentius ad propriam suam independentiam feliciter pervenerunt.

Radix huius conceptionis Status est dignitas personae humanae, utpote quae est, ut ait Pius XII, « vitae socialis... subiectum, fundamentum, finis ». Exinde sequitur, quod commune bonum maxime consistit in humanae personae servatis iuribus et officiis. Ulterius autem sequitur, quod potestas publica certis limitibus circumscribitur, qui primo determinantur eius officio tuendi et colendi iura humana et civilia.

Haec generalis doctrina apte in schemate applicatur. Etenim, cum ius ad libertatem religiosam clare probetur esse ius in dignitate personae fundatum, potestas publica evidenter tenetur tutelam efficacem huius

iuris suscipere. Ad potestatem publicam pertinet, dico, cura libertatis religiosae, non tamen cura ipsius religionis. Ipsa enim religio, ut recte docet schema (sequendo Leonem XIII), superioris ordinis est, ad quem potestas publica attingere nequit.

Denique notandum est quod, ubi viget ius civile ad libertatem religiosam, lege constitutionali firmatum, Status seu potestas publica nullatenus profitetur ...[2] aut indifferentismum religiosum aut falsam neutralitatem aut agnosticismum, in re religiosa.

Etenim per institutum libertatis religiosae Status simpliciter agnoscit debitas illas limitationes, quae eius potestati apponuntur iuribus humanis, quae mancipari nequeunt. A. v., Status agnoscit, quod nullum habet ius ad liberum exercitium religionis cohibendum, nisi in casu agatur de delicto civili.

Eodem pacto agnoscit Status, quod religio ipsa est valor socialis primi ordinis. Ideoque Status intendit valorem socialem religionis promovere modo sibi proprio. Ad Statum autem proprie pertinet religionem in societate promovere, promovendo liberum exercitium religionis ...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] erga religionem. [3] in societate.

18

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus Burgensis

Venerabiles Patres,

Breves liceat mihi, pro conscientia, observationes exhibere.[1]

Schema reemendatum declarationis *de libertate religiosa,* licet quibusdam defectibus purgatum sit, adhuc retineri non potest in pluribus vere substantialibus.

Substantialia reputo methodum adhibitam simul ac quaedam principia, quae eadem remanent ac in textu praecedenti, eo quod, ut dicitur (in pag. 37, VIII, 1), « hoc sine dubio correspondeat menti longe maioris partis Patrum Concilii ». Talis vero praetextus debet comprobari in unoquoque casu post examen huius novi schematis.

Quoad methodum. Schema intendit, ut videtur, haec duo conciliare: libertatem religiosam pro omnibus et exclusivum ius Ecclesiae catholicae ad veritatem revelatam diffundendam. Concordia vero non obtinetur, quia agitur de iuribus diversi ordinis, quae in schemate consideran-

tur in eodem plano. Iam vero, ius Ecclesiae innititur in missione divina, ordinis supernaturalis est, immo Dei ius est. Ius ad libertatem religiosam fundatur in dignitate naturali personae humanae, naturale est, hominis ius est. Primum est absque dubio ius potius, nec aequiparari potest huic altero, quin incidamus in humanismum naturalisticum.

Utrumque ius verum est, sed ius hominis suppeditari debet iuri Dei. Schema vero tantum exaltare videtur ius naturale personae humanae. Cur non prius clare statuit ius divinum, ut recte intelligatur postea ius humanum? Hoc autem maxime necessarium est, 1. quia homo, prius quam ius habeat coram aliis, habet officium coram Deo; 2. quia si ius divinum dissimuletur, ut accidit in schemate, de facili ius hominis interpretabitur tamquam supremum; quod quidem periculum non vitatur quibusdam animadversionibus quasi per transennam in textu reemendato factis.

Proinde: schema exponat prae primis ius Dei, scil. ius ad hoc ut, iuxta divinam voluntatem in revelatione manifestatam, ab omnibus in religione vera colatur. Seu quod idem est: exponatur ius singulare Ecclesiae praedicandi Evangelium omni creaturae ...[2]

Quoad principia. 1. Attenta iterata declaratione in relationibus facta, libertas religiosa est ius coram potestate civili ad hoc ut nemo impediatur coactione religionem profiteri, nemo cogatur religionem amplectere. His limitibus conclusa, libertas religiosa ab omnibus sanae mentis agnosci debet. Attamen, prout in schemate de facto proponitur, haec clara propositio undequaque est obscurata, ita ut declaratio aut aliud intendat aut saltem videatur intendere.

Nam inde ab initio invocatur conscientia et, decursu expositionis, ingressus fiunt frequentissimi in ordinem moralem; insuper, ansa praebetur plenae aequiparationis conscientiae rectae et conscientiae erroneae, ita ut facies problematis mutetur.

2. Motivum huius declarationis non tam dignitas hominis, ad imaginem Dei formati, esse videtur quam hodiernae appetitiones libertatis. Hae autem nec semper legitimae sunt nec in amplissima mundi parte adhuc animadvertuntur. Exinde nemo est qui non videat schema opportunisticum et artificiosum apparere.

3. Schema videtur supponere conscientiam semper exprimere modo recto legem Dei aeternam (n. 3), aut saltem actum iustificari eo quod a conscientia procedat. Ex hac optimistica vel potius naturalistica assertione indifferentismus religiosus sequatur necesse est. Parum refert in ordine practico cautio a schemate proposita, nam, stabilitis principiis, conclusiones logice eruuntur.

4. Limitationes iuris naturalis ad libertatem religiosam, saepe vago

modo propositae (« intra debitos limites », « debitos limites non excedens » ...[3]) iudicio auctoritatis civilis amandantur, nam haec auctoritas iudicabit de violatione « ordinis publici ». Qua de causa, auctoritates civiles, doctrinae catholicae *diversae,*[4] non raro fundamentum in ipsa declaratione invenient ad agendum contra Ecclesiam catholicam!

5. Auctoritas civilis, quando de religione revelata agitur, competens non est ad iudicandum de rebus religiosis stricte dictis. Attamen sollemne est apud doctores in pluribus ei competentiam tribuere in religionibus paganis — et praxis et ipsa structura quarumdam religionum hoc comprobat.

Aliunde, manifestationes religiosae connexionem habent vel habere possunt cum ordine sociali; potest igitur auctoritas civilis regulas sancire iustas — quae sat diversae in variis regionibus et circumstantiis esse possunt — tangentes manifestationes externas religionis propter ordinem socialem servandum.

6. In schemate non constat quid nomine legis moralis intelligatur. Supponendum est declarationem intelligere legem moralem naturalem iuxta principia christiana intellectam; sed, cum schema nimis indulgeat modo cogitandi hodierno et omnibus hominibus sit destinatum, merito quaeritur: De quanam morali agitur? Nam unusquisque legem moralem poterit interpretare iuxta suam « conscientiam » et propriam doctrinam philosophicam.

7. Licet expresse non affirmetur, schema favet doctrinae de Statu ideali « neutro ». Haec vero doctrina contradicit Magisterio Ecclesiae, veritati obiectivae et tristi experientiae historicae plurium populorum.

Ultimo[5]: Voluntas Christi et opus Ecclesiae huc *intendit*[6]: ut omnes catholici fiant. In illis populis ubi huiusmodi scopus post innumera sacrificia feliciter evenit, hoc summum bonum unitatis catholicae *testis*[7] legitimis viribus defendendum est. Quod impossibile videtur iuxta doctrinam schematis, nam erroris propagatio non modo toleranda esset sed eodem iure ac unica recta doctrina gauderet. Evidens autem est huiusmodi propagatio mediis licitis et recta intentione fieri non posse de facto, ut experientia comprobat, in huiusmodi regionibus, semper enim implicat proselytismum. Ideo ab auctoritate civili, absque individuorum coactione, impediri potest. Secus, errori concederetur quod veritati denegatur! ...[8]

Conclusio: Methodus schematis ab ovo reformetur, principia et notiones clare et irrecusabiliter adhibeantur, uno verbo: non quaeramus hominibus placere nostri temporis in his quae Deo placere non possunt.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. *Mc.* 16, 15). [3] etc. [4] adversae. [5] 8. [6] tendit. [7] totis. [8] 9. Denique, argumenta

Sacrae Scripturae in fine schematis allata ad rem non pertinent. Ratione reverentiae erga Sacram Scripturam oporteret textibus non dare tormentum, tanti Concilii indignum.

Secretarius generalis: In proxima congregatione generali prosequetur disceptatio *de libertate religiosa.* Post exactam disceptationem circa hoc schema, incipiet, ut iam dictum est, disceptatio super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Moderator: Suffragatio!

Secretarius generalis: Et item feria II fient suffragationes, prouti iam dixi initio.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur feria II, die 20 septembris, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXXI

20 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXI

20 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur congregationem generalem centesimam tricesimam primam em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Prosequitur disceptatio super schema *de libertate religiosa* et interim fiunt suffragationes super schemate *de divina revelatione*.

Annuntio vobis, Patres venerabiles, piissimum obitum exc.mi D. Emmanuelis Trindade Salgueiro, arch. Eborensis in Lusitania. Oremus pro eo!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, em.mus D. card. Decanus, primus e consilio praesidentiae, proponit vobis ut mittatur Summo Pontifici epistola, quam nunc lego: [*cf. pag. 25*]. Hae litterae mittentur Summo Pontifici nomine Patrum Conciliarium.

Lego nunc nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt circa schema *de libertate religiosa.* Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis in Gallia (Bourges); Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis in Polonia; Rufinus Santos, arch. Manilensis in Insulis Philippinis; Ioseph Beran, arch. Pragensis in Cecoslovachia; Owen McCann, arch. Civitatis Capitis (Cape Town) in Africa Meridionali; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia; Michaël Browne; Ioseph Cardijn; exc.mi ac rev.mi DD. Patricius O'Boyle, arch. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Marcellus Lefebvre, ep. sup. gen. Congregationis Spiritus Sancti; Ioannes Gran, ep. Osloënsis (Oslo) in Norvegia; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis (Cádiz y Ceuta) in Hispania; Thomas Muldoon, ep. aux. Sydneyensis in Australia (Sydney); Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Zambia (Lusaka); Paulus Muñoz-Vega, ep. coad. Quitensis (Quito) in Aequatore; Thomas Holland, ep. Salfordensis in Anglia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Gerardus de Proença, arch. Adamantinus in Brasilia (Diamantina); Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia (Monreale); Michaël Gonzi, arch. Melitensis (Malta); Dionysius Hurley, arch. Durbanianus (Durban) in Africa Meridionali; Ioannes Hervás, ep. Cluniacensis in Hispania (Ciudad Real).

3]

1 – SCHEMA DE CONSTITUTIONE DOGMATICA DE DIVINA REVELATIONE *

Textus prior

PROOEMIUM

1. Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3). Propterea, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de divina Revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet (1).

Textus emendatus

1. Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3). Propterea, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de divina Revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet (1) (A).

CAPUT I
DE IPSA REVELATIONE

Textus prior

2. [*De revelationis natura et obiecto*]. Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere nobis sacramentum voluntatis suae (cf. *Eph.* 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur (cf. *Eph.* 2, 18; *2 Pt.* 1, 4). Hac itaque revelatione Deus invisibilis (cf. *Col.* 1, 15; *1 Tim.* 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cf. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15) et cum eis conversatur (cf. *Bar.* 3, 38), ut eos ad societatem cum Patre et Filio et Spi-

Textus emendatus

2. [*De revelationis natura et obiecto*] (A). Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae (cf. *Eph.* 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur (cf. *Eph.* 2, 18; *2 Petr.* 1, 4). Hac itaque revelatione Deus invisibilis (cf. *Col.* 1, 15; *1 Tim.* 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cf. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15) et cum eis conversatur (cf. *Bar.* 3, 38), ut eos ad societatem *secum* invitet *in eamque susci-*

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in Congregatione generali CXXVII, die 20 novembris 1964.

[4

Textus emendatus

ritu Sancto invitet et admittat. Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident. Intima ergo per hanc revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui non solum mediator, sed et plenitudo totius revelationis existit (2).

3. [*De evangelicae revelationis praeparatione*]. Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (cf. *Rom.* 1, 19-20; *Act.* 14, 15-17), inde ab initio Protoparentibus sese manifestavit, quos post lapsum in spem salutis erexit, redemptione promissa (cf. *Gen.* 3, 15). Suo autem tempore Abraham vocavit ut faceret eum in populum magnum (cf. *Gen.* 12, 2), quem post Patriarchas per Moysen et Prophetas erudiret ad solum Deum vivum et verum, providum hominum Patrem et iudicem iustum agnoscendum et ad promissum ab Eo Salvatorem expectandum, sicque per saecula viam Evangelio praepararet.

4. [*De Christo revelationis consummatore*]. Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2). Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, per quem omnia facta sunt et qui

Textus prior

piat (B). Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et *res* verbis significat*as* manifestent ac corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident (C). Intima *autem* per hanc revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator et plenitudo totius revelationis *simul* existit (2) (D).

3. [*De evangelicae revelationis praeparatione*]. Deus qui *per* Verb*um* omnia creavit (*cf. Io. 1, 3*), perenne sui testimonium in rerum *creatarum* natura hominibus ostend*ens, et viam salutis supernae aperire intendens* (cf. *Rom.* 1, 19-20; *2, 10-11*), inde *etiam* ab initio protoparentibus sese manifestavit. Post *eorum autem* lapsum eos in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15), redemption*em* promi*ttens, ab indeque sine intermissione generis humani curam egit, ut omnibus qui secundum patientiam boni operis salutem quaerunt, vitam aeternam daret* (*cf. Rom. 2, 6-7*) (A). Suo autem tempore Abraham vocavit, ut faceret eum in populum magnum (cf. *Gen.* 12, 2), quem post Patriarchas per Moysen et Prophetas erudi*vit* ad *se* solum Deum vivum et verum, providum Patrem et iudicem iustum agnoscendum, et ad promissum Salvatorem expectandum, *atque ita* per saecula viam Evangelio praepara*vit* (B).

4. [*De Christo revelationis consummatore*] (A). Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2). Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, qui omnes homines illuminat,

Textus prior

omnes homines illuminat, ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret (cf. *Io.* 1, 1-18). Iesus Christus ergo, « homo ad homines » missus (3), « verba Dei loquitur » (*Io.* 3, 34) et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cf. *Io.* 5, 36; 17, 4). Quapropter verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, missione quoque Spiritus veritatis, et tota sua persona revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad homines ex peccati mortisque tenebris liberandos eosque in aeternam vitam resuscitandos.

Oeconomia ergo christiana numquam praeteribit (cf. *Mt.* 24, 35), et non est aetas historiae religiosae transitoria tantum, sed novissima et definitiva, nullaque adhuc nova revelatio publica exspectanda est ante finalem « revelationem Domini nostri Iesu Christi » (*1 Cor.* 1, 7).

5. [*De fide revelationi praebenda*]. Deo revelanti praestanda est « oboeditio fidei » (*Rom.* 16, 26; cf. 1, 5; *2 Cor.* 10, 5-6), quae est « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium », seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus. Quae fides ut praebeatur, opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis, qui cor moveat et in Deum convertat, mentis oculos aperiat, et det « omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati » (5). Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, idem Spiritus Sanctus fidem iugiter per dona sua perficit.

Textus emendatus

ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret (cf. *Io.* 1, 1-18) (B). Iesus Christus ergo, *Verbum caro factum,* « homo ad homines » missus (3), « verba Dei loquitur » (*Io.* 3, 34), et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cf. *Io.* 5, 36; 17, 4) (C). Quapropter *Ipse, quem qui videt, videt et Patrem* (cf. *Io. 14, 9*), verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, tota *denique suiipsius praesentia ac manifestatione,* miss*o* tandem Spiritu veritatis, revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad homines ex peccati mortisque tenebris liberandos eosque in aeternam vitam resuscitandos (D).

Oeconomia ergo christiana, *foedus nempe* novissim*um* et definitiv*um,* numquam praeteribit, et nulla *iam* nova revelatio publica expectanda est ante finalem revelationem Domini nostri Iesu Christi (E).

5. [*De revelatione fide suscipienda*] (A). Deo revelanti praestanda est « oboeditio fidei » (*Rom.* 16, 26; cf. *Rom.* 1, 5; *2 Cor.* 10, 5-6), *qua homo se totum libere Deo committit et* « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium » *praestat* (4), volunt*arie* veritati ab eo revelatae *assentiens* (B). Quae fides ut praebeatur, opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis, qui cor moveat et in Deum convertat, mentis oculos aperiat, et det « omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati » (5). Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, idem Spiritus Sanctus fidem iugiter per dona sua perficit (C).

Textus prior

6. [*De veritatibus revelatis*]. Divina revelatione manifestantur ea, quae Deus de seipso ac de aeternis voluntatis suae decretis circa hominum salutem divinaeque vitae participationem communicare voluit, et « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant » (6). Confitetur quidem Sacra Synodus, « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (cf. *Rom.* 1, 20); eius autem revelationi tribuendum esse docet, « ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (7).

Textus emendatus [5

6. [*De veritatibus revelatis*] (A). Divina revelatione *Deus seipsum atque aeterna voluntatis suae decreta* circa hominum salutem *manifestare ac* communicare voluit, « *ad participanda scilicet bona divina,* quae humanae mentis intelligentiam omnino superant » (6) (B). [6

Confitetur Sacra Synodus, « Deum, rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (cf. *Rom.* 1, 20); eius *vero* revelationi tribuendum esse docet, « ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (7) (C).

NOTAE

Prooemium

Ad n. 1.

(1) Cf. S. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus,* c. IV, 8: *PL* 40, 316.

Caput I - *De ipsa Revelatione*

Ad n. 2.

(2) Cf. *Io.* 1, 14 et 17; 14, 6; 17, 1-3; *2 Cor.* 3, 16 - 4, 6; *Eph.* 1, 3-8.

Ad n. 4.

(3) *Epist. ad Diognetum,* c. VII, 4: FUNK, *Patres Apostolici,* I, p. 403.

Ad n. 5.

(4) CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1789 (3008).
(5) CONC. ARAUS. II, can. 7: DENZ. 180 (377); CONC. VAT. I, *l. c.*: DENZ. 1791 (3010).

Ad n. 6.

(6) CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide cath.,* cap. 2; DENZ. 1786 (3005).
(7) Ibid.: DENZ. 1785 et 1786 (3004 et 3005).

[7] RELATIO GENERALIS

Praenotamen. Capita I et II commissa fuerunt Sectioni I Subcommissionis, quae constabat Exc. Dom. *Florit,* praeside, *Pelletier, Heuschen* et Rev. Dom. *Butler.* Haec sectio quatuor conventus habuit, in quibus discussae sunt omnes animadversiones Patrum, sive dictae in Congregationibus Generalibus, sive in scriptis traditae, quae usque ad diem 26 octobris 1964 inclusive ad eam pervenerunt. Has animadversiones prae oculis habens, Subcommissio textum emendavit. Labori adstabant periti RR. DD. et PP. *Tromp, Philips, Cerfaux, Schmaus, Schauf, Moeller, Congar, Salaverri, Trapè, Betti* relator de Capite II et *Smulders* relator de Capite I.

Generalia

I. *Laudatur* Schema a quampluribus, modo sincero et quandoque effuso, in 45 orationibus, quae mentem 297 Patrum, necnon Epp. Poloniae et Neerlandiae referebant.

In specie laudatur:

dictio positiva, accurata, clara et latinitas rei appropriata;

structura organica, bene ordinata, aequilibrata;

doctrina firma et bene perpensa, ex S. Scriptura et antiqua Traditione hausta;

conceptio christocentrica et personalistica revelationis, et modus quo de habitudine inter Traditionem et Scripturam agitur.

Nonnulli expressis verbis petunt, ne substantia Schematis mutetur: e. g. E/3216, E/3275.

II. E contra sunt quibus Schema *minus placet.*

1. Propter *stylum* nimis complexum, inaequalem, vel obscurum: E/3145, 3133, 3236, 3250 et 3286.

2. Propter *contentum,* ob sequentes rationes:

E/3161: silentium de concretis erroribus et abusibus;

E/3236, E/3294: deficiens sensus Veteris Testamenti.

III. *Desideria* quaedam generalia, praeter ea quae sub II exprimuntur, nempe ut evolvantur:

E/3175: dimensio ecclesialis revelationis;

E/3135: transcendentia depositi apostolici;

E/3294: munus Spiritus Sancti relate ad Magisterium.

Conclusio. His consideratis, Commissio censuit textum substantialiter [7]
non esse mutandum. Inter 150 emendationes et additiones, ad cap. I
propositas, illas imprimis ponderavit, quae textum vere emendarent, non [8]
illas quae tenorem mutarent. Quasdam ergo additiones, quae cap. I multo longius redderent, vel nova omnino agitarent problemata, non putavit admittendas.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE N. 1

(A) Commissio censuit mutationem huius textus non esse necessariam. In specie non necessariae videntur inversiones propositae ab E/3489 et E/3159, nec additio proposita ab E/3260, nec insertio quam proponit E/3236, vel omissio verborum *ac de eius transmissione,* quam vult E/2959. Nec videtur admittenda additio E/3139 *de Atheismo* condemnando, quia talis condemnatio aptius alibi fit, et quia tenorem totius Constitutionis in sensum negativum mutaret, dum plures laudant positivum.

Dum alii citationes ex Ioanne et Augustino laudant (E/2598, E/3138), aliqui existimant Concilium non posse sua facere verba Ioannis (E/3145, E/3155), vel verba Augustini scopum nimis altum proponere Constitutioni (E/3121). Respondendum est ad primum, quod propterea scriptum est *obsequitur,* non autem *sua facit;* ad secundum, quod haec Constitutio quodammodo est prima omnium Constitutionum huius Concilii, ita ut eius Prooemium omnia quodammodo introducat.

Aliquis desiderat, dimensionem *ecclesialem* revelationis in luce poni (E/3175). Ad quod dicendum, hoc fieri non posse, nisi totus textus retractetur, neque esse necessarium, cum de hac re agatur in Constitutione de Ecclesia.

RELATIO DE N. 2

(A) Non admittendae videntur *additiones* E/2317, quae vellet hic sermonem fieri de naturali Dei cognitione, de qua sub n. 6; E/3141, quae aliis verbis iterat ideas quae in textu habentur; E/ 3143, quae introducit novam theoriam de relatione inter revelationem et inspirationem.

(B) Non videntur admittendae *insertiones* plures, propositae ab E/3236, quibus exprimeretur in hac sententia tota fere oeconomia christiana. Neque videbatur necessarium omittere in pag. 5, lin. 16 prae-

[8] positio *in* (E/3294); nec substituere vocabulum *sacramentum* per *mysterium* (E/3134; Cf. E/3236); nec in pag. 5, lin. 18 substituere vocabulum *quo* per *secundum quod* (E/2515) vel per *ut* (E/2959).

[9] Maioris considerationis dignae sunt hae observationes:

1 – ad pag. 5, lin. 19: E/3489 coll. E/3162: scribatur: Verbum carnem factum, *Redemptorem in caelis exaltatum* etc. Sed glorificatio exprimitur in n. 4, et hic sufficit subintelligi.

2 – ad pag. 5, lin. 24: E/3294 coll. E/3121 et E/3236: scribatur: tamquam *filios* et amicos. Non videtur necessarium.

3 – ad pag. 5, lin. 22-6 lin. 2: Plures reprehendunt constructionem: *Deus* homines alloquitur, ut eos ad societatem *cum Patre et Filio et Spiritu Sancto* invitet etc., quia Deus est ipsa Trinitas: E/2959, E/3034, E/3121, E/3140, E/3191, E/3294, E/3489, qui diversa proponunt. Commissio censet, incommodum hoc tolli posse, si hoc loco iam non fit sermo de Trinitate, da qua iam sermo fit pag. 5, linn. 18-19, et simpliciter scribatur: ad societatem *secum.*

4 – ad pag. 6, lin. 3: E/3191: pro *admittat* scribatur *suscipiat.* Placet haec emendatio, et in textu noviter redacto introducta est.

(C) Dum plures hanc sententiam laudant, aliquis censet eam esse obscuram (E/3137). Alius timet, ne ansam det phantasticis interpretationibus (E/3138); quibus verbis forte intelligit, quod aliqui putarent, singula omnino verba cum gestis esse connexa. Non videtur tamen textus uti stat tali abusui ansam dare.

Unus vult scribere: *verbis gestisque* (E/3137), alius *factis verbisque* (E/3294). De prima propositione iam diu discussum est; vocabulum autem *gesta* est magis personale ac traditionale.

Alii volunt pro *doctrinam et rem verbis significatam* scribi *veritatem salutiferam* (E/3121). Hi forsan non perspexerunt, vocabulum *res* hic adhiberi eo fere sensu quem habet in expressione « res sacramenti », ut significetur profunda realitas, quae per verba significatur et per gesta in sua realitate exprimitur. Quia analogia, quae existit inter opera Scripturae et sacramenta christiana, est traditionalis, Commissio vocabulum retinuit. Sed putat intentionem facilius patere, si scribitur:

« doctrinam et *res* verbis significa*tas* ... ».

E/3255 proponit *additionem* longiorem, quae tamen magis spectat ad fidem nostram in revelatione quam ad revelationem in suo primo fieri seu ad oeconomiam revelationis.

(D) Tres observationes a Subcommissione admissae fuerunt:

— pro *ergo,* quod pluribus non placet (E/3043, E/3121, E/3489), scribatur *autem.*

— constructio adversativa *non solum, sed et,* secundum propo-

situm ab E/3191, mutata est in simplicem affirmationem: mediator et plenitudo *simul.* [9]

— allegationes textuum, quorum nullus rem directe exprimit, *in notam* relegantur, secundum propositum ab E/3133 et E/3236.

Non autem videbantur admittendae *additiones* propositae ab E/3043 et E/3141, quae iterant eadem quae in textu iam habentur. [10] Nec placet propositum ab E/3382, qui pro *qui* vellet scribi *in quo;* multi enim laudant quod Christus ipse dicitur revelatio.

RELATIO DE N. 3

(A) Admissae sunt hae emendationes propositae:

— post vocabulum *creavit* addatur citatio quaedam (E/3134, E/3147, E/2653). Scribendo autem: qui *per* Verbum omnia creavit (*Io.* 1, 3) satisfactio etiam datur E/3489.

— E/3136 petit clarius distingui revelationem supernaturalem a cognitione ex rerum natura. Provisum est eo quod additur: rerum *creatarum,* et vocabulum *etiam.*

— Plures petunt, ut expressius agatur de salute *universo generi humano* oblato et de hominibus ante Abraham viventibus (E/2317, E/3121, E/3133, E/3186, E/3356, E/3489). Cui desiderio satisfieri potest duabus insertionibus cum allegationibus ex *Rom.* 2, 6-11.

Non pauci petierunt, ut pro *protoparentibus* scribatur *hominibus* (E/3043, E/3218, E/3356, E/3463, E/3489), ne Concilium videretur dirimere controversias de monogenismo, de proprio genere litterario Protohistoriae etc., neve videretur restringere revelationem ad solos protoparentes. Iidem volunt non allegari *Gen.* 3, 15 pro doctrina de redemptione promissa, quia exegetice minime constaret hunc esse sensum litteralem illius versiculi. Huic ultimo voto facile satisfieri potuit. Commissio autem putat vocabulum *protoparentes* manere posse, quia nemo existimabit textum nostrum, de revelatione agentem, dirimere quaestiones huiusmodi, quas relinquit in statu quo ante.

(B) Tres mutationes factae sunt:

— Constructio grammaticalis simplificata.

— Scribitur *se* solum Deum, secundum observationem E/3140.

— Omittitur vocabulum *hominum,* quia paternitas Dei in VT non clare extenditur ad omnes homines (E/3245).

Econtra non videtur hic necessarium, ut persona Moysis et Foedus Sinaiticum magis extollatur (E/3356, E/3442), quod fit in cap. IV. Nec pro *Patrem* scribendum est *Dominum,* vel pro *agnoscendum* scribendum *colendum* (E/3245); nam VT affectus Dei paternos describens, praeparat revelationem evangelicam; et agnitio includit cultum.

[10] RELATIO DE N. 4

(A) Tria desideria generalia exprimuntur, scilicet ut dicatur Christum *esse revelationem* (E/3158), ut agatur de *Messianismo* (E/3356), ut indoles *definitiva* operis Christi in clariorem lucem ponatur (E/3256).
[11] Huic ultimo desiderio satisfactio praebetur per novam redactionem ultimae sententiae; duobus autem prioribus satis provisum videtur in numeris praecedentibus.

(B) Omittitur *per quem omnia facta sunt,* sicut vult E/3294, quia iam antea dictum est (n. 3, pag. 6, lin. 16).

Non admittenda videtur propositio E/3133, quae vellet scribi: *ut* omnes homines illumina*ret.*

(C) Adduntur verba *Verbum caro factum,* secundum propositionem E/3142. Non placet autem quod E/3294 et E/3245 petunt, scilicet quod omittantur verba *homo ad homines* et *missus.* Haec enim sunt ex Epistula ad Diognetum, et inserta propter rationem in Relatione expositam.

(D) In hac sententia plura sunt mutata:

1 – Inserta citatio *Io.* 14, 9, proponente E/3133.

2 – Pro *tota sua persona,* quae formula pluribus displicebat, qui doctrinam intentam approbant (E/2615, E/2625, E/3136, E/3169, E/3245, E/3250), scriptum est: *tota denique suiipsius praesentia ac manifestatione,* quae formula partim provenit ex propositionibus ab E/2615 et E/3133 factis, et commendatur eo quod simul sumpta latine reddunt id quod graece dicitur *epiphaneia.*

3 – Mentio *missionis Spiritus* in locum paululum diversum transfertur, petente E/3133; non tamen poterat admitti propositio eiusdem, quae hanc mentionem transfert ad finem numeri: nam haec missio pertinet ad completionem revelationis.

Non autem necessaria videbatur expressior redemptionis mentio, quam petit E/3242. Nec *additiones* propositae ab E/2670 et E/3141 videntur admittendae, quae iterant quae hic et alibi iam dicta sunt, aut problemata nova introducunt.

(E) Sententia simplificata est, quia E/2667 observat, in textu anteriori indirecte dici, quod oeconomia christiana est quaedam aetas historiae religiosae. Propterea doctrina *positive tantum* enuntiatur. Ex eiusdem propositione insertum est vocabulum *foedus.* Haec nova redactio satisfacit etiam desideriis E/3236 et E/3160, qui volebant scribi: oeconomia christiana *praesens.*

Omissa est citatio ex *Mt.* 24, 35, petente E/3146, quia textus non directe de eadem re agit. Pro *adhuc* scribitur *iam,* melioris latinitatis causa (E/3256).

Aliae autem propositiones non acceptae sunt, scilicet: [11]

1 – Quod expresse dicatur, revelationem *clausam* esse cum morte apostolorum (E/3155, E/3160). Nam res intenta iam habetur, quando dicitur quod Christus revelationem complet; formula autem non caret difficultatibus, et quidem propter rationes divergentes.

2 – Ut scribatur: sed definitiva *et necessaria pro omnibus hominibus* (E/2615). Nam vocabulum *novissimum* non est superfluum. Conceptus de *necessitate* non videbatur introducendus, nisi adhibitis expli- [12]
cationibus, quae occurrunt in Constitutione de Ecclesia.

3 – Ut vocabulum *publica* et sententia de *revelatione finali* tollerentur (E/3356, E/3156). Utrumque enim introductum est multis petentibus.

Deleta autem sunt signa allegationis et citatio ex *1 Cor.,* quia Paulus haec verba in alio contextu scribit.

RELATIO DE N. 5

(A) Titulus mutatus est, auctore E/3191, ut exprimatur hunc etiam articulum agere *de revelatione.*

Non autem accepta fuit propositio E/3121, quae vellet ita inchoari: « *Dei revelantis verbum evadit efficax auditu fidei* (*Gal.* 3, 2; 5). Deo revelanti etc. ». Nam res difficilior videbatur, quam ut brevissima formula exprimatur: quid enim de praedicatione, de sacramento fidei etc.

(B) Plures postulant, ut praebeatur *descriptio fidei* magis biblica et personalistica, quae melius correspondeat descriptioni datae de revelatione ipsa (E/3121, E/3135, E/3146, E/3175, E/3191, E/3236, E/3275 coll. 3463, E/3356, E/3489). Ut huic desiderio satisfiat, inserta est sententia: *qua homo se totum libere Deo committit,* quae proponitur ab E/3121.

Non tamen Commissio putabat accedi posse ad desiderium quinque ex iisdem, qui vellent supprimi verba *seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus,* utpote iteratio sub forma scholastica earumdem rerum. Nam haec verba exprimunt, fidem essentialiter comprehendere assensum doctrinae datum, et ab altera parte hunc assensum essentialiter esse deditionem personalem.

Aliqui postularunt, expressam mentionem fieri de *obiecto formali* fidei, quod est auctoritas Dei revelantis (E/3155, E/3160). Commissio censet, hoc satis exprimi per verba *Deo revelanti,* sicut exponit Exc. Dom. Florit in sua relatione.

Unus vult supprimi vocabulum *plenum* (E/3135). Suppressio non videtur necessaria.

[12] (C) Variae emendationes proponuntur, quarum tamen nulla videtur acceptanda:

— E/3162 vult pag. 7, linn. 23-24 inseri: *Per fidem homo vocatur ad assentiendum Veritati primae Dei revelantis.* Est autem pura iteratio, nisi quoad mentionem Veritatis Primae, quae scholastice sonat.

— E/2667 proponit pag. 7, lin. 24 inseri: Quae fides ut, *ex auditu Verbi Dei certissimis signis confirmati,* praebeatur etc. Videtur superfluum, quia de signis iam egit n. 4; et difficultatibus plenum, quia videtur
[13] plane excludere possibilitatem fidei, quae niteretur in signis quae subiective satisfaciunt, sed obiective non sunt certissima.

— Pag. 7, lin. 25: E/2515: pro *et* scribatur *seu.* Consulto scriptum est, ne videantur excludi gratiae externae, quales sunt signa, praedicatio etc.

— E/3137: Omittantur verba *et internis Spiritus Sancti auxiliis* utpote superflua. Dicendum est idem ac ad propositionem praecedentem. Insuper haec verba petentibus patribus inserta sunt, ut viam ad ultimam sententiam praeparent.

— Pag. 7, linn. 26-27: E/2959: scribatur: mov*e*t, convert*i*t, d*a*t. Emendatio non est necessaria; formae coniunctivae innuunt finalitatem et dynamismum gratiae.

Additionem, eiusdem longitudinis ac articulus ipse, proponit E/3141. Partim iam dicta iterat, partim aggreditur quaestiones omnino novas de eo quod praedicatio Evangelii auditores in discrimen vocat.

RELATIO DE N. 6

(A) 1 – Hunc articulum poni ante n. 5 petit E/3236. Huiusmodi *inversio* non videtur facienda, nisi sit absolute necessaria.

2 – E/3356 optat, aliquid dici *de homine historico,* qui de facto ordinatur ad vitam supernaturalem, et qui a Deo ad gratiae unionem paratur. Sed de his rebus satis dictum esse videtur in nn. 2-4.

3 – E/2959, E/3121, E/3489 proponunt *alium ordinem sententiarum* in hoc numero, quin rationem huius inversionis indicent. Forte eorum ratio et est, quae sub B indicabitur, et cui commodius ibi satisfieri potest. Insuper omnes formulae ab eis propositae in eo peccant, quod revelationem mysteriorum in ultimo loco et quasi per obliquum enuntiant.

(B) Ad pag. 7, linn. 36-38 observat E/2620 quod verba *et quae ... superant* videntur restringere obiectum revelationis ad mysteria stricte dicta. Eadem observatio videtur subesse etiam emendationibus ab E/2959, E/3121, E/3382, E/3489 propositis. Commissio existimat,

hanc observationem rectam esse, et putat simplex remedium afferri eo quod ex Vaticano I allegantur etiam verba immediate praecedentia, scilicet « *ad participanda scilicet bona divina,* quae humanae etc. ». [13]

(C) Commissio putat, accedendum esse ad emendationem propositam ab E/2625, ut in pag. 7, lin. 38 vocabulum *quidem* omittatur aut mutetur. Deinde in pag. 8, lin. 2 pro *autem* scribitur *vero,* quod est adversativum debilius; contra propositum ab E/3256, qui vellet scribi *tamen.*

CAPUT II

DE DIVINAE REVELATIONIS TRANSMISSIONE

Textus prior

7. [*Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii*]. Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent omnibusque generationibus transmitterentur. Ideo Christus Dominus, in quo summi Dei tota revelatio consummatur (cf. *2 Cor.* 1, 20; 3, 16-4, 6), mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, quod promissum ante per prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent (1), eis dona divina communicantes. Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente didicerant, tum ab ipsis virisque apostolicis, qui peculiari charismate ditati, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt (2).

Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, Apostoli successores reliquerunt Episcopos, ipsis « suum ipsorum locum magisterii tradentes » (3). Sacra igitur Traditio et Sacra Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur (cf. *1 Cor.* 13, 12).

Textus emendatus

7. [*Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii*]. Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent omnibusque generationibus transmitterentur. Ideo Christus Dominus, in quo summi Dei tota revelatio consummatur (cf. *2 Cor.* 1, 20; 3, 16-4, 6), mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, quod promissum ante per prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent (1), eis dona divina communicantes. Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente didicerant, tum ab ipsis virisque apostolicis, qui, (A) sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt (2).

Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, Apostoli successores reliquerunt episcopos, ipsis « suum ipsorum locum magisterii tradentes » (3). Sacra igitur Traditio et *utriusque Testamenti* (B) Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur (*cf. 1 Io. 3, 2*) (C).

Textus prior

8. [*De Sacra Traditione*]. Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur, continua successione usque ad consummationem temporum conservari debebat. Unde Apostoli, dum fideles instruunt, tradendo eis quod et ipsi acceperunt (cf. *1 Cor.* 11, 23), eosdem simul traditae sanctis fidei supercertari deprecantur (cf. *Iud.* 3), traditionesque quas, sive per sermonem sive per epistulam didicerunt, tenere iubent (cf. *2 Thess.* 2, 15) (4). Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit.

Viva haec Traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit (5). Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum experientia. Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, mulierem illam evangelicam imitatur, quae abscondit fermentum in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum (cf. *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21). Sanctorum Patrum dicta huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam, cuius divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur. Per eandem Traditionem et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur; sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur, et Spiritus Sanctus, qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonare facit, creden-

Textus emendatus [14

8. [*De Sacra Traditione*]. Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur, continua successione [15 usque ad consummationem temporum conservari debebat. Unde Apostoli, dum fideles instruunt, tradendo eis quod et ipsi acceperunt (cf. *1 Cor.* 11, 23; *15, 3*), eosdem *semel* traditae sanctis fidei supercertari deprecantur (cf. *Iud.* 3), traditiones quas, sive per sermonem sive per epistulam didicerunt, tenere iubent (cf. *2 Thess.* 2, 15) (4) (A). Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, perpetuat cunctisque generationibus transmittit omne quod ipsa est, omne quod credit (B).

Haec *quae est ab Apostolis* Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit (5) (C): crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione *et studio* credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum *quam experiuntur intelligentia* (D). Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, *ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit, donec consummentur verba Dei in ea* (*cf. 1 Cor. 13, 10; Apoc. 17, 17*) (E).

Sanctorum Patrum dicta huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam, cuius divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur. Per eandem Traditionem *integer sacrorum librorum Canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitius intelleguntur et* indesinenter actuosae redduntur (F); sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur, et Spiritus Sanctus, *per*

Textus prior

tes in omnem veritatem inducit (cf. *Io.* 16, 13), verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16).

9. [*S. Traditionis et S. Scripturae mutua relatio*]. S. Traditio et S. Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae, ex eadem divina scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Etenim S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata, S. Traditio autem mens, doctrina, exempla et mandata Christi per Apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto, fideliter transmissa. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda et veneranda est (6).

10. [*Utriusque relatio ad totam Ecclesiam et Magisterium*]. S. Traditio et S. Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt, Ecclesiae commissum, cui inhaerens tota plebs sancta sacerdotibus suis adunata in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus iugiter perseverat (cf. *Act.* 2, 42 gr.), ita ut in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat antistitum et fidelium conspiratio (7).

Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum (8) authentice interpretandi soli vivo et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum est (9), per quod suprema auctoritas in uno nomine Iesu Christi et in una Eius Ecclesia est constituta. Quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, docens nonnisi quod traditum est, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto

Textus emendatus

quem viva vox Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo *resonat,* credentes in omnem veritatem inducit, verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16) (G).

9. [*Traditionis et S. Scripturae mutua relatio*]. S. Traditio ergo et S. Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae, ex eadem divina scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Etenim S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata, S. autem Traditio *verbum Dei a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit, ut illud, praelucente Spiritu veritatis, praeconio suo fideliter servent, exponant atque diffundant* (A). Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda et veneranda est (6).

10. [*Utriusque relatio ad totam Ecclesiam et Magisterium*]. S. Traditio et S. Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt Ecclesiae commissum, cui inhaerens tota plebs sancta sacerdotibus suis adunata in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus iugiter perseverat (cf. *Act.* 2, 42 gr.), ita ut in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat Antistitum et fidelium conspiratio (7).

Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum (8) authentice interpretandi soli vivo (A) Ecclesiae Magisterio concreditum est (9) *cuius* auctoritas in nomine Iesu Christi *exercetur* (B). Quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, docens nonnisi quod traditum est, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, *pie audit* (C), sancte custodit et fideli-

Textus prior

assistente, sancte custodit et fideliter exponit, ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit. Patet igitur S. Traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat, omniaque simul, singula suo modo ad animarum salutem efficaciter conferant.

Textus emendatus [16]

ter exponit, ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit. Patet igitur S. Traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat, omniaque simul, singula suo modo ad [17]
animarum salutem efficaciter conferant.

NOTAE

Caput II - *De divinae Revelationis transmissione*

Ad n. 7.

(1) Cf. Conc. Trid., Sess. IV, decr. *De canonicis Scripturis*: Denz. 783 (1501).

(2) Cf. Conc. Trid., *l. c.*; Conc. Vat. I, Sess. III, *Const. dogm. de fide catholica,* cap. 2: Denz. 1787 (3006).

(3) S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 3, 1: *PG* 7, 848; Harvey, 2, p. 9.

Ad n. 8.

(4) Cf. Conc. Constant. IV, Sess. X, can. 1: Denz. 336.

(5) Cf. Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide catholica,* c. 4: Denz. 1800 (3020).

Ad n. 9.

(6) Cf. Conc. Trid., *l. c.* ad n. 7.

Ad n. 10.

(7) Cf. Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 756.

(8) Cf. Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide catholica,* cap. 3: Denz. 1792 (3011).

(9) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 569; Denz. 2314 (3886).

[18] # RELATIO

ANIMADVERSIO PRAEVIA

Disceptatio huius Capitis, diebus 30 sept.-2 oct. 1964 in aula conciliari habita, nihil attulit novi quod textum receptum notabiliter immutare cogeret.

Animadversionum enim longe maior pars, quae tunc quomodocumque prolatae sunt vel antea scripto manifestatae, substantiam textus non attingit, etsi in aliquibus melior eiusdem expressio non semel suggeratur. Nonnullae igitur emendationes, quae hunc finem consequerentur, hic inde inductae sunt.

Ratio autem habita non est de illis postulatis quae in id intendebant ut textus aequilibrium, diu expetitum, quodammodo tangeretur. Hoc vero minime significat istiusmodi postulata, quamquam pauciora numero, debita privari aestimatione. Si iisdem Commissio satisfacere nequivit, uni adscribendum est officio quo ipsa devincta manebat: de quo cf. *Relatio* textui adnexa, in fasciculo typis impresso, pp. 19-25.

RELATIO DE N. 7

(A) Omissa sunt verba « peculiari charismate ditati », duplici ratione: quia conceptus, iisdem expressus, subsequentibus verbis pariter significatur « *sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti* »; quia illa verba insinuare videbantur charisma inspirationis esse hagiographis habituale (cf. E/3121).

(B) Dicitur « *utriusque Testamenti* Scriptura », ut clarius pateat non tantum de Novo, sed etiam de Vetere Testamento hic agi (cf. E/3236).

(C) Omittitur citatio *1 Cor.*, 13, 12 ad vitandam difficultatem exegeticam, a pluribus motam, de imagine speculi (cf. E/2872, E/3043, E/3156, E/3292, E/3121, E/3489. Inducitur autem referentia ad *1 Io.* 3, 2, quae exclusive sese refert ad visionem Dei in altera vita.

RELATIO DE N. 8

(A) In hac periodo tres parvae factae sunt immutationes: referentiae *1 Cor.*, 11, 23 additur eiusdem epistolae *15, 3,* ubi agitur de accepta traditione a Paulo circa mortem et resurrectionem Domini (cf. E/3489); loco « simul » restituitur « *semel* », uti exigit textus gr. Iud. (cf. E/3162,

E/3043, E/2059, E/3489); loco « traditiones*que* quas » ponitur simpliciter « traditiones quas », ad vitanda male sonantia « que quas » (cf. E/3162). [19]

(B) Supprimuntur verba « *omne quod habet* », ut clarius appareat a Traditione apostolica ea omnia, eaque sola, provenire quae substantialia sunt Ecclesiae, videlicet: omne quod ipsa est, omne quod credit (cf. E/3135, E/3292).

(C) Loco « Viva haec Traditio », dicitur: « Haec *quae est ab Apostolis* Traditio ». Hisce additis verbis quae, a S. IRENAEO proveniunt *Adv. Haer.*, III, 3, 2 (*PG* 7, 849 A), apertius ostenditur hic de Traditione agi tantum originis *divinae,* non autem de traditionibus mere ecclesiasticis (cf. E/3192, E/3186, E/2598, E/2667, E/3159, E/3043).

(D) Loco « intelligentia », quae sumi poterat etiam uti ablativum, ponitur « *perceptio* »; et ita clare patet profectum non ipsam Traditionem, at tantum ipsius intelligentiam attingere (cf. E/2631, E/3192, E/2667, E/3255, E/3156, E/2670, E/3137).

Ut autem duae generaliores categoriae, intellectualis nempe et experimentalis, quibus profundior Traditionis intelligentia attingitur, clarius explicentur: post verbum « contemplatione » additur « *et studio* », quo melius momentum indicatur operis theologorum (cf. E/3250, E/3114, E/3183, E/3254, E/3145, E/2609, E/3137, E/3191, E/3043, E/3133, E/3381, E/3192, E/3489, E/3406); loco vero « spiritualium rerum experientia » dicitur: « spiritualium rerum *quam experiuntur intelligentia* » (cf. E/2670, E/3140, E/3155, E/3137, E/3489).

(E) Omittitur comparatio Ecclesiae *cum muliere evangelica,* et Traditionis cum fermento ab ea in farina abscondito, utpote exegetice haud recte fundata (cf. E/2631, E/3294, E/3236, E/3042, E/3489). Verbis autem noviter inductis conceptus servatur de *animatione* quam tota Ecclesiae vita a Traditione accipit, eiusque progressio affirmatur quae uti terminum habet Ecclesiae consummationem eschatologicam.

(F) Momentum Traditionis respectu ad Scripturam in vita Ecclesiae clarius extollitur, aperta hac affirmatione: per vivam Traditionem integer librorum sacrorum *Canon* Ecclesiae innotescit (cf. E/3256, E/3121, E/3275, E/3463, E/3489, E/3406, E/2625). Iustificatio insuper datur de iugi actuositate qua vi Traditionis Scriptura in Ecclesia pollet: quae in eo est ut haec, per illam, profundiorem consequatur intelligentiam.

(G) Immutatio inducitur *stylistica,* ad vitandam repetitionem verbi « facit » (cf. E/3489, E/3406). Ad obviandum vero difficultati de applicatione *Io.* 16, 13 (cf. E/3256, E/3179), simpliciter omittitur allegatio. Quae enim in textu dicuntur omnino recta censentur.

[20]

RELATIO DE N. 9

(A) Altera huius periodi sententia ita nunc procedit, ut ex una parte clarius *indoles divina* Traditionis affirmetur, quatenus verbum Dei integre transmittit; ex altera autem parte pressius premitur distinctio inter munus *Apostolorum* et munus *Episcoporum,* quatenus per illos Traditio ipsa constituitur, per hos vero eadem Traditio tantum servatur, exponitur, atque diffunditur (cf. E/3162, E/3184, E/3256, E/3135, E/2872, E/3196, E/3264, E/3236, E/3043, E/3121, E/3406, E/3489).

RELATIO DE N. 10

(A) Omittitur vox « *infallibili* », quia decisiones Magisterii, etsi omnes authenticae sint ideoque auctoritate polleant, non omnes tamen uti infallibiles ab eo eduntur (cf. E/3121, E/3275, E/3192, E/3489, E/3463).

(B) Clarior redditur sententia *de auctoritate Magisterii* (cf. E/2615, E/3256, E/3136, E/3245, E/3121, E/3489). Haec autem auctoritas non amplius qualificatur ut « suprema »; nam Magisterium, ut dictum est sub A, non exclusive in sua expressione infallibili consideratur.

(C) Addita sunt verba « *pie audit* », ad ulterius indicandam dependentiam Magisterii a deposito revelato atque huiusce, respectu ad illud, transcendentiam (cf. E/3135, E/3489, E/3406).

CAPUT III [21]

DE SACRAE SCRIPTURAE DIVINA INSPIRATIONE ET DE EIUS INTERPRETATIONE (A)

Textus prior

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant. Libros enim tam Veteris quam Novi Testamenti sancta Mater Ecclesia, ex apostolica fide (cf. *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 3, 15-16), pro sacris et canonicis habet propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit (1), ut Ipso in illis et per illos agente (2), ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, scripto traderent (3). Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus (4) veritatem sine ullo errore docere profitendi sunt (5).

Textus emendatus

11. [*Statuitur factum inspirationis et veritatis S. Scripturae*] (B). Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant. Libros enim tam Veteris quam Novi Testamenti sancta Mater Ecclesia, ex apostolica fide (cf. *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt. 1, 19-20*; 3, 15-16) (C) pro sacris et canonicis habet propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos (D) facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit (1), ut Ipso in illis et per illos agente (2), ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, *ut veri auctores* (E) scripto traderent (3) Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus (4) veritatem *salutarem* (F) *inconcusse et fideliter, integre et* sine errore docere (G) profitendi sunt (5). *Itaque « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus »* (*2 Tim. 3, 16-17*) (H).

Textus prior

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus in Sacra Scriptura per homines more hominum locutus sit (6), interpres Sacrae Scripturae, ut perspiciat, quamnam veritatem Ipse nobis communicare volue-

Textus emendatus

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus in Sacra Scriptura per homines more hominum locutus sit (6), interpres Sacrae Scripturae, ut perspiciat, *quid* (A) Ipse nobis communicare voluerit, attente

Textus prior

rit, attente investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint et eorum verbis manifestare Deo placuerit.

Ad hagiographorum intentionem eruendam inter alia etiam « genera literaria » respicienda sunt. Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis, propheticis, poeticis, vel aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur. Oportet porro ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis condicione, exprimere intenderit et expresserit (7). Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto significare voluit, non recte intelligitur, nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant (8). Cum haec omnia in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur (9), inveniantur, non magis erroris eadem argui debent quam cum paria aut similia in quotidiano usu habita sint, immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiunt.

Sed ad recte sacrorum textuum significationem eruendam, respiciendum est etiam ad contentum totius Scripturae, in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei. Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae locos penitius intelligendos, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur. Cuncta enim haec, de ratione interpretandi Scripturam, Ecclesiae iudicio ultime subsunt, quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio (10).

13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manife-

Textus emendatus

investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint et eorum verbis manifestare Deo placuerit (B).

Ad hagiographorum intentionem eruendam inter alia etiam « genera litteraria » respicienda sunt. Aliter *aliterque* (C) enim veritas in textibus vario modo historicis, propheticis, poeticis, vel *in* (D) aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur. Oportet porro ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis condicione *ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum* (E), exprimere intenderit et expresserit (7). Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto *asserere* (F) voluit, non recte intelligitur, nisi rite attendatur ad suetos illos nativos *sentiendi,* (G) dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, quique tunc *in* (H) mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant (8) (I).

Sed ad recte sacrorum textuum *sensum* (J) eruendum, respiciendum est etiam ad contentum *et unitatem* (K) totius Scripturae, *ratione habita* vivae Ecclesiae tradition*is et* analog*iae* fidei (L). Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae locos penitius intelligendos, ut quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur. Cuncta enim haec, de ratione interpretandi Scripturam, Ecclesiae iudicio ultime subsunt, quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio (9).

13. [*Dei condescensio*]. *In Sacra Scriptura ergo manifestatur* (A) aeternae sapientiae ad-

Textus prior

stam statuunt aeternae sapientiae admirabilem « condescensionem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est.

Textus emendatus [22]

mirabilis « condescensio », « *ut discamus ineffabilem Dei benignitatem, et quanta sermonis attemperatione usus sit, nostrae naturae providentiam et curam habens* » (10) (B). Dei *enim* [23]
verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est.

NOTAE

Caput III - *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et de eius interpretatione*

Ad n. 11.

(1) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 314, *Enchir. Bibl.* (*EB*) 556.

(2) *In* et *per* hominem: cf. *Hebr.* 1, 1 et 4, 7 (*in*): *2 Sam.* 23, 2; *Mt.* 1, 22 et passim (*per*); Conc. Vat. I: *Schema de doctr. cath.,* nota 9: Coll. Lac. VII, 522.

(3) Leo XIII, Epist. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: Denz. 1952 (3293); *EB* 125.

(4) Cf. *Comm. Bibl.,* Decr. 18 iun. 1915: Denz. 2180 (3629); *EB* 420; S. S. C. S. Officii, Epist. 22 dec. 1923: *EB* 499.

(5) Leo XIII, *Providentissimus,* l. c.: *EB* 124; Pius XII, *Divino afflante,* l. c.: *EB* 539.

Ad n. 12.

(6) S. Augustinus, *De Civ. Dei,* XVII, 6, 2: *PL* 41, 537; *CC* s. l. XLVIII, p. 567, 58-59.

(7) S. Augustinus, *De Doctr. Christ.,* III, 18, 26; *PL* 34, 75-76.

(8) Pius XII, l. c., Denz. 2294 (3829-3830); *EB* 558-562.

(9) Cf. Conc. Vat. I, Const. *de Revelatione*: Denz. 1788 (3007).

(10) S. Ioannes Chrysostomus, *In Gen.* 3, 8: *PG* 53, 135: « Attemperatio » graece dicitur *synkatábasis.*

[24]

RELATIO GENERALIS

Examen animadversionum Patrum pro Capite III *De divina Revelatione,* sive missae fuerint ad Secretariatum, sive in Aula prolatae diebus 2 ad 6 oct. 1964, factum est a Subcommissione diebus 21 et 22 oct., praeside Exc. Charue, adstantibus Exc. van Dodewaard, cum pluribus Peritis et P. Grillmeier, Relatore pro capite III, P. Kerrigan pro capite IV, P. Rigaux pro capite V et P. Semmelroth pro capite VI.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE TITULO ET DE N. 11

(A) E/3157 quaerit, num verbum « divinum » in Titulo Cap. III etiam referatur ad verbum « interpretationem ». Quod utique negandum. Ad tollendam quamcumque ambiguitatem nova forma Tituli proponitur: De S. Scripturae divina inspiratione et *de eius* interpretatione.

(B) Novus Titulus n. 11 propositus est ab E/3463 et E/3380, ut effectus inspirationis exprimatur *positive,* scilicet dicitur de *veritate* S. Scripturae, ut postulant etiam E/3202 et E/3215, E/3356 proponit formam: « De facto inspirationis et de eius effectibus ».

(C) In linn. 7-8 textus prioris insertum est *2 Pt.* 1, 19-20, sec. E/3217. Non tamen inseruntur *Lc.* 1, 3 et *1 Pt.* 1, 12, ut E/3162 et E/3217 innuebant.

(D) Deletum est « omnibus » sec. E/3134, quia de facto de singulis hagiographis edici non potest, illos « omnibus » facultatibus suis usos esse. E/3222 loco « omnibus » proponit « humanis », quod videtur superfluum. E/3221 scribere vult loco « utentes »: « praeditos », quod omissione supra dicta admissa superfluum est. Neque admissa est propositio ut dicatur: « facultatibus *limitatis* ».

(E) Sec. E/3221 clarius apparere debet, hagiographos ipsos veros auctores esse. Ideo nova verba inseruntur: « *ut veri auctores* ».

(F) Sat multi Patres (E/3202, E/3463, E/3489, etiam nomine aliorum Episcoporum loquentes) optant, ut effectus inspirationis *a*) positive exprimatur et *b*) obiectum inerrantiae clare circumscribatur. Ad *a*): Commissio censuit et positivam et negativam formulam ponendam esse. Omittitur tamen illud « ullo », lin. 20, cum E/3463 et E/3380. Ad *b*): Aliqui Patres proponunt, ut dicatur « veritatem seu revelationem » seu simpliciter « revelationem » provocantes ad Vaticanum I: « revelationem

sine errore continet » (DENZ. 1787; EB 77). Parallelismum esse inter obiectum infallibilitatis Magisterii et inerrantiae S. Scripturae efferunt E/3218, E/3293. Ideo exprimere volunt inerrantiam S. Scripturae habere ut obiectum « revelationem ». Similiter E/3463, E/3380, E/3667. Commissioni visum est adhibendum esse appositum: « *salutarem* » ad « veritatem », quo verbo cointelliguntur *facta* quae in Scriptura cum historia salutis iunguntur. [25]

(G) « Docere » (lin. 20) sec. Relationem ad n. 1 textus recepti (sub H) substituendum erat per « exhibere », quod in textu omissum est. Sec. E/3380, E/3463, E/3293, E/3498, « docere » maneat. Alii volunt « exhibere » vel « continere » (sec. formulam Vat. I) (E/3667). Retinetur « docere ».

(H) Additur ad n. 11 sententia finalis, ex *2 Tim.* 3, 16-17, complens doctrinam de inspiratione. Propositae erant diversae formulae (E/3356, E/3380), ex quibus E/3380 praefertur.

RELATIO DE N. 12

(A) Loco « quamnam veritatem » dicitur « quid » secundum E/3667.

(B) Secundum E/3222 in lin. 28 textus prioris post « et » repetendum esset « quid », ita ut clarius appareat, S. Synodum abstinere a solvenda quaestione de « sensu pleniore S. Scripturae », sicuti in relatione ad n. 12 textus prioris sub littera D monetur. Commissioni visum est non repetendum esse illud « quid »; iterum tamen inculcandum esse quaestionem de sensu pleniore non dirimi.

(C) Aliter *aliterque* ponitur sec. E/3222. Ita satisfit quoque E/2689.

(D) Claritatis causa repetitur « in », sec. E/3222.

(E) Insertio sec. E/2689: « *ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum* ».

(F) Loco « significare » ponendum esse « *asserere* » postulat E/2515.

(G) E/3211 postulat ut omittatur « cogitandi ». Ponitur « *sentiendi* ».

(H) Apponitur « in » sec. E/2515, provocantem ad EB 560.

(I) Diversi Patres postulant ut linn. 14-20 in n. 12, pag. 28 omittantur. Ita E/2317, E/3463, E/3667, subscriptae a sat multis Patribus, quorum propositum admittitur.

(F) Loco « significationem » ponitur « *sensum* » sec. E/3294.

(K) « *Et unitatem* » inseritur secundum E/3667, qui tamen putat omittendum esse « contentum ». Ponitur utrumque, quia « unitas utriusque Testamenti » habet momentum theologicum proprium, sicuti etiam « contentum ».

(L) E/3201 et E/3256 postulaverunt ut clarior redderetur textus prior.

[26] RELATIO DE N. 13

(A) Diversi Patres postulant 1) meliorem nexum ad praecedentia (vel omnino alium locum pro toto hoc numero 13, id quod tamen accipi non potuit) (cf. E/3356). 2) Omittenda esse verba « salva semper Dei veritate et sanctitate » (E/3332, E/3666 et E/3667), vel transponenda esse in finem numeri 13: E/3236. 3) Clarius exponatur idea « *condescensionis* », adducta citatione alicuius fontis: E/3236. 4) Clarior appareat constans norma actionis divinae cum hominibus, quae verificatur in S. Scriptura, in Ecclesia, in Incarnatione, ubi divinum cum humanis coniungitur: E/3356. Principalioribus tantum propositionibus satisfieri potuit, ne textus receptus nimis immutandus esset. Additur itaque citatio *S. Ioannis Chrysostomi.*

Elenchus animadversionum, quae accipi non potuerunt:

Ad n. 11

E/3356: *Illa* divinitus revelata loco: Divinitus revelata ...

E/3201: postulans ut addatur linn. 5-10 ad « ex apostolica fide »: « integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii Decreto recensentur ». At quaestio de *canone* in sensu Tridentini soluta supponitur, et nunc in Cap. II breviter tangitur (n. 8).

E/3221: introducendum esse *conceptum* « instrumentalitatis ». Resp.: cum sit terminus technicus in textu conciliari omittitur. *Res* vero exponitur.

E/3292: lin. 12 addatur post « homines » « singillatim vel collective », ut status hodiernus de origine librorum sacrorum exhibeatur (pluralitas auctorum). Noster textus rem apertam sinit.

Emendationes propositae post laborem S/C II absolutum:

Ad n. 11:

E/3667: pag. 27, linn. 2-5: Dicatur: « Deus sese omnibus revelare voluit per verbum suum, quod afflante Spiritu Sancto prolatum et conscriptum fuit, et in Sacra Scriptura continetur et prostat ».

linn. 11-12: « Ideo Sacra Scriptura revelationem sine errore continet ».

E/3666: pag. 27, linn. 16-21: « Cum ergo omne id quod auctor inspiratus sive hagiographus dicit retineri debeat dictum a Spiritu Sancto eo modo quo ab hagiographo dictum est, inde libri Sacrae Scripturae veritatem exhibere dicendi sunt in omnibus suis partibus, diversimode tamen pro qualitate affirmationis hagiographi ». Quae additiones admissae non sunt.

Ad n. 12: [27]

E/3667: pag. 28, lin. 4: Addatur: « Deus enim multifarie multisque modis locutus est ».

lin. 8: loco « veritas enim seu id quod » dicatur: « id quod ».

E/3666: pag. 28, linn. 5-9: deleri potest, cum de facto nonnisi repetat quae in paragr. praecedenti dicuntur.

E/3667: pag. 28, lin. 12: loco « cogitandi, dicendi, narrandive modos » dicatur: « cogitandi, dicendi, *scribendi,* narrandive modos *et artes* » (ut accuratius exprimantur artes scribendi et dicendi illorum auctorum).

Hae mutationes non visae sunt utiles.

CAPUT IV
DE VETERE TESTAMENTO

Textus prior

14. [*Historia salutis in libris Veteris Testamenti consignata*]. Amantissimus Deus humani generis salutem sollicite intendens, singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones concreditae sunt. Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) et cum plebe Israel per Moysen (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita Se tamquam unicum Deum verum et vivum verbis ac gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et clarius in dies intelligere posset atque latius in gentes exhiberet (cf. *Ps.* 21, 28 s.; 95, 1 ss., 7 ss.; *Ier.* 3, 17; *Tob.* 13, 4). Quae oeconomia salutis ab auctoribus sacris praenuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti exstat; hi libri igitur divino afflante Spiritu conscripti vim atque auctoritatem suam perenniter servant: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. [*De momento Veteris Testamenti pro Christifidelibus*]. Vetus autem Foedus ad hoc praesertim dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris Eiusque regni adventum praepararet, prophetice nuntiaret (cf. *Lc.* 24, 44; *Io.* 5, 39; *1 Pt.* 1, 10) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, pro conditione humani generis ante tempora instauratae a Christo salutis, Dei et hominis cognitionem ac modos quibus Deus iustus et misericors cum homini-

Textus emendatus

14. [*Historia salutis in libris Veteris Testamenti consignata*]. Amantissimus Deus *totius* (A) humani generis salutem sollicite intendens, singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones *concrederet* (B). Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) et cum plebe Israel per Moysen (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita Se tanquam unicum Deum verum et vivum verbis ac gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et clarius in dies intelligere posset atque latius in gentes exhiberet (cf. *Ps.* 21, 28-29; *95, 1-3*; *Is. 2, 1-5*; *Ier.* 3, 17) (C). Oeconomia *autem* (D) salutis ab auctoribus sacris praenuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti exstat; *quapropter* hi libri *divinitus inspirati* (E) vim atque auctoritatem suam perenniter servant: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. [*De momento Veteris Testamenti pro Christifidelibus*]. *Veteris Testamenti oeconomia* (F) ad hoc *potissimum* (G) disposita erat, ut Christi universorum redemptoris Eiusque regni adventum praepararet, prophetice nuntiaret (cf. *Lc.* 24, 44; *Io.* 5, 39; *1 Pt.* 1, 10) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Veteris *autem* (H) Testamenti libri, pro conditione humani generis ante tempora instauratae a Christo salutis, Dei et hominis cognitionem ac modos quibus Deus iustus et misericors cum ho-

Textus prior

bus agit, omnibus manifestant. Qui libri, etiamsi plura imperfecta et provisoria contineant, momentum verae paedagogiae divinae etiam pro Christifidelibus servant (1). Unde attente a Christi discipulis legendi sunt, speciatim quia vividum sensum Dei sanctissimi ac clementissimi luculenter exprimunt.

16. [*De unitate utriusque Testamenti*]. Deus igitur librorum utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret (2). Nam, etsi Vetus Foedus morte Christi Novo cessit (*Rom.* 7, 4; *Col.* 2, 14), libri tamen Veteris Testamenti integri, utpote pars unius revelationis in praeconio evangelico assumpti (3), in Novo significationem suam completam acquirunt (cf. *Mt.* 5, 17 ss.; *Rom.* 8, 2, 3) (E) et ostendunt.

Textus emendatus

minibus agit, omnibus manifestant. Qui libri, etiamsi *quaedam* imperfecta et *temporaria* (I) contineant, *tamen veram paedagogiam divinam demonstrant* (1) (J). Unde *devote accipiendi sunt* (K) *quia vivum sensum Dei exprimunt et quia sublimes de Deo doctrinae ac salutaris de vita hominis sapientia mirabilesque precum thesauri in ipsis reconduntur* (L).

16. [*De unitate utriusque Testamenti*]. Deus igitur librorum utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret (2). Nam, etsi *Christus in sanguine suo Novum Foedus condiderit* (*cf. Lc. 22, 20; 1 Cor. 11, 25*) (M), libri tamen Veteris Testamenti integri in praeconio evangelico assumpti (3) (N) in Novo significationem suam completam acquirunt et ostendunt (*2 Cor.* 3, 14) (O), *illudque vicissim illustrant* (P).

NOTAE

Caput IV - *De Vetere Testamento*

A. n. 15.

(1) Pius XI, Litt. Encycl. *Mit Brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 151.

Ad n. 16.

(2) S. Augustinus, *Quaest. in Hept.* 2, 73: *PL* 34, 623.

(3) S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 21, 3: *PG* 7, 950; (= 25, 1: Harvey 2, p. 115). S. Cyrillus Hieros., *Catech.* 4, 35: *PG* 33, 497. Theodorus Mops., *In Soph.* 1, 4-6: *PG* 66, 452A-453A.

[30] RELATIO DE NOVIS EMENDATIONIBUS IN CAP. IV

Emendationes nuper introductae maioris textus claritati atque expressioni doctrinarum accuratiori intendunt. Quaedam animadversiones a Patribus factae (E/2515; E/2640; E/3220; E/3245; E/3292; E/3293; E/3556) non fundatae videntur; de nonnullis emendationibus Subcommissioni visum est iam provisum esse sive in textu huius capitis (E/3186; E/3220) sive alibi in hac Constitutione (E/3246; E/3667).

Unus vero Pater animadvertit quod textus claritate caret, quoniam in num. 14-16 iterum transitus fit a Vetere Testamento (quatenus libros S. Scripturae designat) ad Vetus Testamentum (quatenus Foedus significat) et viceversa (E/3216). Cui Patri respondendum videtur quod hic transitus sine negotio fit et apud omnes est usitatus quin ulla obscuritas exinde oriatur; in *Decreto pro Iacobitis* Foedera eorumque libri saltem iuxtaponuntur (EB 47); Foedera e respectivis libris innotescunt, imo Foedera libros sponte evocant et viceversa. Distinctio inter Foedera et libros facile fit et haec distinctio sat clare in textu apparet.

Commissioni Plenariae autem non placuit postulatum cuiusdam Patris qui vult ut in num. 14 mentio expressa fiat de *Lege* et de *Decalogo* (E/3220).

Quod spectat particulares emendationes admissas, dicendum est:

(A) Ob insertam vocem *totius* fortius effertur quod dispensatio Veteris Testamenti saluti *omnium gentium inservit* (E/2640).

(B) Ponitur *concrederet* ad premendum quod Deus sua sponte est auctor promissionum (E/2515; E/3294).

(C) Inseritur *Is.* 2, 1-5 (E/3162); aufertur *Tob.* 13, 4 ne textus nimis multiplicentur; ceteri textus magis accurate citantur.

(D) Ob omissam expressionem *Quae* et ob verbum *autem* adiunctum, enuntiatio textus clarior fit (E/3256); ceteroquin animadvertendum est quod populus oeconomiam omnino experiri potuit pro rata portione iam revelata vel in effectum iam deducta.

(E) Ne eaedem expressiones iterum iterumque repetantur (E/3294) hic ponitur « *libri divinitus inspirati* ». Insuper inseritur vox *quapropter* et expressio *igitur* deletur ut vis perennis librorum ex eorum inspiratione clarius derivetur; nec obstat quod infra dicetur libros imperfecta continere (E/3256), quia imperfectiones cum inspiratione ob divinam condescensionem semper sunt compatibiles; insuper imperfectio e materia tractata nonnumquam desumitur.

(F) Claritatis causa loco *vetus Foedus* scribitur *Veteris Testamenti oeconomia;* insuper tollitur expressio *autem,* quae tamen infra (H) inseritur.

(G) Loco *praesertim* ponitur *potissimum* (E/3256) ad premendum finem christologicum Veteris Foederis. [31]

(H) Vox *praeterea* aufertur; inseritur vox *autem,* quia vera illatio heic non habetur.

(I) Ut textus vim universalem heic habeat (E/2640), voces « *etiam pro Christifidelibus* » auferuntur. Expressio *plura* quoque tollitur ut quaedam satisfactio duobus Patribus praebeatur (E/3157; E/3220). Expressio « quaedam » ab ipsa Commissione inserta est.

(J) Haec nova emendatio sufficienter inculcat quod Deus hodie etiam libris uti vult ut instrumentis quibus homines instruit (E/3216); Subcommissio expressionem *paedagogiam,* longo usu consecratam, servare voluit.

(K) Loco *legendi sunt* ponitur *devote adhibendi sunt,* quia de lectione librorum potius in cap. 6 sermo fit.

(L) Nova emendatio satisfacit votis plurium Patrum (E/3178; E/3216; E/3220; E/3236; E/3293; E/3667) qui postulant ut textus de Vetere Testamento generosius loquatur, memorato etiam « sensu Dei » et sermone facto de precibus.

(M) Ita scribendum est loco *Vetus Foedus morte Christi Novo cessit,* quia textus citati (*Rom.* 7, 4; *Col.* 2, 14) Subcommissioni non videntur doctrinam enuntiatam reapse probare. Ideo res modo mere positivo expressa est.

(N) Ad enuntiationem clariorem reddendam (E/3216) voces *utpote pars unius revelationis* omittuntur.

(O) Auferuntur *Mt.* 5, 17 et *Rom.* 8, 2, 3 quia doctrinam hanc non demonstrant; additur autem *2 Cor.* 3, 14 (E/3489).

(P) Additamentum a pluribus postulatum (E/3463; E/3489; E/3667), de momento librorum Veteris Testamenti pro intelligendis Scripturis Novi Testamenti.

CAPUT V
DE NOVO TESTAMENTO

Textus prior

17. [*Novi Testamenti excellentia*]. Verbum Dei quod in Evangelio operatur in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16) praecellenti modo per scripta Novi Testamenti inspirata efficax adest. Ubi enim venit plenitudo temporis (cf. *Gal.* 4, 4), Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. *Io.* 1, 14). Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et verbis Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione missioneque Spiritus Sancti opus suum complevit. Exaltatus a terra omnia ad Seipsum traxit (cf. *Io.* 12, 32), utpote solus verba vitae aeternae habens (cf. *Io.* 6, 68). Quod autem aliis generationibus non est patefactum, revelatum est sanctis Apostolis eius et Prophetis in Spiritu (cf. *Eph.* 3, 4-6, gr.), ut ipsi Evangelium praedicarent, fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et Ecclesiam congregarent. Quarum omnium rerum scripta Novi Testamenti exstant testimonium perenne atque divinum.

18. [*Evangeliorum origo apostolica*]. Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia semper et ubique tenuit ac tenet. Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverunt, postea divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei fundamentum, quadriforme nempe

Textus emendatus

17. [*Novi Testamenti excellentia*]. Verbum Dei, quod *virtus Dei est* in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16), in scriptis Novi Testamenti praecellenti modo *praesentatur et vim suam exhibet* (A). Ubi enim venit plenitudo temporis (cf. *Gal.* 4, 4), Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. *Io.* 1, 14). Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et signis *Patrem suum* (B) ac Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione missioneque Spiritus Sancti opus suum complevit. Exaltatus a terra *omnes* ad Seipsum *trahit* (cf. Io. 12, 32, gr.) (C), utpote solus verba vitae aeternae habens (cf. *Io.* 6, 68). Quod autem aliis generationibus non est patefactum, revelatum est sanctis Apostolis (D) et Prophetis in Spiritu (cf. *Eph.* 3, 4-6, gr.) ut ipsi Evangelium praedicarent, fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et Ecclesiam congregarent. Quarum (E) rerum scripta Novi Testamenti exstant testimonium perenne atque divinum.

18. [*Evangeliorum origo apostolica*]. Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia semper et ubique tenuit ac tenet. Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverunt, postea divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei fundamentum, quadriforme nempe

[33]

Textus prior

Evangelium, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem.

19. [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). Apostoli quidem post mortem Domini ea quae Ipse dixerat et fecerat auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis (1) edocti fruebantur (2). Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis seligendo, quaedam in synthesim redigendo, quaedam ad statum ecclesiarum suarum attendendo, formam praeconii retinendo, ita semper ut non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia (3), sed vera et sincera de Iesu nobis communicarent. Illa enim intentione scripserunt, sive ex sua propria memoria et recordatione, sive ex testimonio illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus « veritatem » (cf. *Lc.* 1, 2-4).

20. [*De ceteris scriptis Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti canon praeter quattuor Evangelia etiam alia scripta apostolica Spiritu Sancto inspirante exarata continet, quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus divini operis Christi praedicatur, Ecclesiae institutio ac admirabilis diffusio narratur eiusque consummatio gloriosa revelatur.

Textus emendatus

Evangelium, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem.

19. [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). Apostoli quidem post mortem Domini (A) quae Ipse dixerat et fecerat auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis (1) edocti fruebantur (2). Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis aut ore aut iam scripto traditis seligen*tes*, quaedam in synthesim redige*ntes*, vel sta*tui* (B) ecclesiarum attendendo *explanantes* (C), formam denique praeconii retine*ntes*, ita semper ut (D) vera et sincera de Iesu nobis communicarent (3). Illa enim intentione scripserunt, sive ex sua propria memoria et recordatione, sive ex testimonio illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus « veritatem » (cf. *Lc.* 1, 2-4).

20. [*De ceteris scriptis Novi Testamenti*]. Novi Testamenti canon praeter quattuor Evangelia etiam *epistulas sancti Pauli* (A) aliaque scripta apostolica Spiritu Sancto inspirante continet, quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus divini operis Christi praedicatur, Ecclesiae *initia* (B) ac admirabilis diffusio narrantur eiusque consummatio gloriosa revelatur.

Textus prior

Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit (cf. *Mt.* 28, 20), et iis Paraclitum Spiritum misit, qui eos in « omnem veritatem » in aevum servandam induceret (cf. *Io.* 16, 13, graece) ad aeternam humani generis salutem.

Textus emendatus

Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit (cf. *Mt.* 28, 20) et iis Paraclitum Spiritum misit, qui eos in plenitudinem veritatis induceret (cf. *Io.* 16, 13) (C).

NOTAE

Caput V - *De Novo Testamento*

Ad n. 19.

(1) Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13.

(2) *Io.* 2, 22; 12, 16; 11, 51-52; cf. 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.

(3) Cf. Instructio *Sancta Mater Ecclesia* a Pontificio Consilio Studiis Bibliorum provehendis edita: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 715.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [35]

Generatim caput V huius schematis placet et etiam valde placet Patribus (E/2598, 3186, 3227, 3236, 3292, 3356). Subcommissioni paucae mutationes vel emendationes ut necessariae vel utiles visae sunt.

RELATIO DE N. 17

(A) Desiderantur ab E/3216 textus magis perspicuus et citatio fidelior ad *Rom.* 1, 16. Propterea textum paulinum accuratius sequimur, et efficaciam scriptorum Novi Testamenti simplicioribus verbis explicamus.

(B) Additio verborum « *Patrem suum* » ab E/3489 proposita placet, quia Christus Patrem et Seipsum manifestavit. Si tantum « Seipsum » diceretur, oppositio suspicari posset inter Vetus Testamentum, quod revelatio Dei esset, et Novum Testamentum, quod revelatio Christi esset.

(C) *Trahit* scribitur vice *traxit* (E/3293, 2640), quia attractio Christi semper durat.

(D) Omittitur *suis,* ut aperta remaneat quaestio de sensu stricto vel lato pro verbo « Apostolis » in *Eph.* 3, 4-6.

(E) Omittitur *omnium,* quia omnia non sunt in N. T. relata (E/3293).

RELATIO DE N. 18

Non adsunt in tribus animadversionibus propositiones quae aliquid positivum nostro textui afferre visae sunt (E/3245, 3256, 3293).

RELATIO DE N. 19

(A) Deletur *ea* et *qua,* ut vitentur duo *ea* in sensu diverso adhibita.

(B) Stylus sermonis huius phraseos inelegans visus est (E/3116, 3489, 3667), et ideo quattuor gerundia vitantur; insuper « attendendo » cum dativo construitur.

(C) Vox *explanantes,* quae e casu lapsa est, rursus introducitur (E/2689, 3228, 3275, 3489), secundum textum Commissionis Biblicae.

(D) Primum voces « *historia* » et « *historice* » (E/2515, 3225, 3267, 3043) vitantur ob ambiguitatem horum verborum apud modernos. Secundo, phrasis « ut non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia » visa est non retinenda, quia verba haec nimium hono-

[36] rem tribuunt opinioni alicui in decursu obsoletae. In specie, expressio « non ficta » deleta est, quia ambiguitatem retinet, quae a pluribus Patribus notata et reprobata est (E/3228, 3292, 3043, 3489) et ceteroquin parum addit formulae positivae: « vera et sincera de Iesu nobis communicarent ».

RELATIO DE N. 20

(A) Additio *epistulas sancti Pauli* admissa est ut satisfiat voto E/3228, 3226.

(B) *Initia* dicitur loco *institutio,* quia Ecclesiae « institutio » non tantum in scriptis apostolicis sed iam in Evangeliis narratur (E/3489).

(C) Propter difficultatem textus *Io.* 16, 13, et ut simplicior et solemnior fiat sermo, textus ad formulam magis concisam reducitur.

CAPUT VI [3

DE SACRA SCRIPTURA IN VITA ECCLESIAE (A)

Textus prior

21. [*Ecclesia Sacras Scripturas veneratur*]. « Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum » (1). Praedicationis ergo evangelicae testimonium eximium sunt Scripturae Sacrae. Eas velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum non desinat ex mensa tam verbi Dei quam corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum Traditione semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum non tantum a Deo inspiratae sint, ita ut verbum ipsius Dei impertiant, sed insuper illam immutabilitatis indolem, quae regulae competit, prae se ferant, et in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Scripturam semper respicere debent tamquam ad normam et auctoritatem, quibus reguntur et iudicantur. In sacris libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet. « Vivus enim est sermo Dei et efficax » (*Hebr.* 4, 12), « qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus » (*Act.* 20, 32; cf. 1 *Thess.* 2, 13).

Textus emendatus

21. [*Ecclesia Sacras Scripturas veneratur*]. *Divinas Scripturas* (B) velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum non desinat ex mensa tam verbi Dei quam corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere (C). Eas una cum Traditione semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum non tantum a Deo inspiratae sint, ita ut verbum ipsius Dei impertiant, *sed* insuper immutabilitatis indolem prae se ferant, atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare *faciant* (D). Omnis ergo praedicatio ecclesiastica *sicut* ipsa religio christiana *Sacra Scriptura nutriatur oportet* (E). In sacris *enim* libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstent. « Vivus enim est sermo Dei et efficax » (*Hebr.* 4, 12), « qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus » (*Act.* 20, 32; cf. *1 Thess.* 2, 13) (F).

Textus prior

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Christifidelibus aditus ad Sacram Scripturam late pateat oportet. Qua de causa iam ab ori-

Textus emendatus

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Christifidelibus aditus ad Sacram Scripturam late pateat oportet. Qua de causa iam ab ori- [3

Textus prior

gine sua Ecclesia graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX viris nuncupatam suscepit, quam sicuti alias versiones orientales et versionem latinam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia sua auctoritate mandat et materna sollicitudine satagit, ut accuratae exarentur in varias linguas versiones, in liturgia atque catechesi necnon in pia lectione adhibendae, ex primigeniis scilicet sacrorum librorum textibus. Quae si conficerentur communi etiam cum fratribus separatis nisu, ab omnibus christianis adhiberi possent.

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*]. Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Sancto Dei et Christi Spiritu edocta, ad profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam procedit, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut Patrum vestigia sequentes, sub ductu Magisterii, altius Divinas Litteras investigent, et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum pabulum plebi Dei fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat (2). Sacra Synodus biblicarum rerum cultores quotquot devoti sunt Ecclesiae filii, eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, animum addit ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio exsequi pergant (3).

24. [*De momento Sacrae Scripturae pro Theologia*]. Sacra Theologia in verbo Dei revelato scripto et tradito tamquam in suo primario et perenni fundamento innititur, quo verbo firmissime roboratur semperque iuvenescit, om-

Textus emendatus

gine sua Ecclesia graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX viris nuncupatam *ut suam* (G) suscepit; alias *vero* versiones orientales et versionem latinam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia materna sollicitudine *curat,* ut aptae ac rectae exarentur in varias linguas versiones, *etiam* ex primigeniis sacrorum librorum textibus (H). Quae si, annuente auctoritate Ecclesiae, *ex opportunitate* confi*cia*ntur communi etiam cum fratribus seiunctis nisu, ab omnibus christianis adhiberi *poterunt* (J).

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*]. Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, *a Sancto Spiritu* (K) edocta, ad profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam procedit, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut Patrum vestigia sequentes, sub *vigilantia* (L) Magisterii, *aptis subsidiis* (L) divinas Litteras investigent et quam plurimi divini Verbi administri plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat (1). Sacra Synodus *Ecclesiae filiis* biblicarum rerum culto*ribus* (M) animum addit, ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio exsequi pergant (2).

24. [*De momento Sacrae Scripturae pro Theologia*]. Sacra Theologia in verbo Dei scripto, *sub luce traditionis explicando,* tamquam in perenni fundamento innititur (N), quo verbo ipsa firmissime roboratur semperque iuvenescit,

Textus prior

nem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando. Sacrae autem Scripturae verbum Dei continent et vere verbum Dei sunt; ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae. Eodem autem verbo Scripturae etiam ministerium verbi, pastoralis nempe praedicatio, catechesis omnisque instructio christiana, in qua homilia liturgica eximium locum habeat oportet, salubriter nutritur sancteque virescit, et fides credentium in eo veritatem Dei revelantis agnoscit.

25. [*Lectio Sacrae Scripturae commendatur*]. Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant, assidua lectione atque exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat « verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (4), dum verbi divini amplissimas divitias, speciatim in cultu liturgico, cum fidelibus sibi commissis communicare debet. Pariter Sancta Synodus christifideles omnes, praesertim sodales religiosos, vehementer peculiariterque exhortatur, ne « ob ignorationem Scripturarum ignoratione Christi » laborent (5), sed ut potius frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) ediscant. Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae approbante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur.

Textus emendatus

omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando. Sacrae autem Scripturae verbum Dei continent et, *quia inspiratae,* vere verbum Dei sunt; ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae. Eodem autem verbo Scripturae (O) etiam ministerium verbi, pastoralis nempe praedicatio, catechesis omnisque instructio christiana, in qua homilia liturgica eximium locum habeat oportet, salubriter nutritur sancteque virescit (P).

25. [*Lectio Sacrae Scripturae commendatur*]. Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant, assidua lectione *sacra* (Q) atque exquisito studio in Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat « verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (3), dum verbi divini amplissimas divitias, speciatim in *sacra liturgia* (R), cum fidelibus sibi commissis communicare debet. Pariter Sancta Synodus christifideles omnes (S), praesertim sodales religiosos, vehementer peculiariterque exhortatur, ut frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) ediscant. « *Ignoratio enim Scripturarum ignoratio Christi est* » (4) (T). Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae *com*probante (U) et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur. *Meminerint autem orationem concomitari debere Sacrae Scripturae lectionem, ut fiat colloquium inter Deum et hominem; nam « illum alloquimur, cum oramus, illum audimus, cum divina legimus oracula »* (5) (V).

Textus prior

Sacris autem antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina » (6), fideles sibi commissos ad rectum divinorum Librorum usum, praesertim Novi Testamenti et imprimis Evangeliorum, opportune instituere competit per sacrorum textuum versiones, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sacris conversentur earumque spiritu imbuantur.

Insuper editiones Sacrae Scripturae, debitis instructae adnotationibus, ad usum etiam non-christianorum eorumdemque conditionibus accommodatae, conficiantur, quas quoquomodo sive animarum Pastores sive christiani cuiuscumque status spargere sapienter curent.

26. [*Epilogus*]. Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum « sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1), thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque corda hominum impleat. Sicut ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum » (*Is.* 40, 8; cf. *1 Pt.* 1, 23-25), novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

Textus emendatus

Sacris autem Antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina » (6), fideles sibi commissos ad rectum divinorum librorum usum, praesertim Novi Testamenti et imprimis Evangeliorum, opportune instituere competit per sacrorum textuum versiones, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sacris conversentur earumque spiritu imbuantur (W).

Insuper editiones Sacrae Scripturae, *aptis* (X) instructae adnotationibus, ad usum etiam non-christianorum eorundemque conditionibus accommodatae, conficiantur, quas quoquomodo sive animarum Pastores sive christiani cuiuscumque status spargere sapienter curent.

26. [*Epilogus*]. Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum « sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1), thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque corda hominum impleat. Sicut *ex assidua frequentatione mysterii Eucharistici* (R) Ecclesiae vita incrementum suscipit, *ita novum spiritualis vitae impulsum sperare licet ex adaucta veneratione* (R) *verbi Dei, quod « manet in aeternum »* (*Is.* 40, 8; cf. *1 Pt.* 1, 23-25) (YZ).

NOTAE

Caput VI - *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*

Ad n. 23.

(1) PONT. COMM. BIBLICA, *Instructio de S. Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 495-505.

(2) Cf. PIUS XII, *EB* 569.

Ad n. 25.

(3) S. AUGUSTINUS, *Serm.* 179, 1: *PL* 38, 966.

(4) S. HIERONYMUS, *Comm. in Is.*, Prol.: *PL* 24, 17.

(5) S. AMBROSIUS, *De officiis ministrorum* I, 20, 88: *PL* 16, 50.

(6) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* IV, 32, 1: *PG* 7, 1071; (= 49, 2) HARVEY, 2, p. 255.

RELATIO AD CAP. VI [41]

(A) Emendationes quaedam generales:

1. Desideratur, ut non tantum de S. Scriptura in hoc capite sermo fiat, sed *de Verbo Dei in genere* et praesertim de Traditione (E/2515; E/3295). Propterea exoptatur, ut mutetur titulus totius capitis: « De Verbo Dei in vita Ecclesiae », et titulus n. 21: « Ecclesia verbum Dei revelatum veneratur » (E/3251).

Resp. Hoc caput consulto de S. Scriptura eiusque functione in vita Ecclesiae sermonem facit; quod magni esse videtur momenti. De traditione habetur specialis numerus, 8 in capite 2, et insuper in hoc capite S. Scriptura nunquam sine traditione, in cuius luce interpretanda est, inducitur.

2. Optatur *alia structura* capitis magis logica (E/3253; E/3259).

Resp. Utique perfectior structura inveniri posset. Tamen in hoc capite indolis magis pastoralis Logica non est unica norma. Videbatur structura capitis non essentialiter mutanda.

Ad num. 21.

(B) *Textus S. Irenaei* in initio capitis uni Patri non videtur bene electus (E/3259); intra hunc textum aliquae mutationes desiderabantur (E/3293; E/3256). Quoad *phrasim sequentem* unus Pater timet, ne impressio oriatur, ac si Vetus quoque Testamentum praedicationem apostolicam testificaret (E/3256).

Resp. Videbatur bonum esse citationem S. Irenaei omittere, immo etiam phrasim sequentem, et simpliciter incipere verbis: Divinas Scripturas ...

(C) Aliquibus Patribus non placet comparatio inter Verbum divinum et s. Eucharistiam (E/3256; E/2670; E/3251; E/2667).

Resp. Haec comparatio, in ipsa S. Scriptura (*Io.* 6) fundata, in Traditione quoque consueta est. Cf. etiam « Imitatio Christi ».

(D) Verba de « immutabilitatis indole, *quae regulae competit* », non placent (E/3253; E/3256).

Resp. Immutabilitatis indoles maneat, additio autem « quae regulae competit » deleatur.

(E) Aliqui Patres desiderant, ut minus absolute de S. Scriptura tanquam regula omnis praedicationis dicatur (E/3250; E/3256; E/3293; E/2667).

Resp. Textus mutandus videbatur hoc sensu, quod S. Scriptura omnem praedicationem christianam *nutriat*.

[42] (F) Desideratur, ut addantur pauca verba *de fide,* quacum lectio S. Scripturae recipi debet (E/3170; E/3257).

Resp. Quia in hoc capite non agitur de modo, quo homines recipiant verbum Dei, sed magis de ipso Verbo Dei *scripto,* et quia de fide in capite 1, n. 5 sermo est, non videbatur obsequendum esse huic desiderio.

Ad num. 22.

(G) Unus Pater quaerit, utrum necesse sit, de *LXX* explicite loqui (E/3256).

Resp. Ab exegetis subcommissionis valde premebatur haec necessitas. Etiam propter Orientales de LXX loqui bonum videtur.

(H) Subcommissioni necessarium visum est, textum aliquomodo mutare, ne impressio oriatur Ecclesiae auctoritatem *pro usu liturgico* ubique versiones in lingua vernacula imponere.

(J) Quae de versionibus *una cum non-catholicis* faciendis dicuntur, aliquibus non placent (E/2631; E/3258; E/2625; E/3818); 6 Patribus e contra in forma nimis irreali videntur exprimi (E/3382).

Resp. Textus retinendus videbatur; nostris diebus ex parte Societatum biblicarum non-catholicarum petitio non raro fit, ut una cum Ecclesia Catholica versiones fiant, et paratae sunt admittere ut, in exemplaribus pro catholicis edendis explicationes et « imprimatur » addantur. Textus ita mutatus est, ut minus irrealis appareat.

Ad num. 23.

(K) Textus « a Sancto *Dei et Christi* Spiritu » secundum desiderium trium Patrum (E/3245) mutatus est in locutionem simpliciorem.

(L) Multi Patres volebant, ut mutaretur « sub ductu » in « *sub vigilantia* Magisterii » et ut addantur verba de « *aptis subsidiis* » scientiae (E/3223).

(M) *Laus exegetarum* ita exprimitur, ut nullum odium erga exegetas non-catholicos prae se ferre videatur (E/3463); praeterea « animum addere » cum dativo coniungi debuit (E/3256; E/2515).

Ad num. 24.

(N) Quae *de verbo Dei scripto* et *de traditione* dicuntur, quibusdam Patribus non videbantur sufficienter praecisa dicta (E/3245; E/3162; E/3229; E/3223).

Resp. Electa est propositio, quae videtur desideriis correspondere, quin praeiudicentur quaestiones disputatae.

(O) *Repetitio* vocabuli « *verbum* », cui E/3162 opponitur, est intentionalis, ut scilicet appareat continuitas. [42]

(P) Ultima phrasis videbatur non satis clara et sine damno *deleri* potuit (E/3256). [43]

Ad num. 25.

(Q) Desiderabatur, ut *necessitas meditationis extolleretur* (E/3295); E/3118).

Resp. Responsum datur eo, quod additur lectioni attributum « *sacra* ». Sacra Lectio secundum traditionem Patrum est meditatio S. Scripturae. Cf. etiam, quae sub (V) dicuntur.

(R) Vitetur hic et alibi (pag. 40, linn. 22-25) verbum « *cultus* », sicut etiam in constitutione liturgica evitatur (E/3231).

Resp. De fundamento huius desiderii utique disputari potest. Tamen sine difficultate textus mutari potuit.

(S) Uni patri videtur *commendatio tam universalis* lectionis S. Scripturae periculosa (E/3252).

Resp. Textus praebet cautelas, scilicet loquitur de necessitate annotationum et de vigilantia ecclesiasticae auctoritatis.

(T) Pluribus Patribus non placuit, quod *quoad religiosos* dicitur, curandum esse ne ignorantia Scripturae laborent (E/3216; E/3118; E/3293; E/3294).

Resp. Textus de ignoratione Scripturae, quae est ignoratio Christi, ita transpositus est, ut non tantum de religiosis valeat.

(U) Non placuit sat multis, quod *Ecclesia* et *auctoritas hierarchica* identificari videntur (E/3186).

Resp. Loco « approbante » dicitur « comprobante et curante », quod videtur non tantum Hierarchiae, sed totius Ecclesiae esse.

(V) Desiderabatur, ut aliqua verba *de necessitate orationis* in lectione S. Scripturae dicantur (E/3236; E/3257).

Resp. Quod factum est verbis S. Ambrosii.

(W) Exoptantur quaedam sat *concreta,* ut commendatio « horarum biblicarum » (E/3157), « gruppi del vangelo » et similia (E/3246), institutio ritus liturgici traditionis Scripturae Sacrae et secretariatus seu commissionis apud conferentias episcoporum (E/3236).

Resp. Haec omnia videntur non pertinere ad nostrum caput.

(X) Loco « debitis » dicatur « *aptis* » (E/3186) (30 Patres).

Ad num. 26.

(Y) Ultima phrasis inversa est, ut cum citatione S. Scripturae finiretur textus secundum desiderium unius Patris (E/3257).

[43] (Z) Desideratur conclusio seu epilogus totius schematis (E/3256), pro quo etiam sat longus textus proponitur (E/3170).

Resp. Hoc non videtur necessarium neque in aliis schematibus hoc factum est.

[44]

2 – RELATIO

SUPER CAPITA I ET II SCHEMATIS EMENDATI « DE DIVINA REVELATIONE »

Venerabiles Patres,

Schema Constitutionis « De Divina Revelatione », quod vestro suffragio proponitur sedula cura a Commissione Doctrinali recognitum est atque emendatum. Ad hoc quidem plurimum contulerunt animadversiones quas vos protulistis, ac de quibus Commissio nostra gratias vobis referre cupit.

Quod ad duo priora Capita speciatim attinet, mihi in animo est principaliores inductas immutationes sapienti vestrae considerationi subiicere.

A) *Circa Caput I*

1) In n. 3: Revelatio supernaturalis ulterius distinguitur a revelatione in ipso ordine creato inscripta; haec enim consistit in perenni Dei testimonio quod in rerum *creatarum* natura ostenditur; illa vero in manifestatione quam Deus de seipso protoparentibus fecit ut eisdem viam salutis aperiret.

Duae insuper adduntur affirmationes, in *Rom.* 2, 6-11 fundatae ad significandum voluntatem Dei salvificam esse universalem. Unde, licet ad solos protoparentes promissio salutis expresse facta sit unusque populus Israel depositarius futurae Redemptionis sit constitutus, cura Dei tamen ad totum genus humanum sine intermissione dirigitur.

2) In n. 4: Haec potiora notanda sunt: iuxta petitionem plurium Patrum, locutio « tota sua persona » substituitur locutione « *tota denique suipsius praesentia ac manifestatione* ». Ita praecavetur difficultas alicuius contradictionis ex eo obvenientis quod persona Christi, divina cum sit ideoque invisibilis, Revelationem constituere nequiret.

Ultima periodus eiusdem numeri ita retractata est ut clarius pateat indoles definitiva operis Christi, ratione cuius nulla alia Revelatio publica umquam locum habebit.

3) In n. 5: Titulus ita mutatus est ut in recto non fides sed Revelatio fide suscipienda consideretur, sicut exigit doctrina in eodem numero exposita.

Insuper, pluribus Patribus postulantibus, primae etiam periodo nova data est exstructio qua magis natura personalistica obeditionis fidei effertur. [44]

4) In n. 6: « Parvis mutationibus adductis », clarius enuntiatur obiectum divinae Revelationis in tota sua amplitudine expressum.

B) *Circa Caput II* [45]

Cum Commissio nostra a praecedenti et iam notissima positione nullatenus recedere intenderit, textum substantialiter immutatum censuit esse servandum. Unde eae tantum vobis proponuntur nunc emendationes quae textum in melius reformarent, quin eundem deformarent.

Quarum igitur praecipuas fas sit indicare:

1) In n. 8: Addita verba « Haec, *quae est Apostolis Traditio* » apertius produnt in hoc capite sermonem fieri unice de Traditione divino-apostolica, minime vero de traditionibus quae mere ecclesiasticae sunt. Item vox « Intelligentia » cum sumi potuerit (grammaticaliter loquendo) in casu ablativo et sic ansam praebere falsae interpretationi, substituta est per vocem « perceptio ». Ita inaequivocabiliter *profectus* exprimitur qui spectat non Traditionem in se, sed eius intelligentiam seu penetrationem.

Momentum Traditionis respectu ad Scripturam adhuc apertius extollitur cum asseratur per eandem Traditionem integrum librorum sacrorum *canonem* Ecclesiae innotescere, prouti non pauci postularunt Patres.

Explicatur denique quare, vi Traditionis, Scriptura in Ecclesia iugi polleat actuositate, videlicet quia per Traditionem, Ecclesia Scripturae intelligentiam adipiscitur profundiorem.

2) In n. 9: In periodo ubi de Sacra Scriptura et de Traditione coniunctim fit consideratio, duo quae a Patribus non paucis postulabantur clare exprimuntur, videlicet: origo divina Traditionis indubitanter effertur quatenus dicitur eandem verbum Dei integre transmittere; munus autem Apostolorum a munere Episcoporum apte discernitur cum Apostolis ipsa Traditionis constitutio adscribatur, Episcopis autem tantummodo conservatio, expositio atque diffusio Traditionis iam constitutae tribuantur.

Venerabiles Patres,

Textus emendatus opus humanum est et manet; quod propterea, ipsa natura sua, ulterius perfici potest. Attamen imperfectiones, quae fortasse ibidem permanent qualitatibus abunde superari, sine praesump-

[45] tione, putamus. Has nominatim recolere iuvabit: modum dicendi positivum, sapore biblico perfusum; doctrinae expositae indolem Christocentricam, speciatim quod Revelationis conceptum attinet; firmitatem et claritatem in doctrina catholica affirmanda; accuratam ex professo enucleationem circa naturam, obiectum et momentum Sacrae Traditionis, et quidem *prima vice in documento Supremi Magisterii;* libertatem denique quae, in rebus adhuc disputatis vel non absolute necessariis, penitioribus Theologorum inquisitionibus relinquitur.

[46] Ad has igitur qualitates apprime attendere velitis. Quod si facere intenditis, Commissio Doctrinalis fore confidit ut labor a se peractus suffragio vestro expetitam consequatur adprobationem.

Auspicari liceat ut quotquot meditabuntur super fulcra doctrinae de Verbo divino in praesenti textu exhibita, aemulari nitantur christifideles primaevos, in medio quorum, praedicantibus Apostolis, « verbum Domini crescebat et multiplicabatur » (*Act.* 12, 24) quique « glorificabant verbum Domini » et « susceperunt cum omni aviditate » (*ibid.,* 12, 48; 17, 11).

Est enim verbum Patris, quem Filius per Apostolos nobis communicavit: « Ego dedi eis sermonem tuum », qui « est veritas » (*Io.* 17, 14-17) et propterea est « verbum salutis » (*Act.* 13, 26) et « vitae » (*Phil.* 2, 16).

† HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinorum

[47]

3 – RELATIO

SUPER CAPP. 3-6 TEXTUS EMENDATI SCHEMATIS CONSTITUTIONIS « DE DIVINA REVELATIONE »

Venerabiles Patres,

Valde breviter, ne tempus perutile perdamus, textum novum apud vos introducam. Laboris gravis ac diligentiae peritorum gratia brevi tempore emendationes a Patribus propositae omni cura in sub-commissionibus Commissionis nostrae doctrinalis examinatae sunt. Deinde ampla discussio praesertim de propositionibus maioris momenti in sessionibus plenariis Commissionis nostrae facta est. Exitum laboris nostri in textu impresso ante oculos habetis. Omnes mutationes faciliter ex textu novo impresso dignosci possunt; de principalioribus tamen mutationibus mihi aliquid hic proferre liceat.

In fine n. 11, cap. 3, p. 21, linn. 19-20 secundum optatum plurium

Patrum textus ita mutatus est, ut effectus inspirationis positive exprimatur et obiectum inerrantiae clarius circumscribatur. Nunc sic sonat: « ... inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem *salutarem inconcusse et fideliter, integre et* sine errore docere profitendi sunt ». [47]

In n. 15, cap. 4, p. 29, linn. 1-4 textus perpolitus est: de Libris Veteris Testamenti nunc dicitur: « Qui libri, etiamsi *quaedam* imperfecta et *temporaria* contineant, *tamen veram paedagogiam divinam demonstrant* ». Deinde sequitur formula magis positiva de momento Veteris Testamenti in qua etiam de thesauro precum locutio fit, uti erat in votis Patrum.

In n. 19, cap. 5, p. 33, linn. 18-20 phrasis « ut non ficta, ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia » visa est non retinenda, quia verba haec nimium honorem tribuunt opinioni alicui in decursu obsoletae.

In n. 25, cap. 6, p. 39, linn. 36-41 secundum desiderium Patrum aliquid additum est de necessitate orationis in lectione S. Scripturae.

Venerabiles Patres. Hae sunt mutationes principaliores, ceterae faciliter ex contextu et relatione typis edita clarescunt. Spero humiliter fore ut hoc opus, quod suffragiis vestris nunc proponimus, vobis omnibus placeat ad gaudium omnium praesertim tamen membrorum et peritorum Commissionis nostrae.

† IOHANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Harlemensis

KALENDARIUM SUFFRAGATIONUM SCHEMATIS CONSTITUTIONIS DOGMATICAE

DE DIVINA REVELATIONE

QUAE INCIPIENT A DIE 20 MENSIS SEPTEMBRIS 1965

Prooemium et Cap. I de ipsa Revelatione.
- Suffr. I, n. 1 et n. 2 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. II, n. 3 et n. 4 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. III, n. 5 et n. 6 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. IV, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. II de Revelationis Transmissione.
- Suffr. V, n. 7 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. VI, n. 8 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. VII, nn. 9-10 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. VIII, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. III de S. Script. inspiratione et interpretatione.
- Suffr. IX, n. 11 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. X, nn. 12-13 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. VIII, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. IV de V. T.
- Suffr. XII, nn. 14-16 per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. V de N. T.
- Suffr. XIII, nn. 17-18 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XIV, n. 19 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XV, n. 20 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XVI, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. VI de S. Script. in vita Ecclesiae.
- Suffr. XVII, nn. 21 et 22 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XVIII, nn. 23 et 24 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XIX, nn. 25-28 per *placet* vel *non placet.*
- Suffr. XX, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Secretarius generalis: Quidam Patres conquesti sunt quod secum non habeant librum qui continet schema *de divina revelatione*. Ratio est quod illum in patria reliquerunt! Possunt iidem apud confratres invenire textum. Attamen Patres novi, qui non receperunt hoc schema in fine sessionis tertiae, possunt illud petere. Multi iam illud petierunt, et laudabiliter quidem. Si quis autem adhuc sine libro sit, potest petere: aliqua exemplaria adhuc habemus. Sed tantum Patres novi, qui numquam receperunt hunc librum, illum repetant. Alii sibi provideant honestiore quo possunt modo!

Incipiamus ergo, Patres, suffragationes. Lego textum I suffragationis. Liber, ad quem me refero, ita inscribitur — ne confusio fiat cum praecedenti editione, quae facta est antequam discussio haberetur: *Schema Constitutionis dogmaticae de divina revelatione, capita I, II, III, IV, V et VI*. In praecedenti editione non erant haec capita praecise indicata, et forma textus erat minor; quapropter ne confusio fiat.

In hoc textu autem, quo utimur, habentur duae columnae, ut videre potestis: in columna sinistra, refertur « textus prior »; in columna dextra, « textus emendatus ». Iamvero suffragationes fient circa textum emendatum.

Si in legendo aliquando dormitabo et errabo, vos me moneatis.

Textus, qui suffragationi subicitur, est textus columnae dexterae.

Lego igitur textum I suffragationis. Videatis pag. 3: [*cf. pag. 336 nn. 1-2*].

Ergo, Patres, *placet* an *non placet* hic textus? Duplex forma tantum: *placet* vel *non placet*.

PATRUM ORATIONES

(*De libertate religiosa*)

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. LEFEBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Fratres,

Compertum habemus, sive dum interventiones in aula factas audimus, sive dum aurem praebemus verbis a membris Concilii dictis, nonnullos Patres conturbari. Timent enim ne tale schema optima fide approbare nequeant.

Vellem quosdam ex his timoribus hic evocare et conari lumen quoddam afferre quod eos dissipare posset.

1. Quidam putant proclamationem libertatis religiosae favere subiectivismo et indifferentismo, ac si omnes affirmationes eodem valore gauderent.

Duplex responsio potest, mea sententia, aequivocationem tollere:

A. Sicut optime animadvertit em.mus card. Urbani, schema unice loquitur de libertate civili in re religiosa, quod explicite dicitur in n. 2, et in relatione ab exc.mo De Smedt facta ...[1]. Haec vero libertas ab omni coactione externa, essentialiter differt a libero examine erga doctrinam.

Nam, quod omnis externa coactio reiiciatur, nullo modo aufert obligationem qua homo, ob ipsam naturam humanam et dignitatem personae suae, tenetur veritatem quaerere, eique adhaerendo, seipsum ditescere in ipsa sua natura, *in ipso suo esse.*[2] Praeterea, secundum revelationem divinam, Christus, qui est Veritas incarnata, pro iure suo obligationem eiusmodi imponit; sed haec obligatio, cum Christus sit etiam infinita Caritas, *et* [3] est omnino obligatio ex amore; ad nullum alium finem tendit nisi ut crescere faciat et modo divino nobilitet illos quibus imponitur. Cum sit obligatio moralis, libertatem expostulat. Sanctio quae illam subsequitur, interior est illi qui tenetur veritatem accipere. Etenim, qui veritatem quaerere negligit aut illam reiicit, lumine se privat quo augeretur, et regeretur in via quae ad vitam ducit.

B. Itaque — et haec est responsio secunda ad timorem ad quem alluditur — schema nostrum modo maxime distincto excludit in paragrapho tertia n. 2 quemvis indifferentismum aut positivismum; eadem

vi affirmat, in eodem loco, obligationem qua tenetur homo quaerendi veritatem.

2. Alii autem putant quod, proclamando libertatem religiosam, desistit Concilium a docendo unicam esse religionem et unicam Ecclesiam Iesu Christi. Sane quidem, schema non directe intendit has immutabiles fidei nostrae veritates affirmare. Quas tamen explicite recolit his verbis: « Porro notio libertatis religiosae intactam reliquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia » ...[4]

Sed simul, directe refert Concilium traditionalem doctrinam circa libertatem necessariam ad actum fidei. Quae libertas includit, tamquam immediatam consequentiam, quod nemo ad hunc actum cogi possit.

3. Timent vero alii dum cogitant de libertate errorem disseminandi et de consequentiis quae ex ea oriri possunt. At libertas religiosa non concedit ut quodvis genus propagationis liceat. Qui conarentur propriam doctrinam propagare quin sufficienter aliorum libertatis rationem haberent, praesertim cum de pauperibus et de rudibus agitur, illi non responderent primae libertatis religiosae exigentiae, quae praescribit quod aliorum libertas colatur. Addamus quod, ubi haec libertas existit, interest ut pastores, virtuti veritatis confidentes quam comitatur gratia Domini, institutioni religiosae fidelium invigilent maiore cum diligentia. Fideles ipsi adniti debent ut scientias et convictiones religiosas profundiores et quae ipsis magis sint personales acquirant. Ex quo omnibus magnus spiritualis profectus sequi posset.

4. Dicunt autem alii quod proclamatio libertatis religiosae spiritum et ardorem missionarium minuet. Sed e contra, haec libertas favere potest cognitioni nuntii Christi in regionibus in quibus nondum proclamatum est. Praeterea, quomodo christiani, agnoscentes divitias supernaturales, divinas et aeternas quas homini confert quivis progressus in veritate revelata, non compellerentur caritate Christi ut illam veritatem ad fratres ferrent cum plenitudine quam maxima esse possit?

5. Dicunt quidam quod proclamatio libertatis religiosae extollit hominem in damnum Dei. Sed e contra, libertas religiosa homini permittere debet ut quaerat veritatem modo naturae suae consentaneo, et sic voluntati Dei oboediat qui hanc libertatem hominis statuit et qui eius errores et infirmitates tolerat potiusquam illam destruat.

Insuper libertas religiosa de qua loquitur schema servat hominem ab omni externa coactione. Libere ergo et toto corde Veritatem quaerere poterit. Sed ad extremum, Veritas haec Deus Ipse est. Qui ergo sincere veritatem religiosam quaerit, Deum quaerit. Iam incepit Illum invenire,

sub influxu gratiae quae eum adiuvat in hac quaestione, et quae paulatim eum ducere poterit ad plenum lumen.

6. Alii tandem putant quod Concilium, proclamando libertatem civilem in re religiosa, doctrinam docebit contrariam traditionali doctrinae. Revera, interest ut animadvertamus quod, praeteritis temporibus, obiectum multum differebat ab obiecto ad quod hodie tenditur. Tunc Ecclesia agebat contra omnes formas subiectivismi et indifferentismi quae diffundebantur. Nunc vero, clare et firmiter retinens quae de hac re dicebat, aliam quaestionem aggreditur: vim scil. quae homini imponitur in re religiosa; quam vim improbat. Haec est nostra principalis responsio. Cui addi possunt sequentes breves considerationes:

Schema fatetur quaedam Ecclesiae membra aliquoties non egisse secundum doctrinam Ecclesiae de libertate actus fidei; et Ecclesia istud deplorat. Sed cur hoc miramur? Non est nostrum iustificare illud omne quod in praeterito actum est, sed nec amplius iudicium dare in intentiones illorum qui nos praecesserunt, quasi illos absolute *damnandos*.[5] Conscientia illorum, sicut evenit et pro sectatoribus aliarum confessionum, misere impulsa est a mentalitate communi sui temporis. Si fateri debemus quosdam modos agendi male congruisse cum doctrina Ecclesiae, feliciter gaudere possumus tales mores pravos desiisse, reflexione theologica progrediente.

Forsan illae quaedam observationes nos adiuvabunt ad superandas aliquas inanes oppositiones. Liceat mihi, in fine, optare ut redactores schematis, ita fructum capiant ex omnibus observationibus in hac aula allatis ut deleantur omnia quae adhuc ambiguitatem quamdam praeberent. Sic, ut mihi videtur, nobis iam licet afferre nostrum « placet in genere » de hoc schemate, exspectantes tamen ut, in materia tam gravi, expressio adhuc ad melius feratur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] pag. 4. [2] deest. [3] deest. [4] (in fine tertiae paragraphi n. 2). [5] damnantes.

2

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Agimus de libertate religiosa, magna quidem contentione. Omnium tamen interest, ut huiusmodi libertas salvetur ...[1]

Pronuntiatio declarationis, quam daturi sumus, debet ni fallor, fieri nomine Ecclesiae docentis ore Concilii Oecumenici ...[2]

Inde opus est, ut definiatur, quid doceat Ecclesia in re: quaenam sint argumenta, vincentia omnia membra communitatis. Declaratio nostra debeat indicare fontem necnon vim obligatoriam, quae est auctoritas Ecclesiae. ...[3] Verumtamen missio Ecclesiae magis indicanda est, magisque ostendenda est auctoritas Ecclesiae, quae habet mandatum Domini: « Ite et docete ». Inde deducitur munus Ecclesiae docendi et propagatio Fidei.

Enuntiationes Concilii fiunt auctoritate Ecclesiae, praesentis in mundo hodierno. Sed mundus hodiernus sequitur principia diversa in rebus maximi momenti, ita ut huiusmodi diversitas dividat mundum in diversos mundos. Sufficit indicare duos mundos, qui reguntur diversis principiis, quae respiciunt ius, societatem publicam, libertatem.

Est mundus, qui educationem recepit a notionibus antiqui iuris Romani, in iis quae respiciunt ius, societatem publicam, libertatem. Opera S. Thomae Aquinatis progressioni locum dederunt usque ad notam « Declarationem iurium hominis et civis » ...[4]. Recenter, notiones adhuc magis accommodatae sunt ad nostrae aetatis praecepta, opera Litterarum Encyclicarum Leonis Pp. XIII, necnon opera modernae « Conventionis Parisiensis » ...[5]. Neque oblivioni dandae sunt Litterae Encyclicae Ioannis Pp. XXIII *Pacem in terris*.

Si huiusmodi notiones fuissent communiter receptae, nostra declaratio nullimodo ansam daret suspicionis neque confusionis. Etenim sensus notionum esset communis. Attamen existit et agit alter mundus, qui sequitur diversa principia, iuris, societatis, libertatis. Quae principia deducuntur a materialismo dialectico — vulgo « diamat ».

1. Ipsa iuris notio, in conceptione rationis « diamat », deducitur a fine, quem sequitur ius. Atqui, iuxta hanc rationem, ius prosequitur hunc unum finem, i. e. bonum classis, cuius est ordinare novum statum socialem et oeconomicum.

Inde vim iuris habet, quidquid iuvat classem, quae hunc novum statum socialem prosequitur. Consequenter ius non servit individuo (per-

sonae), sed servit novo statui sociali et oeconomico adducendo: non prosequitur finem componendi classium *ordinem* [6] et bona, sed finis huiusmodi iuris est ordinandi res materiales et oeconomicas. Antiquus ille conflictus inter personam et rem solutus est in favorem « rei », cui servit persona in opere transformationis oeconomicae, et quidem ex toto et unice. Iura personae reducuntur ad unum, nempe ut cooperetur novo ordini materiali. Inde omnia iura individui serviunt transformationi oeconomicae. Sed neque haec iura indolem habent stabilem seu immutabilem: ipsa quoque dependent a nutu « classis imperantis atque iura dictantis quae vim habent legis ». Conceptus « diamat », *i. e. materialismus dialecticus,*[7] condidit notiones iuris, quae excludunt normas stabiles et immutabiles. Non existunt principia inconcussa neque ordines sociales stabiles, neque normae inconfusae. Normae obligatoriae statuuntur iuxta rationem et ad arbitrium eorum qui dirigunt classem operariorum. Ius est quidquid iuvat media apta ad consequendum finem. Si huiusmodi media assecuta sunt finem possunt reici. Pro nunc, serviunt tamquam media applicanda ad consequendum finem: possunt proinde constituere elementa conventionis cum parte contraria, *opposita,*[8] sed conventio facta non indicat nisi normam et rationem agendi cum parte *opposita,*[9] atque obligat solummodo alium contrahentem. Sic, *e. g.,*[10] conventio facta cum Ecclesia obligat solummodo Ecclesiam, sed non obligat Statum, in casu quo Status praevalere incoeperit Ecclesiae. Conventio itaque tueri debet Statum, eique servire, sed non obligat Statum. Quoquo modo pars altera obligatur ad servandam conventionem. Proinde nulla conventio fit in bonum Ecclesiae, eiusque tuitionem: neque est norma iuridica, quae ordinetur in defensionem iurium civilium seu individui. Habent vim suam et pondus nonnisi auctoritas Ecclesiae necnon fides et constantia *christianorum.*[11] Quibus non obstantibus, Ecclesia semper parata esse debet ad portandam crucem, etiam in conditionibus difficillimis: haec est via propagationis et victoriae finalis Veritatis Divinae.

Quae omnia necessaria mihi videntur ad percipiendam et iuste ponderandam conditionem Ecclesiae in mundo, qui regitur conceptibus *sic dicti* [12] « diamat » deductis. Proh dolor! multi sunt inter auctores ...[13] qui hanc quaestionem tractant neque eam bene intelligunt, quia prae oculis habent notiones iuris et principia, quae valent in partibus Occidentis. Haec est etiam ratio cur episcopi nostri arguantur defectus progressus, quasi conservare voluissent iura et principia antiqui feudi. Res non est hic de feudo, neque de privilegiis, sed agitur de iure ad vitam et quidem vitam apostolicam Ecclesiae.

2. Similiter res se habet, si agitur de notione societatis publicae, quae in ratione, deducta a principiis *sic dicti* [14] « diamat » non servit bono communitatis, sed bono classis, quae tendit ad instituendum novum ordinem socialem. Usu quotidiano, classis (vulgo « partito »), et Status unum sunt, immo Status quasi disparet, remanet classis (*partito* [15]). Id quod servit classi, quae parat transformationem oeconomicam, « legis habet vigorem ». Bonum commune totius universi commutatum est in « bonum fractionis politicae ».

Inde notiones: « bonum communitatis » vel « ordo publicus » factae sunt notiones vagae et vacuae, quia non amplius indicant iura et obligationes civis vel Status.

Sufficit sequens exemplum. Mundus universus plene acceptavit actionem, qua Papa Ioannes XXIII defendere conatus est pacem in mundo, in Litteris Encyclicis *Pacem in terris*. Non omnes tamen aequo modo perpenderunt elementa et substantiam huiusmodi pacis, quae nititur iuribus individui seu personae humanae, in singulis gradibus socialibus communitatis. Communiter sermo fuit de iure individui ad veritatem, ad libertatem, ad iustitiam, ad bonam famam. Attamen in « diversis mundis » diverse huiusmodi iura interpretabantur. Ita factum est, ut episcopi, qui Litteras Encyclicas explicaverunt iuxta principia philosophiae christianae, arguebantur deformationis sensus genuini Litterarum Summi Pontificis. Quae etiam mihi contigerunt.

Utique dixerunt illi, admittimus « ius ad veritatem », sed intra limites, definitos a principiis *sic dicti « diamat »*.[16] Ius ad libertatem, prosecuti sunt illi, continetur intra limites iuris *statuti* [17] a postulatis Status seu civitatis. Ius ad libertatem significat libertatem agendi sub ductu, vel etiam coacte, iuxta tamen placita et principia conceptuum « diamat », et in bonum regiminis addicti collectivismo.

Notio « libertas » deducenda est non ex natura personae humanae, moderata principiis conscientiae bene formatae, sed ex rationibus quae iuvant transformationem socialem in spiritu *sic dicti « diamat »*.[18]

3. et ultimo. Non omnia hic dici possunt neque valent. Sed haec sufficiant. Prae oculis habeamus oportet, magnam partem mundi hodierni gubernari principiis, quae sequitur regimen in quo valent notiones, diversae a nostra traditione, uti ius, Status, libertas, et haec applicantur hominibus, qui sunt subditi vel melius fideles Ecclesiae ...[19]

Exinde ad hoc, ut textus declarationis promulgandae recte intelligatur, neque confusio fiat neque abusus verborum in damnum fidelium, opus est, ut textui praemittatur *prooemium,* in quo notentur diversae, et ab invicem separandae, notiones iuris, Status et libertatis, iuxta differentes ideologias nostrae aetatis.

Etenim nos desideramus, ut declaratio *de libertate religiosa* promulgetur a Concilio, sed volumus, ut ubique intelligatur sensu unanimi, et etiam uniformi exsecutioni mandetur.

In textu scripto tradito: [1] Sane consilia et vota difformia enuntiata sunt in hoc alto congressu; sunt qui ex toto confirmatum volunt schema propositum, sunt alii qui timent ne res in peiorem partem vertat. [2] Normae huius declarationis vim obligatoriam habebunt pro catholicis, sed etiam pro iis qui rem communem habent cum Ecclesia. [3] Non licet tacere in declaratione de auctoritate Ecclesiae, societatis externae, perfectae. Iam audivimus in hac aula Patres qui innuerunt argumentum. [4] proclamatam a Revolutione Gallica. [5] diei 15 septembris a. 1960. [6] ordines. [7] deest. [8] deest. [9] contraria. [10] deest. [11] catholicorum. [12] a. [13] in occidente. [14] deest. [15] deest. [16] « diamat » etc. [17] statutis. [18] communismi. [19] De hoc iam saepius locuti sumus in hac aula.

3

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS

Archiepiscopus Manilensis

Venerabiles Patres,

Ipsum [1] factum quod schema nostrum excitaret discussiones gravissimi momenti, clare demonstrat Sacrosanctum Concilium cautissime procedere debere in deliberando super hac materia de libertate religiosa, ut dum veram doctrinam tradit, eam ita proponat quin ansam praebeat deviatis interpretationibus.

Ideo, praeter eas observationes sapientissime factas, quarum multae quaestionis radices tetigerunt *iam,*[2] adhuc addere vellem notulam *quamdam* [3], circa ipsum fundamentum doctrinae, necnon et circa subiectum iurium, de quibus in nostro schemate fit sermo.

1) Exordium schematis incipit ab affirmatione maioris quam hac aetate homines habent conscientiae dignitatis humanae, quasi haec maior conscientia ratio esset iuris libertatis agnoscendi. Id quidem ratio potest esse convenientiae vel opportunitatis ut Ecclesia palam mundo suam mentem proponat super hac quaestione. Sed in exponenda doctrina de libertate religiosa exordium fieri debet a principiis, scil. ab officio quo tenentur omnes Deo cultum et reverentiam exhibendi, non solum internis actibus sed etiam externis actionibus, tamquam supremo et indeficienti principio hominis et tamquam supremo fini in quem homo dirigi debet.

Inde profflueret correlativum ius omnium Deo praestandi cultum iuxta hominis conditionem et naturam. Est autem haec talis ordinata a Deo, ut homo, ad imaginem et similitudinem Dei formatus, propria deliberatione scienter et volenter ad agendum determinetur, non externa coactione aut vi alio incussa.

Haec dignitas hominis est, quae ei semper inest; nec maior praedicanda est quia homo ipse illius clariorem habeat conscientiam nec minor agnoscenda eo quod illius conscientia careat vel quod ab aliis illa dignitas vi deprimatur: semper est enim homo ad Dei imaginem factus, et ad fruendum Deo ordinatus, quem libera voluntate debet quaerere.

Exinde *quae sequentur bene dicentur* [4] ut in schemate *proponuntur* [5]:

1. Ius esse omni homini libere exercendi officium quo tenetur Deum religiose colere.

2. Gravem ceteris omnibus inesse obligationem qua vetantur aliquem vi quavis compellere ad determinandam formam religionis sequendam.

3. Nemini quoque licere quempiam prohibere a professione et praxi religionis quam propria deliberatione elegit, quae aliorum iuribus non officit neque communi bono.

4. Illud hominum ius mensurandum esse iuxta conscientiam quam quisque habeat officii Deum colendi. Quod quidem officium imprimis obligat ad inquirendam veritatem religiosam omnibus mediis quae praesto sint unicuique, et ad sequendam veritatem inventam; ex quo consequitur libertatem esse cuique sequendi formam religionis, eamque externe profitendi, quam ipse secundum conscientiam novit, etsi non ex sua culpa veram non invenerit.

5. Quia vero aliorum iura violare non licet, liberum exercitium externum libertatis *religionis* [6] non eo usque trahi posse, ut aliorum legitimis iuribus aut publico bono societatis iniuriam afferat.

6. Publicam potestatem quamlibet teneri ut abstineat ab omni iniuria *huius* [7] iuris, immo ut illud positive tueatur sicut et alia iura personae humanae quae ipsi competunt ante cuiuslibet civilis societatis existentiam.

2) Dum haec omnia extra omne dubium schema satis illustrat, non ita clare illustrata dici possunt quae in n. 6 schematis de extensione libertatis communitatum religiosarum dicuntur.

Etenim religio est relatio et officium hominis erga Deum, intimum, personale. Quia autem homo natura indolem socialem induit, et ad actionem socialem inclinatur, hinc procedit quod in religioso cultu exercendo,

quo Deo honor debitus redditur adoratione, obsecratione, sacrificiorum oblatione (quibus essentialiter religio constat), etiam consociatus aliis agat.

Sed non ideo aliud subiectum creatur iuris libertatis religiosae distinctum ab individuis hominibus.

Subiectum iurium, et ideo etiam iuridicae libertatis religiosae, est tantum persona vel physica vel moralis. Sola autem Ecclesia Christi ex voluntate Divini Conditoris constituta est cum personalitate iuridica. Ex iure naturae nulla est institutio indolis religiosae cui competat iuridica personalitas, nulla associatio causa religionis quae personalitatem iuridicam habeat, nulla auctoritas cui rei religiosae regimen sit commissum; sed si cui auctoritati id munus competeret ea esset auctoritas familiae, vel tribui, vel genti, vel civitati praeposita.

Sive enim rerum ordo naturalis consideretur, sive ordo historicus, homines primario politice consociantur, sive societas in qua adunantur fuerit patriarchalis, sive gens, sive tribus, sive civitas qualis hodie inter exultos populos habetur. In ea quidem politica societate communiter socialis religio semper extitit electa tamquam propria, sed non tamquam prior politicae societati et ei praevalens, sed potius a politica auctoritate iura recipiens et munera, sin minus permissa.

Ideo tandem propono quod in n. 6 schematis potius quam de iure communitatum, quasi communitas ipsa sit distinctum subiectum nativi iuris *libertatis* [8] in re religiosa, sermo sit de libertate individuorum hominum ad ea omnia quae religionem spectant, sive individuatim peragenda, sive simul cum aliis sibi sociis in cultu, in praxi, in doctrina et in actione. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] bene consequitur. [5] dilucide proponitur. [6] religiosae. [7] illius. [8] libertatum.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit suffragationem alteram circa schema *de divina revelatione*.

Secretarius generalis: Suffragatio II, n. 3, pag. 4 [*cf. pag. 337-338 nn. 3-4*].

Ergo, Patres, *placet* an *non placet?* Favete! Suffragium exprimitur tantum per stylum magneticum. Nam, in prima suffragatione, multi Patres suo stylo, licet splendido, suum votum dixerunt; sed splendor styli non est splendor suffragii; ergo, stylo magnetico tantum!

Audite, Patres, suffragationes usque fere ad horam meridianam producentur.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. BERAN

Archiepiscopus Pragensis

Declaratio *de libertate religiosa,* quae etiam sensu lato de omni vera libertate conscientiae valet, est maximi momenti tam theologici quam practici.

In Sacra Scriptura aperte dicitur: « Omne, quod non est ex fide », i. e. (secundum contextum epistolae ad Romanos) ex sincera conscientia, « peccatum est » ...[1]. Qui ergo quemquam vi physica aut morali ad agendum contra conscientiam compellit, eum in peccatum contra Deum inducit ...[2]

Quae principia etiam experientia confirmantur. Et hic ego humiliter audeo testimonium meum personale interponere.

Ab ipso momento, quo libertas conscientiae in patria mea radicaliter restricta fuit, testis eram gravium tentationum, quas talis status rerum pro multis secumferebat. In toto grege meo, immo etiam inter sacerdotes, observavi non solum gravia pericula fidei, sed etiam gravissimas tentationes ad mendacium, hypocrisim aliaque vitia moralia, quae populum, vera libertate conscientiae carentem, facile corrumpunt.

Si haec conscientiae oppressio scienter in detrimentum verae religionis dirigitur, gravitas scandali neminem fidelium latet. Attamen experientia item constat, tales rationes contra libertatem conscientiae agendi etiam tunc moraliter perniciosas esse, si per eas bonum verae fidei intenditur vel praetenditur. Semper et ubique libertatis conscientiae violatio apud multos hypocrisim parit. Et forsitan dici potest hypocrisim in fide profitenda Ecclesiae magis nocere quam hypocrisim in fide occultanda, quae quidem nostris diebus latius patet.

Sic in patria mea Ecclesia catholica nunc temporis dolorosam expiationem agere videtur pro defectibus et peccatis, temporibus actis contra libertatem conscientiae eius nomine commissis, ut fuit saeculo XV crematio Ioannis Hus sacerdotis et saeculo XVII externa coactio magnae partis populi Bohemici ad fidem catholicam iterum amplectendam, secundum normam « cuius regio eius et religio » in actum deducta. Per tales actus brachium saeculare, Ecclesiae catholicae inservire volens vel praetendens, re vera vulnus quoddam reliquit, in corde populi latens. Quod quidem « trauma » progressui vitae spiritualis impedimento fuit atque inimicis Ecclesiae facilem agitationis materiam praebuit et praebet.

Sic historia quoque nos admonet, ut in hoc Concilio principium liber-

tatis religiosae et libertatis conscientiae claris verbis et sine ulla restrictione, quae ex rationibus opportunisticis proflueret, declaremus. Si hoc factum fuerit, et quidem in spiritu quoque paenitentiae pro peccatis hac in re saeculis antecedentibus commissis, auctoritas moralis Ecclesiae nostrae in bonum populorum magnum incrementum acquiret. Illi etiam, qui hodie libertatem conscientiae in detrimentum Ecclesiae opprimunt, seipsos — et quidem, temporibus hodiernis, quasi solos — in quodam ignominiae palo coram omnibus hominibus bonae voluntatis confusos invenient, quae quidem confusio salutaris aliquod initium resipiscentiae fieri posset. Et hoc Concilium nostrum maiorem vim moralem habebit, ut pro fratribus persecutionem patientibus cum spe boni effectus efficaciter interveniat.

Quare ego vos, venerabiles Patres, rogo, ut vim huius declarationis nullo modo attenuemus, et deinde, ut ad conclusionem eiusdem declarationis haec vel similia verba addemus: « Omnia autem huius mundi gubernia Ecclesia catholica enixe deprecatur, ut principium libertatis conscientiae ad omnes cives, etiam ergo ad credentes in Deum, efficaciter extendant et a quacumque oppressione libertatis religiosae cessent. Liberentur quamprimum sacerdotes et laici, qui propter actionem suam religiosam, quamvis sub diversis speciebus, post tantos annos adhuc in carceribus detinentur. Episcopi et sacerdotes permulti, qui in munere suo adimplendo impediuntur, gregibus suis restituantur. Ecclesiae in Statibus, ubi per leges iniustas arbitrio magistratuum sibi hostilium tradita est, autonomia interna et facilis cum Sede Petri communio reddatur. Ab obstaculis, quae ad sacerdotium vel vitam monasticam amplectendam iuvenibus ponuntur, cessetur. Ordinibus religiosis congregationibusque fratrum et sororum vita communis iterum permittatur. Omnibus deinde fidelibus effectiva libertas fidem profitendi, veritates revelatas positive proponendi et explicandi atque filios in fide educandi praestetur ». Et sic verum opus pacis, diebus nostris maxime necessarium, perficiatur.
Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 14, 12). [2] Etiam pro nobis, venerabiles fratres, exhortatio S. Iacobi valet: « Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari » (*Iac.* 2, 12).

5

Em.mus P. D. OWEN card. McCANN
Archiepiscopus Civitatis Capitis

Venerabiles Patres,

Schema placet et substantialiter acceptanda est. Tantummodo aliquae modificationes, secundum meam *humilem* [1] opinionem, faciendae sunt.

1. Mihi videtur quod non sufficienter exprimitur officium quod obligat quamcumque personam conformandi conscientiam suam in re religiosa veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia nuntiatis secundum eius posse.

Etenim factum revelationis de veritatibus supernaturalibus certe constat et omnes constringit, obiective loquendo. Ista revelatio facta est in et a Domino Nostro Iesu Christo, qui est « via, veritas et vita », qui etiam pro omnibus in mundum a Patre missus fuit, et qui pro salvatione omnium, in cruce mortuus est. Ipse etiam Ecclesiam suam fundavit ut Eius munus continuetur.

Igitur propono quod in par. 2 (pag. 6) in ultima pericope, vel in par. 3 (pag. 7) addatur sententia sequens (vel similis ei): « Omnis homo officium seu obligationem habet, obiective dicendo, veritates quae in doctrina Ecclesiae catholicae continentur, examinandi et amplectendi ».

2. Etiam mihi videtur quod par. 5 (pag. 11) amplificari debet. Dicitur ibi enim: « Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ». Phrasis « specialis agnitio » est nimis vaga et interpretari potest sicut subsidia financiaria isti communitati a potestate civili dabuntur, pro quibus omnes cives, etiam non pertinentes ad istam communitatem, taxas seu tributa solvere debent.

Mea opinione,[2] melius esset dicere « eo tamen pacto, etc. ... observetur necnon sine coercitione (anglice dicitur " compulsion ") vel obligatione civium non pertinentium *ad eamdem communitatem* [3] ad taxas isti communitati destinatas contribuendum ».

3. Item in par. 7 (pag. 12) ubi loquitur de libertate parentum deligendi scholas pro educatione filiorum, *hoc vere concordat cum iuribus parentum iam clare enuntiatis in Encyclicis pontificalibus, tamen* [4] mihi videtur quod non est sufficiens dicere, *uti schema dicit* [5]: « neque ob

hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda ». Clariori modo dicendum est quod parentes, qui taxas publicas solvent, in exercendo istam libertatem ius habent ad proportionatum subsidium a potestate civili in solvendis expensis pro educatione filiorum secundum conscientiam eorum.

Valde laudandum est sacrificium quod tam multi parentes faciunt hac in re, sed etiam, cum expensas pro educatione solvent, etiam taxas publicas solvere debent. Ius eorum fortissimo modo igitur a Concilio declarandum videtur in hoc schemate.[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit textum III suffragationis circa divinam revelationem.

Secretarius generalis: Pag. 5 [*cf. pag. 338-339 nn. 5-6*].

Patres venerabiles, *placet* an *non placet?*

6

EM.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH CARD. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

Schema ...[1] mihi valde placet et beneplacitum Patrum, mea *sententia*,[2] meretur. Ad hunc finem optabilem assequendum, propono ut, postquam haec discussio iure terminata fuerit, schema, nostris suffragiis, possessione iuridica firmetur. Per hanc suffragationem, documentum nostrum, tribus fere annis elaboratum, bis discussum, usque adhuc, tamen, non acceptum, fieri potest textus vere receptus, quamvis perficiendus.

Primo dicendum est mihi omnino placere quae ab em.mo card. Urbani dicta sunt de profectu doctrinae in schemate expositae — doctrina cuius semen in dignitate personae humanae invenitur cuiusque confirmatio ex Sacris Scripturis trahitur. Hic, solummodo de profectu doctrinae libertatis religiosae in tempore recentiori velim loqui.

Stadium evolutionis doctrinae de libertate religiosa, nostrae aetati proximum, incipere videtur cum illis documentis a Leone Papa XIII confectis, in quibus agitur de societate et potestate civili earumque relationibus cum Ecclesia.

Nemo tenet doctrinam schematis explicite inveniri in scriptis Leonis. Sed ea, quae docuit Leo XIII, simul sunt in via ad doctrinam schematis, et notabiliter profecta sunt ab iis quae his de rebus tempore Medii Aevi et tempore post Reformationem communiter docebantur. Doctrina sua, Leo XIII viam stravit quam secuti sunt Pontifices successores et praesertim Pius XI, Pius XII et Ioannes XXIII.

Doctrinam Leoninam non bene intelligit qui conceptum tolerationis aestimet ac si esset eius centrum et cor, vel ac si sententiam exprimeret ipsius Ecclesiae definitivam ...[3] de libertate religiosa *doctrinam*.[4] Doctrina de tolerantia respicit eum qui in re civili gaudeat potestate cuique permittitur ut regimen libertatis religiosae in determinatis adiunctis toleret ad bona maiora custodienda et mala vitanda. Nihil in doctrina Leonina — quae et ipsa magnum repraesentet progressum — nihil in ea prohibet quin, experientia ducente et dignitate humanae personae melius et profundius intellecta, ulterius progrediamur usque dum libertatem religiosam, recte intellectam, ut ius humanum et universale agnoscamus.

Pariter doctrinam Leoninam male intelligit qui, in iis quae ad curam publicam religionis pertineant, aestimet conceptum regentem esse affirmationem de veritate omnia iura possidente ita exclusive, ut error iura non habeat ...[5]

Revera duo conceptus centrales regunt doctrinam Leoninam in hac materia: 1. Distinctio clara inter potestatem Ecclesiae et potestatem rei civilis; 2. libertas Ecclesiae.

Leo, modo quasi novo, postulavit Ecclesiam transcendentem ratione potestatis spiritualis et ratione Populi Dei, qui lege divina a Christo revelata regitur. Similiter, modo quasi novo, postulavit ordinem saecularem relative independentem qui regitur a lege civili quae et ipsa limitatur ab ordine iuridico superiori.

Cor autem doctrinae Leoninae invenitur in libertate Ecclesiae. Haec enim pars doctrinae Leoninae implicite continet declarationem libertatis populi qui revera implevit conditiones libertati necessarias, nempe maturitatem personalem et politicam. Pariter libertas populi implicite continet libertatem religiosam, ut regimen iuridicum correlativum potestati civili constitutione limitatae. Exinde Leo, pro libertate Ecclesiae propugnans, ad libertatem personae humanae pervenit et sic ad libertatem religiosam, saltem ut regimen iuridicum a potestate civili constitutum, viam patefecit.

Per doctrinam ergo Leoninam via strata est quam sequitur Pius Papa XI qui, in litteris « Non abbiamo bisogno », suscepit « pugnam bonam propugnare pro libertate conscientiarum »; qui in litteris « Fir-

missimam constantiam » affirmavit « fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta »; qui in litteris « Mit brennender Sorge » dixit « Homini fide religioso competere ius inalienabile suam profiteri fidem eamque in praxim deducere in formis quae illae fidei conveniant ».

Ulterius progressus est Pius Papa XII in via ad doctrinam schematis declarationis *de libertate religiosa.* In nuntio suo radiophonico ...[6], inter « iura fundamentalia personae », quae recognoscenda et promovenda sunt, enumeravit « ius ad publicum et privatum cultum Dei cum activitate religiosa et caritativa ». Libertas religiosa ut conceptus iuridicus, legibus agnoscendus et muniendus, vere in aperto fuit ...[7]

Doctrina Ioannis Papae XXIII, in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* exposita, quae ulteriori gressu progreditur, omnibus bene nota est et nimis recens ut repeti debeat ...[8]

In allocutione sua, anno praeterito Romae habita, coram repraesentantibus e Nationibus Unitis, Beatissimus Papa noster Paulus dixit: « Ecclesia etiam praeoccupata est cum problemate, vestro problemati simili. Hoc est problema de libertate religiosa. Tanti momenti et amplitudinis est hoc problema ut Concilium Oecumenicum ad illud se convertat. Exspectare licet promulgationem documenti de hac re, quae summi momenti est *et*[9] non modo pro Ecclesia, verum etiam pro iis omnibus — ingenti numero — qui credunt declarationem hac de re seipsis pertinere ». Hactenus verba Summi Pontificis.

Omnibus patet mundum exspectare a Concilio Oecumenico declarationem de libertate religiosa ...[10]

Doctrina ...[11] quae invenitur in schemate est sana et salutifera et cum corpore doctrinae ab Ecclesia traditae omnino congrua. Manet in votis perardentibus ut schema a Patribus quasi una voce adprobetur.

In textu scripto tradito: [1] de libertate religiosa. [2] opinione. [3] et irreformabilem. [4] deest. [5] Instanter quidem Leo declarat veritatem et errorem, bonum et malum, eodem titulo in ordinem iuridicum ingredi non posse contra sophismum rationalistarum; verum et bonum in ordine iuridico positive approbari posse; errorem et malum nonnisi tolerari posse. In sensu concreto et iuridico sic solummodo rationabiliter intelligi potest dictum de errore nullum ius habente, nam error est « abstractio » ab ordine reali seiuncta. Dictum aliter intellectum sterile et infructuosum est; nam iura proprie dicta in personis inhaerent; minime vero in « abstractionibus ». [6] anni 1942. [7] Ex ingenti mole epistolarum et allocutionum Pii Papae XII principia schematis colligi possunt. Verum est ipsum clarissimum Pontificem in unum systema principia illa non collegisse nec explicite ad nostras conclusiones pervenisse: Principia tamen in scriptis eius manent quae ad doctrinam in schemate declarationis propositam vere ducunt.

[8] Non est negandum in actis Pii Papae XI et Pii Papae XII inveniri posse scripta quae citari possint pro mera tolerantia potius quam pro vera libertate religiosa. Attamen in comperto est Leonem aperuisse portam per quam, cum propriis donis, progrediebantur Pius Papa XI et Pius Papa XII et Ioannes Papa XXIII in via ad doctrinam huius schematis cuius semina ab initio Ecclesiae in traditione et Sacra Scriptura fuerunt. [9] deest. [10] Pro mundo opus est talis declarationis, nam nisi ius ad libertatem religiosam admittatur, vana est spes pacis verae et perennis. Pro Ecclesia opus est talis declarationis, nam ubi Ecclesia nunc reprimitur, hoc ius ad libertatem requiritur ut reviviscat; ubi Ecclesia in catenis languescit, hoc ius ad libertatem religiosam Ecclesiam liberabit; ubi Ecclesia tantam habeat spem de futuro, nempe in novis et emergentibus nationibus, libertas religiosa vera est tutela optanda ut floreat. [11] libertatis religiosae.

Moderator: Suffragatio IV super integro cap. I *de divina revelatione.*

Secretarius Generalis: Proponitur suffragatio super prooemium et cap. I schematis *de divina revelatione.*

Patres venerabiles, hoc prooemium et primum caput quod lectum est *placet* vobis, *non placet* an *placet iuxta modum?* Ergo triplici formula.

Qui modos apponere volunt, eos tradant una cum schedula suffragationis.

7

EM.MUS P. D. AGNELLUS CARD. ROSSI

Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia

Venerabiles Patres,

Nomine 82 episcoporum brasiliensium, qui nobiscum convenire potuerunt, vobis alloquar de declaratione circa libertatem religiosam, cuius textum sincere laudamus, propter eius opportunitatem, synthesim ac profunditatem. Opportunitas demonstratur ob anxietatem, qua mundus universus eam exspectat. Ad perspectivam iuridicam sese delimitantes, vitando nempe ulteriorem theologicam inquisitionem, invenerunt redactores, ut tenemus, unicam loquelam possibilem, ut ab omnibus intelligantur et acceptentur, siquidem problema libertatis religiosae ab hominibus nostri temporis sic ponitur. Demum, totam expositionem fundando in ipsa dignitate personae humanae, ad imum fundamentum descenditur omnium libertatum ac iurium inter homines, nempe ipsa hominis natura, Dei opus et imago.

Quasdam emendationes concretas, cum specificatione numeri Patrum qui unicuique adhaeserunt, secretariatui scripto mittemus.

Coram vobis, autem, venerabiles Patres, exponere cupimus quae

maioris momenti nobis videntur et in quibus convenit unanimitas vel saltem longe maior pars eorum in quorum nomine loquor.

Prima quaestio est de conceptu ipsius rei religiosae, circa quam exponitur libertas conscientiae. Non nobis supervacaneum videretur, quamvis non facile, conamen breviter dicendi quid tandem aliquando intelligendum sit per « rem religiosam », vel saltem quid, sub dicta denominatione, non potest intelligi ut abusus vitentur. Optatum istud peritorum commissionis conciliaris confidimus.

Secundo et instanter petimus, quod numerus vel paragraphus addatur de consectariis pastoralibus. Si pastorale enim est Concilium, si pastoralis esse vult ipsa declaratio, ut fatentur redactores, et si quaestio tam urgens et practica est, omnino omitti non possunt quaedam consectaria pastoralia ad in praxim declarationem efficaciter applicandam, quod in brevi conclusione non videtur sufficienter contineri. Ita erunt, exempli tantum gratia, aedificatio fidei ut personalis et non mera hereditaria adhaesio Christo Domino; efformatio conscientiae christianae communitatis in actione apostolica fidelium, et sensus paupertatis Ecclesiae, quae ad suam missionem explendam spem in potestati civili reponere nequit.

Tertia quaestio, hic in aula iam ab aliis agitata, etiam nostrum episcopatum dividens, est de sic dicto « statu confessionali », quae ut exponitur pag. 11, linn. 13-20 nondum placet. Longe maior pars episcoporum, quorum nomine loquor, suam adhaesionem exprimere vult illae formulationi conditionatae, quam exposuit em.mus card. Alfrink, quaeque meliores conditiones habet diversas opiniones conciliandi.

Quarto, specialem attentionem vestram vocare volumus ad quaestionem historicam, de modo agendi Ecclesiae, hac in re saeculis elapsis. Commissio conciliaris difficultatem rei non ignoravit. Attamen, proposita solutio in pag. 14, linn. 7-13, adhuc non placet. Plurimi ex nostris vellent rem simpliciter omitti, cum veritas historica nondum adhuc sufficienter explorata sit. Alia vero dimidia pars cohaerens positioni illae in decreto *de Oecumenismo* expressae, in quo Deo et hominibus errorem fatentes veniam petimus de culpis circa unitatem commissis, mavult ut sincere fateamur errores praeteritos circa libertatem conscientiae in re religiosa, in posterum committendos non esse. Sincera retractatio errorum auget apud homines conscientiam sinceritatis nostrae doctrinae. De cetero, omnes sumus concordes quaestionem, loco in quo invenitur, extra locum esse.

Postremo, instantem sollicitationem commissioni conciliari proponimus, scientes ac fatentes validitatem positionis assumptae et in pag. 39 ad n. 8 a redactoribus expositae. Certo, quaestiones de libertate conscientiae intra ambitum familiae, immo et inter operarios et laboris da-

tores, sine detrimento declarationis omitti possunt. Ast, cum quaestio tam gravis sit et urgens, vos enixe rogamus, ut saltem per transennam, illa agnita sollertia quam habetis, aliquomodo eam tangatis.

Has observationes, venerabiles Patres, ceterasque quae scripto mittemus, velitis accipere, tamquam fraterna cooperatio plurimorum episcoporum brasiliensium, ad felicem exitum operis omnibus nobis communis, scil. opus veritatis, et libertatis et pacis. Dixi.

Emendationes additae:

Textus laudandus propter opportunitatem, concisionem et profunditatem quaestionum quae in eo tractantur. Quaedam tamen maioris vel minoris momenti, corrigenda vel melius exprimenda videntur. *Opinio unanimis.*

N. 2, pag. 6, lin. 4: cum sermo sit in toto schemate de *libertate religiosa* peropportunum nobis videtur ante omnia clare et praecise declarare quid intelligatur per verba: « in re religiosa » ut notum fiat quid significet libertas in casu. *Adhaeserunt* 74.

N. 2, pag. 6, lin. 26: *ubi legitur*: « ... ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera et de unica Christi Ecclesia », *dicatur*: « ... intactam relinquit doctrinam *quam tenet catholica Ecclesia* de unica vera et de unica Christi Ecclesia ». *Ratio*: sic textus clarior fit et melius exprimitur agi de doctrina quae ab Ecclesia catholica docetur. *Adhaeserunt* 81.

N. 3, pag. 7, linn. 11-13, *ubi legitur*: « Dictamina vero huius legis divinae homo semper percipit et agnoscit mediante conscientia sua » *dicatur*: « homo percipit et agnoscit mediante conscientia sua ». *Ratio*: ne ingrediatur in discussione problematis de extensione cognitionis legis naturalis. *Adhaeserunt* 79.

N. 4, pag. 10, lin. 10: post verba « iura laedat aliorum » *addatur*: « vel noceat graviter et manifeste necessario progressui oeconomico et sociali ipsius communitatis ». *Ratio*: in textu quando sermo est de interventu Status nihil omnino dicitur de dimensionibus et exigentiis socialibus huius interventus. Quod quidem dolendum videtur praesertim nostris diebus cum vividior evadit conscientia harum exigentiarum specialiter in regionibus illis quae in via progressus (développement) inveniuntur. Religio enim unquam impedire potest verum ac necessarium progressum oeconomicum et socialem communitatis, immo illum adiuvare debet. Aliquando vero hoc non accidit. Secundum expositiones sociologicas, cultus v. g. animalis sacri in India unum ex factoribus est defectus progressus illius regionis. *Adhaeserunt* 36.

N. 5, pag. 11, linn. 13-20: circa hanc paragraphum duae proponuntur observationes:

Prima: *textus conservandus est*: tum quia non videtur negandum communitatibus ius affirmandi, per eorum iuridicam institutionem, i. e. per Publicam Constitutionem ipsius Status, in quod tenetur ut conscientia collectiva populi; tum quia ea quae maiori parti communitatis placent iura acquisita fiunt totius communitatis quin inde minoris partis iura laedantur. *Adhaeserunt* 15.

Secunda: *textus est supprimendus*: etenim, experientia historica teste, *specialis agnitio uni communitati* facta practice exercitium ipsius libertatis religiosae impe-

dit et opponitur illi aequalitati iuridicae nunquam laedendae propter rationes religiosas de qua agitur in pag. 10, linn. 20-21 huius schematis. *Adhaeserunt* 14.

Textus modificandus iuxta propositionem conditionatam ab em.mo card. Alfrink in aula propositam. *Adhaeserunt* 52.

N. 6, pag. 12, linn. 5-8, *ubi legitur*: « Communitates religiosae ius habent ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda legitimis exigentiis ordinis publici non violatis » *legatur*: « Communitates religiosae ius habent ne impediantur in sua fide docenda ac testanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis, omnibus mediis hodiernis communicationum socialium adhibendi ». *Ratio*: ut ostendatur nexus cum textu promulgato circa media communicationis socialis. *Adhaeserunt* 76.

N. 7, pag. 12, linn. 24-30: in pericope gravis omissio videtur adesse quatenus possibiles coactiones libertatis religiosae intra limites ipsius familiae non perpenduntur (v. g. in matrimoniis mixtis). *Adhaeserunt* 52.

N. 9, pag. 13, lin. 36: post verba « (*Rom.* 8, 21) » *addatur*: qua revera Deo « rationabile obsequium » (*Rom.* 12, 1) praestant. *Ratio*: textus magni momenti non omittendus. *Adhaeserunt* 74.

N. 9, pag. 14, linn. 7-13: Circa hanc paragraphum duo alternative proponuntur:

Primum: *tota paragraphus est supprimenda*: tum ex vera difficultate exponendi exacte et obiective tam complexam quaestionem historicam de modo agendi Ecclesiae hac in re saeculis elapsis, tum ut norma servetur ab ipsis redactoribus schematis proposita (cf. pag. 37, VIII, 6): « partes textus quae... non sunt necessariae et maiores difficultates provocant omittendae sunt ». *Adhaeserunt* 40.

Secundum: *paragraphus est conservanda* sed maiori cum obiectivitate ac fidelitate veritas historica exponatur et ad aptiorem locum remittatur (v. g. in conclusione). *Adhaeserunt* 42.

N. 10, pag. 14, lin. 40 - pag. 15, lin. 4: alineae istae supprimantur. *Ratio*: non videtur admittenda interpretatio iuxta quam intentionem Christi fuisse, cum aliqua miracula renuit patrare, assensum fidei ab hominibus non bene dispositis non extorquere. *Adhaeserunt* 77.

N. 14: Opportunum nobis videtur paragraphum specialem addere de pastoralibus applicationibus libertatis religiosae ut saepe factum est in aliis schematibus. Inter alia haec proponuntur:

1. Doctrina de libertate conscientiae in re religiosa Ecclesiae ostendit viam illius *paupertatis evangelicae,* in qua ad suam missionem implendam nullatenus Ecclesia a protectione et privilegiis Status pendere debet vel in eis suam spem reponere.

2. Actio pastoralis, sub luce istius doctrinae, renovanda erit in linea educationis fidei et conscientiae communitatis, ita ut christiani magis ac magis exculti ac conscii fiant eorum responsabilitatis ac missionis apostolicae.

3. Denique sub luce istius doctrinae etiam ante revisionem Codicis Iuris Canonici praxis disciplinae ecclesiasticae quoad poenas innovetur. *Adhaeserunt* 77.

Observatio generalis: perspectiva iuridica Declarationis videtur potius respicere institutiones Iuris Publici, nempe Statum et Internationales Organizationes. Quaeritur: nonne opportunum esset rationem habere etiam de institutionibus privatis, verbi gratia quae regunt relationes inter operarios et datores laboris, ubi non raro vera coactio libertatis religiosae etiam habeatur? *Adhaeserunt* 69.

[*Subscripserunt*] Agnelo card. Rossi, Oscar de Oliveira, Antonio de Almeida Moraes Jr., Manuel Pereira da Costa, Daniel Tavares Baeta Neves, Honorato Piazera, Belchior da Silva Neto, Walmor Battu Wichrowski, Climério Almeida de Andrade, Bernardo José Bueno Mieli, José Alberto Lopes de Castro Pinto, João Batista da Motta e Albuquerque, Candido Julio Bampi, Luiz Gonzaga da Cunha Marelim, José Vicente Távora, José Terceiro de Souza, Aniger Francisco Maria Melillo, João Hoffmann, Augusto Petró, Vicente de Araujo Matos, José Batista Pereira, Gentil Diniz Barreto, José D'Angelo Netto, Ruy Serra, José Costa Campos, Jaime Luiz Coelho, Guido Maria Casullo, Frei Gregorio Alonso, João de Souza Lima, Benedito Zorzi, Romeu Alberti, José Varani, Othon Motta, Quirino Alwin Schmitz, Altivo Pacheco Ribeiro, Stanislau van Melis, José Maria Pires, Gerardo Ferreira Reis, Hamleto de Angelis, Walfrido Teixeira Vieira, Acácio Rodrigues Alves, José de Medeiros Delgado, Alberto Gaudêncio Ramos, Antonio Batista Fragoso, Jorge Marcos de Oliveira, Helder Pessoa Camara, Augusto Carvalho, Alfonso Maria Ungarelli, Amadeo Gonzalez Ferreros, José Mauro Alarcon Santiago, João Rezende Costa, Tomás Vaquero, José de Medeiros Leite, Silvio Maria Dario, Frei Felicio Cesar Cunha Vasconcellos, Waldir Calheiros, José Lamartine Soares, Carlos Schmitt, José Thurler, José Nicomedes Grossi, Candido Padim, Antonio Barbosa, Luiz Gonzaga Peluso, Afonso Niehues, Gabriel Bueno Couto, José Bezerra Coutinho, Eugenio de Araujo Sales, Wilson Schmidt, José Gomes, Fernando Gomes dos Santos, Milton Corrêa Pereira, Marcos Antonio Noronha, David Picão, Anselmo Pietrulla, João José da Motta e Albuquerque, Henrique Gelain, José Pedro Costa, Frei Alquilio Alvares, Francisco Austregésilo Mesquita, José Newton de Almeida Batista, Gregorio Warmeling, Serafim de Araujo.

8

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Ea quae nunc dicturus sum respiciunt schema nostrum fere unice sub aspectu doctrinae theologicae.

Bene *scimus* [1] quod hodie quamplurimae civitates non sunt catholicae sed vel acatholicae vel mixtae religionis. Bene quoque agnosco quod in regimine civitatum, etiam catholicarum, oporteat rationem habere boni communis totius familiae humanae. Ratio autem secundum quam gubernium civitatis disponi debeat, determinanda est, attento bono communi, omnibus aeque consideratis secundum altam prudentiam regitivam.

Nihil dicere volo quod ullatenus affligeret dilectos nostros fratres seiunctos. Confido omnino in eorum rectitudine secundum quam desiderant ut omni sinceritate proferam ea quae doctrinaliter mihi dicenda videntur.

Doctrina Romanorum Pontificum respectu libertatis religiosae numquam fidem non volenti imposuit, sed tria praecipue intendit: *a*) ut in civitate, maxime catholica, fides populi prudenter tueatur; *b*) ut in civi-

tate catholica, auctoritas catholica publica aeque, iuste, et benigne se gerens erga subditos non catholicos, amico foedere cum Ecclesia religionem catholicam promoveat; *c*) ut in civitate mixtae religionis, auctoritas publica aeque, iuste et benigne se gerat erga Ecclesiam.

Schema nostrum in suis elementis magis essentialibus sic reassumi potest:

1. Libertas religiosa hic ponitur ut ius quoddam naturale sive individuorum sive communitatum ad habendum ius civile in societate ad professionem religionis, non solum prout haec religio intelligitur ut simplex cultus veri Dei, sed insuper prout intelligitur ut quaecumque forma cultus divini a propria sincera conscientia admissa et approbata, necnon ad eam publice, ore et scripto, intra certos limites, docendam ...[2]

2. Istud ius naturale hic ponitur ut proxime fundatum in dignitate personae humanae ...[3]

3. Potestas civilis ex eo quod ad ordinem temporalem restringitur, incompetens hic exhibetur respectu istius iuris, nisi ea mensura in qua, respectu eiusdem, ordo temporalis involvitur ...[4]

4. Limites seu conditiones intra quas libertas religiosa, ita intellecta, exerceri potest sunt, secundum schema, ut per eam: *a*) neque ordo publicus turbetur; *b*) neque moralitas publica violetur; *c*) neque iura aliorum laedantur ...[5]

Nunc,[6] quoad fundamentum proximum allatum, scil. dignitatem personae humanae, plura utique dici possent. Impraesentiarum notandum est maximam dignitatem personae humanae consistere in sua elevatione ad ordinem supernaturalem per fidem et per virtutes quae in fide fundantur. Haec dignitas exigit ut fides prudenter tueatur, et ut religiones quae in fide supernaturali non fundantur, non sinantur ut fidei noceant. Utique, nihil faciendum est quod profitentibus istas religiones ullam iniuriam faciat, sed in *omni*[7] caritate et benignitate tractandi omnino sunt, et opiniones eorum secundum dictamen caritatis *omnino*[8] sunt sustinendi, sed iura iuribus fidei quodammodo aequalia istis opinionibus non competunt. Absonum ergo esse videtur ut concedatur *ius* tales opiniones spargendi in civitate catholica per *publicam*[9] praedicationem vel librorum diffusionem.

Quoad fundamentum remotius quod ponitur, scil. potestatem auctoritatis civilis restringi ad temporalia et ita non extendi ad ea quae religionem respiciunt, *dico*[10]: hoc partim est verum et partim non est verum.

Utique, ex sua nativa qualitate, potestas civilis ordinatur ad procurandum bonum temporale commune, eo tamen fine ut cives optime vi-

vant secundum omnem virtutem intellectualem et moralem, religione inclusa.

Homines tamen qui civitatem regunt, sicut cives qui reguntur, possunt, ex motivis credibilitatis et per gratiam Dei, discernere veram fidem eamque amplecti, et, si civitas ex catholicis constituatur, rectores tenentur eos regere attentione habita ad veram fidem quam profitentur, et in qua summum eorum bonum consistit.

Quoad conditiones, seu limites libertatis religiosae in schemate allatos, observo:

a) De prima nihil habeo dicendum.

b) Sed de secunda quaeri potest: an publica diffusio alterius religionis in civitate catholica sit, vel non sit, violatio publicae moralitatis? Videtur quod ita sit. Offensio fidei catholicae per publicam diffusionem talis religionis tangit, sine dubio, publicam moralitatem in civitate catholica.

c) De tertia conditione item quaeri potest: an publica diffusio talis religionis in civitate catholica laedat vel non laedat iura aliorum? Item videtur quod laedat ista iura. Cives enim catholici ius habent ut religio eorum non exponatur alicui periculo sive quoad seipsos sive quoad eorum prolem.

Et adiungo: Deus quoque ius habet ut religio ab Eo instituta et a populo christiano in aliqua civitate *catholica* [11] amplexata, a periculis prudenter tueatur.

His omnibus consideratis, mihi videtur schema secundum ea adhuc corrigendum esse.

Immo humiliter existimo quaestionem de libertate religionis hodie ita fere proponi posse, et forte debere, *scil.* [12]: « Quanam ratione hodie se gerere debeant, quoad libertatem religionis, rectores civitatum quae unius, fere, catholicae religionis sunt, intuitu *veri* boni communis propriae respective civitatis, attento bono religionis aliarum quoque civitatum immo totius humanae familiae? ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] agnosco. [2] (cf. pag. 6, linn. 5-8; pag. 11, linn. 21-15; pag. 12, linn. 4-7; pag. 16, linn. 1-4; pag. 17, linn. 15-24). [3] (cf. pag. 5, linn. 15-18; pag. 6, linn. 6-8; pag. 7, linn. 11-14; pag. 13, linn. 1-5). [4] (cf. pag. 6, linn. 10-15; pag. 8, lin. 30; pag. 9, lin. 13). [5] (cf. pag. 8, linn. 7-8; ib. lin. 25; pag. 10, linn. 5-13). [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit suffragationem V *de divina revelatione.*

Secretarius generalis: Videatis pag. 14 [*cf. pag. 348 n. 7*]. Ergo: *placet* vel *non placet?* Patres, qui sunt extra locum, velint ad suum locum redire; secus quomodo fiet suffragatio?

9

Em.mus P. D. IOSEPH card. CARDIJN

Venerabiles Patres,

Liceat mihi, quamvis novissimo, relate ad libertatem religiosam — cuius schema mihi valde placet — vobiscum humiliter communicare conclusiones procedentes ex sacerdotali apostolatu quo fere iam sexaginta annis functus sum, in omnibus mundi plagis, pro aetatis huius iuvenibus atque opificibus.

Sollemnis et clara proclamatio iuridicae libertatis religiosae omnium hominum in quavis regione degentium, mihi videtur esse urgentis necessitatis.

1. *Haec est prima ratio*: unificatio pacifica mundi pluralistici.

Mundus hodiernus mundus est qui in dies magis unus fit, et in quo conflictus gentium et culturarum paulatim evanescant oportet.

Sicut Sua Sanctitas Papa Ioannes XXIII mirabiliter exposuit in *Pacem in terris,* magnum officium nobis est ut omnes communiter, cum cunctis hominibus bonae voluntatis, mundum humaniorem exstruamus, fundatum « in veritate et iustitia, libertate et amore ». Atqui conditio fundamentalis ut homines pacifice communiter vivant et *fecunda collaboratione sincere* [1] collaborent est sincera observatio libertatis in re religiosa.

Persuasiones philosophicas et religiosas aliorum non observare magis magisque persentitur ut signum diffidentiae erga *alios,* [2] et quidem in materia quae consideratur ut maxime sacra et personalis. Talis diffidentia impossibilem reddit mutuam fidem sine qua non datur vera vitae communio et in laborando efficax consociatio.

E contra, hac mutua fide regnante, felicissima oriri potest laborum consociatio, non tantum in rebus scientificis et technicis, sed etiam in campo sociali, culturali, paedagogico et morali.

Si Ecclesia, sine ambagibus, libertatem religiosam promovet et propugnat, omnes cum fiducia agnoscent ipsam velle partem sumere in aedificando mundo magis humano et unificato. Recusata vero hac declaratione, magna evanesceret spes, praesertim apud iuniores *huius mundi.* [3]

2. *Altera ratio* est efficacitas actionis apostolicae, missionalis, oecumenicae.

In mundo qui unificatur, praesentia Ecclesiae inter homines necessario formam novam praebet.

In maiore parte orbis, christiani sunt numero paucissimi. Ecclesia, ut missionem suam adimplere possit, niti iam non valet sicut in Medio Aevo et sicut sub regiminibus colonialibus *saepe* [4] contigit, auxilio potestatum temporalium, sive politico, sive oeconomico, sive culturali; sed unice inniti poterit virtute Verbi divini, paupertate evangelica et puritate testimonii sui, exhibita in authentica vita laicorum, et demum benevolenta populorum inter quos vult vivere et testis fidei esse. Haec autem benevolentia populorum nihil aliud est quam quod nominavimus libertatem religiosam. Sed quomodo Ecclesia in illis populis inter quos numero minor est, exspectare poterit ut libertatem religiosam observent, si ipsa Ecclesia alte non proclamet aut exercere neglegat hanc libertatem religiosam in illis regionibus ubi numero maior est?

Haec proclamatio libertatis religiosae non tantum magni momenti est pro efficacitate actionis apostolicae et missionariae generatim sumptae, sed est etiam conditio sine qua non motus oecumenici.

Nos omnes scimus fratres nostros non-catholicos existimare hanc declarationem esse gradum necessarium in via ad oecumenismum sincerum et efficacem.

3. *Tertia ratio* est valor educativus et paedagogicus libertatis religiosae.

In schemate agitur de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa. Haec libertas, sic iuridice sumpta, non est finis in se. Ipsa est *conditio,* [5] medium necessarium ad educationem libertatis sensu presso, quae ducit ad libertatem interiorem vel libertatem animae, qua homo fit ens autonomum, (*personne* [6]) responsabilis erga societatem et Deum, et paratus, si necesse est, potius Deo oboedire quam hominibus.

Haec libertas interior lenta tantum sequitur institutione et colenda est per triplicem methodum: videndo, iudicando, agendo. Si, Deo iuvante, apostolatus noster per sexaginta annos vanus non fuit, id effectum est quia non voluimus iuniores longe arceri a periculis, abstractos a *suo sociali* [7] vitae et *laboris,* [8] sed fidem fecimus illorum libertati ut haec libertas melius educaretur. Eos adiuvimus in videndo, in iudicando, in agendo per se ipsos, in instituendo per ...[9] ipsos actionem socialem, culturalem, *apostolicam* [10] in libere oboediendo normis auctoritatis, ut fierent adulti testes Christi et Evangelii, *atque* [11] scirent se rationem reddere debere de fratribus et sororibus in mundo toto. In mundo qui unificatur ...

Moderator: Em.me Domine, tempus explicit!

Orator: In mundo qui unificatur iam non possibile est iuniores seorsim educare sine coniunctione cum mundo reali. Complures ex iunioribus fidem amittunt propter educationem puerilem. Sola informatione solida ad libertatem interiorem iuniores nostri possunt fieri christiani adulti. Obiicitur ...[12]

Moderator: Parcas mihi, em.me Domine, tempus iam transactum est!

In textu scripto tradito: [1] fecunde. [2] ipsos. [3] deest. [4] fieri. [5] deest. [6] deest. [7] sua societate. [8] operum. [9] se. [10] deest. [11] utque. [12] Obiectio. Obiicitur regimini libertatis multa inesse pericula: pericula indifferentismi, diffusionis errorum, abusus ignorantiae multitudinum et passionum. Ad haec respondebo duobus: 1. Me non fugiunt pericula: nonnulli forsan libertate religiosa abutentur, sed illa pericula minora sunt quam pericula quae oriuntur ex suppressione et oppressione libertatis religiosae. « Regimina absoluta » quae, etiamsi contendunt se Ecclesiae opem ferre, loco formationis personalis ponunt pressuram socialem, favent anti-clericalismo et de facto turbas adducunt ut insurgant contra fidem et Ecclesiam. 2. Pericula regimini libertatis inhaerentia debent eludi modo positivo: v. g., concordia internationali proba et sincera inter auctoritates civiles et auctoritates religiosas; sed praesertim institutione et educatione humana, morali et religiosa, quibus iuniores et adulti acquirunt conscientiam responsabilitatis propriae. Conclusio. Concludendo haec liceat proponere: Quarta Synodi periodus et tota haec Vaticana Synodus concludatur sollemni et quasi fulgenti actu: actu, dico, quo Beat.mus Papa noster Paulus VI una cum universis Patribus, sollemniter proclamaret libertatem religiosam et urgeret omnes Confessiones, omnes ideologias, omnes auctoritates et institutiones, ut conveniant atque consentiant ad libertatem religiosam servandam et tuendam; ad exigentias ordinis publici recte et honeste definiendas; ad quaerenda et stabilienda media apta ut efficaciter servetur libertas religiosa in toto mundo.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit suffragationem VI *de divina revelatione*.

Secretarius generalis: Videatis pag. 14, n. 8 [*cf. pag. 349*].
Patres, *placet* an *non placet?*

10

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. Spiritus Sancti

Venerabiles Patres,

Breviter mihi videtur principia declarationis *de libertate religiosa* sic exprimi posse: « Libertas religiosa fundata in dignitate personae humanae exigit aequabilitatem iurium pro omnibus cultibus in societate civili. Unde societas civilis neutra esse debet et protectionem religionum intra limites ordinis publici praestare debet ».

Talis est — *mihi videtur* [1] — conceptus libertatis religiosae qui a redactoribus nobis proponitur.

Hic conceptus estne novus vel iam a multis saeculis affirmatur?

Ipse relator in pag. 43 respondit huic quaestioni. Ita scribit: « Longiori porro evolutione historica, positiva, morali perventum est ad hunc conceptum, qui nonnisi saec. XVIII valere coepit ».

Hoc dicendo — *mihi videtur* [2] — ruit ipso facto tota argumentatio declarationis. Etenim, ubive coepit valere hic conceptus? in Ecclesiae traditione vel extra Ecclesiam? Evidenter coepit apud sic dictos philosophos saec. XVIII: Hobbes, Locke, Rousseau, ...[3] qui in nomine dignitatis rationis humanae conati sunt destruere Ecclesiam, provocando occisionem innumerorum episcoporum, sacerdotum, religiosarum, fidelium.

Hunc conceptum in medio saec. XIX catholici liberales cum Lammenais conati sunt accommodare cum doctrina Ecclesiae et damnati sunt a Pio IX.

Hunc conceptum quem « ius novum » vocat in sua Encyclica *Immortale Dei* sollemniter damnavit Papa Leo XIII ut contrarium sanae philosophiae et contrarium Sacrae Scripturae et Traditioni.

Hunc eumdem conceptum, hoc « ius novum » damnatum multoties ab Ecclesia, nobis Patribus Concilii Vaticani II commissio conciliaris proponit ad subscribendum et subsignandum.

In nomine huius conceptus, i. e. in nomine dignitatis personae humanae, communistae volunt omnes homines atheos fieri et legitimant persecutiones contra omnes religiones.

In nomine ordinis publici servandi, multae societates civiles scholas et institutiones Ecclesiae nationalizant, ad unitatem politicam creandam.

Nonne — *possumus dicere* [4] — Iesus Christus Ipse in nomine ordi-

nis publici fuit crucifixus et in hoc nomine omnes martyres passionem subierunt?

Hic conceptus libertatis *religionis non* [5] est conceptus ... [6] Ecclesiae.

Hoc anno editus est liber a Massone Yves Marsandou, « *L'Ecumenismo visto da un Massone di tradizione* », [7] in quo exprimit spem Massonum ut Concilium nostrum libertatem religiosam sollemniter proclamet. Item Protestantes in eorum Sessione in Helvetia exspectant a nobis subsignationem declarationis sine ulla imminutione terminorum — *sic dicitur.* [8] Quid amplius volumus ad nostram informationem?

Ut dicit Leo XIII, hoc ius novum est « ad interitum omnium religionum nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus sit vera exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest ».

Sed denique tandem in quonam puncto deficit tota ... [9] argumentatio quae nequit probari neque a Traditione, neque a Sacra Scriptura, et quae vult esse probata a ratione.

Haec est ratio cur non potest probari a ratione: quia praescindit a definitione notionum libertatis, conscientiae, dignitatis humanae personae.

Etenim si definiuntur hae notiones, ruit argumentatio.

Equidem hae notiones non possunt in sana philosophia definiri nisi relate ad legem divinam.

Libertas nobis datur ad spontaneam observationem legis divinae. Conscientia est lex divina naturalis in cordibus nostris et post gratiam baptismi lex divina supernaturalis.

Dignitas personae humanae acquiritur per observantiam legis divinae.

Qui resistit legi divinae in hoc non est dignus.

Numquid damnati adhuc dignitatem habent in infernis?

Impossibile est in veritate loqui de libertate, de conscientia, de dignitate personae nisi relate ad legem divinam.

Ipsa observantia legis divinae est criterium dignitatis.

Homo, familia, societas civilis dignitatem habent in quantum legem divinam observant.

Ipsa lex divina regulas nobis indicat ad usum libertatis nostrae.

Ipsa lex divina mensuram coactionis exhibet pro auctoritatibus a Deo constitutis.

Ipsa lex divina dat mensuram libertatis religiosae.

Cum sola Ecclesia Christi integre et perfecte possidet legem divinam naturalem et supernaturalem, eaque sola mandatum accepit legem divinam docere et media accepit ad eius observantiam, in ipsa enim invenitur vere et realiter Iesus Christus qui est lex nostra, ipsa sola verum ius habet ad libertatem religiosam.

Alii cultus in quantum hanc legem divinam aliquo modo observant dici possunt habere aliquem titulum ad publicam existentiam et activitatem. Hic incidimus in casibus particularibus ubi existunt multae varietates quae casus per casum iudicari possunt.

Lex divina est clavis totius huius quaestionis de libertate religiosa, quia est norma fundamentalis ipsius religionis, et criterium bonitatis et dignitatis totius activitatis humanae. Loqui non possumus de re religiosa abstrahendo a lege divina. Idem est finis qui religat et obligat, testibus Veteri Testamento et populo electo, pro quibus Lex divina in tabulis inscripta eamdem venerationem habebat ac ipse Deus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Voltaire. [4] deest. [5] religiosae. [6] adversariorum. [7] « L'Œcuménisme vu par un Maçon de tradition ». [8] deest. [9] haec.

11

Exc.mus P. D. IOANNES GRAN

Episcopus Osloënsis

Venerabiles Patres,

Schema declarationis *de libertate religiosa* profecto breve est sed maximi momenti. Est quasi probatio nostrae et Ecclesiae catholicae sinceritatis erga familiam humanam universalem hodie.

Materia satis difficilis est, ut probant iam exantlati labores necnon textus emendationes et reemendationes. Libertas nempe ad rem religiosam multipliciter refertur.

Attamen mihi *placet, immo* [1] valde placet haec declaratio sicut *nunc* [2] suffragiis nostris proponitur.

Quia agitur solummodo de iure civili hominum, tam privatim quam publice, et intra debitos limites agendi iuxta eorum conscientiam, apparet nullam contradictionem existere inter sic acceptam religiosam libertatem et religionis christianae principia: haec libertas neque missionarium Ecclesiae fervorem minatur neque in dogmaticis rebus relativismum fovet neque praeceptum veritatis tam quaerendae quam serviendae frangit. Non est scil. ius erroris — cum subiectum iuris tantum possint esse personae physicae et morales — sed ius omnium membrorum humanae familiae a Deo vocatorum ad libere ipsi Deo adhaerendum.

Declaratio bene apta est ad illas nimis absolutas declarationes saeculi praeteriti complendas, quae cum illius temporis angustiis congruebant.

Hodie patet tam humanae rationis profectum quam Novi Testamenti spiritum tale complementum poscere. Sed ecce iam rogant declarationis adversarii ut integra paragraphus de modo agendi Christi et apostolorum supprimatur, quasi reluctantes suam opinionem cum Christi et apostolorum exemplo comparare.

Placet declaratio in sua praesenti forma praesertim quia accurate respondet quaestioni nobis ab hominibus bonae voluntatis hodie directae: Estne Ecclesia catholica parata ad ius nostrum ad libertatem in re religiosa et conscientiae negotiis tuendum ac defendendum?

Dolenter comperimus nonnullos adhuc opinionem adversam sustinere. Secundum eorum sententiam potest Ecclesia catholica iuste aliis communitatibus religiosis et bonae fidei personis ius ad libertatem denegare quod *ipsa* [3] sibi vindicat, et tamen ex altera parte, in nonnullis circumstantiis, pro sua utilitate, cum illis communitatibus convenire in libertate exigenda. Quod opportunismum sapit. Tempus est duplicitatem talem reicere: iam immane damnum fecit. Et certe nonnisi a perpaucis approbatur, catholicorum maxima parte ab ea abhorrente.

Tamquam membrum coetus episcopatus Sandiae meum est vos, venerabiles Patres, certos facere magnum scandalum fore populis nordicis si Concilium nostrum hic non aperte et sine ambiguitate loquatur. In diaspora vivimus, pusillimus grex sumus. Attamen magna liberalitate fruimur. Quotidie experimur auctoritates civiles regionum nostrarum acatholicarum libertatem nostram religiosam tueri, non quia in omnibus nobiscum conveniunt, sed intuitu nostrae humanae dignitatis. Nonne debemus nos omnia aliis hominibus facere quaecumque optamus ut nobis faciant? ...[4]

Quotidie etiam experimur omnes libertates connexas esse. In nostris hodiernis societatibus maxime interest, ut dicam, « mores libertatis » promovere. Quicumque utilitatem e libertate sibi capere attentat et non omnino aliorum libertates defendit, personarum communitatem corrumpit et nexus humanae societatis solvit. Horum morum observantia apud catholicos conditio sine qua non est aptitudinis Ecclesiae ad libertatem sibi vindicandam.

Quapropter existimo schema declarationis adhuc fortius ad mores libertatis exhortare debere. Multae nationes quae principium libertatis religiosae in suis constitutionibus inscripserunt, hos mores nihilominus de facto parvipendunt. Civium aequalitas iuridica laeditur propter rationes religiosas, non aperte sed sub falsis speciebus. Ideo mihi opportunum videtur in pag. 10, lin. 21 declarationis textui addere verba « apertas aut occultas », ita ut scribatur: « Providendum est, ne civium aequa-

litas iuridica umquam laedatur propter rationes religiosas apertas aut occultas ».

Ecclesia tamen catholica quae saepe tali duplicitate laeditur, non efficaciter contra iniuriam se defendere potest nisi ea ipsa sincere ut intrepidus defensor morum libertatis appareat.

Experientia testatur multos acatholicos sincero corde nos melius cognoscere velle. Unum vero merito expostulant, scil. firmam apud catholicos voluntatem ab omni coactione abstinendi et aliorum libertatem ad sinceram inquisitionem agnoscendi sine ullae potestatis immixtione. Nullus dialogus sine hac mutua liberalitate existere potest.

Nihil habet dubitationis Concilii nostri maiorem partem pro libertate religiosa sincero corde stare, et ideo textum integrum sine imminutione promulgatum iri, praesertim hanc, ut ita dicam, declarationem in declaratione quae sub n. 2 doctrinam breviter contrahit ad usum mundi hodierni. Sed id satis non est: non debet ita adversari in hac aula ut exemplum mundo demus tepiditatis in negotio tanti pro humanae personae dignitate momenti.

Principia nunc satis clara sunt et opportunae distinctiones factae. Ecclesiae et Concilii honor poscit principium de libertate in re religiosa, prout in declaratione exprimitur, unanimiter suffragari. Secus, ut legitimus collocutor vix Ecclesia catholica apparebit.

Certe, modos adhuc possumus proponere ad declarationem emendandam, modos qui secretariatum adiuvare possint ad clarius principia formulanda quae iam praesens declaratio statuit: textus probabiliter melior reddi potest.

Sed ius personae humanae et communitatum ad libertatem in re religiosa ne oppugnemus. Tempus enim est e libertate actus fidei ultimas rationes protrahendi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] hodie. [3] deest. [4] (*Mt.* 7, 12).

12

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAUN

Episcopus Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres,

In primis breviter aliqua particularia ad n. 4. ...[1] Ambitus libertatis religiosae a civili potestate Status limitari potest (dicitur in schemate), ratione ordinis publici tutelae, quae ratio tria bona amplectitur, nempe bonum politicum seu pacem publicam, bonum morale, sive moralitatis publicae tutelam, et bonum iuridicum, quod idem est ac civium concordia in suorum legitimorum iurium exercitio.

Ut vitentur confusae interpretationes huius triplicis boni ordinis publici, expedire censeo, ut in textu huius declarationis super libertate religiosa, succincta definitio, et quam maxime accurata appareat, quam ut mens Concilii circa pacem publicam, publicam moralitatem et civium concordiam habeatur.

De his rebus aliqua praenotare audeo.

Forsan intelligere possumus pro definitione pacis publicae, ille tranquillitatis status, in quo omnes cives suam promotionem ac evolutionem attendere possunt, absque periculo ullius violationis.

Potestas civilis Gubernii restringere potest libertatem religiosam, si haec libertas occasionem praebet discordiae et violentiae, graviter laedens ac nocens pacem civium.

Sed notandum volumus hanc restrictionem libertatis, in multis adiunctis, solum pro tempore permanere; potest enim accidere hanc perturbationem pacis publicae solum a momentanea ac transitoria rerum specialium commotione perventam fuisse.

In hoc ordine definire possumus bonum morale, illam honestatem civilem, ac moralitatem publicam, quae complectitur naturalem rectitudinem moralem actuum externorum in publicis relationibus.

Existimamus in hoc sensu, potestatem civilem Status, quamlibet religionem prohibere posse, si publicam honestatem clariter laederit, utpote quod talis religio, non solum bonum temporale, quod attributioni Status pertinet, sed etiam bonum spirituale clariter nocet, et ideo sibi ipsa contradicitur.

Tertium bonum, i. e. iuridicum, in concordia civium et in libero exercitio iurium legitimorum consistit. Ordo iuridicus naturalis debet esse eius fundamentum et radix, in natura hominum fulcitus. Personae humanae complementum debet esse et suorum iurium fideiussio, complec-

tens libertatem, in iustitia fundatam, sine qua ordo et salus publica evanescunt ...[2]

De alia re relate ad schema in genere.

Ita ut evolvuntur interventiones in aula conciliari, clare duae positiones apparent, quae difficile componuntur, quia ex statutis omnino contrariis procedunt.

Ut humiliter sentio schema suos fines ...[3] Secretariatus pro Christianorum Unione evadit.

Declaratio *de libertate religiosa* problema factum est aperte doctrinale. Quod cum ita sit, quaero: nonne conveniens est, forsan etiam necessarium erit, excogitare et resolvere ut schema tradatur quam citius cuidam subcommissioni, ex iurisconsultis, quibusdam theologis et iuris publici peritis efformatae, qui offerre possint Concilio declarationem quamdam, forsan meram declarationem, de libertate religiosa, quae cuncto coetui acceptabilior sit? *Rationes*:

1. Melius et prudentius mihi videtur, fidelibus et fratribus seiunctis non ita scandali periculosum, ut schema inscribatur « De libertate civili in re religiosa » quam de libertate religiosa in genere.

2. Doctrina de libertate religiosa, tantum in dignitate personae humanae stabilita, matura non apparet.

3. Magni in Sacris Litteris periti affirmant neque hanc neque illam positionem convenienter probari posse, ex locis Sacrae Scripturae.

4. Cum sincera recognitione arduis laboribus commissionis, et cum eadem etiam sinceritate, debemus dicere: non parva Patrum Conciliorum pars, considerat commissionem huius schematis partialem, sive uni tantum sententiae faventem, ideoque obiectivitate carentem, in re de qua agitur.

5. Non agitur tantum de quadam declaratione de libertate religiosa ad fratres seiunctos, ratione qua videtur Secretariatus esse motus ut hoc schema proponeret, quod in eius intentione laudabile credo, et nobile in eius propositio. Res multo latius patet. Nova quaedam doctrina proponitur, de facto libertatis religiosae, et quae profunde ad catholicos et non catholicos attinet.

In textu scripto tradito: [1] Teneor ut declarem aliquid unice de his quae schema statuit intra limites libertatis religiosae, quin significet unam tantum fontem limitationis me existimare, nempe ordinem publicum, ut legitur in n. 4 schematis. Magni momenti esse censeo ut quantum fieri possit statuantur limites et extensio libertatis religiosae, ita ut iura catholicorum sufficienter attendantur, tam eorum qui minorato numero in societate degunt, quam qui copiosa numerositate imminent. [2] Denique concludo hunc votum, referens, paucis verbis, art. 29 n. 2,

declarationis universalis iurium hominum, in Organizatione Universali Nationum, vulgo ONU, in quo summatim refertur duplex limitatio libertatis religiosae, et ita se habet: « In exercitio suorum iurium et in usu libertatum, unusquisque tantummodo constringitur a limitationibus in lege statutis, ad unice assequendam et secure reddendam recognitionem et observantiam iurium et libertatum aliorum, et ad iustas exigentias ordinis moralis, ordinis publici et salutis generalis societatis democraticae persolvendas ». Ioannes XXIII fere similia profert in Litteris iurium personae humanae « Pacem in terris », cum ait: « Omnis humana natura ius habet naturale ad debitum honorem propriae personae, ad bonam famam, ad libertatem inquirendi veritatem, et, intra limites ordinis moralis et boni communis, ad suae mentis acquisitiones patefaciendas et manifestandas ». Propterea poscere audemus inclusionem in textu schematis huius concretae et arctae propositionis, circa modum intelligendi ordinem publicum in eo triplici sensu, sicuti diximus in expositione voti. [3] et fortasse etiam possibilitates.

13

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Venerabiles Patres,

Cum schema declarationis *de libertate religiosa* Patribus Concilii primum propositum est, multi ex nobis profundam animi inquietudinem experti sumus. Videbatur enim Concilium invitari ad doctrinam propugnandam iuxta quam homini insit ius verum et strictum non tantum ad religionem exercendam, *cultu tum privato tum publico*,[1] iuxta propriam conscientiam — quod nemo sanus negabit — sed etiam ius verum et strictum ad cuiusvis generis errores religiosos in societate spargendos. Nobis inquietis videbatur Concilium invitari ad sic, in praxi, pronunciandum coram omnibus fautoribus religionis falsae: « Vos omnes ius habetis rapiendi oves Christi, easque ad pascua venenata ducendi, si potestis ». Hoc nobis videbatur, et adhuc videtur quid prorsus intolerabile.

Deinde decursu disceptationis in aula habitae in ultima sessione, plures Patres sic, plus minusve, locuti sunt: « Nos in hac declaratione non intendimus docere homini inesse ius verum ad falsas religiones propagandas, sed intendimus tantum quod si homo ita agat, tunc ius habet ut non impediatur ab auctoritate civili, dummodo intra limites ordinis publici agat. Qui hoc non intelligit — ita isti Patres — nihil de doctrina in schemate proposita intelligit ».

Et [2] sic facta est clarificatio quae in schemate priore non inveniebatur. Ex una parte, nos inquieti hanc quaestionem apprime considerabamus

sub aspectu theologico-morali. Porro, *sub hoc aspectu* nullum adest ius ad errores in re religiosa propagandos, atque nullum adest ius *absolutum* ut quis non impediatur si ita de facto agat, quamvis actio eius tolerari possit — immo in hodierna societate pluralistica tolerari debeat intra debitos limites — *tolerari debeat*[3] ob bonum commune; i. e., ob pacem et concordiam in societate civili.

Ex parte opposita, autem, Patribus quibus placuit schema ...[4] sic sentiebant: « *Nos*[5] nolumus hanc quaestionem considerare sub aspectu theologico-morali, sed volumus solummodo emittere declarationem pragmaticam, ad hanc unam quaestionem iuridico-civilem coarctatam, nempe: quomodo auctoritas civilis in hac re practice se gerere debeat? ».

Nunc, venerabiles Patres, hic praecise[6] habetur radix dissensionis: An liceat Concilio hanc rem delicatam perpendere solummodo sub aspectu iuridico-civili, praetermisso aspectu theologico-morali? Meo iudicio, omnino non licet si velimus declarationem aequabilem et non-ambiguam emittere.

Nos inquieti sperabamus fore ut commissio, post disceptationem in ultima sessione *habitam,*[7] magni momenti clarificationes in textum reemendatum introduceret. *Sed*[8] frustra.

Quid fecit commissio? Desideriis nostris satisfacere cogitavit in relatione textui declarationis adiuncta, in pag. 47, 48 et 49, ...[9] a relatore lectis, quae absque dubio partem praestantissimam totius documenti exhibent. (*Revera, si relatio fieret textus et textus fieret relatio non amplius essent Patres inquieti*[10]). Ibi enim breviter tractatur aspectus theologico-moralis huius quaestionis. *Sed ad quid*[11] explicationes et concessiones in relatione tantum positae? Ipsa relatio non promulgabitur, quae tamen maioris perspicuitatis est quam textus ipse; et tunc multi catholici, qui textus legent, easdem ac nos habebunt difficultates et anxietates, et multi acatholici exinde haurient interpretationes omnino falsas.

Ut igitur omnis inquietudo de pectoribus nostris tollatur, utque difficultates et erroneae interpretationes ex parte lectorum praecaveantur, et, insuper, ut hoc documentum logice procedat, haec propono:

Primum, in ipsum textum declarationis inseratur, saltem quoad substantiam, ea maximi momenti doctrina quae in pag. 48 et 49 relationis invenitur. Ponatur *hoc corpus doctrinae tanquam extra omnem discussionem.*[12]

Secundum: Illo fundamento posito, scopus valde limitatus declarationis in prooemio explicitis verbis indicetur. Dicatur aperte id quod in relatione, in pag. 48, declaratur, nempe: « Agitur *tantummodo* de hominum conditione iuridica in societate humana ».

Tertium: In sub-titulo declarationis, post vocem « Libertatem » inseratur vox « civilem », ita ut sub-titulus sic sonet: « De iure personae et communitatum ad libertatem *civilem* in re religiosa ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] tum privatim tum publice. [2] deest. [3] deest. [4] propositum. [5] deest. [6] Heic igitur. [7] peractam. [8] At. [9] benigne. [10] deest. [11] Ad quid autem. [12] haec doctrina theologica tanquam fundamentum inconcussum huius quaestionis.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis communicabit exitum suffragationum peractarum.

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitum *I suffragationis* factae hoc mane:

Inter Patres	2.199
Dixerunt *placet*	2.175
non placet	19
placet iuxta modum (nullum) . . .	1
Suffragia nulla	4

Ergo textus est in congregatione approbatus.

II suffragatio:

Praesentes votantes	2.183
Dixerunt *placet*	2.180
non placet: hic nullus habetur.	
Et vota nulla	3

Ergo summa bona est. Placuit etiam alter textus.

III suffragatio:

Praesentes votantes	2.071
Dixerunt *placet*	2.049
non placet	20
Suffragia nulla	2

Ergo etiam hic tertius textus placuit.

Alias suffragationes communicabo crastina et in proxima congregatione generali prosequetur disceptatio circa schema *de libertate religiosa*.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXXII

21 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXII

21 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICE, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 132 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian. Prosequetur discussio schematis *de libertate religiosa.*

Patres venerabiles, Summus Pontifex, qui, uti scimus, die 4 octobris Neo-Eboracum se conferet ad consessum Nationum Unitarum, benigne disposuit ut secum iter facerent aliqui Patres Sacri Concilii qui Concilium, varias nationes et ritus repraesentent. Hi sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Hamletus Ioannes Cicognani, a Secretis Status; Tisserant, Decanus; Agagianian; Gilroy; Spellman; Caggiano; Doi et Rugambwa. Censeo deferendas esse gratias Summo Pontifici qui dignatus est ipsum Concilium quasi repraesentari ubi ille nuntium pacis in nomine Domini afferet [*plausus*].

In hac congregatione, Patres venerabiles, distribuetur vobis *relatio* circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et libellus qui continet nomina eorum qui partem habent in commissionibus conciliaribus: est quarta editio.

Quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* crastina praesto erunt vobis, Patres, versiones in linguas — textus lingua gallica exaratus iam vobis distributus est — in linguam anglicam, hispanicam, germanicam, italicam. In ingressibus huius aulae invenietis illos textus. Unusquisque habeat secum illum textum quem praefert, et puto, qui est propriae linguae. Attamen, uti ibidem notatur, textus officialis, circa quem fiet disceptatio et dein suffragatio, est textus latinus, Patribus iam missus, mandante Summo Pontifice.

Lego nomina eorum, qui adhuc verbo uti petierunt circa schema *de libertate religiosa*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Henricus Dante et Carolus Journet; exc.mi ac rev.mi DD. Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Zambia; Paulus Muñoz Vega, ep. aux. Quitensis in Aequatore; Thomas Holland, ep. Salfordensis in Anglia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Geraldus de Proença, arch. Adamantinus (Diaman-

tina) in Brasilia; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia (Monreale); Michaël Gonzi, arch. Melitensis (Malta); Dionysius Hurley, arch. Durbanianus (Durban) in Africa Meridionali; Ioannes Hervás, ep. Cluniacensis (Ciudad Real) in Hispania; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Ioseph Maria Cuenco, arch. Jarensis in Insulis Philippinis; Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; rev.mus P. Athanasius Welykyj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat; exc.mi ac rev.mi DD. Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Armandus Fares, arch. Catacensis (Catanzaro) in Italia; Marianus Oblak, ep. aux. Jadrensis (Zadar) in Iugoslavia; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii in Italia (Gravina); Hannibal Muñoz, arch. Neo-Pampilonensis (Neo-Pamplona) in Colombia; Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Canada; Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia.

PATRUM ORATIONES

(de libertate religiosa)

1

EM.MUS P. D. HENRICUS CARD. DANTE

Venerabiles Patres,

Quae em.mus Slipyj, ex iis quae passus est doctus, nobis in hac aula insinuavit, magnopere meditanda sunt; et quae meditatus sum ad schema nostrum pertinens, exponere vobis mihi liceat.

Iamvero aequivocationem gravissimam toti schemati inesse animadverti. Nonne declaratio *de libertate religiosa,* id consequi vult, ut *communi iure statuto,* religio nostra *libere* [1] omnino per orbem diffundatur? Ita quidem est.

Hoc plane intenderant, saeculo elapso, celeberrimi viri qui, ut Lamennais et Montalembert et alii, doctrinam Liberalismi, qui catholicus appellatus est, secuti sunt; qui declarationem magnae Revolutionis gallicae de iuribus hominum *decimam* resonabant, scil.: « Nul ne doit être inquiété pour ses opinions, même religieuses, pourvu que leur manifestation ne trouble pas l'ordre public, établi par la loi ».

Attamen, omissis quae Papae elapsi saeculi huic theoriae adversantes

docuerunt, liceat mihi doctrinam de « debitis limitibus », ultra quos publicum religionis exercitium praetergredi nequeat, impugnare. Haec enim doctrina omnino *aequivoca* esse probatur.

Si enim tales limites, qui pax, civium iura, moralitas publica, in declaratione dicuntur, pro habitu habitudineque Status *ad ius naturae* perpendimus (Status inquam, qui limites illos statuerit) ex diversa immo vero ex inversa substantia constant. Et re quidem vera:

a) Si Status qui « limites » illos statuerit, christianus est, ipsa *ad ius naturae,* plus minus reapse leges suas ordinemque suum iuridicum conformat; unde termini: pax, civium iura, moralitas publica, certum honestum rationabilemque sensum equidem continent.

b) Si vero Status est paganus, « limites » isti, nisi a naturali iure forte praescindunt, *generici* sunt, et instrumentum tyrannidis *fieri* plane possunt, non modo contra religiones falsas, verum etiam contra unam veram; sensus enim horum « limitum » aestimatio ab iis pendet qui Status administrant.

c) Tandem si Status communisticus est, « limites » isti, scil.: pax, civium iura, moralitas publica, toto caelo diversam substantiam immo vero inversam ...[2] continent; quia tales « limites » *contra ius naturae,* proh dolor! Status id genus, plane constituit vel statuere consuevit.

Unde hi « limites » *instrumentum certum tyrannidis* sunt; et quod declaratio *de libertate religiosa* obtinere intendit, scil. religiosam libertatem, ipsum a nobis in infinitum recedet.

Immo vero: quo fortius aliqua religio naturali iure communistico Statui adhaerere videatur, eo vehementiore persecutione ab eodem Statu impugnatur.

Quam ob rem schema non tales limites ponere debet, sed illos qui de ipso naturae iure statuuntur, a sana ratione perspectos, ne declaratio nostra, aequivocatione corrupta, praeter intentionem profecto sed tamen re, infensis Ecclesiae hostibus, instrumentum tyrannidis ipsa miserrime praebeat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] libera. [2] (capovolta).

Moderator: Exc.mus secretarius generalis leget suffragationem VII schematis *de divina revelatione*.

Secretarius generalis: Prosequitur suffragatio circa schema *de divina revelatione*. Videatis, Patres venerabiles, pag. 16, n. 9 [*cf. pag. 350 nn. 9-10*]. Patres, *placet* vobis an *non placet* textus perlectus?

Communico vobis interea *exitum suffragationis IV* heri factae, nempe, super integro cap. I:

Suffragium tulerunt Patres		2.079
Dixerunt	*placet*	1.822
	non placet	3
	placet iuxta modum	248
Suffragia nulla		6

Ergo textus in congregatione placuit.

Nunc *exitus suffragationis V,* quae est I super cap. II:

Suffragia tulerunt		2.068
Dixerunt	*placet*	2.049
	non placet	15
Suffragia nulla		4

Nunc *suffragatio VI,* quae fuit ultima heri:

Praesentes votantes		2.122
Dixerunt	*placet*	2.071
	non placet	49
Suffragia nulla		2

Ergo omnes textus placuerunt Patribus.

Nunc suffragium feratis super textum quem modo legi: *placet* vel *non placet.*

2

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

Venerabiles Patres,

In hac quaestione de libertate religiosa, adest inter nos fundamentalis unitas doctrinalis et tamen diversitates, quae proveniunt praesertim ex praeoccupationibus pastoralibus multorum Patrum.

Hae diversitates, ...[1] videtur, possent pro magna parte reduci, si magis sublinearentur aliqua sequentia themata, quae in ipso schemate iam *reperiuntur,*[2] scil.:

1. Persona humana est membrum duorum ordinum socialium: nempe ordo temporalis et societatis politicae, et ordo spiritualis seu ordo Evangelii et Ecclesiae.

2. Quantum ad *ordinem temporalem,* dicendum est quod persona

humana, quamvis sub uno aspectu sit pars societatis civilis, tamen transcendit totum ordinem politicum per suam ordinationem ad bonum incommutabile et ad Deum suum creatorem. Unde sub hoc secundo respectu, persona humana: *a*) est *libera* erga totam societatem politicam; sed *b*) debebit rationem *Deo* reddere omnium suarum optionum.

3. Persona quae errat aut peccat, vel cuius conscientia erronea est, remanet tamen persona humana, et debet ut talis considerari a societate politica in qua conversatur. Non poterit ab ea societate coerceri nisi in casu ubi ageret externe ad destruendum verum bonum publicum societatis. Sed huic personae competet reddere rationem coram Deo de culpabilitate vel *non-culpabilitate* [3] suae ipsius conscientiae.

4. Officium est societatis etiam civilis, explicite manifestandi in quo honore teneat Deum. Ergo potestas ipsa civilis non potest ignorare diversas familias religiosas in civitate vigentes, sed officii eius est recurrere ad eas ut digne ab omnibus civibus Deus laudetur.

5. Haec sint dicta de iuribus personarum humanarum. Sed christiani sciunt quod *praeter hunc ordinem naturalem, Ecclesia,* ex ipsa voluntate Dei et Christi, *habet ius supernaturale et inviolabile, libere praedicandi Evangelium omni creaturae,* et pro hac libertate mortui sunt apostoli et martyres.

6. Ecclesiae rectores, a tempore Constantini et ultra, conversi sunt non semel ad brachium saeculare ut defenderent iura fidelium et ad servandum ordinem temporalem et politicum sic dictae « christianitatis ». Sed sub influxu ipsius praedicationis evangelicae, distinctio rerum temporalium et rerum spiritualium paulatim magis explicata est, et hodie omnibus patet.

Ergo, et hoc est maximi momenti: *principium doctrinale* secundum quod res temporales de se subordinandae sunt rebus spiritualibus *nullo modo tollitur,* sed *alio modo applicatur,* scil. oppugnando errores armis lucis, non armis castrorum.

Omnia haec themata continentur, nisi fallor, in ipso schemate declarationis *de libertate religiosa,* ubi poterunt forsan in meliori luce poni. Et idcirco haec *declaratio* mihi videtur maxime approbanda. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ut. [2] inveniuntur. [3] innocentia.

3

Exc.mus P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine non tantum meo, sed etiam aliquorum Patrum Africae Centro-Orientalis, nempe ex Zambia, Tanzania et Malawi — *sed non omnium nomine* [1] — quibus schema declarationis *de libertate religiosa* valde *placuit.*[2]

Sed nunc, quia multa iam dicta sunt, tria postulata tantum proponimus [3].

1. Praecise quia huic doctrinae tam fortiter *favemus* [4] cum quadam perplexitate *notavimus* [5] doctrinam in schemate propositam fundatam esse in argumentis non semper sufficientibus, praesertim ex documentis praecedentium Summorum Pontificum desumptis, uti *speciatim* [6] in nota 2 ad art. 2 fit.

Petimus ut quotationes horum documentorum revisioni subiiciantur praesertim in luce eorum quae initio praesentis discussionis *tam clare* [7] ab em.mo card. Urbani, nomine 32 episcoporum Italiae dicta sunt.

2. Petimus etiam ut mens et significatio singulorum praecipuorum terminorum, uti: ius, libertas, conscientia, etc., *ut haec* [8] clare describantur uti *heri* [9] ab em.mo card. Wyszyński postulatum est. Nemini enim latet libertatem religiosam restrictam hodie esse vel etiam totaliter sublatam a guberniis Statuum quae sic dictam « Chartam Nationum Unitarum » signaverunt, *chartam quae libertatem religiosam clare postulat, immo etiam a guberniis Statuum quae* [10] in suis Constitutionibus theoretice libertatem religiosam ...[11] concedunt. *Loquimur tamen de iisdem verbis, sed varias significationes his verbis dant. Petimus ut saltem Ecclesia idem sentiat de his verbis.*[12]

3. *Tandem* [13] eadem clarificatio pro ipsis catholicis necessaria videtur. Multus enim hodie sermo fit de libertate, et hoc quidem rectum, *rectissimum* [14] est. Sed libertas humana, tam naturalis quam christiana, intelligi nequit nisi simul et eadem emphasi sermo fiat de iuribus Dei et de auctoritate quam Deus, sive directe per Seipsum sive *indirecte* [15] per homines, exercet. Ubicumque de libertate est sermo, etiam dicatur oportet de obligatione hominis sese auctoritati Dei, immo etiam auctoritati hominum quibus Deus et in quantum Deus ipsis auctoritatem communicavit, submittendi.

Enuntiatio huius doctrinae praesertim hodie necessaria videtur, cum mala, quibus *in hoc Concilio mederi intendimus* [16], ex duplici fonte pro-

veniunt: ex una parte ex abusu auctoritatis religiosam libertatem iniuste restringentis, et ex altera parte ex abusu libertatis quae saepe confunditur cum independentia totali, cum arbitrarietate, immo cum licentia et dissolutione.

Idcirco contra beneplacita eorum qui hodie non solum extra Ecclesiam, sed etiam intra Ecclesiam ad libertatem conscientiae continuatim provocant, de conscientia autem recta, hoc est, de conscientia obiective formata secundum voluntatem Dei, vix solliciti sunt, schema « de libertate religiosa » multo clarius loquatur oportet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] placet. [3] deest. [4] favent. [5] notaverunt. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] immo etiam. [11] clare postulantem. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] doctrina in praesenti schemate contenta mederi intendit.

Textus additus:

Schema *de libertate religiosa* in genere valde placet et plura bona elementa continet.

Faveo proinde schematis promulgationi et quidem non tam ob motiva opportunitatis quam potius quia iura et dignitas personae humanae agnitionem libertatis religiosae postulant, omnem vero coercitionem et vim excludunt.

Praecise autem quia tam fortiter huic doctrinae faveo, cum quadam perplexitate notavi, quod redactores schematis non raro doctrinam in schemate propositam confirmare et iustificare intendunt documentis praecedentium Summorum Pontificum, quae tamen intentum probare non videntur.

Sic in n. 2 schematis adicitur nota 2 in qua recurritur ad quattuor textus Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII, qui textus tamen omni vi probativa carent relate ad doctrinam in hoc numero schematis propositam.

Observationes meas huc spectantes in scriptis secretariatui tradam. Unum autem exemplum concretum hic explicite adducere velim cum intime cohaereat cum emendatione magni momenti quam deinceps proponam.

Iamvero, schema *de libertate religiosa* in n. 2 sequens principium fundamentale enuntiat: « Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur » (schema, n. 2).

Ad hoc principium iustificandum, redactores, omissis quibusvis argumentis scripturisticis, primo et principali loco citant sequentia verba quae Summus Pontifex in Encyclica *Pacem in terris* scripsit: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad *rectam* conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 [1963], pp. 260-261).

Summus Pontifex Ioannes XXIII ergo in hoc textu unice et exclusive loquitur de iure hominis, ut Deum venerari possit ad *rectam* conscientiae suae normam, et nequaquam loquitur de iure hominis, ut Deum venerari possit ad normam suae conscientiae vel rectam vel non rectam.

Expressio de *recta* conscientiae suae norma, a Summo Pontifice Ioanne XXIII

sane non inconsulto adhibita fuit, sed utique diserta opera et ob motiva valde clara. Admitti ergo nequit quod redactores schematis ad hunc textum Ioannis XXIII referunt et tamen sine ulla iustificatione in hoc eodem n. 2 et alibi passim loquuntur non de *recta* conscientiae norma, sed de norma conscientiae simpliciter.

Talis modus citandi sane placere nequit et cum sit frequentissimus in hoc schemate, accurata revisio omnium et singularum notarum absolute necessaria esse videtur.

Quod ad ipsam doctrinam in schemate propositam attinet, insistere velim ut schema, inhaerens integris verbis Ioannis XXIII aliorumque tot Summorum Pontificum, inde ab initio et modo utcumque inambiguo loquatur non iam de norma conscientiae sic et simpliciter sed de norma conscientiae *recta.*

Talem autem conscientiam *rectam* sibi efformare unusquisque homo tenetur et ad ipsam sibi efformandam constanter tendere debet.

Hodie multus in Ecclesia est sermo de libertate, et hoc quidem optimum est. Sed libertas humana, naturalis et christiana, intelligi nequit nisi simul etiam et eadem cum emphasi sermo fiat de iuribus Dei et de auctoritate quam Deus sive directe per seipsum sive per homines exercet. Ubicumque de libertate est sermo, etiam dicatur oportet de obligatione hominis ut dociliter sese submittat auctoritati Dei et auctoritati hominum quibus Deus et inquantum Deus ipsis auctoritatem communicavit.

Enuntiatio huius doctrinae praesertim hodie necessaria est, cum libertas saepe confundatur cum independentia totali, cum arbitrarietate, immo cum licentia et dissolutione. Vera autem libertas filiorum Dei ea est quae voluntati Dei et auctoritati divinitus constitutae in plena suiipsius submissione et oboedientia perfecte adhaerere conatur.

Idcirco, contra beneplacita eorum qui hodie intra et extra Ecclesiam ad libertatem conscientiae continuatim provocant, de conscientia autem *recta* — h. e.: de conscientia obiective formata secundum voluntatem Dei — vix solliciti sunt, hoc schema de libertate religiosa multo clarius loquatur oportet.

Qua de re propono ut singuli textus schematis qui de libertate conscientiae sic et simpliciter sumpta loquuntur, subiciantur revisioni et ubique clare sermo sit de iuribus conscientiae *rectae* et de obligationibus hominis ut constanter veritatem inquirat donec conscientiam *rectam* hac in re sibi formaverit.

Unice hoc modo schema veram et authenticam libertatem religiosam promovebit et homines nostrorum temporum efficacius conducet ad veram Christi Ecclesiam, qui est via veritas et vita.

[*Subscripserunt etiam*] J. Holmes-Siedle; J. Corboy; H. van Elswijck; R. Pailloux; J. Jobidon; F. Courtemanche; C. Msakila.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit suffragationem VIII super integro cap. II: de revelationis transmissione.

Secretarius generalis: Fit suffragatio super integro cap. II schematis *de divina revelatione,* hac formula: Hoc caput integre sumptum *placet*-ne vobis Patribus, *non placet,* an *placet iuxta modum?* Ergo nunc triplex formula. Qui modos apponit, velit eos dare assignatoribus locorum una cum scheda.

4

Exc.mus P. D. PAULUS MUÑOZ VEGA

Episcopus tit. Ceramensis, coad. s. d. Quitensis

Venerabiles Patres conciliares,

Doctrina praesentis schematis adeo ample discussa est, ut iam clare tangere liceat — *ut opinor* [1] — tum cardinem rationum ob quas plures Patres ipsum in sua substantiali integritate probandum esse censent, tum etiam cardinem difficultatum quas alii Patres inveniunt admodum graves et serias.

Non loquar nec de illis nec de his, cum iam abundantissime de utrisque fuerit sermo. Sed breviter agere velim de puncto quodam in quo, ut videtur, consistit hic quem vocamus cardinem problematis quod in hac aula discutitur.

Commissio, quae textum declarationis exaravit, accuratissime restrinxit eius obiectum formale ad hoc exclusivum quaesitum: quaenam libertas competat personae humanae et communitatibus in re religiosa secundum iuris naturalis principia, seu quale et quantum sit ius naturale ad libertatem in religione privatim et publice profitenda iuxta dictamen propriae conscientiae. Non vero in obiecto Declarationis includere voluit quaestionem magis altam et primariam pro theologia: quale, videlicet, et quantum sit ius ad libertatem religiosam, quod in revelatione divina continetur et promulgatur ut ius omnibus et singulis hominibus concessum profitendi libere religionem Christi, quae est unica vera religio.

Schema igitur excogitatum et redactum est cum conscia quadam abstractione philosophico-iuridica. *Hoc iterum iterumque animadvertere oportet, ut rectum iudicium de doctrina schematis formuletur.*[2] Nullatenus negatur ...[3] quaestionem religiosam in sua exsistentia concreta involvere iura et officia quae nobis deteguntur mediante revelatione supernaturali; sed schema abstrahit ab hac realitate supernaturali, praescindit ab eius consideratione theologica et intendit sistere unice in campo iuridico-sociali.

Ratio huius restrictionis provenit ex hoc quod praesens documentum conciliare dirigitur formaliter ad universum mundum hodiernum, in quo vigent fere universaliter structurae religioso-sociales pluralistae; ineptum proinde *videretur* [4] declarationem fundare in doctrinis quae nonnisi per revelationem supernaturalem et fidem acceptantur.

Sed nobis videtur quod textus declarationis, propter hunc laudabilem scopum, nimium *tamen* [5] eradicaverit problema libertatis religiosae

a suis fundamentis theologicis. *Exinde credimus provenire illa ambiguitas quae plures Patres anxios tenet circa consequentias declarationis, praesertim in campo pastorali.*[6]

In quovis textu conciliari interest maxime cernere unde doctrina proposita desumat suam profundiorem vim et lucem. Iam vero, fatendum est quod doctrina textus, etsi genuine catholica, innititur *tota* [7] in studiis recentioribus circa originem iuris personalis et socialis, circa societatem et Statum *eorumque relationes* [8] cum religione, *studia quae nobis* [9] non videntur adeo *matura* [10] ut textui conciliari praebeant fundamentum inconcussum. *Schema* [11] aliquantulum pragmatice libertatem religiosam considerat praevalenter sub aspectu sociali-iuridico, sine sufficienti respectu ad fundamenta theologica. *Haec nobis videtur quaedam praecipua deficientia, quae tamen superari possit quin opus sit novum schema redigere.*[12]

Magni est momenti sine dubio, in actuali situatione historica Ecclesiae et mundi, ut a Concilio clare proponantur ipsius iuris naturalis principia ad libertatem religiosam pertinentia; sed impossibile est plenam claritatem de hac veritate habere, nisi simul cernantur relatio et nexus quos habet ius naturale ad libertatem religiosam cum iure supernaturali ad libertatem « qua Christus nos liberavit » ...[13]

Hic fortasse latuit in compositione textus aliquod principium satis praecipuum ut declaratio plene et profunde conscientias illuminare possit. Nempe, quod secundum plenum consilium Dei de homine omnis libertas religiosa, etiam in minimo suo ambitu *habita,*[14] non tribuitur personae humanae nisi intuitu supremi sui finis assequendi.

Religio Christi *certe* [15] non posset in vita personali et sociali suam expressionem vivam et summe realem habere, nisi adesset libertas. Ius supernaturale ad libertatem quam Christus nobis contulit supponit ius naturale ad libertatem religiosam fundatum in natura personae humanae, *ut bene statuitur in textu.*[16] Sed hoc ius naturale non existit ratione sui et per se; ideo existit ut verificetur libertas qua homo personaliter respondere possit vocationi suae supernaturali in Christo. *Omnis religiosa libertas ordinatur ad hunc finem.*[17] Hoc nobis videtur esse aliquod principium necessario prae oculis habendum ad meliorem et aptiorem explanationem obiecti declarationis, *et etiam ad eius interpretationem dandam postmodum in campo pastorali. Si sub hac luce ipsa intellegatur facilius, ni fallor, nonnullae fundatae anxietates dissipari poterunt.*[18]

Per modum conclusionis, haec ...[19] suggerere volumus, nomine etiam episcoporum Nationis Aequatorianae:

1. Exordiatur declaratio quodam numero, in quo succincte quidem

sed nervose enuntietur doctrina Ecclesiae circa ius primarium hominum ad libertatem quam Christus religioni suae tribuit et imposuit.

2. Retineatur ut obiectum specificum declarationis affirmatio iuris ad libertatem religiosam in dignitate personae humanae fundati, non tamen insistendo, quasi exclusive, in conceptione *quadam* [20] technica et iuridica, disiuncta a realitate morali et supernaturali, quia quamdiu praedominet haec abstractio aderit periculum interpretandi doctrinam declarationis in sensu indifferentismi religiosi et neutralitatis Status ...[21]

3. ...[22] Illa pars textus quae explanat quamdam demonstrationem veritatis de iure naturali ad libertatem religiosam argumentis desumptis sive ex ratione, sive ex revelatione, revideatur accurate, ita ut elementa demonstrationis non adeo certa et solida amoveantur.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] in schemate. [4] esset. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] eiusque relationem. [9] quae. [10] maturae. [11] Ideo non placet indoles schematis in quantum. [12] deest. [13] (*Gal.* 5, 1). [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] quattuor puncta. [20] mere. [21] ac societatis. [22] Cum agitur de indole Status eiusque competentia in re religiosa definiendis, retineatur utique distinctio inter societatem et Statum; sed ad huius finem et competentiam exactius tradendam, multum optamus ut ratio habeatur doctrinae quam hesterna die exposuit em.mus card. Browne, cui adhaeremus. 4.

Moderator: Velitis audire, venerabiles Patres!

Circa schema declarationis *de libertate religiosa* locuti sunt in aula conciliari in ista quarta sessione 62 Patres. Disceptatio videtur satis ac late producta esse. Hinc moderatores deliberaverunt proponere vobis, venerabiles Patres, quaesitum hoc: « placetne finem imponi disceptationi in aula circa schema de libertate religiosa? »

Quibus placet finem imponi, ii velint surgere; quibus vero non placet finem imponi, velint manere sedentes in suis subselliis. Assignatores locorum notabunt modum sese gerendi Patrum et referent. [*Intervallum*]

Placuit Patribus pro maxima maioritate finem imponi disceptationi. Fere unanimes.

Nunc exc.mus P. D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, relator schematis, pauca verba faciet per modum conclusionis.

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Relator

Venerabiles Patres,

Ad textum recognoscendum in hac nostra disceptatione valde constructiva allata sunt multa elementa pretiosa. Gratias agimus Patribus qui oratione et studio suo commissionem nostram adiuvare voluerunt.

Serio studio nunc submittemus omnes et singulas emendationes.

Liceat iam nunc hic enumerare quasdam observationes, inter se saepe sat oppositas, quae prima facie mutationem et meliorationem textus postulare videntur et ad quae specialiter attendemus.

1. *Quoad notionem et momentum libertatis religiosae.* Petitur ut utamur expressione « de libertate civili ac sociali in re religiosa », ut melius definiatur res religiosa et modo magis positivo *definiatur* [1] immunitas a coercitione. Accuratius distinguendae dicuntur libertas moralis et libertas religiosa. Vitandae affirmantur expressiones quae videntur favere indifferentismo religioso vel falso irenismo vel laicitati potestatis publicae et scholarum. Clarius indicetur utilitas, etiam pro progressu religionis, observationis dignitatis personae et educationis ad personaliter agendum. Exponantur, *petitur,* [2] consectaria pastoralia libertatis religiosae.

2. *Quoad argumenta*: Expungenda dicitur mentio conscientiae in iustificatione libertatis religiosae et melius ordinanda vel forte in breviorem formam reducenda pars scripturistica.

3. *Quoad limites libertatis religiosae*: Clarior et profundior petitur expositio notionis pacis publicae, ordinis publici, boni communis.

4. *Quoad officia personae*: Modo firmiore affirmanda dicitur obligatio quaerendi veritatem, agnoscendi iura divina, colendi Deum, observandi iura Ecclesiae catholicae et officium oboediendi in Ecclesia.

Nobis dictum est multas difficultates et obscuritates evanescere *posse* [3] si quis attente legit longam relationem quae in fine libelli vobis traditi impressa est. Forsitan quaedam praecisiones ibi expositae in ipsum textum introducendae erunt.

Ad concordiam circa hunc textum attingendam debebimus attendere ad hoc quod agitur hic de problemate novo: nempe de libertate civili et sociali in exercenda religione.

Solutio huius novi problematis exigit progressum in explicitatione doctrinae catholicae. Hoc cohaeret cum progressu qui invenitur in explicitatione doctrinae catholicae de re sociali (cogitetis *progressum doctri-*

nalem factum[4] inde a *Rerum Novarum* per *Quadragesimo Anno* usque ad *Mater et Magistra* et *Pacem in Terris*).

Hoc *nostrum*[5] problema adamussim distinguendum est a quaestionibus connexis.

a) *Primum problema connexum*: de obligatione in ordine morali. In ordine morali omnes homines, omnes societates, omnes auctoritatem civilem gerentes obiective et subiective debent (i. e. moraliter obligantur) quaerere veritatem, et moraliter eis non licet propugnare falsum.

b) *Secundum problema morale connexum*: de officio et iuribus Ecclesiae et de officio morali hominum erga Ecclesiam catholicam eiusque doctrinam ac mandata. Ecclesia habet officium et ius praedicandi Iesum Christum. Nulla instantia humana obiective moraliter libera est in acceptando vel respuendo Evangelium et Ecclesiam veram. Et haec obligatio est etiam subiectiva quatenus perspicitur. Fideles, immo omnes homines moraliter obligantur ad recte formandam conscientiam et ad vivendum iuxta eam.

Ab his quaestionibus moralibus connexis *sedulo*[6] distinguenda est quaestio nostra nova. Nunc enim examinatur utrum personae humanae in societate humana ...[7] agnosci possit ut libera sit a coercitione ex parte aliorum hominum *societatis et potestatis publicae*.[8]

In solvendo hoc novo problemate debemus ad generaliora nos limitare. Ulterioribus disquisitionibus theologorum et magisterio ordinario oportet relinquamus ea puncta quae nondum sunt matura.

Venerabiles Patres, secundum vestras observationes schema nostrum *re-emendatum*[9] re-re-emendabimus et textum recognitum vestrae suffragationi submittemus. Constitutiones de Liturgia, de Ecclesia, de Oecumenismo post longiores et forte difficiliores vicissitudines demum fere *unanimi* consensu a Synodo nostra suffragati sunt. Fiduciam habemus quod, assistente Spiritu Sancto, fine finaliter similis concordia et unanimitas obtinebitur quando praesens declaratio cum vestro fraterno adiutorio adamussim erit recognita. Et ad hunc finem, ad hanc *unitatem*[10] moralem obtinendam, Commissio nostra quae recognitionis textus responsabilis est, cum vera gratitudine accipiet collaborationem *omnium* Patrum cuiusvis sint opinionis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] de progressu doctrinali. [5] deest. [6] deest. [7] ius. [8] deest. [9] deest. [10] unanimitatem.

Moderator: Exc.mo relatori gratias ex corde agimus. Exc.mus secretarius generalis nunc leget suffragationem IX *de divina relatione*.

Secretarius generalis: Videatis pag. 21, cap. III: De Sacrae Scripturae divina inspiratione et de eius interpretatione, n. 11 [*cf. pag. 355*]. Patres venerabiles, *placet* an *non placet?*

Moderator: Venerabiles Patres, velitis attendere voto quod nomine moderatorum nunc enuntiabit exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, em.mi moderatores vobis proponunt hanc quaestionem, cui respondendum est per suffragium in schedula. Bonum est ut, si potestis, scribatis.

« Utrum textus re-emendatus *de libertate religiosa* placeat Patribus tamquam basis definitivae declarationis ulterius perficiendae iuxta doctrinam catholicam de vera religione et emendationes a Patribus in disceptatione propositas et approbandas ad normam *Ordinis Concilii?* »

Responsio, Patres venerabiles, duplex tantum esse potest: *placet, non placet.* Ergo, cogitate et votum vestrum apponatis in schedula, quae mox vobis distribuetur ... Ne confusio fiat cum schedula praecedenti, nunc distribuitur schedula in qua exprimendum est suffragium circa hoc quaesitum. Et schedula fert numerum 293. [*Intervallum*].

Nunc, ut mihi refertur, omnes schedae pro textu cap. III *de divina revelatione* ablatae sunt, et distribuuntur schedae in quibus est manifestandum suffragium circa quaesitum quod proposui et iterum lego ...

Ut dixi, numerus schedae — potestis etiam conferre in latere sinistro, in parte alta schedae — est 293. Ne ullus error fiat.

Ergo quaeritur nomine em.morum moderatorum: « Utrum textus re-emendatus ... ». Ad hoc quaesitum respondeatis, quaeso, *placet* vel *non placet.*

Interea prosequitur congregatio generalis et fit transitus ad disceptandum circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro.

Post relationes, verbo uti petierunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis (New York) in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis (Utrecht) in Neerlandia; Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chilia.

Moderator: Transitus ergo fit ad disceptationem circa schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Antequam vero disceptatio initium habeat, loquatur exc.mus relator D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, ut legere velit relationem generalem.

DISCEPTATIO [5]

1 – CONSTITUTIO PASTORALIS DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

PROOEMIUM

1. [*De coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium*]. Gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, sunt etiam gaudium et spes, luctus et angor, membrorum Populi Dei, nihilque humanum invenitur, quod in corde Christi discipulorum non resonet. Ecclesia enim seu Populus Dei coalescit ex hominibus qui in Christo coadunantur et a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et qui nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa sentit se cum genere humano eiusque historia intime esse coniunctam et revera coniuncta est. Hodie ceterum, magis quam olim, omnes terrae incolae, cuiuscumque stirpis, coloris, opinionis, socialis originis aut religionis, agnoscere debent omnium sortem tam in prosperis quam in adversis rebus esse communem communeque iter omnibus instituendum versus finem nonnisi sub umbris clarescentem.

2. [*Ad quosnam Concilium sermonem dirigat*]. Quapropter Concilium Vaticanum secundum, postquam mysterium Ecclesiae penitius investigare sategit, iam non tantum ad Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed etiam ad universos homines incunctanter sermonem convertit. Cunctis exponere cupit, quomodo Populi Dei, Ecclesiae videlicet, praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat.

---

* *In initio fasciculi dicebatur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur ».

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVIII mensis Maii, anno MCMLXV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

[5] Nomine « mundi » hic intelligimus ex una parte caelum et terram seu universitatem rerum a Deo creatarum, ex altera parte universam familiam humanam, cuius membra, quamvis peccatores sint, a Deo tamen personaliter diliguntur, pro quibus Christus seipsum tradidit et postea resurrexit [1] et qui omnes una eademque gaudent vocatione divina; licet « mundus » quatenus sub signo Maligni positus est, Deo hoc tempore adversetur, donec in fine et ipse per fidem salvetur.[2] Illum uno verbo dicimus mundum, quem sic dilexit Deus ut Filium suum Unigenitum daret [3]: Christum nempe, lucem mundi.[4]

3. [*De ministerio homini praebendo*]. Nostris hisce diebus genus humanum, de propriis inventis propriaque potestate miratus, saepe
[6] tamen anxias agitat quaestiones de hodierna mundi evolutione, de loco et munere hominis in orbe universo, de sui « individualis » ac « collectivi » conaminis sensu, de ultimo rerum et humanitatis fine. Quapropter Concilium, fidem testificans et exponens, coniunctionem, observantiam ac dilectionem Populi Dei erga hominum familiam eloquentius demonstrare non valet, quam instituendo cum ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferendo ex Evangelio depromptum, atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accepit. Hominis enim persona salvanda humanaque societas instauranda est. Homo igitur, ac quidem homo totus cum corpore et anima, corde et conscientia, mente et voluntate, in capite nostrae explanationis collocabitur.

Ideo cum Episcopi, in communione cum Summo Pontifice, altissimam vocationem hominis ante oculos ponunt, divinum quoddam semen in eo insertum asseverantes et generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae offerentes ad meliorem fraternitatem omnium instituendam, nulla ambitione terrestri moventur,[5] sed unum tantum desiderant: nempe ducente Spiritu Sancto opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut salvaret, non iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur.[6]

EXPOSITIO INTRODUCTIVA
DE HOMINIS CONDICIONE IN MUNDO HODIERNO

4. [*De spe et angore*]. Ad tale propositum exsequendum, oportet cognoscere et intelligere mundum in quo vivimus, necnon exspectationes et appetitiones et indolem saepe « dramaticam » quibus notatur. Idonei auctores quosdam principaliores huius mundi aspectus sequenti modo delineant.

[6] Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur, in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem progressione quadam extenduntur. Ab ipso homine eiusque intelligentia et velut creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria, « individualia » et « collectiva », in eius modum cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines quibuscum vivit, ita ut plures de vera sociali et « culturali » transformatione loqui non dubitent.

Ut in repentino incremento saepius contingit, haec transformatio non leves secum fert difficultates. Ita nunquam homo potestatem suam tam late extendit quam nostra aetate; at eam non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii cordis intimiores recessus altius penetrans, saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione eis imprimenda anceps haeret.

[7] Nunquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus, potentiis oeconomicis abundavit, dum tamen ingens pars incolarum orbis fame torquetur et innumeri litterarum ignorantia plane laborant. Nunquam mundus suam unitatem necnon singulorum « complementariam » indolem in ineluctabili coniunctione animorum tam vivide persensit, et nunquam sicut hodie, viribus inter se pugnantibus, tam graviter in opposita distrahitur, dum novum bellum cuncta usque ad ima destruere minatur.

Plurimi exinde coaevi nostri, inter spem et angorem agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui cursus rerum hominem ad respondendum provocat, immo ineluctabiliter constringit.

5. [*De profunde mutatis condicionibus*]. Hodierna animorum commotio et vitae commutatio connectitur cum plena quadam rerum transmutatione, quae in mentem inducitur per praevalentes scientias de re mathematica et physica necnon de ipso homine tractantes, et in actione applicatur per artes technicas, ex iisdem scientiis exortas.

Mens scientifica rationem « culturalem » modosque cogitandi hominum aliter quam antea finxit. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et, post spatium planetarum, nunc etiam tractus intersidereos subigere conantur.

Super tempora quoque homo quodammodo sui intellectus dominium dilatat: versus praeterita, ope cognitionis historicae; versus futura, verisimilium rationum computatione (*calculus probabilitatum*), arte prospectiva et bonorum ac virium conspirante dispositione (*planificatio*).

Hodierna amplificatio demographica ex praedicta technica perfectione ex parte consequitur, et genus humanum de incremento proprio praevidendo iam et ordinando magis magisque cogitat.

[7] Insimul progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales hominem ad altiorem cognitionem sui non solum perducunt, sed capacem eum efficiunt ut, technice elaborando actionem circa consimiles suos, in vitam societatis directe vim exerceat.

Nova denique et aptiora communicationis socialis instrumenta ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime et latissime diffundendos maxime conferunt. Quidquid magni accidit, statim in omnibus orbis plagis cognoscitur et connexas repercussiones excitat.

Unde ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli vix eam prosequi valeant. Unica ratio consortionis humanae efficitur, non amplius inter varias velut historias divisa, et homo minus ac minus soli naturae fluxui se sentit obnoxium.

Ita genus humanum a notione magis « statica » ordinis rerum ad notionem magis « dynamicam » atque « evolutivam » transit, unde nascitur complexio problematum inaudita. Plurima igitur rursus examini
[8] et « analysi » subicienda sunt, atque in partes resolvenda substantiales et accidentales, postea rursus componendas, ut omissis ubi necesse fuerit accidentalibus, essentiales in novas redintegrentur syntheses, quae et ipsa quasi per ignem experientiae probanda erunt.[7]

6. [*Mutationes in ordine sociali*]. Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, « clani », tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines pleniores in dies immutationes experiuntur.

Typus « industrialis », qui dicitur, societatis paulatim praeponderat, quasdam nationes ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones et conditiones vitae socialis, a millenniis constitutas, penitus subvertens.

Usus ac studium vitae urbanae ad similem praestantiam assequendam contendit sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Socializatio indesinenter multiplicat et graviores reddit necessitudines hominis cum similibus suis, attamen non necessario congruentem « personalizationem » promoveat.

Huiusmodi evolutio clarius apparet in nationibus quae beneficiis progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet, adhuc ad progressionem nitentes, qui suis regionibus beneficia « industrializationis » et « urbanizationis » tribuere cupiunt.

7. [*Mutationes psychologicae, morales et religiosae*]. Mutatio formarum sentiendi et institutorum passim cogitata ubique recepta ac mores ab antiquo inductos in controversiam vocat, maxime apud iuvenes, qui inquieto animo non semel ad seditionem excitantur. Instituta vero,

leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita, non amplius [8]
statui rerum hodierno bene aptantur. Inde gravis perturbatio in modo et in ipsis normis agendi.

Plures passive se gerunt erga transformationem quam dominari non valent, immo quam ne intelligere quidem conantur, praesidium quaerendo in vitae commodis et oblectamentis aut in cuiuscumque generis effugiis. Pauciores tamen certamini non renuntiant et nostrae aetatis progressionem valida manu dirigere aggrediuntur.

Novae condiciones denique, in ipsam vitam religiosam vim exercent. Ex una parte, acrior diiudicandi facultas eam a superstitionibus adhuc vagantibus purificat, et maiorem in dies personalem adhaesionem ad fidem exigit, actibus etiam extrinsecus comprobatam; ita non pauci ad vividiorem sensum Dei accedunt; ex altera parte, crebriores turbae ab usu religionis discendunt, et in socordia vivere videntur. Dei negatio vero, secus ac transactis temporibus non amplius eventus singularis est, sed interdum quaedam potestates publicae eam ut suam doctrinam proponunt. In pluribus regionibus, haec Dei negatio non tantum in [9]
philosophorum sententiis exprimitur, sed latissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae interpretationem inficit ita ut multi perturbentur.

8. [*De disruptis aequilibriis in mundo hodierno*]. Tam rapida rerum progressio, saepe inordinate peracta, ineluctabiles contradictiones infert et aequilibrium disrumpit.

Frequentius rumpitur aequilibrium in intima persona inter intellectum practicum, adultum, tempori nostro accommodatum, et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque dominari neque ordinare valet, ut ad sufficientes syntheses perveniat. Rumpitur inter curam efficacitatis practicae et exigentiam certitudinis moralis. Rumpitur inter condiciones vitae pro multitudine et requisita cogitationis personalis. Homo enim in visibilibus immersus et strepitu ac motu arreptus, ingentem conatum ad propriam cogitationem et contemplationem efficere vix valet. Saepe veluti a seipso fugit et in ipsa densissima turba, cum acerbiore animi dolore, solitudinem suam persentit.

Discrepantiae oriuntur in familia, sive ex pondere condicionis demographicae, oeconomicae et socialis, sive ex conflictu inter subsequentes generationes, sive ex experientia novae necessitudinis inter virum ac feminam.

Discrepantiae inter stirpes ac varii generis societatis ordines.

Discrepantiae inter nationes opulentas, minus valentes, egentes.

[9] Discrepantiae inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta et studium sui commodi collectivum vel ambitionem propriae « ideologiae » disseminandae; quod mutuas diffidentias et inimicitias indesinenter fovet.

Ex his omnibus saepe gravissimae oriuntur conflictationes et aerumnae acerbissimae, quarum ipse homo simul est causa et quasi victima.

9. [*De appetitionibus et interrogationibus profundioribus et in dies universalioribus generis humani*]. Interea crescit persuasio genus humanum non tantum viribus naturae dominari imperiumque suum super res creatas roborare posse ac debere, sed insuper eius esse ut ordinem politicum, socialem et oeconomicum statuat, qui in dies melius homini inserviat et singulis ac coetibus facultatem det dignitatem suam affirmandi et « personalitatem » propriam excolendi.

Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona, quibus per iniquitatem vel iniustam distributionem, vivida conscientia moti, orbatos se esse iudicant. Nationes recenter sui iuris factae, bona cultus civilis hodierni non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in actione mundi fungi cupiunt. Cum autem hae nationes
[10] non tam cito progrediantur, in dies augetur earum distantia ab aliis ditioribus nationibus. Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, aequalitatem de iure et de facto cum viris. Opifices non solum victui necessaria comparare, sed laborando dotes suae personae excolere, immo in ordinanda vita oeconomica suas partes agere volunt. Populi fame pressi populos opulentiores interpellant. Nunc primum in historia humana populi arbitrari audent civilis cultus beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentiis latet profundior et universalior appetitio: personae nempe, atque coetus qui plenam vitam liberam, homine dignam sitiunt, in suum bonum convertentes omnia illa quae hodiernus mundus eis tam abundanter praebere potest.

Hae exigentiae, hae sententiae de bonitatis gradibus magnum momentum habent ad huius aetatis evolutionem.

Multa igitur, uti patet, sunt elementa scientifica, humana, intellectualia, moralia, religiosa, quae mundum conspiranter transformant, eique indolem implicatam et cuncta commoventem imprimunt.

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potens ac debilis apparet, capax meliora et peiora agendi, daturque ei optio eligendi libertatem aut servitutem, progressum aut regressum, fraternitatem aut odium. Quae homo expetere pro bono suo non poterit, nisi seipsum superans. Subobscure novit in ipso homine positum esse utrum vires,

quas ipse suscitavit et quae eum postea opprimere aut ei servire possunt, recte dirigantur, nam pedetentim imperium omnium sibi arripit. At quo tendere debet? Quid haec mirabilis fortuna significat? [10]

Variis rationibus huiusmodi interrogatio in dies latius diffunditur. Sane plurimi homines, suae vitae condicionibus, a talibus problematibus considerandis impediuntur vel avertuntur. Alii responsum a priori praebere se posse autumant, varia invocando philosophica theoremata. Attamen coram hodierna mundi evolutione numero quotidie crescunt qui seipsos interrogant. Ita haud raro ad illas pertingunt aeternas humani generis quaestiones, quae singulis hominibus in itinere suo interdum occurrunt, vel quae non semel eis ipsa existentia Ecclesiae eiusque membrorum obtruduntur: quid significationis in dolore, in malo, in morte, quae non obstante tanto progressu subsistunt? Quid post hanc vitam subsequetur? Quemnam sensum habent tum existentia tum conamina hominum? Ad quid haec omnia?

Utriusque ordinis quaestionibus, distinctis quidem sed eodem vergentibus, in quibus de ipso generis humani fine ambigitur, responsum praebere urget. Ad quod obtinendum plures etiam ad Ecclesiam oculos vertunt. Quare Concilium libertatem et legitimam autonomiam hominis servans, eum ad solutionem detegendam adiuvare libenter intendit.

NOTAE [11]

Ad n. 2.

[1] Cf. *2 Cor.* 5, 15; *Rom.* 4, 25; *Rom.* 8, 32 et 34. Cf. etiam Symbola.
[2] Cf. *Io.* 3, 17-18.
[3] Cf. *Io.* 3, 16.
[4] Cf. *Io.* 8, 12.

Ad n. 3.

[5] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 649 et 650.
[6] Cf. *Io.* 18, 37; 3, 17; 12, 47; *Mt.* 20, 28.

Ad n. 5.

[7] Cf. Paulus VI, Alloc. *Noi godiamo,* 3 ian. 1965: *L'Osservatore Romano,* 4-5 ian. 1965, p. 1, col. 2.

[12]

PARS I

DE ECCLESIA ET CONDICIONE HOMINIS

PROOEMIUM

10. [*Impulsionibus Spiritus respondendum*]. Populus Dei, a Patre convocatus, in vita omnium hominum intime implicatus et perspiciens quantam vim hic status rerum in modum agendi membrorum suorum exerceat, in spe Christi Redemptoris firmus remaneat oportet. Apprime sciens se a Spiritu Domini duci qui replevit orbem terrarum [1] et ubi vult spirat,[2] in eventibus, postulationibus, optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, signa praesentiae Dei discernere, Eiusque interventus animadvertere satagit. Cui voci incunctanter oboedire debet; quod facere non poterit sine incessante nisu et novis inquisitionibus magnanimiter suscipiendis.

Ad tantum munus obeundum omnes vires humanas colligere debebit, intellectum et spiritum inventionis, omnes tum mentis tum cordis facultates, omnes denique scientiae disciplinas. Sed fides potest et debet auxilium decretorium praebere. Fides enim, nedum christianos in mundi navitatibus implicatos a studio singulorum problematum aut ab observantia erga proprias illorum leges eximat, eos e contrario officio circa ea astringit. Haec fides interea omnia novo lumine eoque non fallaci illustrat et mentem versus solutiones dirigit, quae in altissimo fundamento, nempe in integra hominis vocatione, sunt posita.

Ideo Concilium imprimis suffundata bona, quibus aetas nostra merito afficitur, sub hoc lumen reducere, eaque cum fonte suo divino coniungere intendit. Quid Ecclesia *de homine* cogitet explanabit (cap. I). Deinde normas aliquas directivas inculcabit, quarum observantia *in societate hodierna* ei speciatim necessaria videtur (cap. II). Semper sub lumine fidei, significationem ultimam humanae *operae in universo mundo* illustrabit (cap. III). Exinde indoles religiosa, et consequenter summe humana, *missionis Ecclesiae* in mundo hodierno, coniunctio Populi Dei et generis humani necnon mutuum servitium ad quod praestandum ambo invitantur, luculentius apparebunt (cap. IV).

CAPUT I [13]

DE HUMANAE PERSONAE VOCATIONE

11. [*De homine ad imaginem Dei*]. Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, tota socialis vitae ordinatio ad hominem respicere debet, si intimiori eius cordis desiderio respondere velit.

Quid vero est homo?

Ut sacrae Litterae docent, homo « ad imaginem Dei » creatus est et qua talis super cunctas creaturas visibiles dominus est constitutus[3] atque ad Deum ut ad finem suum dirigitur. « Quid est homo », ita ait Psalmista, « quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius » (*Ps.* 8, 5-7).

Hoc autem dominium homo exercere valet, quia intellectu et conscientia, corde et voluntate praeditus est. Ad similitudinem Dei, qui caritas est,[4] diligere et sese libere pro aliis impendere potest. Neque Deus creavit hominem solum. Inde a primordiis « masculum et feminam creavit eos » (*Gen.* 1, 27). Quae consociatio viri ac mulieris, ad stirpem humanam propagandam instituta, primam quoque formam efficit communionis personarum.

Deus, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit « cuncta quae fecerat, et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31). Homini in peccatum lapso misericordiam amoris non denegavit. Cum omni carne super terram foedus iniit et solemniter declaravit se ab homine sanguinem omnis hominis requisiturum: « ad imaginem quippe Dei factus est homo ».[5]

12. [*De dignitate corporis humani*]. Corporali sua conditione homo universas mundanas creaturas in se colligit et culmen vitae terrestris constituit. In eo elementa mundi materialis et cuncta quae super faciem terrae vita moventur, fastigium suum attingunt, et ad liberam sui Creatoris laudem vocem attollunt, in totius mundi symphonia, ore hominis proferenda.[6]

Ita constitutus, homo non tantum cum hoc mundo conseritur super quem virtute mentis agere valet, sed seipsum per corpus exprimendo, per id etiam cum aliis hominibus communionem et colloquium instituit. Utpote a Deo creatum, et ipsum corpus in se bonum est, quod homo honorare et semper magis in sua vocatione personali assumere debet. Homo totus, omnibus viribus suis, corporalibus et spiritualibus, ad

[14] laborandum non sine sudore, ad gaudendum, sperandum et amandum destinatur, nec homo esset si de carne et sanguine non participaret.[7]

At homo ne pravis desideriis serviat cordis sui,[8] contra glorificet Deum in corpore suo.[9] Corporis vires igitur spiritus imperio inservire cogat: melius est enim « ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum » (*Mt.* 18, 8).

Corpus nostrum, ut fides docet, non est simpliciter periturum: die ultimo, spiritualiter transformatum, resuscitabitur, ut in Symbolo confitemur: « Credo ... carnis resurrectionem », et a Liturgia docemur: « Et in carne mea videbo Deum », Salvatorem meum.[10]

13. [*De dignitate animae et imprimis intellectus humani*]. Recte iudicat homo se intellectu suo, divinae mentis speculo, universitatem rerum superare, neque ad sola « phaenomena » physica cognoscenda coartari. Intelligentiam suam per saecula impigre exercendo, ipse in scientiis et artibus technicis mirifice profecit. At sapientia ductus, etiam artem technicam ad inserviendum altioribus humanis facultatibus dirigat, quae in meditatione « fundamentalium » veritatum humanarum et in contemplatione mirabilium Dei exercentur. Ceterum, etsi hodierni technici progressus fraterno inter homines colloquio plurimum conferunt, non in hoc campo tamen perficitur colloquium illud, quod condicio et subsidium est vitae socialis, sed profundius in communione personarum et mutua reverentia erga plenam dignitatem spiritualem.

Non enim de solo pane vivit homo,[11] sed de veritatis perceptione et verbi Dei acceptione. Magis quam saecula anteacta, aetas nostra supplemento animae indiget ad sibi humanius adicienda quaecumque nova detegit. Sors eius futura periclitatur, si sapientiores quosdam homines non suscitat. Quocirca plures nationes oeconomice pauperes, sed sapientia a maioribus accepta ditiores, aliis eximium emolumentum praestare possunt.

14. [*De dignitate conscientiae*]. Homo pariter non fallitur cum dominationem super res corporales affirmat et cum seipsum non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae considerat. Aliquid enim intimius in se habet, quo universitatem rerum et socialem organizationem excedit: ad haec profunda redit, quando convertitur ad cor,[12] ubi Deus eum exspectat qui corda scrutatur [13] et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit: ibi non illuditur fallaci figmento quod tantum physicas et sociales condiciones reflecteret, sed e contra ipsam abyssalem realitatem attingit. Quod tam verum est ut

nihil homini prodesset, si mundum universum lucraretur, sui ipsius vero [14]
detrimentum pateretur.

In imo conscientiae praesentiam alicuius legis detegit, quam ipse
sibi non dedit, sed cui oboedire debet et cuius vox ita sonat: Fac hoc, [15]
et hoc devita. Nam legem in corde suo inscriptam habet et secundum hanc legem iudicabitur.[14] Huius legis lumine, christiani cum omnibus hominibus coniuncti, solutionem inquirant tot problematum moralium, quae tam in vita singulorum quam societatis oriuntur. Quae solutio nullius individui aut coetus arbitrio relinqui potest, siquidem normis et exigentiis verae moralitatis conformari debet, ut homo ad virtutis exercitium indesinenter proficere possit.

15. [*De praestantia libertatis*]. At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest, et libertas est in eo praecellens divinae imaginis signum; quo bono ceterum multi coaevi nostri ardenter afficiuntur. Non est mera et pigra indifferentia, cum veram suam significationem et nobilitatem non obtineat, nisi finem suum in Bono spontanea electione persequendo et apta subsidia efficaciter procurando et veluti creando. Homo, personalitatem suam detegens, simul se affirmat esse sui iuris et iuris Dei. Dignitas humana ab eo requirit ut secundum liberam et consciam determinationem agat, personaliter ab intra motus et persuasus, libenter scilicet et non sub mero impulsu externae motionis aut coactionis.[15]

Deus autem ipse hominem voluit liberum, qui actuum suorum conscientiam et onus in se receperit. Permittit potius creaturae ut contra Creatorem suum insurgat quam ut ei libertatem auferat. Praecepta sua renitenti non violenter obtrudit, et mere serviliter prostratos nullius pretii aestimat.[16] E contra cum Populo suo agens, eum semper a servitute redimit et velut itinere per desertum versus terram libertatis dirigit. Vita christiana similiter, a baptismo usque ad definitivam resurrectionem in Christo, non est nisi indesinens e servitute peccati ereptio, et quoties Spiritus ad ostium cordis nostri pulsat, ad libertatem filiorum Dei nos etiam invitat.

16. [*De sociali indole hominis*]. Homo, dum materiae praestat, omni homini similis est, atque sine rationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes explicare potest; ita ut vita socialis non sit ei onus accidentaliter superadditum, sed necessarie consequatur eius intimam naturam: commercio cum aliis mutuis officiis, colloquio cum fratribus grandescit homo, quoad omnes suas dotes, et suae vocationi respondere potest.

In his rebus, fides christiana novos omnino prospectus nobis praebet, nostrae rationi impervios. Nam docet nos Deum, qui Unus quidem

[15] est, in tribus subsistere Personis, quarum unaquaeque ita ad alias vivit ut ea ipsa relatione constituatur. Persona humana igitur, cum ad imaginem Dei unius et trini creata sit, quomodo signum Eius in se non habeat? Enimvero, si homo in terris sola creatura est quam Deus propter
[16] seipsam voluerit,[17] idem ex seipso ad alios refertur, ita ut nonnisi se dando invenire se possit.

Uno mandato ceteroquin reliqua mandata comprehenduntur: diliges! Atque cum amor Dei non possit a christiano ab amore proximi seiungi, a Paulo docemur: « ... si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum (...). Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 9-10).

Quod vero pro hominibus magis in dies ab invicem dependentibus atque pro mundo in dies magis unificato maximi comprobatur esse momenti.

17. [*De morte devincenda*]. Recte denique iudicat homo, quando omnia cadere et in nihilum ruere firmiter negat. Semen aeternitatis, quod supra facultates materiae in se gerit, contra mortem insurgit, ultra quam ipse vitam non perituram attingere contendit. Sane omnia technicae artis molimina, licet utilissima, respectu mortis irrisiones esse videntur, nam prorogatio longaevitatis biologicae huic quaestioni non respondet. Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Populus Dei tamen affirmat hominem pro beato fine, ultra terrestris miseriae limites, a Deo in existentia positum esse. Revelatione Christi edoctus, firmiter credit mortem per peccatum in mundum intrasse et Deum hominem vocasse ut cum tota sua natura vitae divinae incorruptibilis per victoriam Christi resurgentis particeps fieret. Non tantum ad communionem cum fratribus suis, sed etiam ad communionem cum ipso Deo invitatur homo. Utrumque colloquium ei a prima sua existentia praesta est: non enim existit nisi quia a Deo Creatore diligitur et non plene vivit nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat. Haec amoris ratio eum subsistentem facit; quod si non agnoscit, in extremam incidit calamitatem.

Fides igitur, cuicumque recogitanti homini cum solidis rationibus oblata, capax est ad respondendum anxiosae interrogationi hominis de sorte sua futura, immo facultatem nobis facit communionis cum fratribus iam morte praereptis, quos dileximus et adhuc diligimus et qui veram vitam sunt adepti.[18]

18. [*De Deo ab hominibus agnoscendo*]. Multi ex coaevis nostris, pro dolor, intimam ac vitalem hominis cum Deo rationem nullo modo aut non recte percipiunt. Unde diversi oriuntur modi cogitandi et agendi,

[16] qui se invicem non necessario excludunt, immo aliquando invicem implicantur, sed omnes circa veram hominis cum Deo rationem errant.

Plures legitimum optatum autonomiae eousque perducunt, ut contra qualemcumque a Deo personali dependentiam difficultatem suscitent. Inter illos quidam, plus minusve conscie, hominem tantopere exaltant, ut fides in Deum quasi enervis reddatur, magis proclives, ut videtur, in affirmationem hominis, quam in Dei negationem. Sunt qui censent hominem omnino nihil circa hoc problema affirmare posse. [17] Alii Deum tali forma repraesentant, ut Eum repudiantes nullo modo Deum Evangelii reiciant. Alii quibusdam humanis bonis characterem imprimunt absolutum, qui nonnisi Deo iure agnoscitur, ita tamen ut illa bona pro Deo in eorum mente substituantur. Multi non vident aut non agnoscunt quare in vita sua de Deo aut religione curare debeant. Plurimi, praesertim practico materialismo dediti, omnem inquietudinem religiosam a corde suo arcere conantur ac huius generis quaestiones consulto devitant. In quibus erratis ipsi credentes non omni semper culpa carent.

Omnis homo interea, ipsa sua existentia, sibi ipsi remanet quaestio insoluta, subobscure percepta. Nemo etenim quibusdam momentis, praecipue in maioribus vitae eventibus, praefatam interrogationem omnino effugere valet. Cui quaestioni solus Deus respondet, qui ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem hominem vocat.

19. [*Problema atheismi*]. Comperimus tamen plures systematicam Dei negationem probare; quod inter gravissima huius temporis facta numerandum est.

Atheismus quidem diversissimas induit formas, non simpliciter ad invicem reducendas. In multis regionibus data opera spargitur, immo a potestatibus publicis sustentatur et varia adhibita impulsione sociali, praesertim in iuvenum educatione, diffunditur, civium libertate despecta.

Secundum unam ex his « ideologiis », homo, multifariis miseriis ligatus, in certis ac definitis condicionibus socialibus sibi perfectionem libertatis ac felicitatis sub specie supraterrestris entis divini repraesentat. Huic suae imaginationis figmento deinde se subicit, ab eo salutem exspectans et a terrestri navitate sese avertens, sicque quodammodo se a seipso abalienat. Ab huiusmodi alienatione et servitute homo enixe liberandus est, ut omnes suas vires profectui oeconomico ac sociali impendat atque felicitatem suam in his terris constituat.

Atheismus ille, ad fidem in Deum e corde multitudinis extirpandam, pseudo-argumenta ex scientiis affert et saepe subsidiis utitur, quae dignitatem personae humanae graviter offendunt. Pro Deo vivente tamen numerosi martyres ante faciem mundi praeclarum reddiderunt et reddunt

[17] testimonium. Deus quidem solus corda scrutatur; Ecclesia autem, fideliter tum Deo tum homini addicta, desinere non potest quin perniciosas illas doctrinas actionesque dolenter sed firmiter reprobet, quae universali experientiae humanae contradicunt et hominem ab innata eius excellentia deiciunt.

Illos vero qui haec systemata asserunt invitamus ut sincere inquirant num suam contra Deum oppositionem rationibus validis atque puris fulcire valeant.[19] Quaerimus insuper quo iure civitatum rectores inter homines credentes et non credentes discrimen inducant et quare fundamentalia iura personae humanae non agnoscant. Ecclesia, atheismum rei-
[18] ciens, sincere fatetur homines omnes, credentes et non credentes, communiter in hoc mundo habitare omnesque ad hunc mundum aedificandum opem conferre debere. At pro credentibus simul libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum exstruere sinantur, communitatem praesertim christianorum in Ecclesia congregatorum.

Ecclesia apprime novit se cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem vindicat, sicque illis qui iam de altiore sua sorte desperabant, spem restituit. Nuntium eius, nedum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem ad eius utilitatem fundit. Nullum praeter illud cordi hominis satisfacere valet: « Fecisti nos ad Te », Domine, « et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te ».[20]

20. [*De Christo, Homine perfecto*]. Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat « forma futuri » (*Rom.* 5, 14), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam suam vocationem patefacit. Nil igitur mirum si in Eo omnes praedictae veritates suum inveniunt fontem atque fastigium.

Qui est imago Dei invisibilis, Ipse est homo perfectus, qui Adae filios ad similitudinem divinam, inde a primo peccato obnubilatam, restituit. In Eo natura humana, assumpta, non perempta,[21] ad incomparabilem dignitatem evecta est. Ipse, incarnatione sua, Se cum omni homine quodammodo in unum coaluit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit,[22] humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.

Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit in Ipsoque Deus nos reconciliavit Sibi et inter nos [23] et e servitute diaboli ac peccati nos eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere

possit: Filius Dei « dilexit me et tradidit Semetipsum pro me » (*Gal.* 2, 20). Virtute enim Spiritus Sancti, redemptionis mysterium perpetuo vivum et efficax per saecula manet, donec Dominus veniat. De cetero fides nos docet neminem impugnationem mali devincere neque ad vitam pervenire posse, nisi passionem, mortem et resurrectionem Iesu participaverit, videlicet mysterium paschale quod in baptismate et Eucharistia repraesentatur. Quia vero Christus pro omnibus mortuus est, credere debemus Spiritum cunctis possibilitatem offerre, ut, modo Ipsi cognito, huic mysterio sese consocient.[24] In Christo itaque illuminatur problema doloris et mortis, quod extra Eius revelationem caligine nos obruit. [18]

Instanter Christus nos monuit: « Quicumque quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam: et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam » (*Lc.* 17, 33).[25] Sed scriptum est etiam: « Si reprehendit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro » (*1 Io.* 3, 20) et « ubi abundavit delictum, superabundavit gratia » (*Rom.* 5, 20). Christus autem, mittendo Spiritum suum, qui solus cor nostrum transformare potest, unumquemque nostrum suo nomine appellat eique comitem viae se praebet. Ipse est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6); « hic est vere Salvator mundi » (*Io.* 4, 42). Morte sua mortem destruxit vitamque nobis elargitus est,[26] ut filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! [27] [19]

NOTAE

Ad n. 10.

1 Cf. *Sap.* 1, 7 et Introitus festi Pentecostes.
2 *Io.* 3, 8.

Ad n. 11.

3 Cf. *Gen.* 1, 26. Cf. *Eccli.* 17, 1-4; *Sap.* 2, 23.
4 Cf. *1 Io.* 4, 8.
5 Cf. *Gen.* 9, 5-7 et 17.

Ad n. 12.

6 Cf. *Dan.* 3, 57-90.
7 Cf. *Heb.* 2, 14.
8 Cf. *Eccli.* 5, 2; *Mt.* 15, 19.
9 Cf. *1 Cor.* 6, 13-20.
10 Liturgia defunctorum, Lect. 8. Cf. *Iob.* 19, 26

Ad n. 13.

11 Cf. *Mt.* 4, 4.

[19] *Ad n. 14.*

[12] Cf. *Ps.* 84, 9, in Vulgata.
[13] Cf. *1 Reg.* 16, 7; *Ier.* 17, 10.
[14] Cf. *Rom.* 2, 15; *Ier.* 31, 33.

Ad n. 15.

[15] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 265.
[16] Cf. S. HILARIUS PICT., *Ad Const. Aug.* 1, 6: *PL* 10, 561: « Deus cognitionem sui docuit potius, quam exegit: et operationum caelestium admiratione praeceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se adspernatus est voluntatem ».
[17] Cf. S. THOMAS, *Contra Gentiles,* III, 112. (Quod creaturae rationales gubernantur propter seipsas): « Sic igitur per divinam providentiam intellectualibus creaturis providetur propter se, ceteris autem creaturis propter ipsas... Sola igitur intellectualis natura est propter se quaesita in universo, alia autem omnia propter ipsam ».

Ad n. 17.

[18] Cf. *Io.* 10, 28.

[20] *Ad n. 19.*

[19] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 652 et 653.
[20] S. AUGUSTINUS, *Confess.,* I, 1: *PL* 32, col. 661.

Ad n. 20.

[21] Cf. *Conc. Constantinop.* II, can. 7: « Neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta »: DENZ. 219 (428). - Cf. etiam *Conc. Constantinop.* III: « Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta (theôtheisa ouk anèrethè), sed in proprio sui statu et ratione permansit »: DENZ. 291 (556). - *Conc. Chalced.*: « in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum »: DENZ. 148 (302).
[22] Cf. *Conc. Constantinop.* III, *l. c.*: « ita et humana eius voluntas deificata non est perempta ».
[23] Cf. *2 Cor.* 5, 19; *Col.* 1, 20.
[24] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. II, n. 16: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20.
[25] Cf. *Mt.* 10, 39; *Mc.* 8, 35.
[26] Cf. Liturgia paschalis byzantina.
[27] Cf. *Rom.* 8, 15 et *Gal.* 4, 6. Cf. etiam *Io.* 1, 12 et *1 Io.* 3, 1-2.

CAPUT II [21]

DE HOMINUM COMMUNITATE

21. [*Quid Concilium intendat*]. Secundum Dei ordinationem, hominis vocatio, cuius celsitudinem monstravimus, nonnisi in vita sociali compleri potest. Quoniam vero recentiora Magisterii documenta christianam societatis humanae notionem plane exposuerunt,[1] haec Sancta Synodus quasdam tantum *principaliores veritates* in memoriam revocabit (nn. 22-26). Deinde in quaedam exinde manantia *consectaria* insistet, quae nostris diebus maioris sunt momenti: respiciunt autem *reverentiam* personae humanae exhibendam (nn. 27-29), fundamentalem inter homines *aequalitatem* (nn. 30-31), necnon humanam *libertatem* eiusque in hodierna societate condiciones (nn. 32-34). Quae omnia denique ad *fundamenta sua theologica reducentur et ad ipsum Christum* ut ad centrum convertentur (nn. 35-36).

Sectio 1: *De principiis fundamentalibus*

22. [*De « interdependentia » humanae personae et humanae societatis*]. In omni campo, incrementum humanae personae et ipsius humanae societatis arctissime mutuo consistunt. Ex una parte, principium, subiectum et finis omnium institutionum socialium est atque esse debet persona humana. Haec autem, ex altera parte, natura sua ad alias personas et societates ordinatur, sine quibus individuus homo neque vivere neque ad mentis et cordis perfectionem pervenire potest.[2]

Homo ab infantia in saeculorum seriem, quae rebus prosperis et adversis abundat, inseritur; dum autem crescit, adiunctis socialibus, in quibus vivit, maxime sive in bonum sive in malum afficitur; moriens vero, aliquid in mundo mutatum relinquit, sive in commodum sive in detrimentum fratrum suorum.

Sane malum in societate non infertur tantum ex pondere formarum oeconomicarum et socialium, sed etiam ac penitius ex ipso hominis corde, ex singulorum superbia et sui commodi studio, et ex eo quod omnes in peccato conveniunt. Iamvero ubi ordo rerum peccati sequelis perturbatus est, homo proclivis ad malum natus, nova deinde incitamenta experitur, quae eum ad perperam se gerendum erga Deum, erga fratres, erga mundum impellunt. Quamobrem homo, in omnibus a Deo pendens, propter ipsum peccatum novis indiget divinis remediis et donis, non solum ut gaudia assequatur aeterna, sed etiam ut civitatem terrenam super solidum iustitiae et caritatis fundamentum exstruat.

[22] 23. [*De multiplicatione socialium vinculorum*]. Homo ad se excolendum multiplicibus formis societatum indiget, quarum quaedam, ut familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; quaedam aliae vero, v. g. « professionem » vel animi culturam respicientes, magis ex eius libera procedunt voluntate et priores complent. In omnibus autem campis humanum commercium, colloquium, mutua servitia et conspirantes conatus sunt cuiuscumque vitae socialis elementa.

Nostra aetate, ob multiplices causas ad historiam, scientiam atque technicam artem pertinentes, mutui interventus et « dependentiae » in dies multiplicantur; unde diversissimae nascuntur institutiones sive publici sive privati iuris: quod factum « socializatio » appellatur. Etiam si talis rerum evolutio pericula certa infert, multa tamen affert commoda, quibus speciatim numerosis oeconomicis socialibusque iuribus satisfieri potest. Haec quidem evolutio ita ducenda est, ut propriae qualitates personae humanae confirmentur et augeantur, ut exigentiae iustitiae socialis impleantur, ut humana societas ad congruentem compaginem perducatur.[3]

24. [*Iura et officia humanae personae confirmantur*]. Dum nostris diebus ligamina inter homines strictiora fiunt et paulatim ad universum mundum extenduntur, simul crescit conscientia eximiae dignitatis hominis, quippe qui rebus praestet et cuius iura et officia abalienari nequeant, sintque universalia et inviolabilia. Merito ergo exigitur ut omnia ei tribuantur quorum ad vitam vere humanam gerendum indiget, non solum quoad materiales existentiae condiciones, utputa victum, vestitum, habitationem, sed etiam quod spectat ius ad bonam famam, ad reverentiam, ad vitae privatae protectionem. Ut omnia haec impleantur, amplae societatis immutationes inducendae erunt.

Dei Spiritus, qui cursum temporis dirigit et renovat faciem terrae, ab hac tam decretoria evolutione alienus non est; neque ei alienum est evangelicum fermentum, quod in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit.

25. [*Ordo socialis necessariae in dies evolvitur*]. Exinde patet normas vitae hominum in societate degentium alias esse et alius naturae ac leges, quae elementa irrationalia totius universi aut coetus animalium regunt. Humana societas est praeprimis quiddam spirituale, morale, e fraterna reverentia et communione ortum, in quo cuncti integrae suae vocationi, propriae et communi, terrestri et aeternae libere obtemperare possint.[4]

Unde intelligitur ordinem socialem necessario in dies evolvi: in veritate fundatur, in iustitia efficitur, amore vivificandus est, in liber-

tate semper novum semperque magis humanum aequilibrium invenire [22] debet.[5] Sedulo servatis elementis permanentibus cuiuscumque vitae socialis, et respectu habito adiunctorum et possibilitatum, quae reapse [23] habentur, oportet igitur ut societates ipsae incessanter perficiant tum mores tum institutiones suas, ut legitimis personarum postulationibus respondeant. Subiciendus est enim ordo rerum ordini personarum, non ordo personarum ordini rerum.

Christus ipse asseruit sabbatum propter hominem esse factum, non hominem propter sabbatum.[6]

26. [*Bonum commune est universale*]. Nunquam denique est obliviscendum, mundum, dum crescit, sicut omne vivens corpus, magis magisque variari et sensim necessariam coniunctionem inter propria membra clarius detegere: unde principia memorata non tantum rationes in una eademque societate regunt, sed etiam normas inter diversas societates efficiunt. Aliis verbis bonum commune cuiusdam particularis coetus, seu summam condicionum, quae tum coetui tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur, hodie minus quam antea, modo ad proprium commodum omnia referente concipere non licet.[7] Quilibet coetus rationem habere debet necessitatum et legitimarum appetitionum aliorum coetuum quibuscum coniungitur, immo boni communis totius familiae humanae. Nunc primum in historia humanitatis, non solum principia sed etiam ipsa facta imperant ut coniunctio humana reapse fit universalis.

Sectio 2: *De viis sequendis*

27. [*De reverentia erga humanam personam*]. Ne tamen doctrina exposita inefficax maneat, complenda est normis practicis, speciatim aetati nostrae accommodatis.

Garrire circa dignitatem personae humanae non sufficit: quid in vitae usu a nobis exigat investigandum est.

Qui hominem reveretur, rationem imprimis habet eius existentiae, eum ut « alterum seipsum » considerat atque tractat. In parabola dives, qui quotidie splendide epulabatur, nullam Lazari pauperis curam egit: ideo et damnatus est.[8]

Magis hodie quam praeteritis saeculis urget obligatio ut proximos nos efficiamus cuiuslibet omnino hominis, sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius immerenter despectus, vel illegitimus infans, iniuste patiens propter peccatum non a se commissum, vel esuriens qui, repente nobis in televisione occurrens, sopitam conscientiam nostram interpellat: « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis », dicit Dominus, « Mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

[23] Contra, quaecumque sacrae indoli vitae adversantur, ut genocidia, abortus, euthanasia vel ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta cor-
[24] pori aut menti inflicta, systematici conatus ipsos animos coercendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt aut laedunt, ut hominum deportationes, prostitutio, mercatus mulierum vel iuvenum; vel etiam condiciones laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestuosa instrumenta et non ut liberae et « responsabiles » personae tractantur: haec omnia probra sunt et dedecora nostri civilis cultus, magis inquinant eos qui sic se gerunt, quam eos qui tales iniurias patiantur, et denique honori Creatoris gravissime contradicunt.

Item reverentia pro persona exposcit ut « ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ».[9] Gaudium igitur offerunt Populi Dei illae nationes, quae ius ad libertatem religiosam, tam « individualem » quam « collectivam », ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant. Veritas, quae Christus est, non per vim imponitur, sed propter seipsam libere amatur.

28. [*De reverentia erga adversarios*]. Reverentia erga humanam personam inter eos quoque servanda est, qui de rebus socialibus, politicis aut religiosis aliter et aliter sentiunt. In nostris societatibus, ubi diversae et quandoque adversae opiniones vigent, diligenter colenda est caritas mentis, qua modos sentiendi eorum qui aliter ac nos arbitrantur intelligere possimus. Haec caritas nequaquam « indifferentiae » erga veritatem indulget, sed amorem et inquisitionem veri imperat. Aliunde Dominus nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare.[10] Semper aequum est inter errorem et errantem distinguere, etiam ubi notiones falsae aut non accuratae circa rem religiosam aut moralem occurrunt. Nam deerrans homo personae humanae dignitatem non amittit, quam semper honorare debemus.[11]

29. [*De amore inimicorum*]. Doctrina Christi praeceptum amoris erga omnes inimicos nostros extendit; quod proprium est novae legis mandatum: « Audistis quia dictum est: oculum pro oculo et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo ... Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos » (*Mt.* 5, 38-39; 43-44). Praescribit Dominus ut usque septuagies septies, id est semper, ignoscamus,[12] ut simus filii Patris nostri qui in caelis est, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos » (*Mt.* 5, 45). Quae magnanimitas ignaviae erga bonum aut

verum succumbere non debet. Sperandum est autem et satagendum ut [24]
errantes libere mentem veritati et cor bonitati aperiant, sicut Christus e cruce pendens opere ostendit et Apostolus commendavit: « Vince in bono malum » (*Rom.* 12, 21).

30. [*De fundamentali inter omnes homines aequalitate*]. Simul cum [25]
dignitate personae humanae, « fundamentalis » aequalitas inter omnes homines magis magisque agnoscitur; quod cum doctrina christiana aperte congruit, secundum quam omnes ad imaginem Dei creati et eadem divina vocatione praediti sunt. At credentes ac non credentes consectaria huius principii ad actum deducere debent.

Omnis igitur discriminandi modus, aut politicus, aut socialis, aut « culturalis », secundum sexum, stirpem, socialem condicionem, linguam tribum, « castam », pellis colorem vel religionem, damnandus et sensim removendus est, utpote humani generis conscientiae et Dei proposito contrarius.

Multi ut res melius disponantur sese impendunt, sed plura supersunt facienda. Sic viri ac mulieris aequalitas et « complementaris » indoles latius agnoscuntur, in vita familiae vel etiam in ordine civico et sociali. At in pluribus regionibus mulieri adhuc negantur iura « fundamentalia », veluti libere sponsum eligendi, vitae statum amplectendi, ad parem educationem et animi culturam accedendi.

Simplicius, nonne ubique pari reverentia tractantur dives et pauper, potens et debilis, operarius et dominus? Si autem personarum acceptioni indulgemus, opulentum honore praevenientes et inopem exhonorantes, teste sancto Iacobo, peccatum operamur et ordinem divinum evertimus.[13] Ne obliviscamur denique Christum pauperes peculiari amore dilexisse.

31. [*De caritate sociali*]. Ulterius procedentes, consentire debemus aequalitatem spiritualem inter omnes homines per progressiones ad quamdam aequalitatem in ipsis condicionibus socialibus perducendam esse.

Eo tempore quo potestas hominis amplissime increvit et adhuc increscit, ingentes inaequalitates oeconomicae, sociales ac « culturales », inter membra unius humanae familiae adhuc vigentes, scandalum movent. Quod auferre debemus minuendo disparitates, discriminationem qualemcumque vero constanter excludendo, ut enixe postulant iustitia, aequitas, dignitas humanae personae et ipsa mundi pax.

Miro modo hodie dilatantur spatia caritatis. Ultra formam « individualem » semper necessariam, caritas induit illum efficacissimum agendi

[25] modum, quo civili cultui auxilia praestat et institutionibus reformandis curam impendit, praeceptis iustitiae socialis melius observatis.

Eget quidem homo non solum pane, sed et dignitatis suae observantia, libertate et amore. Huiusmodi vero fames explenda est ope institutionum tam oeconomicarum quam socialium, politicarum, nationalium, « internationalium ». Ubique terrarum personam humanam tueri et honorare debemus, in quacumque condicione ipsa invenitur et quaecumque pericula nobis sunt obeunda.

[26] Profecto libertas christiana non in eodem loco quo liberatio a terrestri servitute collocatur. Onesimus, de quo Paulus scribit, quamquam intus liberatus, servus manebat. Sed ab ipso die quo servus noverat se coram Deo eadem dignitate ac dominum suum gaudere, servitus radicitus devicta erat. Humanae enim institutiones spiritualibus rebus, omnium altissimis, paulatim congruant oportet, etiamsi interdum pluribus saeculis opus sit ut ad optatum finem perveniatur. Omnes igitur qui humanae personae dignitatem propugnant, admitti debent ut technicas artes ad hominis servitium reducant, ut strenue adversus omnem servitutis speciem decertent, ut in tota vita sociali ad bonum omnium effulgere faciant libertatis spiritum.

Quocirca magni esset emolumenti, si iura quae plurimae nationes omnibus agnoscunt hominibus, sub omni regimine politico reapse observarentur.[14]

32. [*De libertate et hominum coniunctione*]. Libertatem aequales nostri magni aestimant, sed hominem esse liberum asserere non sufficit. Verum est hominem, quamvis germen autonomiae in se gerat, potius liberum fieri quam nasci. Ad libertatem autem non ascendit, nisi ubi condiciones vitae ei permittunt ut suae dignitatis conscius fiat et vocationi suae, seipsum pro aliis impendendo, respondeat. Cum homo a sociali vita secluditur, in tristitiam incidit et languescit. Expedit insuper ut utilem se sentiat, ne taedio affectus, rationem vivendi se deperdidisse putet. Non ut solitarius sed ut « solidaris » sit, creatus est homo.

Ideo humana libertas debilior fit et quasi extinguitur, ubi homo in extremam incidit egestatem, sicut vilescit, ubi ipse nimiis vitae facilitatibus indulget vel in aurea veluti solitudine seipsum occludit. E contra roborem acquirit, cum homo inevitabiles coercitiones vitae socialis accepit, multiformes exigentias humanae coniunctionis adsumit atque officio serviendi humanae communitati se obstringit.

Humanum genus, cum magis magisque rebus dominatur, hodie etiam clarius perspectum habet quanta ab antecessoribus accepit, simulque detegit sortem suam futuram pro magna parte e coniunctione inter omnes

homines pendere. Haec coniunctio oportet igitur ut magis effectiva et [26] universalior fiat, atque velut ad aetatem adultam perveniat. Bene de his rebus sentire non sufficit: necesse est ut omnes una cum omnibus ad opus procedant.

33. [*Quod ultra ethicam individualisticam progrediendum sit*]. Cum multa tam cito et tam profunde mutentur, perplures sunt qui rerum cursui non attendunt, vel coram eo quasi obstupefacti aut torpentes manent. Huic novo statui neque singulorum conscientiae neque coetuum mentes accommodantur. Dum spatia inter diversa terrarum loca coartantur, dum uniuscuiusque coetus destinatio partim iam ex omnium destinatione pendet, cor hominum nonnisi ardue angustos vitae quotidianae limites [27] transcendit. Sunt etiam qui largas generosasque opiniones profitentur, ita tamen reapse vivunt ac si nullam de necessitatibus societatum curam habeant.

Magni hodie interest ut nullus homo et nullus coetus ethicae « individualisticae » obsequatur, veram condicionem socialem nimis negligendo, atque ubi de rationibus inter individuum hominem et societatem agitur, multa reprehensibilia permittendo, immo iustificando. Ita in variis regionibus, plures sunt qui leges et praescriptiones sociales minimi faciunt. Non pauci variis fraudibus ac dolis iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas ad valetudinem tuendam, aut ad cursum vehiculorum per vias moderandum statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vitam aliorum periculo exponere. In nostra societate, in qua magis ac magis alii ex aliis pendent, omnibus agnoscendum est necessitudines sociales longius latiusque extendi et primas partes tenere atque ut tales ab omnibus observari debere. Uno verbo, quo magis mundus unitur, eo apertius officia muneraque hominum particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur.

34. [*De « responsabilitate » et participatione*]. Ut singuli suum conscientiae officium accuratius servent tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem animi culturam sunt educandi, adhibitis ingentibus subsidiis quae hodie toti generi humano praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Apud omnes exstimulenda est voluntas communes nisus participandi. Similiter appetitio qua plures nationes iam impelluntur, ut sibi talem socialem ac politicam formam impertiant, in qua maxima pars civium

[27] rerum publicarum particeps fiat, ratione habita condicionis « concretae » uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis, strenue fovenda est.

De cetero, si hanc viam non sequimur, maxima pars hominum existimabit se a viris privilegiariis duci, qui sine multitudinis assensu de ea disponunt. Tunc quasi frustratos se sentient et propensi erunt sive ad spem in quadam desperata seditione collocandam, sive ad seipsos penitus tradendos quasi « machinae » societatis exanimis, a qua nihil exspectant nisi ut immediatis eorum necessitatibus provideat.

Ut vero omnes cives proni sint ad participandum vitam variorum coetuum, e quibus corpus sociale constat, necesse est ut in his coetibus bona inveniant, ac ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. Iure arbitrari possumus futuram sortem humanitatis in illorum manibus
[28] repositam esse, qui posteris generationibus rationes reddere poterunt et vivendi et sperandi.

35. [*De fundamentis theologicis vitae socialis*]. Revelatio, universum hominis mysterium illuminans, ad altiorem intelligentiam nos perducit legum vitae socialis, quas Creator in natura spirituali ac morali hominis inscripsit. Secundum doctrinam sacram Deus, paterna cura super omnes vigilans, voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim ad imaginem Dei creati sunt, et ex uno principio orti, ad unum eumdemque finem vocantur, iam nunc vitam SS. Trinitatis participantes ab Eaque vires ad communem salutem accipientes.

In Sacris Litteris Revelatio constanter manifestat indolem communitatis propriam. Ad cunctum populum verbum Dei dirigitur et omnibus gentibus praedicandum est nuntium evangelicum. In vita autem aeterna omnes qui Deum facie ad faciem videbunt, in idem intrant gaudium Domini sui. Nemo scilicet solus neque pro seipso solo salvatur.

36. [*Verbum incarnatum et coniunctio humana*]. Ipsum Verbum incarnatum in coniunctionem humanam introire voluit. Natum ex muliere, ex semine David secundum carnem, necessitudines humanas, imprimis familiares, ex quibus sociales oriuntur, sanctificavit. Triginta annos vitam duxit opificis sui temporis et regionis. Nuptiis Canae interfuit, in domum Zachaei descendit, cum publicanis et peccatoribus manducavit. Ipsius Patris amorem hominumque eximiam vocationem eis revelavit invocando communissimas res sociales et adhibendo locutiones figurasque vitae plane quotidianae.

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide accipiunt, dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in proprio

scilicet Corpore suo, in quo omnes, secundum dona diversa singulis concessa, quasi essent alii aliorum membra, mutua sibi praestarent servitia. [28]

Ita christiani, sub lumine fidei, praesentem evolutionem mundi clarius perspicere et intelligere possunt et gratia omnino parantur ut validam manum fratribus in veritate adiuvandis apponant.

NOTAE [29]

Ad n. 21.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra* et *Pacem in terris.* PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam.*

Ad n. 22.

[2] Cf. S. THOMAS, 1 *Ethic.* Lect. 1.

Ad n. 23.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53, (1961), p. 418. Cf. etiam PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 222 et ss.

Ad n. 25.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 258 et p. 266.
[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *ibid.,* p. 266.
[6] Cf. *Mc.* 2, 27.

Ad n. 26.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.

Ad n. 27.

[8] Cf. *Lc.* 16, 19-31.
[9] *Codex Iuris Canonici,* can. 1351.

Ad n. 28.

[10] Cf. *Lc.* 6, 37 et ss.; *Mt.* 7, 1 et ss.; *Rom.* 2, 1-2; 14, 10.
[11] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 299 et 300.

Ad n. 29.

[12] Cf. *Mt.* 18, 22; 6, 12.

Ad n. 30.

[13] Cf. *Iac.* 2, 1-10.

Ad n. 31.

[14] Cf. Declaratio universalis de iuribus hominis, 10 dec. 1948.

[30]

Caput III

QUID SIGNIFICET HUMANA NAVITAS IN UNIVERSO MUNDO

37. [*Problema ponitur*]. Praesens rerum evolutio coaetaneis nostris, sive in Deum credant sive non credant, multas quaestiones proponit: quorsum haec omnia ducunt? Quid humana navitas reapse significat? Ad quid tendunt sive singulorum sive societatum nisus? Et si omnia finaliter ad mortem destinantur, ad quid valet?

Pro omnibus hominibus haec problemata perobscura remanent, quamdiu in fide peregrinamur, videntes « per speculum in aenigmate » (*1 Cor.* 13, 12), id est usque ad ultimum diem. Deus enim, qui nobis illuminationes ac vires omnes quibus indigemus praebuit, ut sancte vivere et in suum Regnum, hic in terris iam inchoatum, intrare possemus, non in antecessum omni nostrae curiositati respondit. Attamen cum hae quaestiones a salute nostra alienae non sint, credere debemus nos humili ac fidenti meditatione verbi divini, impellente Spiritu Sancto, posse aliquam arcanae veritatis intelligentiam impetrare.

Prima quaedam responsio, satis obvia, in doctrina *de homine ad imaginem Dei creato* iam continetur, quam doctrinam penitius considerabimus (nn. 38-39). Postquam dein dixerimus quid pro christianis significet autonomia rerum terrestrium, ultra progrediemur ad perspiciendum quomodo *humana navitas et Regnum Dei inter se connectantur* (nn. 40-44); quae via nos recto tramite ducet ad mysterium *universalis dominatus Christi* (nn. 45-47).

38. [*Testimonium Sacrae Scripturae*]. Hoc credentibus certum est: hominum navitas, « individualis » et « collectiva », seu ingens summa conatuum, quibus homines decursu saeculorum universitati rerum dominari et condiciones vitae socialis meliores reddere aggressi sunt, si recte ordinatur, manifeste Dei voluntati respondet. Haec navitas certum sensum habet, nullo modo absurda est, indubitanter bonum pro hominibus efficit.

Ad imaginem enim Dei creatus, homo mandatum accepit ut terram sibi subiceret cum omnibus quae in ea continentur,[1] ut creaturae a Deo factae dominaretur,[2] ut universum mundum in sanctitate et iustitia regeret,[3] ut aequitatem et caritatem in societatibus vigere iuberet. Quod quidem sine gravibus difficultatibus et offendiculis ad effectum non perducet. Deus tamen noluit ut vacua essent sapientiae suae opera.[4]

Quod testimonium etiam ad opera penitus quotidiana pertinet. Materfamilias amanter saluti corporis et mentis et animi liberorum suorum

invigilans, ut valida humana « personalitas » in eis efformetur; operarius utilem laborem praestans et pleniorem socialem iustitiam propugnans; vir doctrinarum peritus, qui leges naturae discernere contendit; agricola, pistor, officiis sedis administra, technicae artis cultor, uno verbo hi omnes viri ac mulieres qui, dum vitae sustentationem sibi et familiae suae comparant, opera sua ita regunt ut societati opportune ministrent, hi omnes iure existimare possunt se suo labore Creatoris opus peragere, commodis fratrum suorum inservire, Deo se invitanti ut libere Secum cooperentur veluti responsum dare, et ad consilium divinum in historia adimplendum « personali » ratione conferre.[5] [31]

Haec assertio pertinet etiam ad mentis humanae opera maxime mira, cuius generis sunt machinae ab homine constructae, quae eius mandatis obsequentes immensa mundi spatia vincunt atque ipsam cogitationem nostram quasi exsuperant.

39. [*De fide christiana et humanis victoriis*]. Christiani itaque nullo modo arbitrantur, ut quidam asseveraverunt,[6] opera quae homines virtute pepererunt Dei potentiae opponi, neque creaturam rationalem quasi aemulam Creatoris exsistere. E contrario victoriae humani generis sunt signum magnitudinis divinae et fructus illius ineffabilis consilii Dei, qui voluit hominem ad imaginem suam creare. Ita constitutus, homo profecto in creaturis mirabilia Dei contemplari debet, sed ultra cum Eo, ut creaturae perficiantur, quasi socio labore cooperari. Sicut filiorum illustria facta patrem magnificant, sic victoriae hominum Deum glorificant.

Unde apparet tantum abesse ut propter christianorum nuntium homines ab excolendo mundo avertantur, vel ad bonum sui similium negligendum impellantur — ut quidam obiciunt — sed contra officio haec operandi eos arcte obstringuntur.[7] Re enim vera, quo magis augetur potentia hominum, quo latius extenditur eorum « responsabilitas », eo clarius detegere possumus divinae doctrinae altitudinem, efficacitatem praesentem, universalitatem.

Unum tamen manet omnino necessarium, quod per superbiam hominis et inordinatum sui ipsius amorem cotidie in discrimine versatur: ut scilicet omnes illae navitates secundum mentem Creatoris ordinentur, assumptae et ad perfectionem deductae in Christo; ut cum veraci humani generis bono congruant; ut homini individuo et in societate posito permittant integrae suae vocationis cultum et impletionem. Haec est assertio Apostoli: « Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 22-23).

40. [*De rerum terrestrium autonomia*]. Pro credente igitur omnia ultimatim vim religiosam induunt, etiam humillima et quotidiana opera:

[31] « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine
[32] Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum » (*Col.* 3, 17).[8]

At multi coaevi nostri vereri videntur, ne vita « concreta » et religio nimis arcte inter se coniungantur. Periculum reformidant ne exinde autonomia rerum, hominum, societatum impediatur et libera inquisitio veritatis prohibeatur. Quaedam igitur de autonomia rerum terrestrium exponenda sunt.

Si his verbis intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus propriaque firmitate gaudere, quas homo gradatim dignoscere atque servare debet, talem autonomiam exigere plene fas est: quod non solum ab hominibus nostrae aetatis vehementer postulatur, sed cum voluntate Creatoris congruit, qui leges physicas et sociales condidit atque hunc rerum firmum ordinem voluit. Debent ergo homines hanc exigentiam vereri. Inquisitio methodica in omnes doctrinarum partes, si more humano et secundum normas morales procedit, omni opportuna libertate fruatur oportet. Qui enim, humili et constanti animo, abscondita rerum perscrutari conatur, etiam inscius quasi manu ducitur Dei, qui omnia sustinet et facit ut sint id quod sunt. Ex altera parte, hae leges et haec inventa, si vera sunt, nunquam fidei adversabuntur, cum Creator universorum idem sit ac Deus Sacrae Scripturae, cumque ille qui salvos nos fecit et ad vitam suam participandam vocavit, idem sit atque ille qui omnia condidit.[9]

Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus, a sana « scientifica » indagatione alienos, qui pristinis saeculis in ipsa Ecclesia non defuerunt. Qui habitus, cum contentionibus et controversiis exinde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt, ut fidem et scientiam inter se opponerent. Huiusmodi autem conflictationes et falsae sententiae circa concordiam inter res fidei et scientiarum interpretationem, in adiunctis sui temporis consideratae, non ita operose explicantur; neque errores exclusive catholicorum fuerunt. De quibus casibus non tantum doleamus oportet, sed omnibus viribus connitamur ut, quantum humana fragilitas patiatur, talia nunquam iterentur.[10]

At si verbis « rerum temporalium autonomia » intelligitur res creatas ac leges sociales e Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut ad Creatorem se non referat, nullus credens est qui non sentiat quam falsae sint tales sententiae. Creatura enim sine Creatore evanescit. Ceterum, omnes qui in Deum credunt, cuiuscumque sunt religionis, vocem et manifestationem Eius in creaturarum loquela semper audierunt, et cum Psalmista crediderunt caelum et terram laudem Dei cantare et gloriam Eius enarrare.[11] Immo per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur:

« A Te vultum meum avertens, ita scribit Indius quidam sapiens, litte- [32]
ras tuas perperam computabam earumque sensum non amplius intelligebam ».

Sub velo itaque eorum omnium quae nos circumstant vitamque
nostram quotidianam replent, Deus ipse adest, submisse loquens; sed [33]
ad Eum non attendimus.

41. [*De ratione inter humanam actionem et Regnum Dei*]. Multi longius progredi velint. Si unquam homo hoc ipsum assecuturus esset, ut mundum plane sibi subiceret eumque sat apte componeret, quid ultra adveniret? Similiter christiani saltem aliquatenus perspicere cupiunt, quae sit rationis natura certe vigentis inter terrestrem hominis navitatem decursumque humanae historiae, ex una parte, et, ex altera parte, ultimum huius historiae terminum, qui pro eis glorioso adventu Domini signatur.

Quibus in rebus magna prudentia uti debemus: in fide enim progredimur et non in claritate, et quid futuri simus nondum videmus.

Haec tamen quae sequuntur asseverare possumus.

42. [*Quod homo magis valeat propter id quod est quam propter id quod habet*]. Quia, statuente Deo, universum ad hominem, homo vero ad Christum ordinatur, actiones hominis diudicandae sunt quatenus ad hominis incrementum conferunt.

Revera homo, cum agit, non tantum res et societatem transformat, sed seipsum perficit. Multa discit, facultates suas excolit, extra se et supra se procedit. Tale incrementum, si recte intelligitur, maioris pretii est quam externae divitiae quae colligi possunt: homo magis valet propter id quod est quam propter id quod habet.[12]

Sic ex talentis suis fructum afferens, homo ut servus bonus et fidelis Evangelii, mercede dignus est.[13] Omne opus bene factum, pulchritudinis cultus, contemplatio Dei in mirabilibus suis, quaecumque hominem iuvant ut altiores suas facultates augeat, haec omnia per se cum divina voluntate congruunt. Regnum quidem Dei thesaurus est, ad quem emendum homo paratus esse debet omnia relinquere; [14] et amicitia cum Deo plenam abnegationem requirere potest.[15] Gratia tamen minime destruit naturam, sed perficit, omnia elevando quae in nobis bona inveniuntur.

Ad hoc enim in Christo vocamur ut, mente et corde humano aliisque facultatibus nostris, prout eas his in terris excolere possumus, at a Spiritu Sancto purgatis, collustratis ac penitus transfiguratis, simul fruamur, modo quidem communitatis proprio, ipso gaudio Dei, quando Ipse se totum nobis donabit nosque Illum ex integra nostra substantia in aeternum laudabimus atque amabimus.

[33] 43. [*Civitas terrestris et Civitas caelestis*]. Simili modo, cum ea omnia quae homines ad maiorem iustitiam ampliorem fraternitatem et firmiorem amicitiam in socialibus necessitudinibus obtinendas operantur, non sine connexione cum Regno futuro inveniantur, fides christiana non dubitat quin civitati terrestri exemplum proponat ipsius Civitatis [34] caelestis, « cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas ».[16] Item recta socialis corporis ordinatio iure cum Corpore mystico comparari potuit.[17]

Certocertius, perfectio ordinis socialis omnino diversa est ab augmento Regni Dei, neque eum idem esse atque hoc asseverari potest. Nihilominus, modus quo societas instituitur ac regitur maximum momentum habet ad modum agendi humanum ac moralem civium, qui exinde facilius aut difficilius ad Regnum Dei accedunt.[18] Unde christiani inhaesitanter oppignorare se debent ad meliorem ordinem socialem promovendum.

Haec itaque bona dignitatis, fraternae communionis, libertatis et sponsionis, postquam ea in terris secundum Domini mandatum propagaverimus, postea denuo inveniemus, et mundata ab omni sorde, illuminata, transfigurata, cum Christus Patri reddet « regnum aeternum et universale: regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis ».[19] His in terris Regnum iam in mysterio adest; adveniente autem Domino consummabitur.[20]

44. [« *Caelum novum et terra nova* »]. Ulteriore gressu progredientes, animadvertimus ipsum universum, modo quidem obscuro et mentes nostras omnino exsuperante, sortis hominis particeps esse factum.

Propter peccatum hominis, terra fuit maledicta[21] et creatura vanitati subiecta est,[22] non sine influxu Maligni. In Sacrae Liturgiae descriptionibus cum mysterio Redemptoris consociatur terra, quae contremiscit moriente Domino et exsultat Illo resurgente: « Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo caelum, resurrexit in eo terra. Erit enim caelum novum et terra nova ».[23] Exspectatio creaturae ad revelationem filiorum Dei adspirat; et sicut nos ipsi, primitias Spiritus habentes, exspectamus redemptionem corporis nostri, « et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis » (*Rom.* 8, 19-23). In dispensatione plenitudinis temporum instaurabuntur omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.[24] « Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat » (*2 Petr.* 3, 13). Caelum novum et terra nova, quae vidit Ioannes cum sancta civitate Ierusalem nova de caelo a Deo descendente,[25] in fine saeculorum consummabuntur et « quamdam claritatis gloriam suo modo consequentur »,[26] cum Christus tradiderit regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.[27]

45. [*De universali dominatu Christi*]. Fides denique nos docet [34] Spiritum Dei saecula labentia regere et, salva hominis libertate, omnia in bonum electorum arcana ratione redigere.[28] In divino igitur redemptionis consilio omnes humanae actiones locum suum obtinent.

Immo Spiritus Dei, qui caritatis vinculum est Patris et Filii, omne genus humanum et, per illud, totum universum ad Christum attrahit. Ideo omnia, quae supra memoravimus, ultimam suam significationem habent [35] in persona Christi, qui verus est Deus et verus homo, Filius unicus Patris, Verbum per quod omnia creavit, Salvator noster.

Dilectissimus Dominus et Magister noster, qui venit ut omnes homines salvos faceret, atque mitis est et humilis corde,[29] idem est atque Ille qui, « Dei Sapientia », « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter » (*Sap.* 8, 1). Splendor Patris aeterni, imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, in Illo condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia; omnia per Ipsum et in Ipsum creata sunt,[30] et Ipse est ante omnes et omnia in Ipso constant.[31] Omnia portat verbo virtutis suae.[32] Deus qui homo factus est, ut homo fieret Deus,[33] idem est atque Ille cuius sunt tempora et saecula:[34] « Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et nos per Ipsum » (*1 Cor.* 8, 6).

46. [*Regnavit a ligno Deus*]. Hic quidem universalis Christi dominatus, qui totum genus humanum comprehendit, nullatenus imperio rectorum huius mundi assimilatur. Ampliore ratione, Ecclesia, huic dominatui inserviens, non propriam suam persequitur dominationem. Christus ipse omnem terrestrem potestatem pro se abnuit: « Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia ». Diabolo qui Eum tentavit ut a via sua Ipsum averteret, iniunxit: « Vade, Satana » (*Mt.* 4, 10). Discipulis qui ignem de caelo super eos invocabant qui renuissent Illum recipere, respondit: « Nescitis cuius spiritus estis » (*Lc.* 9, 55). Petro, qui gladio Eum defendere volebat, dixit: « Converte glaudium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt » (*Mt.* 26, 52). Ipse noluit a Patre petere legiones angelorum, qui Eum a passione eriperent.[35] Per solam crucem regnare voluit, relinquens exemplum ut, cum Eo compatientes, cum Eo quoque conregnemus.

Haec divina dispositio non mutabitur. Christus, qui nullius hominis adhaesionem cogit, per Spiritum suum, ad ostium cordis nostri stat et pulsat, responsum nostrum exspectans. Talis est divinus regnandi modus, in spiritu famulatus et observantiae erga hominem, quem Deus reliquit « in manu consilii sui » (*Eccli.* 15, 14), ut seipsum tanquam donum a Deo accipiens, se rursus ex amore Ei dedat. « Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. Fecit nescientem, iustificat volentem ».[36]

[35] 47. [*Alpha et Omega*]. Hoc est mysterium amoris Dei erga hominem simulque totius vocationis hominis. Dominus est finis humanae historiae, qui sensum dat humanis actibus, « punctum medium desideriorum historiae ac civilisationis », centrum humani generis, gaudium et plenitudo aspirationum omnium cordium.[37]

In Ipso, ut docet Apostolus, electi sumus ante mundi constitutionem, et in adoptionem filiorum praedestinati.[38] Ille est quem Pater a mortuis
[36] suscitavit, exaltans collocansque Eum a dextris suis, et quem constituit iudicem vivorum atque mortuorum.[39] In Eius Spiritu, qui « omnia scrutatur, etiam profunda Dei » (*1 Cor.* 2, 10), subobscure significationem plenam historiae humanae prospicere valemus, quae mysterio Eius voluntatis respondet: « Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt » (*Eph.* 1, 10).[40]

Dicit Dominus: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis » (*Apoc.* 22, 12-13).

NOTAE

Ad n. 38.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26-28.
[2] Cf. *Sap.* 9, 2.
[3] Cf. *Sap.* 9, 3.
[4] Cf. *Sap.* 14, 5.
[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 297.

Ad n. 39.

[6] Alluditur ad illos qui agitant mythum Promethei.
[7] Cf. *Nuntius ad universos homines* a Patribus missus ineunte Concilio Vaticano II, oct. 1962: « Tantum vero abest ut Christo adhaerentes a terrenis officiis et laboribus avertamur, ut fides e contra, spes et caritas Christi nos impellant ad inserviendum fratribus nostris: *A.A.S.*, 54 (1962), p. 823.

Ad n. 40.

[8] Cf. *1 Cor.* 10, 31.
[9] Cf. *Rom.* 1, 20 et *Conc. Vat. I.* Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 2, DENZ. 1785 et 1786 (3004 et 3005).
[10] Cf. Mgr. PIO PASCHINI, *Vita e opere di Galileo Galilei,* 2 lib., Lib. Edit. Vaticana, 1964.
[11] Cf. *Ps.* 18 (19), 2 et *Eccli.* 43.

Ad n. 42.

[12] Cf. PAULUS VI, Alloc. ad Corpus Diplomaticum, 7 ian. 1965: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 232.
[13] Cf. *Mt.* 25, 21-23.

[14] Cf. *Mt.* 13, 44. [36]
[15] Cf. *Mt.* 16, 24; *Mc.* 8, 34; *Lc.* 14, 26-27.

Ad n. 43.

[16] Cf. IOANNES XXIII, Alloc. *Ad Conc.,* 11 oct. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 794, ex S. AUGUSTINO, *Epist.* 138, 3: *PL* 33, col. 533.
[17] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 207.
[18] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. IV, n. 36: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 41-42.
[19] Praefatio festi Christi Regis.
[20] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. I, n. 5: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 8.

Ad n. 44. [37]

[21] Cf. *Gen.* 3, 17.
[22] Cf. *Rom.* 8, 20.
[23] Cf. Liturgia romana ex S. AMBROSIO, *De fide resurrectionis.*
[24] Cf. *Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20.
[25] Cf. *Apoc.* 21, 1-2.
[26] S. THOMAS, *Contra Gentiles,* IV, 97.
[27] Cf. *1 Cor.* 15, 24 et 28.

Ad n. 45.

[28] Cf. *Rom.* 8, 28.
[29] Cf. *Mt.* 11, 29.
[30] Cf. *Io.* 1, 3.
[31] Cf. *Col.* 1, 15-17.
[32] Cf. *Heb.* 1, 3.
[33] Cf. « theologiam commercii » apud Patres. Cf. etiam *2 Pt.* 1, 4; *Gal.* 4, 5.
[34] Cf. Liturgiam Sabbati sancti, in benedictione cerei paschalis.

Ad n. 46.
[35] Cf. *Mt.* 26, 53-54.
[36] S. AUGUSTINUS, *Sermo* 169, 11, 13: *PL* 38, 923.

Ad n. 47.

[37] Cf. PAULUS VI, Alloc. 3 febr. 1965: « Gesù è al vertice delle aspirazioni umane, è il termine delle nostre speranze e delle nostre preghiere, è il punto focale dei desideri della storia e della civiltà, è cioè il Messia, il centro dell'umanità, colui che dà un senso agli avvenimenti umani, colui che dà un valore alle azioni umane, colui che forma la gioia e la pienezza dei desideri di tutti i cuori... »: *L'Osservatore Romano,* 4 febr. 1965.
[38] Cf. *Eph.* 1, 4-5.
[39] Cf. *Act.* 2, 33-34; 4, 10; 10, 40-42. Cf. etiam *Phil.* 2, 8-10; *Heb.* 1, 2; 2, 8.
[40] Cf. *Col.* 1, 20.

[38]

Caput IV

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

48. [*Quid huic capiti sit propositum*]. Omnia quae a nobis dicta sunt de integra hominis vocatione, de hominum communitate, de ultimo navitatis humanae sensu, diversis quidem rationibus ad doctrinam Ecclesiae pertinent. Hoc tandem capite de ipsa Ecclesia agitur, quatenus ut visibilis communitas in hoc mundo exsistit: ipsa enim hominem a superbia simul et a desperatione liberat eique vires affert ut mirabili suo fini respondeat.

Rationibus expositis, ob quas Ecclesia in hoc mundo praesens dici debeat (n. 49), et memoratis arctis vinculis quibus ordo creationis cum redemptionis ordine coniungitur (n. 50), huius doctrinae principalia consectaria proponemus (nn. 51-52). Munere dein indicato quod unicuique in Populo Dei proprium est (nn. 53-54), explanabimus quomodo et ipsa Ecclesia a mundo huius temporis iuvetur (n. 55), necnon quonam spiritu animata, hodiernis exigentiis suae missionis respondere cupiat (nn. 56-58).

49. [*Rationes propter quas Ecclesia in hoc mundo praesens esse dicenda sit*]. Ecclesia, ex Patris « philanthropia » procedens,[1] a Christo Domino fundata est; virtute autem Spiritus Sancti, mysterium redemptionis, a Verbo incarnato peractum, per saecula repraesentat et applicat, donec Dominus veniat.[2] Unicus finis propter quem vivit, est Christi propositum exsequi, ut homines vitam habeant et abundantius habeant,[3] et filii Dei, qui erant dispersi, congregentur in unum.[4] Ipsa est veluti sacramentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis.[5]

Vere novit Ecclesia solum Dei verbum, cui ipsa inservit, respondere profundissimis desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus nunquam plene satiatur. Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei sollicitatum, nunquam circa problema religionis indifferentem fore, sicut non solum experientia saeculorum ante actorum, sed multiplici etiam testimonio nostrorum temporum comprobatur. Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, sui conatus, suae mortis. Ipsa praesentia Ecclesiae haec problemata in eius mentem revocat. Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit, his quaestionibus responsum praebet, plenissime quidem in Revelatione.

Credentibus enim Revelatio non apparet tanquam « ideologia » ad instar plurium aliarum, sed ut manifestatio mysterii Dei, quo homini

simul aperitur sensus propriae exsistentiae, integra scilicet de homine veritas. Pro homine summa « realitas » est Verbum Dei caro factum, homo Christus Iesus, fons omnis sanctitatis. [39]

Fundamenta igitur, quibus Ecclesia in mundo praesens innititur sunt voluntas Patris et missio quam ipsa a Christo accepit, quibus respondet libera hominum adhaesio.

50. [*Ordo redemptionis ordinem creationis assumit*]. Ex eo quod missio Ecclesiae religiosa est, concludere non licet eam nullo prorsus modo universalitatem factorum et problematum attingere, quibus decursus humanae historiae efficitur. Deus enim qui novissimis temporibus in Verbo incarnato se revelavit, ipse est qui omnia creavit et Spiritu suo saecula dirigit, hominum corda purificat, et viis ac vicissitudinibus diversis eos ad Christum Salvatorem ordinat, aliquando ita ut ipsi id non advertant. Deus enim vult omnes homines salvos fieri, nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, praeter nomen Christi Iesu.[6]

Arctissime igitur historia hominum historia salutis implicatur, et in praesenti ac « definitiva » oeconomia ordo redemptionis in se ordinem creationis includit. Verbum Patris incarnatione sua totum assumpsit hominem, corpus et animam, in eoque totam naturam a Deo creatam, materia non excepta, sanctificavit, ita ut omne quod exsistit, suopte modo, ad Redemptorem suum clamet.

Ex hac doctrina duo maioris momenti consectaria eruuntur.

51. [*De missione universali Ecclesiae*]. Imprimis, cum ordo redemptionis ordinem creationis comprehendat, Ecclesiae ministerium, sub respectu sibi proprio, ad universas res omniaque problemata humana necessario extenditur.

Quod quidem recte intelligendum est. Christus enim Ecclesiae suae nullum mandatum concredidit nullumque finem assignavit, qui ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem spectaret. Finis quem ei praefixit ordinis religiosi est.[7] Unde sequitur rationem qua Ecclesia de rebus humanis iudicat, non esse nisi hunc vel illum modum quo res istae ad Regnum Dei referendae sint; quod Regnum quidem futurum est, sed iam in terris appropinquavit et propria virtute in hoc mundo crescit.[8] Cum igitur Ecclesia de his quaestionibus tractet, non se adaequat artibus aut particularibus systematibus ad rem socialem spectantibus. Quapropter disciplina eius, licet certas et firmas normas proponat, quae hominis ac societatis magnopere intersunt, formis « institutionalibus » et adiunctis historicis diversissimis accommodatur. Pariter iustam autonomiam rerum, hominum et societatum plene servat: haec

[39] enim autonomia, significatione iam exposita, voluntati Creatoris respondet.

[40] Cum magna reverentia Concilium considerat quaecumque vera, bona, iusta inveniuntur in diversissimis institutionibus, quas genus humanum sibi condidit incessanterque condit. Declarat insuper Ecclesiam, Christi vestigia sequentem, nullius generis appetere terrestrem dominationem: natura sua ad nullam alligatur particularem cultus humani formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale; nihil ardentius desiderat quam ut omnium bono inserviens, se sub quovis regimine evolvere possit, quod iura « fundamentalia » personae ac familiae, necessitates boni communis et libertatem Ecclesiae missionis agnoscat.

At optime etiam novit Ecclesia totum ordinem socialem, peccato vitiatum, donis remediisque indigere divinis, ut exigentiis ab ipso Deo in corde hominis inscriptis respondere possit. Praedicatione sua, fermenti instar, totam massam humanam in omni campo sublevare potest ac debet. Universalitati missionis suae religiosae renuntiare non potest nec sinere eam arctari aut ad aliquam particularem societatis formam redigi. Quod si permitteret, Deo et propterea homini infidelis fieret: gloria Dei, vivens homo.

52. [*De unione inter fidem et vitam concretam*]. Alterum consectarium, haud minoris momenti, ex inclusione totius creationis in ordine redemptionis manat. Omnes scilicet navitates humanae, initio sumpto a maxime quotidianis, a christianis Spiritu Christi vivificari et cum Regno Dei ordinari debent.

Graviter igitur errent qui scientes nos non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere,[9] putent se ideo officia sua terrestria negligere posse, non attendentes se per ipsam fidem ad eadem implenda magis teneri, secundum vocationem qua quisque vocatus est. At non minus errent qui, modo inverso, opinentur sese totos negotiis terrestribus immergere posse, quasi ista omnino sint extranea a vita religiosa, quippe quam in solius cultus actibus et officiis quibusdam moralibus implendis consistere arbitrentur. Divortium illud quod inter fidem professam et vitam quotidianam multorum saepius animadvertimus, inter graviores nostri temporis errores recensendum est: scandalum gignit quod tacere non possumus.

Quinimmo christiani semper memores esse debent, ipsius Dei nomine prophetas publice iniustitiam arguisse et illos qui opprimerentur defendisse. Quod verbis saepe vehementibus fecerunt, iniustitiam non tantum considerantes tanquam ordinis socialis laesionem aut offensam egentibus factam, sed ut legis divinae violationem et proinde Dei sanctitatis insul-

tationem. « Qui despicit pauperem exprobrat Factori eius » (*Prov.* 17, [40]
5).[10] Dicit Dominus: « Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi: dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus dirumpe? Frange esurienti
panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris [41]
nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris » (*Is.* 58, 6-7).

Quam doctrinam Dominus noster non minuit sed perfecit, mandans ut, aemuli boni Samaritani, ad omnem hominem, praesertim indigentem, cum misericordia propius accederemus.[11] « Qui non diligit », ita ait Ioannes, « manet in morte » (*1 Io.* 3, 14). Si quis dixerit se Deum quem non videt diligere, fratrem autem suum quem videt non diligit, mendax est.[12] Quinimmo in die iudicii unusquisque, quod sane mirari debemus, rationem reddet de omnibus quae homini fecerit vel non fecerit, ac si ipsi Christo fuissent facta vel non facta.[13]

Ne igitur dolose inter se opponantur navitates « professionales » et sociales ex una parte, vita religiosa ex altera. Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua negligit erga ipsum Deum suamque aeternam salutem in discrimen adducit.

Gaudeant potius christiani, exemplum sequentes Christi, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, in unam « synthesim » colligendo conatus humanos « professionales », scientificos, technicos et altissima bona religiosa.

53. [*De munere laicorum*]. Sed meminisse oportet non omnes in Corpore Christi, quod est Ecclesia, eumdem locum obtinere neque idem munus exercendum habere. Totus Populus Dei messianicus mortem et resurrectionem Domini coram mundo testificari debet, at modis valde diversis.

Saecularia officia et navitates proprie, quamvis non exclusive, laicis competunt. Quamobrem laici primas tenent partes, ubi Ecclesia intrat in mundum, saepe redarguendum, semper autem vivificandum et sanctificandum.[14] Cum igitur christifideles, praesertim laici, sive singuli sive consociati, ut cives mundi agunt, non solum leges proprias uniuscuiusque disciplinae servabunt, sed veram peritiam in illis campis sibi comparare studebunt. Libenter cum hominibus eosdem fines persequentibus cooperabuntur. Agnoscentes tum exigentias quas movet viresque quas praebet fides, tum instrumenta technica quae eis praesto sunt, incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant.

Quocirca sedulo animadvertentur ad christianam conscientiam, iam apte formatam, generatim spectare, ut legem divinam in vita civitatis terrenae inscribendam curet; sacerdotum vero esse, non impe-

[41] rium ac dominatum exercere, sed illuminationem et animationem praebere. Ne censeant laici Pastores suos semper plane peritos esse, ut in omni oriente quaestione, etiam gravi, sibi responsum praebere queant, aut illos ad hoc missos esse: ipsi potius, sapientia christiana illustrati et doctrinae Magisterii observanter attendentes, propria negotia in se recipiant.

Pluries ipsa visio christiana rerum eos ad certam solutionem in
[42] quibusdam rerum adiunctis inclinabit. Alii tamen fideles, non minore sinceritate ducti, aliter fortasse de eadem re iudicabunt. In quo casu se invicem illuminare satagant, mutuam semper caritatem servantes. Cum vero solutio ab utrisque proposita a multis facile connectetur cum nuntio christiano cuius sunt praecones, etiamsi ipsi hoc non intendant, meminerint nemini licere in praefatis casibus auctoritatem Ecclesiae obligare.

Laicorum vero munus multo latius extenditur quam ut mundum spiritu christiano animare possint: non solum in tota vita Ecclesiae activas partes gerendas habent, sed in omnibus, et quidem in media consortione humana, Christi testes esse debent. A Spiritu Sancto roborati, interventus Eius audient, qui in ipsa vita maxime quotidiana hominum manifestantur. Cui voci non tantum respondere conentur, sed satagant ut eadem vox etiam ab illis audiatur quibuscum iter commune instituunt, quos libenter ad sociam operam invitabunt. Vincula inter homines multiplicando, eumdem panem cum eis dividendo, omnes venerando, cum eis pariter communicabunt amicitiam Illius cui se devoverunt, et verbis et operibus suis eis infinitum amorem Patris patefacient.

Quis unquam mensurare poterit quantum valeat hoc testimonium, vivide expressum in ipsis humillimis ac plane cotidianis occupationibus?

54. [*De munere Pastorum*]. Pastorum vero, quibus onus moderandi Ecclesiam Dei Petro ceterisque Apostolis commissum traditum est, non solum munus est, nuntium Christi cum auctoritate praedicare, sed hoc ita praestare ut eodem nuntio imbuatur vita « concreta » fidelium, ratione habita particularis condicionis atque vitae generum et adiunctorum in quibus iidem vivunt necnon animi culturae qua fruuntur. Quod constans et fidum postulat colloquium.

Nuntium quod profitentur simplicitate et benignitate morum suorum testificantes, praesertim ipsius Dei virtutem dispensandam curabunt. Non solum cum fidelibus, sicut oportet, manifestationes Spiritus quaerent, sed imprimis per sacramenta dona eiusdem Spiritus omnibus dispertient. Nihil profecto hominibus prodesset cognoscere legem Dei, cuius plenitudo est caritas, si fortitudinem eam adimplendi non habe-

rent. Nunc autem sine Christo et sine dono Spiritus, homo nihil potest [42] ad salutem.[15]

Munus pastorale fontem et fastigium suum in sacra Liturgia attingit, praeprimis in eucharistico sacrificio, in quo opus nostrae redemptionis exercetur,[16] nos autem fidem nostram in victoriam Christi super peccatum et mortem profitemur, et operante Spiritu Sancto in illud quod sumimus transimus.[17]

Ecclesia iam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustus fons est illarum virtutum, quarum mundus hodiernus maxime indiget.

55. [*Quomodo Ecclesia a mundo hodierno iuvetur*]. Ecclesia autem [43] non ignorat quantum ex humani generis historia utilitatis acceperit.

Experientia praeteritorum saeculorum, profectus scientiarum, thesauri in variis cultus humani formis absconditi ipsius hominis naturam planius manifestant novasque vias ad Veritatem aperiunt. Quapropter nostris temporibus, in quibus res citissime mutantur et cogitandi modi valde variantur, Ecclesia, ad missionem suam adimplendam, peculiariter eorum auxilio indiget qui viventes in mundo, varias institutiones et disciplinas callent earumque intimam mentem intelligunt, sive de credentibus sive de non credentibus agatur. Totius Populi Dei est, praesertim vero theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias loquelas nostri temporis auscultare, discernere, et interpretari easque sub lumine verbi divini diudicare, ut revelata Veritas semper penitius percipi, melius intelligi et aptius proponi possit, ita nempe ut omnes cultus humani formae omnesque nationes ad inscrutabiles divitias Christi accedere possint.

Quocirca notetur coaetaneos nostros magis magisque bonis autonomiae affici. Unde illud quod plurimi non credentes adhuc ab Ecclesia exspectant, non est manifestatio cuiusdam veritatis mere humanae, quam ab aliis fontibus quaerunt, sed ostensio mysterii hominis prout ex revelatione Christi elucet. Sane doctrinis abstractis difficulter adhaerent, sed fraterno testimonio, quod eis in eorum « concreta » vita proponitur et libertatem eorum nullo modo offendit, facile moventur. Talis autem agendi ratio multo plura a christianis exigit: etiam hoc modo Ecclesia a mundo iuvatur.

56. [*De temporum vicissitudinibus*]. Populus Dei minime ignorat membra sua, sive clericos sive laicos, decurrente multorum saeculorum serie, Spiritui Dei non semper fuisse fideles, et etiam hac aetate, nuntium a se prolatum suam infirmitatem longe excedere: quae quidem res semper ita se habebit. Haec enim est condicio totius Populi ad Terram promis-

[43] sam peregrinantis, ut lex salutis in humanitatem peccatricem intret in eaque velut incarnetur. Ecclesia vero ab Evangelio iudicatur.

Mirum non est Ecclesiam, cum vita hominum penitus immixtam eorumque historiae intextam, omni saeculo apparuisse quibusdam rugis maculatam. Ut in facie sua splendorem dilectissimi Domini ac Magistri sui clarius effulgendum curaret, hoc Concilium convocavit.

Ut de eius infirmitatibus aequum iudicium feratur, semper adiuncta temporum et locorum inspicienda sunt et de anteactis, mente antiquorum neglecta, sententiam pronuntiare non licet. Varia eius modi adiuncta, verbi gratia necessitas defendendi fidem contra quosdam cogitandi modos tunc Ecclesiae adversos, vel deficiens comprehensio apud quosdam fideles, sive clericos sive laicos, in aliquibus regionibus effecerunt, ut communitas christianorum apparuerit, praesertim apud illos quos tamen speciali modo aestimat atque diligit Ecclesia, pauperes scilicet et afflic-
[44] tos, tanquam amica divitum et praepotentium, socia illorum qui alios opprimebant, protectrix eorum qui « immobilismo » favebant. Suspiciones eiusmodi ab adversariis inter populos propagatae, Ecclesiae etiam hodie gravia detrimenta afferunt, cordaque multorum ab ea avertunt. Quae omnia firmo animo auferri debent, ut Ecclesia tanquam Ecclesia omnium agnoscatur.

57. [*De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda*]. Meminerint igitur christiani unicum suum exemplum quod sequantur, oportere esse Christum. Hoc sentiant in se quod et in Christo Iesu, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut Illius inopia nos divites essemus.[18] Hic spiritus caritatis et paupertatis, quem exprimere debent omnes Ecclesiae compages, regalem demonstrat omnibus christianis viam, qui cordi habebunt pati cum patientibus, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, uno verbo omnibus omnia fieri.[19] Christiani qui in fratribus Christum agnoscunt, in copiis et opulentia quiescere non possunt, quamdiu tot homines egestate et fame vexantur.

58. [*De spe Populi Dei*]. Ecclesia vero amica omnium esse exoptat, praesertim humilium et pauperum necnon eorum qui eam persequuntur. Gaudet cum videt fermentum evangelicum, a Spiritu indesinenter vivificatum, in toto genere humano operari. Scit quidem Ecclesia se esse templum Spiritus Sancti, Sponsam Christi, Matrem fidelium, quae non obstantibus propriis infirmitatibus, ex misericordissimo Domini sui amore, mansit, manet, manebit fidelis suo Sponso. Pariter novit, quo magis suae missioni totis viribus fidelem se comprobaverit, totumque nuntium evangelicum opportune importune praedicaverit, eo plures persecutiones se

passuram esse: « Non est servus maior domino suo. Si Me persecuti sunt, et vos persequentur » (*Io.* 15, 20). [44]

Ecclesia intime coniuncta cum mundo, qui eam conspicit eamque aliquando etiam intemperanter interpellat, in multiplicibus eius interrogationibus invitationem Spiritus discernere eique generose respondere studet. A dilectissimo Domino et Magistro suo suppliciter petit, ut virtutem et animum sibi conservet atque adaugeat, ut sese necessitatibus « concretis » suae missionis in mundo huius temporis perfectius adaequat. Ipsi soli se committit.

NOTAE [45]

Ad n. 49.

[1] Cf. *Tit.* 3, 4.

[2] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. III, n. 28; Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 34 et 12.

[3] Cf. *Io.* 10, 10.

[4] Cf. *Io.* 11, 52.

[5] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. I, n. 1: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 5.

Ad n. 50.

[6] Cf. *1 Tim.* 2, 4; *Act.* 4, 12.

Ad n. 51.

[7] Cf. Pius XII, Alloc. 9 mart. 1956, ad cultores historiae et artis: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 212. « Son divin Fondateur, Jésus-Christ, ne lui a donné aucun mandat ni fixé aucune fin d'ordre culturel. Le but que la Christ lui assigne est strictement religieux (...). L'Eglise doit conduire les hommes à Dieu, afin qu'ils se livrent à lui sans réserve (...). L'Eglise ne peut jamais perdre de vue ce but strictement religieux, surnaturel. Le sens de toutes ses activités, jusqu'au dernier canon de son Code, ne peut être que d'y concourir directement ou indirectement ».

[8] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. I, n. 5: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 7.

Ad n. 52.

[9] Cf. *Heb.* 13, 14.

[10] Cf. etiam *Prov.* 14, 31.

[11] Cf. *Lc.* 10, 36-37.

[12] Cf. *1 Io.* 4, 20.

[13] Cf. *Mt.* 25, 31-46.

Ad n. 53.

[14] Cf. Pius XII, Alloc. *La elevatezza,* 20 febr. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 149. « Sotto questo aspetto, Venerabili fratelli, i fedeli, e più precisamente i laici, si trovano nella linea più avanzata della vita della Chiesa; per loro, la Chiesa è il principio vitale della società umana (...). Essi sono la Chiesa ».

[45] *Ad n. 54.*

[15] Cf. *Io.* 15, 5.

[16] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* n. 2: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97. Necnon secreta dominicae IX post Pentecosten.

[17] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* cap. III, n. 26: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 32, ex S. LEON. M., *Sermo* 63, 7 (*PL* 54, 357).

Ad n. 57.

[18] Cf. *Phil.* 2, 5 et *2 Cor.* 8, 9.

[19] Cf. *Rom.* 12, 15; *1 Cor.* 9, 22.

[46]

PARS II

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

59. [*Prooemium*]. Concilium, postquam exposuit quid sit homo necnon ad quodnam munus, sive singulare sive commune, in terris adimplendum sit vocatus, omnium nunc animos ad quasdam urgentiores huius temporis necessitates convertit, quae maxime genus humanum afficiunt.

Inter multa quae hodie sollicitudinem Pastorum excitant haec praesertim recolere iuvat: matrimonium et familiam, cultum humanum (*la culture*), vitam oeconomicam-socialem ac politicam, coniunctionem familiae populorum et pacem; ut circa singula clarescant principia et lumina a Christo manantia, quibus christifideles ducantur omnesque homines illuminentur in tot implicatorum problematum solutione quaerenda.

CAPUT I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

60. [*De matrimonio et familia in mundo hodierno*]. Salus personae et societatis humanae arcte cum fausta condicione communitatis familiaris connectitur. Ideo christiani de omnibus subsidiis quibus hodie genus humanum, in vita aestimanda et colenda, progreditur et coniuges atque parentes in praecellenti suo munere adiuvantur sincere gaudent et meliora exinde beneficia pro matrimonio et familia exspectant atque promovere student (A). Non ubique tamen huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem in quibusdam regionibus polygamia aliisve fallacibus formis obscuratur; amor nuptialis insuper non semel in certa hominum consortione quae « erotismo » atque proclivitate ad « hedonismum » et « egoismum » infecta est, a sacra sua indole destituitur. Praeterea, cum nostra aetate tot ac tanta citius crescant et mutentur, necessitudines oeconomicae et sociales non leves pro vita familiae inducunt commotiones et incertitudines. Accedit in pluribus orbis partibus praerapidum incrementum demographicum. Unde ardua problemata exorta sunt quae passim angorem et crisim quamdam conscientiarum invexerunt (B). Verumtamen matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo quoque apparent, quod variae et profundae immutationes societatis hodiernae illud funditus evertere non potuerunt, sed potius veram eius naturam plurium oculis manifestaverunt (C).

[47] Christifideles, praesens tempus redimentes [1] atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt (D).

61. [*De sacra matrimonii et familiae indole*]. Communitas coniugalis a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur (A). Ita actu humano, quo sese mutuo tradunt atque accipiunt sponsi, etiam coram communitate institutum oritur, lege divina firmatum; quod vinculum sacrum respectu boni personarum non amplius e solo singulorum arbitrio pendet. Ipse vero Deus, caritatis suae consilio, variis bonis ac finibus matrimonium instruxit (B); quae omnia pro generis humani continuatione, pro singulorum familiae membrorum felicitate terrena ac salute aeterna, pro stabilitate et pace, progressu et prosperitate totius humanae societatis maximi sunt momenti. Amore autem coniugali, generoso atque conscio, quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit, animetur oportet ipsum institutum matrimonii, quod ad procreationem et educationem prolis ordinatur, quibus veluti fastigio, completur et coronatur (C). Vir itaque et uxor, qui foedere dilectionis « iam non sunt duo, sed una caro » (*Mt.* 19, 6), intima animorum, corporum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et semper plenius adipiscuntur. Quae intima unio, ex ipsa coniugalis amoris natura, plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget.

Christus Dominus hanc multiformem dilectionem, e divino caritatis fonte exortam et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutam, benigne et abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit,[2] ita nunc Salvator hominum Ecclesiaeque Sponsus,[3] in sacramento matrimonii fidelibus coniugibus obviam venit (D). Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et semetipsum pro ea tradidit [4] ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetuo diligunt. Amor coniugalis, qui christiana « ascesi » dirigitur atque nobilitatur, in divino amore, qui etiam virgines colit, assumitur ac virtute redemptiva Christi Ecclesiaeque salvifica actione ditatur, ut efficaciter ad Deum ducat. Quapropter christifideles ad sui status officia et dignitatem peculiari veluti consecrantur et roborantur sacramento; [5] cuius virtute munus suum coniugale explentes, gradatim ad plenam humanae personae perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt. Unde per ipsos

parentes, filii, immo et omnes in familiae convictu degentes, sanctitatis [47]
atque salutis viam facilius invenient (E). Coniuges autem, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, educationis officium diligenter adimplebunt, et laborem domesticum matris, cuius amantissima cura [48]
iuniores praesertim liberi naturaliter indigent, spernere non sinent sed magni aestimabunt.

Liberi (F), ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae etiam mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent. Familia proinde christiana, cum ex matrimonio ut imagine et participatione foederis dilectionis Christi et Ecclesiae exoriatur,[6] vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus hominibus patefaciat, tum coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate, tum omnium membrorum suorum amabili cooperatione.

Parentum ius procreandi prolem (G) eamque educandi, prae ceteris in religione, secundum propriae conscientiae praecepta, omnino in tuto ponatur. Civilis autem societas, quae tunc floret cum ipsa floret familia, sanctuarium familiae omni quo possit modo revereatur atque inviolatum servet, necnon prosperitati omnique incremento societatis domesticae faveat (H).

62. [*De amore coniugali*]. Pluries verbo divino sponsi atque coniuges invitantur, ut casto amore sponsalia et indivisa dilectione coniugium nutriant atque foveant.[7] Plures quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem magni faciunt (A). Ille autem amor, utpote actus eminenter humanus, cum in personam dirigatur ab eaque terminetur, corporis animique motus peculiari dignitate ditare eosque tamquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet. Hunc amorem Dominus, supremo gratiae dono, quo christifideles filii Dei vocantur, ornare et elevare dignatus est. Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum conducit; vitae coniugalis quotidiana officia et sacrificia pervadit;[8] immo ipse generosa sua operositate perficitur et crescit (B). Longe igitur exsuperat meram « eroticam » inclinationem, quae, « egoistice » exculta, citius et misere evanescit (C).

Haec dilectio proprio opere exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et ordinatim inter se uniuntur, honesti sunt et, modo vere humano perpetrati, donationem mutuam plenam significant et fovent. Amor ille fide ratus et in Christo sanctus est, atque, inter

[48] prospera et adversa, indissolubiliter fidelis. Quapropter christiani cete-
rique legitimo coniugio dediti omnibus exemplo sint in abstinendo ab
omni illicito opere, maxime ab illo quo coniugalis fides adulterii divor-
tiique lue misere proditur (D). Cum vero ad officia vitae christianae
constanter peragenda virtus insignis requiratur, coniuges, gratia ad vi-
[49] tam sanctam roborati, firmitatem amoris, magnitudinem animi et spiri-
tum sacrificii assidue colent et oratione impetrabunt.

Ut autem germanus amor coniugalis in mundo magni aestimetur atque sana circa eum opinio publica efformetur, christifideles honestate suae vitae, filiorum praesertim educatione, eminere debent atque in necessaria renovatione « culturali », psychologica et sociali partes suas agere. Ordo socialis postulat ut sedulo et incessanter omnibus procuretur bonum quo, in familia vere unita nati, ibi enutriantur atque educentur, ita ut liberi, ad aetatem adultam provecti, plena officii sui conscientia (*responsabilité*) vocationem suam etiam spiritualem sequi ac vitae statum eligere valeant, in quo, suo tempore, si nuptiis iunguntur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis ipsi propitiis, condere possint. Curandum quoque est ut iuvenes suo tempore apte de amoris dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, instruantur et, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad legitimas nuptias transire possint. Parentum aliorumve tutorum est se iunioribus prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne iniusta coactione, neque directa neque indirecta, ad matrimonium ineundum aut partem eligendam adigant. Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue recens matrimonio iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam socialem, ecclesiasticam atque apostolicam formare satagent.

63. [*De matrimonii fecunditate*] (A). Talis est matrimonii et amoris coniugalis indoles, ut ex semetipsis ad prolem procreandam simul et educandam ordinentur (B). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens eo tendunt (C), ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat.

Matrimonium autem, licet in prolem ordinetur (D), non est merum procreationis institutum; sed natura foederis indissolubilis inter personas bonumque prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine proficiat et maturescat (E). Si proles, saepius tam optata (F), deficiat, matrimonium vim suam fundamentalem suamque indissolubilitatem non amittit, verum coniuges ad multiformem fecunditatem spiri-

tualem invitat. Aequalis quoque dignitas personalis cum mulieris tum [49] viri, in mutua atque plena dilectione agnoscenda, unitatem matrimonii a Domino confirmatam luculentius patefacit (G).

Sciunt coniuges (H), in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere sibi licere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur, necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare. Qua in re iugi vigilantia et docilitate erga Deum (I), communi consilio atque conatu (J) prudens iudicium sibi efformabunt (K), intendentes salutem mentis ac [50] corporis, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum paedagogicas tum oeconomicas (L), ac denique rationem servantes boni ipsius familiae, societatis temporalis (M) et Ecclesiae necessitatum. Ita fideles divinum consilium implentes, Creatorem glorificant, seipsosque in Christo perficiunt cum procreandi munere generosa, humana et christiana officii onerisque conscientia (N) funguntur. Coniuges omnes qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt (O), aestimationem omnium revera merentur. Quod inter peculiari modo memorandi sunt illi qui, divinae Providentiae confidentes, prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt.[9] Qui omnes, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati,[10] suo quisque modo conferunt ad mundi ornatum et Ecclesiae augmentum.[11]

64. [*Deus dominus vitae*]. S. Synodus novit (A) coniuges saepe multis et gravibus praepediri difficultatibus oeconomicis, socialibus-psychologicis, civilibus aliisque (B), quibus permanentibus amor coniugalis, in sua integritate et harmonia difficulter excoli potest (C). Non semper statim clare apparet quomodo germani amoris cultus, quo cessante coniuges saepe sibi velut extranei fiunt, componatur (D) cum exigentiis, quibus saltem ad tempus numerus prolis augeri nequit. Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari potest: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur (E).

Sunt qui his difficultatibus solutionem faciliorem temere afferrunt, immo ab occisione non abhorrent (F). Deus autem, Dominus vitae, officium atque munus servandi vitam hominibus commisit necnon praecellens ministerium, quo ubertas vitae humanae colatur atque augeatur. Vita igitur in utero iam concepta maxima cura tuenda est; abortus vero quo innocenti vita iniuste aufertur, necnon infanticidium nefanda sunt crimina.

Coniuges, vitae ministri Deique cooperatores, spiritu generoso im-

[50] buti, quo in adimplendo suo munere sacrificia non aspernantur, leges vitae coniugalis pie custodient (G). Revelatione illuminati et dociles erga Magisterium, sedulo scrutabuntur Dei de vita coniugali ordinanda voluntatem, quae per Eiusdem donorum naturam et harmoniam manifestatur.[12] Ad quam voluntatem divinam clarius detegendam et penitius perspiciendam, sensus christianus fidelium, recta omnium hominum conscientia necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis et profanis de homine scientiis versati sunt, efficaciter conferunt (H). Facultas humana generandi, mirabiliter exsuperans ea quae in inferioribus vitae gradibus fiunt, necnon ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt (I). Ideo-
[51] que coniuges, legi divinae inhaerentes, fortes in fide et gratia Christi suffulti, constanter omnia officia sua implenda ex aequo temperabunt. Insigni suo munere ita fungentur, ut in tota eorum vita caritas divina semper efflorescere plenamque ubertatem suam attingere valeat.

Ita Dei vivi voluntate homines, ad Eius imaginem facti, in vero ordine personarum constituti sunt ut, Christum, vitae principium,[13] secuti, in sacrificiis et gaudiis vocationis suae, illius testes fiant mysterii amoris, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit (J).

NOTAE

Ad n. 60.

[1] Cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5.

Ad n. 61.

[2] Cf. *Os.* 2; *Ier.* 3, 6-13; *Ezech.* 16 et 23; *Is.* 54.

[3] Cf. *Mt.* 9, 15; *Mc.* 2, 19-20; *Lc.* 5, 34-35; *Io.* 3, 29. Cf. etiam *2 Cor.* 11, 2; *Eph.* 5, 27; *Apoc.* 19, 7-8; 21, 2 et 9.

[4] Cf. *Eph.* 5, 25.

[5] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 583.

[6] Cf. *Eph.* 5, 32.

Ad n. 62.

[7] Cf. *Gen.* 2, 22-24; *Prov.* 5, 15-20; 31, 10-31; *Tob.* 8, 4-8; *Cant.* 1, 2-3; 1, 16; 4, 16-5, 1; 7, 8-14; *1 Cor.* 7, 3-6; *Eph.* 5, 25-33.

[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 547 et 548. DENZ. 3707.

Ad n. 63.

[9] Cf. PIUS XII, Alloc. *Tra le visite,* 20 ian. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 91.

[10] Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 262.

[11] Cf. *ibid.,* col. 261.

Ad n. 64.

[12] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* XXII, 24: *PL* 41, 790-791.

[13] Cf. *Rom.* 5, 15 et 18; 6, 5-11; *Gal.* 2, 20.

Caput II [52]

DE CULTUS HUMANI PROGRESSU RITE PROMOVENDO

Sectio 1: *De cultus humani condicionibus in mundo hodierno*

65. [*Condicionum vitae diversitas*]. Ad veram plenamque humanitatem homo nonnisi per « culturam » accedit, hoc est dona proprii animi corporisque explicando necnon ipsum orbem terrarum humaniorem reddendo. Bona « culturae » huiusmodi, cum sint ordinis potissimum spiritualis, secus ac bona mere materialia, a pluribus sine exceptione possideri et sic efficacius ad unificationem humanitatis conferre possunt.

Ex diverso autem modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi moresque formandi, statuendi leges et iuridicas institutiones, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes condiciones vivendi et diversae formae componendi bona vitae. Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur consortionis ratio (*milieu*) definita et historica, semper melior efficienda, in quam homo cuiuscumque gentis vel aetatis inseritur, et ex qua bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

66. [*De novis vivendi formis*]. Nostra vero aetate, ad huiusmodi cultum perficiendum ampliusque spargendum novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se communicant. Hinc mens hominis hodierni particulari nota signatur: vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur, dum novi modi sentiendi, agendi otiaque implendi apud « collectivitatem » quamdam latissime divulgantur (*mass-culture*). Aucta simul commercia inter varias gentes societatisque coetus thesauros diversarum cultus humani formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic universaliorem provehunt cultus ingenii rationem.

67. [*Homo, auctor cultus humani*]. In hac transformatione, homines cuiusvis coetus vel nationis magis in dies conscii fiunt se proprii et suae communitatis humani cultus artifices atque auctores esse. Quod pro illis adhuc maioris ponderis est. Ipsa enim humana dignitate, spirituali et sociali, vocantur ut ingenium suum in historica hominum communitate, suo consilio et libertate, non sine sudore perpoliant, exprimant atque cum [53]
ea communicent; simul autem ut mundum in quo vivunt investigent, sub

[53] suam potestatem redigant et operibus suis humanius configurent, atque ita sese ipsos forment atque progrediantur.

68. [*Difficultates hodiernae huius muneris*]. Hodie possessio bonorum cultus humani pervia patet et latius disseminatur, et rationes inter varias cultus humani formas in dies multiplicantur. Comperitur quidem modum quo frequentiores rationes inter diversos coetus ac nationes instituantur haud raro vitam communitatum perturbare, novam rerum concinentiam difficiliorem reddere, immo non semel sapientiam maiorum evertere et propriam indolem populorum in discrimen adducere, non sine gravi interdum nocumento pro vita spirituali multorum.

Crescit similiter difficultas componendi cultum civilem qui ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressione oritur, cum eo cultu ingenii qui studiis humanioribus quae appellantur, secundum varias veterum traditiones, alitur. Quae tamen formae se invicem complere et fecundare debent ad integrum hominem aequo ordine colendum atque perficiendum.

Denique cum spiritu novi cultus technici frequenter connectitur processus, qui pleniorem agnitionem induxit legitimae autonomiae ordinis temporalis. Sed idem processus quandoque huiusmodi est, ut spirituales divitias perantiquarum cultus civilis formarum pessumdet. Quinimmo ad « humanismum » mere terrestrem, ipsi religioni adversantem, non raro conducit.

Quibus rite perspectis, nemo non videt omnes, et praecipue quidem christifideles, in una familia humana fraterne unitos, ad nova munera strenue adimplenda hac in re vocari.

Sectio 2: *De quibusdam principiis ad cultum humanum rite promovendum*

69. [*De cultu humano sub lumine fidei*]. Christifideles, in unum Populum Dei congregati et ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere ac sapere debent; [1] quo tamen nequaquam minuitur momentum muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius configurandi. E contra, in fidei christianae mysteriis haud pauca incitamenta et adiumenta attingunt ad munus illud impense adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegendum, quo cultus humanus in integra vocatione hominis suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technicae rationis atque artis terram excolit, ut fructum afferat et dignum hominis habitaculum fiat, ipse consilium Dei, initio temporum hominibus patefactum,[2] exsequitur et praeceptum implet creationis perficiendae, signa spi-

ritus rebus imprimendo. Immo magnum Christi mandatum servat sese in servitium fratrum impendendi. [54]

Insuper homo, utilitatis commodique sui cupiditatem superans et amore pulchri atque veri accensus, in varias scientiae, philosophiae atque artis disciplinas incumbit, ut seipsum ac mundum intimius cognoscat et magis in dies regnum veritatis extendat. Ita familia humana clarius illuminatur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, cum filiis hominum esse in deliciis habens.[3]

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes et ipsum Dei cultum elevatur. Immo impulsu gratiae, ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam « in mundo erat », tanquam « lux vera quae illuminat omnem hominem » (*Io.* 1, 10).[4]

Sane hodiernus progressus scientiarum artiumque technicarum hominem coaevum in tentationem inducere potest, ut illarum inventis nimis fidens, se sibi sufficere aestimat neve amplius altiora quaerat, sed in agnosticismo quiescat, vel hominem ipsum quasi in idolum erigat. Hae tamen disciplinae, rite excultae, eum ad Deum aptius perducere possunt. Nam hominis ingenium eiusque operositas intellectum et bonitatem divinam participant et imitantur. Quo altius homo secreta naturae propriique animi recessus explorat, eo clarius Deus, qui illa creavit et in Christo instauravit, in sua maiestate credenti apparebit.

70. [*De multiplici connexione inter bonum nuntium Christi et cultum humanum*]. Inter nuntium salutis et cultum humanum multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus per revelationem suam, inde a primordiis usque ad pleniorem sui manifestationem in Filio incarnato, populum suum allocutus est secundum cultum civilem diversis aetatibus proprium.

Ecclesia pariter Christi, novus populus Dei, verbo Dei nutritus, in bonis quibusdam cultus ingenii passim occurrentibus instrumentum invenit nuntium sibi consignatum altius intelligendi, investigandi et explicandi, in sua praedicatione ad omnes gentes diffundendi et in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimendi.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudini exclusive et indissolubiliter alligatur. Suae traditioni constanter inhaerens, communionem cum diversis cultus humani formis inire potest, unde tum ipsa tum varii generis « cultura » ditescit.

[54] Bonum nuntium Christi hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et
[55] elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra fecundat, communit et complet atque in Christo restaurat.[5] Sic Evangelium reapse in aedificationem praedicatur; varietates autem humanae naturae et historiae in vitam christianam assumit, quo magis idonea efficiantur instrumenta ad vitam ac veritatem spargendam.

71. [*De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis*]. Nunquam obliviscendum est, animi cultum ad integram personae humanae perfectionem, ad bonum communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet artes sive fabriles sive liberales, disciplinasque omnes ita ad mentis animique cultum ordinari, ut promoveant facultatem admirandi, intus legendi et contemplandi; facultatem faciendi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem; aptitudinem ad sigillum humanum mundo adspectabili non sine labore imprimendum et ad vitam hominum consilio divino magis conformem reddendam. Hoc modo ingentes aetatis nostrae progressus, praesertim in scientiis artibusque technicis, nedum germanum integrae personae et humanae familiae bonum, ut saepe dolentes comperimus, impediant, ei potius validissime favebunt.

Cultus denique animi, cum ex hominis indole spirituali et sociali immediate fluat, indesinenter indiget libertate ad se explicandum atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. Ius ergo habet ad reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus ergo, libenter recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat « duplicem esse ordinem cognitionis » distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesia vetat ne « humanarum artium et disciplinarum culturae (...) in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo »; quare « iustam hanc libertatem agnoscens », scientiarum totiusque cultus humani legitimam autonomiam affirmat.[6]

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam indolem cultus humani formarum determinare, sed condiciones et subsidia ad vitam culturalem promovendam fovere. Ideo praeprimis instandum est, ne civilis cultus, a proprio fine aversus, servire potestatibus politicis vel oeconomicis cogatur.

Sectio 3: *De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa cultum humanum* [55]

72. [*Ius ad cultum humanum omnibus agnoscatur et in rem deducatur*]. Cum nunc primum facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi, officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborare ut ius omnium [56] ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis vel socialis condicionis, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum cultus eiusmodi copia omnibus providenda est, praesertim cultus quem fundamentalem dicunt, ne plurimi litterarum ignorantia a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere possint; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humana societate ad munera et officia emergent, tum suo ingenio, tum peritiae quam sibi ipsi pepererint consentanea.[7] Sic coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae « culturalis » explicationem, suis dotibus atque a maioribus traditis memoriis congruum, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum huius iuris, tum officii quo astringuntur sese excolendi. Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus praebeantur tales condiciones operam suam praestandi, quae humanum eorum cultum non praepediant sed promoveant.

Haec omnia quoque postulant ut homo libere possit verum inquirere et, morali ordine communique utilitate servatis, opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat.[8]

73. [*De educatione ad hominis integrum cultum*]. Germana educatio ad cultum humanum in omni eius gradu institutionem in variis disciplinis artibusque et multiplicem eruditionem ad unum reducere sataget. Qua synthesi persona humana ad rectam rerum aestimationem ascendit et ad congruum iudicium de rationibus vitae et eventibus ferendum, fundatum super universalem intelligentiam et veram hominum sapientiam.

Quasi mater et nutrix huius educationis est imprimis familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae formae cultus humani quasi inconscie in animum progredientis adolescentiae transfunduntur.

In eadem educatione ne negligantur commoda, quae ad humani cul-

[56] tus progressum praebentur nostri temporis condicionibus, cum, imminuto passim laboris spatio, in dies augescant pro pluribus hominibus opportunitates. Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia, ludicra quoque certamina, versus alias regiones itinera, quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur. Pariter christifideles sese impendant in manifestationes et actiones cultus [57] ingenii « collectivas », nostrae aetati proprias, spiritu humano et christiano imbuendas.

74. [*De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo*]. Compositio humani civilisque cultus cum christiana institutione, quamvis maximi momenti sit, non tam facilis evadit.

Experientia enim constat non raro oppositionem, immo quamdam dissensionem evenisse inter modum cogitandi dogmaticum Ecclesiae et scientiarum progressum, vel etiam inter applicationes doctrinae moralis christianae et aliquas postulationes hominis huius temporis. Quae difficultates ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt. Ideo christifideles novam scientiam et doctrinam necnon novissimorum inventorum notitiam cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ut religionis rerum cultus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu diiudicare atque interpretari.[9] Etsi finis religionis sit Dei glorificatio et hominis salus aeterna, tamen, religione neglecta, etiam cultus integri hominis dilabitur. E contra Ecclesia, proprium implendo munus, iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert, et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat. Ita eum a multiplici servitute liberat, necnon ostendit quantis fructibus Evangelium ad vitam quoque humaniorem ducendam exuberat.[10]

Fideles coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Scientiarum recentes acquisitiones novas quaestiones suscitant, quae a theologis novas investigationes postulant, ne in visione hodierna mundi notitia Dei potius abscondatur quam manifestetur, neve suspicio excitetur scientificas indagationes cum fidei professione componi non posse. Fideles qui peritia in variis cultus humani campis eminent, Ecclesiam ingenii cultum magni facere indicant, et ad hominem elevandum eique lumen Christi patefaciendum non paulum conferunt. Scientiarum cultores, propriae utilitatis immemores, non so-

lum hominibus insigne commodum praestant, sed ipsam Ecclesiam in suo [57] munere adimplendo maxime adiuvare possunt, ut praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua et eorum condicionibus quasi insita esse cognoscatur.

Qui theologicis vel philosophicis disciplinis in Seminariis et Studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus aliarum scientiarum studiosis, collatis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica vel philosophica inquisitio coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possit. Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum mini- [58] strorum, qui doctrinam Ecclesiae de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur.[11] Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia data opera, « scientificis » subsidiis adhibitis, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus christiana libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus competentia gaudent.[12]

Artes quoque ingenuae, quae inter nobilissimas ingenii humani exercitationes merito adnumerantur, a christifidelibus magni aestimentur. Indolem enim propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in suo conatu ad seipsum cognoscendum et perficiendum saepe dilucide edisserunt et vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Exinde artium illarum cultores se ab Ecclesia in sua navitate agnitos sentient, et ordinata libertate fruentes, faciliora commercia cum communitate christiana instituent. Artem quoque sacram excolent sub figuris quae coaevis nostris adaptarentur, iuxta de cetero variarum nationum et regionum indolem, speciatim in sanctuario, ubi, modo dicendi accommodato, mentem ad Deum erigere satagent. Ita vocem suam adiungent ad mirabilem concentum in gloriam Christi et Dei.[13]

NOTAE [59]

Ad n. 69.

[1] Cf. *Col.* 3, 1-2.

[2] Cf. *Gen.* 1, 28.

[3] Cf. *Prov.* 8, 30-31.

[4] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 11, 8 (ed. Sagnard, p. 200; cf. *ib.*, 16, 6: pp. 290-292; 21, 10-22, 1: pp. 370-372; 22, 3: p. 378; etc.).

[59] *Ad n. 70.*

[5] Cf. *Eph.* 1, 10.

Ad n. 71.

[6] *Conc. Vat. I,* Const. *Dei Filius*: DENZ. 1795, 1799 (3015, 3019). Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 3 (1931), p. 190.

Ad n. 72.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 260.

[8] Cf. *ibid.,* p. 260.

Ad n. 74.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *ibid.,* pp. 296 et 297.

[10] Cf. verba PII XI ad Exc. D. Roland-Gosselin: « Il ne faut jamais perdre de vue que l'objectif de l'Eglise est d'évangéliser et non de civiliser. Si elle civilise, c'est par l'évangélisation » (*Semaines sociales de France,* Versailles, 1936, pp. 461 et 462).

[11] Cf. Decr. *De institutione sacerdotali* et *De educatione christiana.*

[12] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. IV, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42 et 43.

[13] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* n. 123: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 131. PAULUS VI, *Discorso agli artisti romani*: *Civ. Cattol.,* 1964 (II), p. 982.

CAPUT III [60]

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

75. [*Quidam aspectus vitae oeconomicae hodiernae*]. Oeconomia hodierna, non secus atque aliae vitae socialis provinciae, signum gerit crescentis dominationis hominis super naturam, densiorum et impensiorum rationum atque mutuae « dependentiae » inter cives et coetus, necnon frequentioris interventus societatis imprimisque Civitatis (*l'Etat*). Ex altera parte, progressus in rationibus producendi atque in bonis ac servitiis commutandis, oeconomiam aptum effecerunt instrumentum ad satisfaciendum novis et incessanter adauctis necessitatibus familiae humanae. Tanta beneficia, quae in futurum etiam meliora portendunt, homini certe gratissima sunt.

Non desunt tamen rationes inquietudinis. Eo temporis momento quo vitae oeconomicae incrementum, rationaliter humaniterque directum atque coordinatum, differentias sociales mitigare possit, nimis saepe in earum exasperationem vertitur, vel etiam alicubi in regressum conditionis socialis debilium et in despectum pauperum. Dum ingens multitudo rebus omnino necessariis caret, aliqui, etiam in regionibus minus progressis, opulenter vivunt vel bona dissipant. Luxus et miseria simul exsistunt. Dum pauci maxima potestate deliberandi fruuntur, multi paene omni possibilitate carent suo inceptu aut cum officii conscientia et onere (*responsabilité*) agendi.

Similes defectus aequilibrii oeconomici ac socialis advertuntur inter agriculturam ex una parte, quaestuosas artes (*industrie*) ac servitia ex altera parte, sicut etiam inter diversas regiones unius eiusdemque nationis. Oppositio etiam gravior est inter nationes oeconomice progressas aliasque adhuc progredientes: unde acerrimae conflictationes non raro oriuntur, quae pacem totius mundi in discrimen vocant.

Coaevi nostri has disparitates in dies acerbius persentiunt. Qui exinde detrimenta patiuntur, condicionem suam aegre ferunt, eo vel magis quod vividiorem conscientiam differentiae vigentis adepti sunt, et persuasissimum eis est, ampliores technicas et oeconomicas facultates, quibus mundus hodiernus gaudet, hunc infaustum statum rerum corrigi posse atque debere.

Sectio 1: *De progressione oeconomica* [61]

76. [*Lex fundamentalis*]. Hodie, magis quam antea, ut consulatur augmento populi et satisfiat crescentibus generis humani optatis, incre-

[61] mentum quaestuosarum artium quibus opera fiunt (*la production*) iure intenditur. Ideo favendum progressui technico, spiritui innovationis, novis creandis inceptis, modis quaestuosarum illarum artium aptandis, ac strenuis easdem quorumcumque exercentium conatibus, uno verbo omnibus elementis quae huic progressioni inserviunt. Res tamen semper humano modo agenda est. Immo lex eius fundamentalis non consistit in quam maximo lucro nec quam latissimo dominatu quae obtineantur, sed in hominis servitio, hominis scilicet integri, attento ordine eius materialium necessitatum et desideriorum intellectualium, moralium, spiritualium, hominis, dicimus, cuiuscumque, et cuiuscumque hominum coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis. Itaque servatis propriis rei oeconomicae normis, prae omnibus fines humani intendendi sunt, eo modo ut navitas oeconomica, quae suapte natura semper humana est, secundum ethicam socialem perficiatur atque Dei de homine consilio respondeat.

77. [*Progressio oeconomica sub consilio hominis manere debet omniumque hominum sociam operam requirit*].

Quapropter progressio oeconomica sub consilio hominis manere debet, neque soli arbitrio paucorum hominum peritorum aut coetuum, privilegiis praeditorum, neque quarumdam potentiorum nationum permitti debet. Oportet e contra ut, in quocumque gradu, quam plurimi homines et ipsa communitas internationalis populorum in ea dirigenda activas partes habeant; pariter ut coordinentur et apto et cohaerenti ordine componantur opera spontanea singulorum eorumque liberorum coetuum atque conatus auctoritatum publicarum.

Incrementum nec soli cursui virium oeconomicarum nec soli potestati auctoritatis publicae tradi potest. Quare errores arguendi sunt, tam doctrinarum quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illarum quae iura fundamentalia personae humanae et coetuum postponunt « organizationi productionis collectivae », quae dicitur.

Meminerint ceterum omnes cives officii sui per seipsos ad progressum propriae communitatis conferendi. In regionibus adhuc progredientibus, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune postulat ut, iure personali migrationis servato, nemo patriam suam privet subsidiis materialibus ac spiritualibus quibus fruitur.

78. [*De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis vel minuendis*]. Ut exigentiis iustitiae et aequitatis respondeatur, strenue nitendum est ut, servatis iuribus personarum atque propria indole
[62] cuiusque populi, ingentissimae quae nunc sunt et saepe crescunt differentiae oeconomicae discriminaque socialia quam citissime removeantur vel saltem minuantur. Eodem modo, peculiaribus agriculturae difficulta-

tibus providendum est, ne ruricolae, ut saepius accidit, in condicione civium inferioris ordinis collocentur. [62]

Iustitia et aequitas item requirunt ut mobilitas, quae in progredientibus rebus oeconomicis omnino necessaria est, ita ordinetur ne vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et praecaria fiat. Quoad opifices vero, qui ex alia natione vel regione oriundi, ad promotionem oeconomicam alius populi vel provinciae labore suo conferunt, sedulo vitanda est quodvis discrimen circa condiciones remunerationis vel laboris. Insuper universi, imprimis publicae potestates, illos ut personas, non simpliciter veluti manus operi (*main-d'œuvre*) admovendas, utiles tantum ad artes quaestuosas exercendas habere debent, eosque adiuvare ut familiam suam apud se habere et decentem habitationem sibi providere possint, atque eorum insertioni in vitam socialem populi vel regionis recipientis favere.

In rebus oeconomicis continuenter mutationi obnoxiis et in novis formis societatis « industrialis », curandum est ut labor sufficiens et unicuique conveniens cum possibilitate consentaneae formationis technicae et « professionalis » praebeatur, necnon ut victus atque dignitas humana in tuto collocentur eorum praesertim qui ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus.

Sectio 2: *De principiis totam vitam oeconomicam-socialem regentibus*

79. [*De labore eiusque condicionibus atque de otio*]. Labor humanus bonis exterioribus est anteferendus, quippe quae tantum rationem instrumentorum habent.[1] Procedit enim immediate ex persona, quae naturam quasi suo sigillo signat eamque suae voluntati submittit. Laborando, homo ex more propriam ac suorum vitam sustentat, vires corporis sui ac mentis exserit, cum fratribus suis coniungitur eisque inservit, atque germanam caritatem exercere potest et ad perfectionem creationis divinae sociam operam praebere. Credimus denique hominem, per laborem Deo oblatum, ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in oppidulo Nazareth propriis manibus operaretur. Exinde proficiscitur pro unoquoque officium laborandi atque etiam ius ad laborem, cui societas pro sua parte, secundum adiuncta in ea vigentia, satisfacere debet. Remuneratio autem laboris tanta esse debet ut homini facultatem praebeat suam suorumque vitam materialem, socialem, « culturalem » spiritualemque digne excolendi.

Cum navitas oeconomica plerumque labore consociato hominum efficiatur, iniquum et inhumanum est illam ita componere et ordinare ut detrimento sit quibusvis laborantibus. Nunc autem perincommode sae-

[63] pius accidit ut opus facientes quodammodo sub iugo propriorum operum in servitutem redigantur. Universus ergo processus laboris fructuosi (*processus de production*) aequetur necessitatibus personae atque habitudini (*rythme*) hominis, imprimis eius vitae familiaris, respectu habito et sexus et aetatis. Laborantibus praebeatur facultas explicandi qualitates suas personamque suam in ipsa laboris exercitatione. Praeterea sufficiens quies et otium eis concedenda sunt, ut vitam familiarem, « culturalem », socialem et religiosam agere possint: immo procuranda est eis opportunitas libere exercendi vires ac potentias explicandi, quas fortasse in cotidiano labore parum excolere valent.

80. [*De participatione in inceptis et in universa dispositione rei oeconomicae, et de conflictibus in labore*]. In bonorum gignendorum inceptis, proprietarii (sive singuli, sive coetus aut « collectivitates », sive ipsa Civitas, ubi bonum commune id postulat) et pariter ii qui, etsi non sunt proprietarii, de rebus oeconomicis actu disponunt, nunquam se gerere debent ut domini imperiosi: incepta, contra, quantum fieri potest, in communitates personarum convertenda sunt, id est hominum qui liberi sunt et sui iuris, ad imaginem Dei creati. Participent ergo illi omnes operis socii, modis apte ordinandis, negotia inceptum eorumque administrationem (*gestion*) et fructus. Saepius tamen cum non iam in ipso inceptu sed altius a superioris ordinis institutis decernatur de oeconomicis et socialibus condicionibus, e quibus sors futura laborantium eorumque liberorum pendet, etiam in his statuendis partem habeant operarii; quinimmo participent universitatem progressionis oeconomicae ordinandae, imprimis per delegatos ab ipsis libere electos, qui eorum necessitates, consilia et visionem rerum propriam apte exponant.[2]

Inter iura fundamentalia personae humanae adnumerandum est ius laborantium libere condendi consociationes, quae eos vere repraesentare et ad vitam oeconomicam recto ordine disponendam conferre possint, necnon ius earum navitatem libere participandi sine ultionis periculo. Per huiusmodi ordinatam participationem, cum progrediente formatione oeconomica-sociali iunctam, in dies augebitur apud operarios proprii muneris onerisque conscientia, ipsique, secundum capacitates aptitudinesque sibi proprias, impelli se sentient, ut totius operis progressionis oeconomicae et socialis socii sint.

Cum autem inter eos et conductores operum conflictus oriuntur, ad pacificam solutionem conatus instituendi sunt. Ubi casus fert, confugiatur ad auxilium consiliorum neutrius partis, ad hoc institutorum, etiam cum Civitas ipsa opus conducit. Licet autem praeprimis ad huiusmodi sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, operistitium tamen, et in

hodiernis adiunctis, adiumentum necessarium manere potest ad de- [63]
fendenda iura et implenda iusta desideria laborantium. Etiam in casu
operistitii rationes vere humanae considerentur, sed respiciantur quoque
bonum familiarum eorum qui opus intermittunt, iura aliorum et uni- [64]
verse ea quae bonum commune postulat. Ubi de servitiis necessariis agitur, severiores imponi possunt condiciones. Denique quamprimum quaerantur viae ad colloquium resumendum.

81. [*Bona terrestria ad utilitatem omnium destinantur*]. Deus terram cum omnibus quae in ea continentur ad utilitatem universorum hominum destinavit. Itaque, quaecumque sunt formae proprietatis, legitimis institutionibus populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, cura huius destinationis bonorum nunquam omitti debet. Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas possidet nunquam tanquam sibi proprias, sed tanquam communes habere debet, ut non sibi tantum sed etiam aliis queant prodesse. Ceterum omnibus ius strictum competit habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem.[3] Hoc sensu Patres Doctoresque Ecclesiae docuerunt divites ad pauperes ex superfluis suis sublevandos obligari. Qui autem in extrema necessitate degunt, ius habent ut sibi ex aliorum divitiis necessaria procurent.

In societatibus oeconomice minus progressis, non raro destinationi communi bonorum ex parte satis fit per consuetudines et traditiones communitatis proprias, quarum complexu unicuique membro bona magis necessaria praebentur: vitandum est ne contra illas a maioribus acceptas formas oeconomiae communitatis imprudenter agatur, quamdiu in vigore manent atque, ad adiuncta hodierna aptatae, hominibus perutiles esse non desinunt. Similiter in nationibus oeconomice magis progressis, corpus quoddam socialium institutionum, ad cautionem et securitatem spectantium, potest pro sua parte ad destinationem communem bonorum conferre. Insuper ulterius promovenda sunt servitia familiaria et socialia, praesertim ea quae animi cultui atque educationi consulere aggrediuntur. In omnibus illis institutionibus sive communitatis propriis sive socialibus accommodandis, invigilandum est ne cives erga societatem ad quemdam statum inertiae inducantur, neve suscepti officii onus reiciant et servitia repudient.

82. [*De pecuniarum collocationibus et publica moderatione rei nummariae*]. Bonorum collocationes (*investissements*), ex sua parte, tendere debent ad laborem quaestuosum reditusque sufficientes tam operanti populo hodierno quam futuro procurandos. Qui directionem collocationis bonorum et ordinationem universae vitae oeconomicae in se suscipiunt, hos fines prae oculis habere debent, atque gravem suam obligationem

[64] agnoscere futura praevidendi et iustum aequilibrium constituendi inter necessitates hodiernae consumptionis et exigentias collocandi bona pro generatione ventura.

Cum autem tota vita oeconomica et socialis multum a publica moderatione rei nummariae (*gestion monétaire*) pendeat, suscepti officii et
[65] oneris acris conscientia ab illis requiritur, qui edendae pecuniae (*émission*) praesunt, necnon ab omnibus civibus coetibusve, qui circa verum pecuniae valorem aliquam vim habent.

83. [*De accessione ad proprietatem et dominium bonorum; et de latifundiis*]. Cum dominium bonorum exteriorum in persona radicem habeat et ad eiusdem expressionem essentialiter conferat, cum insuper ei occasionem praebeat suum munus onusque exercendi — quod ad vitam socialem vere humanam instituendam magni est momenti — valde interest ut faveatur omnium accessioni, sive singulorum, sive communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium. Formae talis dominii vel proprietatis hodie diversae sunt et in dies adhuc magis variantur. Utraque autem forma manet, una cum fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, fons securitatis non parvi pendendus. Quod non tantum de proprietatibus materialibus dicendum est, sed etiam de immaterialibus bonis, uti sunt capacitates « professionales ».

Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora campum plane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique confirmat et velut necessaria libertatis humanae extensio considerari debet. Demum quia ad munus onusque exercendum stimulos addit, condicionem quamdam libertatis politicae efficit.[4]

Ius (*la legitimité*) privati dominii non obstat ei quod variis formis proprietatum publicarum inest; dummodo translatio bonorum in publicam proprietatem a competenti auctoritate et solummodo iuxta exigentias et intra limites boni communis fiat. Praeterea, ad Civitatem pertinet praecavere ne quis contra bonum commune privata proprietate male utatur.[5]

Omnis autem privata proprietas secum fert munus quoddam sociale sibi intrinsecum quod legi communis destinationis bonorum respondet.[6] Hoc munere sociali neglecto, dominium multoties occasio cupiditatis et gravium perturbationum fieri potest, veluti quaestus studium circa pretia mercium vel circa valorem rerum moventium (*valeurs mobilières*), aut nimia lucra e fundis terrae, ex sociali dispositione circa territoria (*équipement du territoire*) vel ex vitae urbanae incrementis (*urbanisation*). Quae omnia fratres offendunt et societatem laedunt.

In pluribus regionibus oeconomice minus progressis, fundi rustici

magni vel etiam latissimi existunt, mediocriter exculti vel lucri causa et [65] sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi terris caret vel minima tantum extensione agri gaudet, atque ex altera parte incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis horum magnorum fundorum ad laborem conducuntur, mercedem homine indignam recipiunt, vel decentem habitationem non obtinent, vel a mediatoribus exspoliantur. Haud securi sunt et sub tali personali famulatu vivunt, ut fere omnis facultas sua sponte agendi ac in se recepti officii ratio, omnis promotio in cultu humano omnisque participatio [66] circa vitam socialem et politicam illis prohibeatur. Reformationes igitur necessariae sunt, quae pro variis casibus intendant vel incrementum mercedis, emendationem condicionum laborandi, augmentum securitatis in conductione et incitamentum ad sponte operandum; vel distributionem fundorum non satis cultorum in commodum hominum qui eas terras fructuosas reddere valeant. In quo casu eis suppeditari debent servitia in hunc finem necessaria, praesertim subsidia educationis et ordinatio quaedam cooperaria. Si bonum commune ademptionem proprietatis exigat, compensatio ex aequitate aestimanda est, non solo pretio venali sed omnibus adiunctis perpensis.

84. [*De rationibus oeconomicis inter ditiores et egentiores nationes*]. Etiam rationes oeconomicae internationales, sive commerciales sive nummariae, legibus iustitiae et aequitatis, a Deo statutis, subduntur. Eo modo hodie ordinari debent, ut ad imminuendas ingentes differentias inter nationes pertineant. Potentiores nationes earumque cives ab omni cupiditate abstinere debent in negotiatione cum debilioribus et pauperioribus; nam hae proventibus oblatis ad primariam suam sustentationem indigent. Quam citissime, insuper, condantur instituta apta ad ordinanda negotia internationalia et ad compensandos effectus qui ex inaequali oeconomica potentia nationum manant. Huiusmodi ordinatio, cum adiumentis technicis, « culturalibus » et nummariis coniuncta, nationibus ad progressum nitentibus sine mora subsidia necessaria praestare debet, ut incrementa oeconomiae suae convenienter efficere possint.

85. [*De navitate oeconomica-sociali et Regno Dei*]. Christiani qui activas partes in hodierna progressione oeconomica-sociali agunt et meliorem iustitiam propugnant, persuasum sibi habeant se multum ad prosperitatem humanitatis et salutem mundi conferre posse. Ad hoc magni interest ut, acquisitis peritia et experientia omnino necessariis, inter maxime terrestres navitates rectum servent ordinem bonorum, fidelitatem servantes erga Christum Eiusque Evangelium. Spiritu Beatitudinum imbuatur eorum vita tam personalis quam « collectiva ».

[66] Quicumque, Christo obsecutus, primum quaerit Regnum Dei, ibi inveniet amorem validiorem ac puriorem ad omnes fratres suos adiuvandos et opus iustitiae, inspirante caritate, perficiendum.

[67]

NOTAE

Ad n. 79.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961). p. 427.

Ad n. 80.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 199. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 408. PAULUS VI, Alloc. ad 11 Congressum UCID, 8 iun. 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 574 et 579.

Ad n. 81.

[3] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, II-II^{ae}, q. 32, a. 5, ad 2. *Ibid.*, q. 66, a. 2: « Quantum ad hoc (usum), homo non debet habere res exteriores ut proprias sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum ». Cf. PIUS XII, Alloc. *Pentec.*, 1 iun. 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 199 (textus linguae italianae) et p. 210 (textus linguae gallicae).

Ad n. 83.

[4] Cf. PIUS XII, *Nunt. Radioph.* 1 sept. 1944: *A.A.S.*, 36 (1944), pp. 253 et 254. Cf. etiam IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 428 et 429.

[5] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 214. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 429.

[6] Cf. PIUS XII, *Nunt. Radioph.* Pentec. 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 199 (210). Cf. etiam *Epist. Secret. Status ad Hebdom. Soc. ital.*, 23 sept. 1956. Necnon IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961) p. 430.

CAPUT IV [68]

DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

86. [*De hodierna vita publica*]. Nostris temporibus etiam in compage et institutionibus populorum profundae advertuntur transformationes, connexae sine dubio cum gravissimis huius saeculi eventis, quae ordinem publicum et internationalem perturbaverunt et adhuc perturbant.

Praeconio dignos aestimamus generosos conatus multorum hominum ad abolendas iniustas consuetudines et leges quae exercitium libertatis civium nimis coartant. Ex vividiore conscientia humanae dignitatis exoritur, in variis mundi regionibus, laudabile studium instaurandi ordinem politicum-iuridicum, in quo melius protegantur iura personae in vita publica, ut sunt iura sese libere coadunandi et consociandi atque proprias opiniones exprimendi. Nam sine illo tutamento cives, sive singuli sive consociati, in vita et moderatione reipublicae actuose participare nequeunt.

Una cum progressu oeconomico-sociali ac « culturali » roboratur apud plures, etiam in novis nationibus, desiderium assumendi maiorem partem et officii onus in rationibus civium et consociationum inter se et cum publica auctoritate ordinandis. In multorum conscientia augentur studium servandi iura minorum alicuius nationis partium et reverentia erga homines aliam opinionem vel aliam religionem profitentes; simul instituitur latior cooperatio, ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiis ornati, iuribus personalibus reapse frui possint. Quod certe signum est progredientis conscientiae socialis hominum.

Eo magis deploramus quascumque formas oppressionis politicae, in aliquibus regionibus vigentes, quae libertatem civilem et religiosam praepediunt, victimas cupiditatum et criminum politicorum multiplicant, et exercitium auctoritatis a bono communi ad commodum cuiusdam factionis vel ipsorum moderatorum detorquent.

Ad vitam politicam vere humanam instaurandam nihil melius est quam interiorem iustitiae et benevolentiae sensum fovere et persuasiones fundamentales corroborare circa veram indolem communitatis politicae atque circa finem, rectum exercitium et limites publicae auctoritatis.

87. [*De natura et fine societatis politicae*]. Homines, familiae et varii liberi coetus sibi conscii sunt propriae insufficientiae ad vitam plene [69] humanam instituendam et necessitatem amplioris communitatis percipiunt, in qua omnes quotidie, ad bonum commune semper melius pro-

[69] curandum, proprias vires conferunt.[1] Quapropter societatem politicam secundum varias formas constituunt. Nascitur ergo societas politica propter illud bonum commune, in quo suam plenam iustificationem et sensum obtinet et ex quo ius suum primigenium et proprium depromit, cum omnium cooperatione exercendum.

Sed multi et diversi sunt homines qui in communitatem politicam conveniunt et legitime in diversa consilia declinare possunt. Ne igitur, unoquoque in suam sententiam abeunte, respublica distrahatur, requiritur auctoritas quae omnium civium vires in bonum commune dirigat, non mechanice, sed imprimis ut vis moralis, quae in libertate et suscepti officii et oneris conscientia nititur.

Patet ergo societatem et auctoritatem politicam in natura humana fundari ideoque ad ordinem a Deo praefinitum pertinere, etiamsi determinatio regiminis et designatio moderatorum liberae hominum voluntati relinquantur. Ut dicit Apostolus, « non est enim potestas nisi a Deo » (*Rom.* 13, 1).

Sequitur item exercitium auctoritatis politicae, sive in communitate ut tali, sive in institutis rempublicam repraesentantibus, semper ad effectum deduci debere intra fines ordinis moralis, ad bonum commune, et quidem « dynamice » conceptum, procurandum; tunc autem cives ad oboedientiam praestandam ex conscientia obligantur.[2] Modi vero « concreti », quibus communitas politica propriam compagem et publicae auctoritatis temperationem ordinat, varii esse possunt secundum diversam populorum indolem et historiae progressum; semper autem formando homini exculto, pacifico et erga omnes benefico inservire debent, ad totius familiae humanae emolumentum.

88. [*De omnium in vita publica cooperatione*]. Plene congruit cum natura humana, ut formae inveniantur quae semper melius omnibus civibus sine ullo discrimine possibilitatem « concretam » praebeant actuose libertatem participandi tum ad moderamen reipublicae, tum ad determinationem campi et finium variorum institutorum, tum ad electionem moderatorum.[3]

Ut cooperatio civium cum officii conscientia coniuncta in quotidiana reipublicae vita effectum suum felicem attingat, requiritur positivus ordo iuris, in quo conveniens instauretur divisio muneris functionum et institutorum potestatis una cum nulli obnoxia et efficaci tuitione iurium. Omnium personarum, familiarum ac coetuum iura eorumque exercitium agnoscantur, serventur et promoveantur,[4] simul cum officiis quibus cuncti cives obstringuntur. Inter quae meminisse oportet officium afferendi reipublicae materialia et personalia servitia quae ad bonum commune re-

quiruntur. Caveant moderatores ne subiectos coetus, familiares, sociales [69]
aut « culturales », corpora intermedia aut instituta « regionalia » impe- [70]
diant, neve ea sua legitima et efficaci actione privent, quam potius libenter et ordinatim procurare satagent. Caveant cives ne nimiam potestatem auctoritati tribuant, neve nimia commoda et utilitates a republica inopportune postulent, et sic personarum, familiarum necnon coetuum socialium officii onus imminuant.

Ex adiunctis implicatioribus nostrae aetatis auctoritas reipublicae cogitur saepius in rebus socialibus et oeconomicis atque « culturalibus » se interponere, ad aptiores inducendas condiciones, quibus cives ac coetus ad bonum humanum integrum libere persequendum efficacius iuventur. At inhumanum est quod gubernium in formas incidat dictatorias, quae iura personae graviter laedant. Cives vero pietatem erga patriam magnanimiter et fideliter excolant, sine tamen mentis angustia, ita scilicet ut etiam ad bonum totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, libenter respiciant.

Christifideles in communitate politica specialem et propriam vocationem sentiant, qua debent exemplo praefulgere quatenus officii conscientia sunt astricti et inserviunt bono communi excolendo, ita ut factis quoque commonstrent quomodo componatur auctoritas cum libertate, inceptio personalis cum coniunctione ac necessitudine totius corporis socialis, unitas opportuna cum proficua diversitate. Agnoscant legitimas opiniones differentes circa rem temporalem ordinandam, civesque qui eas, etiam consociati, honeste defendunt, revereantur. Factionibus autem non licet utilitatem suam bono communi praeponere. Educatio vero civilis et politica, maxime hodie necessaria tum populo tum praesertim iuvenibus, sedulo curanda est. Qui idonei sunt aut fieri possunt, artem politicam difficilem simul et nobilissimam,[5] exercere ne renuant, proprii commodi et venalis beneficii immemores. Cum morum integritate et prudentia agant contra iniuriam et oppressionem, unius dominatum et intolerantiam, sed bono omnium se devoveant cum sinceritate et aequitate, immo cum caritate et fortitudine politica.

89. [*Ecclesia et societas politica*]. Quae omnia facilius obtineri possunt si rectus habeatur respectus rationis inter rempublicam et Ecclesiam intercedentis et clare distinguatur inter ea quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tanquam cives, christiana conscientia ducti, sibi adsumunt et ea quae nomine Ecclesiae eiusque divinae missionis una cum Pastoribus suis agunt.

Ecclesia nolens ullo modo, ratione sui muneris et competentiae, cum societate civili confundi, simul signum et tutamentum est transcenden-

[70] tiae personae humanae. Homo enim ad solum ordinem temporalem non coartatur, sed in historia humana vivens, aeternam suam vocationem integre servat. Ecclesia vero, in amore Redemptoris fundata, ipsa sua praesentia optime confert ut intra nationes et inter nationes iustitia et
[71] caritas latius vigeant. Praedicando enim veritatem evangelicam et illuminando omnes navitatis humanae provincias per suam doctrinam et testimonium a christifidelibus exhibitum, etiam libertatem politicam civium non solum veretur sed promovet.

Apostoli eorumque successores et cooperatores illorum, cum mittuntur ut hominibus annuntient Christum Salvatorem mundi, qui moriens et resurgens a mortuis mortem devicit, in apostolatu suo exercendo innituntur in potentia Dei, qui persaepe virtutem Evangelii in infirmitate testium manifestat. Quicumque ministerio Verbi Dei se devovent utantur oportet viis et subsidiis Evangelio propriis, quae in plurimis differunt a subsidiis, etiam honestis, civitati terrenae propriis, et semper opponuntur astutiae et violentiae, quae toties hunc mundum perturbant.

Res terrenae quidem et ea quae in hominum condicione mundum exsuperant, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus temporalibus utitur quantum propria eius missio id postulat. In privilegiis, tamen ab auctoritate civili oblatis, spem suam non reponit. Immo exercitio iurium quorumdam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi constiterit eorum usu candorem sui testimonii vocari in dubium, aut novas vitae condiciones aliam exigere ordinationem. Sanam vero cooperationem cum civili potestate minime recusat, immo vehementer exoptat. Semper autem et ubique fas est ei cum vera libertate fidem praedicare et inter homines munus suum expedite exercere, omnia et sola subsidia adhibens quae Evangelio et bono omnium secundum temporum et condicionum diversitatem congruant.

NOTAE

Ad n. 87.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 417.

[2] Cf. *Rom.* 13, 5.

Ad n. 88.

[3] Cf. PIUS XII, *Nuntius Radioph.* 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), pp. 9-24; 24 dec. 1944: *A.A.S.*, 37 (1945), pp. 11-17. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 263, 271, 277 et 278.

[4] Cf. PIUS XII, *Nuntius Radioph.* 1 iun. 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 200. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: l. c., p. 273 et 274.

[5] Cf. PIUS XI, Alloc. 18 dec. 1927.

CAPUT V [72]

DE COMMUNITATE GENTIUM ET DE PACE PROMOVENDA

90. [*Introductio*]. Universalis hominum inter se coniunctio ad obtinendum ordinem oeconomicum, socialem et politicum, qui ad diuturnam pacem parandam capax sit, nunquam tam necessaria visa est quam nostra aetate. Tum propter acerbos belli eventus, cum propter omnium in mutua cognitione profectum et ardens desiderium bona orbis terrarum participandi, instituta plura constituta sunt, quorum est consociare conatus populorum ad hanc unitatem efficiendam, non obstantibus gravibus condicionibus adversis, veluti terrore novi belli generalis, conflictibus ideologicis, oppositionibus secundum stirpem vel religionem, aliisve discriminibus.

Ecclesiae est invitare ad communem et magnanimam actionem, quae arctiorem voluntatum concordiam pariat hominesque universos, ex uno Patre progenitos,[1] ad fraternum gentium consensum et plenam caritatis expansionem perducat secundum primarium Christi praeceptum.

91. [*De natura pacis*]. Pax tranquillitas ordinis recte dicitur, cum non sit mera absentia belli, neque e solo aequilibrio virium aut inclinationum, nec ex imperioso principatu oriatur, sed condicio societatis humanae est, in qua unicuique nationi, et infra nationem unicuique civi, suum in omni campo tribuatur, ita ut nemo id quod forsan ab aliis iniuste sit detentum, per vim et arma arripere conetur: ita pax erit opus iustitiae seu fructus ordinis a Deo pro societate humana intenti.

E voluntate igitur hominum in bonum commune conspirantium pax dependet. Cum vero labilis sit humana voluntas, peccato sauciata et omnimodis concupiscentiis obnoxia, rectus ordo societatis simul ab unoquoque constans exercitium dominationis sui, et ab auctoritate legitima vigilantiam requirit. Bonum commune generis humani insuper, etsi primaria ratione iuxta eamdem legem divinam semper est ordinandum, decursu temporum incessanter mutationibus « concretis » subicitur: aliae enim rationes sociales, alia requisita politici ordinis, aliae facultates utendi et fruendi opibus orbis, ipsas condiciones societatis humanae aliter disponunt. Hoc sensu pax nunquam est quidquam factum, sed semper aliquid faciendum; quod officium imponitur tum voluntati individuae ad bonum commune conferenti tum sapienti moderationi, ad quam pertinet ordinem societatis cum iustitia et aequitate in plena coniunctione cum aliis societatibus regere.

[73] Iustitia autem inter homines vix obtinetur, nisi exercitio mutuae fraternitatis alatur. Tunc enim homo ad reddendum unicuique suum inclinatur, quando proximum revera amat; propterea pax aeque ac iustitiae opus, immo magis, amicitiae fructus est.

Pax autem terrena quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est Christi pacis, a Deo et Patre promanantis. Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore, in propria sua carne occidit odium, et resurrectione exaltatus, Spiritum caritatis in corda hominum diffudit.[2]

Omnes igitur christiani obligantur, ut veritatem facientes in caritate illam pacem, quae Dei donum est, implorent, et suam operam cum omnibus sincere pacificis socient ad condiciones condendas, sine quibus vera pax in terra consistere non potest. Quatenus enim homo peccator est, impendet periculum belli et usque ad reditum Christi impendebit; quatenus autem peccatum superat, pariter possibilis erit victoria de violentia reportanda, donec impleatur verbum: « Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium » (*Is.* 2, 4).

Sectio 1: *De communitate internationali necnon de pace construenda*

92. [*De communitate gentium et institutionibus internationalibus*]. Vigentibus hodie tam arctis nexibus mutuae necessitudinis inter omnes incolas et omnes populos orbis terrarum, boni communis quaesitio et adeptio iam requirunt ut communitas gentium ordinem sibi constituat qui praesentibus suis muneribus congruat, speciatim in illis numerosis regionibus quae hodie adhuc intolerabilem patiuntur egestatem. Talis autem promotio frustra exspectatur e solo progressu oeconomico et technico: tunc enim homo vere proficit, si mente et voluntate eo tendit ut vitam sub omni respectu vere humanam degat.

Ad hos fines assequendos, institutiones communitatis internationalis necessitatibus diversis hominum pro sua parte prospicere debent, et quidem tam in campis vitae socialis, cuius generis sunt educatio, nutritio, sanitas, labor, quam in nonnullis adiunctis peculiaribus hic et illic orientibus, ut sunt exigentiae hodiernae incrementi generalis nationum progredientium vel etiam aerumnae profugorum et condicio migrantium.

Institutiones internationales et regionales iam existentes certe de genere humano bene merentur. Magni interest eas perficere et roborare, ut aptae fiant ad cooperationem stabiliendam quae impensior et amplior paulatim evadat et sic paci instaurandae inter populos efficacius inserviat.

Verus ordo communitatis gentium tamen non e solis institutionibus [73] pendet, ut necessitati praesenti conformibus, sed etiam magis e iustitia plene observata et a mutua fraterna amicitia. Haec revera sunt radix [74] et fons ethicae internationalis, quae non meram protectionem bonorum acquisitorum persequatur, sed potius necessariam participationem omnium circa bona spiritualia et materialia a Conditore generi humano concredita. Ad talem amicitiam christianorum munus est conniti, cum ipsi esse debeant nuntii Evangelii amoris. Quocirca Ecclesia facere non potest quin illos homines laudet, qui ad iura sua vindicanda actioni violentae renuntiant, non recurrentes nisi ad subsidia defensioni apta, cunctis etiam debilioribus patentia, quae in veneratione vitae et in vigore veritatis nituntur.

93. [*De cooperatione internationali in campo oeconomico*]. Hodierna coniunctio humani generis etiam instaurationem cooperationis internationalis in campo oeconomico imponit. Etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest quin ab omni forma indebitae « dependentiae » liberentur et omnes periculum gravium difficultatum internarum effugiant. Plurimi enim ex iis populis, etiam ubi strenue laborant, fami et miseriae subiciuntur, ita ut vita eorum quandoque vix humana dici possit. Ad tam ingens malum auferendum remedia praestanda requirunt conspirationem virium quae ultra et supra fines nationales sese extendant.

Incrementum alicuius nationis, ut ipsa subsidiis hodiernis ad sese explicandam et perficiendam fruatur, ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives nationis ipsius per educationem et formationem « professionalem » ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum, qui etiam in institutis publicis et privatis componendis et stabiliendis opem ferant, non quidem ut dominatores sed adiutores et cooperatores. Auxilia materialia non sibi procurabunt nationes progredientes, quin profunda fiat mutatio regularum hodierni commercii in mundo. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praeberi debent adhibita forma donorum, mutuorum et collocationum pecuniarum (*investissements financiers*): haec fiant cum generositate et sine cupiditate ex una parte, cum omnimoda honestate ex altera.

Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda erunt nimia lucrarum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, supputationes ordinis militaris et desiderium « ideologias » propagandi et imponendi. Simul obest compositioni rei oeconomicae in mundo diversitas, immo conflictus, diversorum systematum oeconomicorum.

[74] 94. [*Normae opportunae*]. *a*) Gentes progredientes valde cordi habeant ut finem progressus expresse et firmiter in plena perfectione humana suorum incolarum collocent. Meminerint progressum ante omnia ex
[75] labore et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere, eo vel magis quod non in solis alienis opibus, sed praesertim in propriis plene efficiendis necnon in cultu ingenii et traditione propria inniti debet. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem vim in alios exercent.

b) Gentium progressarum officium gravissimum est omnes populos in obeundis supradictis muneribus adiuvare. Quapropter accommodationes spirituales et materiales ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requisitas apud seipsas libenter perficiant.

c) Communitatis internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut opes ad hoc ordinatae quam efficacissime et plena cum aequitate disponantur. Ad eam etiam pertinet, servato principio subsidii praebendi, rationes oeconomicas in toto mundo ita ordinare ut ad normam iustitiae explicentur. In his actionibus communitas internationalis in tuto positis bonis spiritualibus et moralibus procedat.

95. [*Munus christianorum*]. Christiani autem urgentur cum hoc opere libenter et toto corde cooperari, eo amplius quod egestas maioris partis mundi tantopere urgeat, ut quasi voce alta Christus in pauperibus caritatem asseclarum suorum sollicitet. Ne scandalo sint hominibus, cum nationes, quarum saepe maior incolarum pars christianorum nomine censentur, bonorum copia fruuntur, cum aliae priventur rebus vitae necessariis ac fame et morbis omnigenaque torquentur miseria: spiritus enim paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi est.

Laudanda et stimulanda est caritas illorum christianorum, qui seipsos ad opus promotionis humanae sustinendum offerunt. Sed omnis Populi Dei est, episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare et quidem, ut ab antiquo in Ecclesia mos fuit, etiam ipsis fortunis, non tantum superfluo suo.

Spiritus caritatis nullo modo prohibet, verum omnino imperat ut actio caritatis lucide et ordinatim exerceatur. Quare necessarium est ut ii qui per seipsos nationibus destitutis inservire volunt, per instituta idonea apte formentur. Collectio et distributio subsidiorum materialium, quae nimis rigide et uniformiter non est agenda, per opus recto ordine compositum in dioecesi, natione et mundo fieri debet, et, si casus fert, in actione coniuncta cum fratribus christianis a communitate catholicorum seiunctis.[3]

96. [*De cooperatione internationali quoad incrementum terrae incolarum*]. Deus qua bonitate est et sapientia, pariter rerum naturae in-

exhaustam fere indidit fructus proferendi facultatem, pariter hominem [75] tanta ingenii ditavit acie ut, aptis instrumentis adhibitis, editas res in suae vitae usum necessitatesque convertere possit. Quod nunquam ita evidenter patuit ut hodiernis temporibus, quibus progressus scientiarum et technicarum artium effecit, ut dominium hominis super opes terrae quasi inexhaustas in dies magis affirmetur et extendatur. Cum [76] autem eodem tempore numerus incolarum, saltem in nonnullis partibus orbis, modo tam rapido crescit, ut numquam adhuc in historia generis humani evenit, urget necessitas ut omnes facultates ad victum necessariae et condiciones quibus homines perficiantur plene explorentur eaedemque toti communitati humanae per plenam et impensam cooperationem parentur.

Ardua condicio hodierna nationum in quibus crescens numerus civium, propter paupertatem, progressum oeconomicum et socialem in discrimen vocat, nonnisi cooperatione internationali ac maxime auxilio et opere nationum quae ingentibus opibus sunt praeditae, solvi potest.

Considerata hac extrema rerum gravitate, novo ordine componendae sunt actiones oeconomicae et instituta structurarum socialia, idque sine mora aggrediendum.

Capacitas res utiles edendi, qua terra pollet, continet adhuc potentiam sat amplam ad nutriendum hominem. Nonnulli populi condiciones proprias vitae multo meliores reddere possent si, debita instructione exculti, a methodis antiquis ad artes technicarum novarum pro gignendis bonis agrestibus cum debita applicatione et prudentia transirent. Necesse est autem ut simul ratio possessionis terrarum secundum exigentias hodiernas populorum reformetur et variae formae cooperationis localis, regionalis et internationalis secundum veram utilitatem ruricolarum promoveantur.

97. [*De ratione politica demographica*]. Ex altera parte, cum a multis affirmetur incrementum incolarum orbis, praesertim in regionibus pauperioribus, omnibus subsidiis et quovis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, declarat S. Synodus, secundum inalienabile ius hominis ad matrimonium et generationem prolis, deliberationem circa numerum prolis gignendae ad extremum et per se e recto iudicio morali parentum pendere ac nullo modo arbitrio potestatis publicae permitti posse. Cum autem tale iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est ut omnibus aditus praebeatur ad rectam et vere humanam officii conscientiam in respectu Legis divinae et consideratis adiunctis rerum ac temporum humanis excolendam. Hoc vero passim condiciones educationis et societatis in melius redactas et imprimis formationem religiosam vel saltem moralem plenam exigit.

[76] Legislatio et publica potestas invigilent oportet, ut familiae cuiusvis condicionis socialis illis subsidiis ditentur, quae ad vitam familiarem prorsus homine dignam et ad educationem prolis omnino congruam necessaria sunt. Ideo in quacumque actione, quae vel ad habitacula construenda, vel ad instructionem impertiendam, vel ad cultum humanum in populo fovendum ordinantur, ad hoc intendatur, ut familiae in mutatis condicionibus ad perfectiorem vitam eleventur et non ad solam fruitionem commodioris vitae deiiciantur.

[77] Tandem S. Synodus omnes monet ut caveant a propensione illorum qui publice vel privatim solutiones promovent et quandoque imponunt, quae legis moralis nullam rationem habent et incremento incolarum orbis per omnimoda subsidia finem imponere contendunt. De progressibus scientificis tamen quorum firmitas bene probata est, et de quorum moralitate habetur sufficiens certitudo, homines, si res id postulat, certiores fiant.

Sectio 2: *De pace firmanda seu de bello vitando*

98. [*De bello hodierno, imprimis de sic dicto « totali »*]. Horror belli cuius memoria taeterrima generationis nostrae mentibus est impressa, horrorque multoties peior novi conflictus per orbem terrarum si oriretur nos impellunt ut, proprio officio et supplicibus vocibus undequaque ad nos pervenientibus obsecundantes, plena cum nostra conscientia spirituali nos consociemus viribus conspirantibus ad pacem stabiliendam. Gravia verba ad christianos et ad totum orbem convertentes, nolumus nos immiscere competentiae proprie auctoritatum terrenarum nec solutiones politicas vel technicas afferre, sed tantummodo officium nostrum evangelicum unitatis et reconciliationis exercere.

Omnis actio bellica quae indiscriminatim pertinet ad destructionem urbium integrarum cum earum incolis, a fortiori ad destructionem fere plenam regionum, est de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem quod firmiter et incunctanter damnandum est. Talis est actio bellica in qua omnino desunt: respectus ad qualitatem personarum (bellantium vel non-bellantium, senum, puerorum, mulierum) ac bonorum actione bellica laesorum, « proportionalitas » rationabilis inter legitimas rationes belli et sequelas actionis violentae inceptae, omnis possibilitas damna praevidendi et circumscribendi (*contrôle des effets*).

Ad tales actiones bellicas perpetrandas iam non arma atomica requiruntur: sufficiunt enim « conventionalia », quae appellantur. Sed gravitas effectuum ex usu armorum atomicorum omnino peior est. Quamvis hic de iudicando quocumque, aut de ponderandis « subiectivis » propo-

sitis quidquam statuere nolimus, affirmamus tamen talibus actionibus bel- [77]
licis, cuiuscumque speciei sint (atomicae, biologicae, chimicae, « conventionales », etc.), conscientiam hominum non facile exonerari, cum obiective crimina sint.

In hoc consistit periculum singulare omnis belli hodierni quod societatibus humanis quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et connexione quadam ineluctabili voluntatem hominum ad nefandissima consilia impellit. Si bellum usque ad ultimam possibilitatem instrumentorum scientificorum hodiernorum perduceretur, ex eo nil aliud oriretur, nisi internecio fere plena et omnino reciproca uniuscuiusque partis a parte adversa.

Quamvis ergo, exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, non [78]
illicitum esse possit iura iniuste impetita contra iniustum aggressorem vi et coactione defendere, attamen semper magis magisque a ratione alienum fit bellum instrumentum aptum esse ad violata iura sarcienda. Dum ita clare apparet immanitas exitus postremi ad quem bellum hodiernum perducere possit, Providentia divina instanter ab homine requirit ut se ab antiqua servitute belli liberet, periculo praesenti finem imponendo. Sciant omnes homines huius aetatis se de his rebus rationem esse reddituros et decursum saeculorum futurorum ab hodiernorum officii et periculi conscientia dependere. Quamobrem urget obligatio omnes populos necnon moderatores eorum monendi, ut ad vitandos conflictus novi fiant conatus, omnino validiores et ampliores quam hucusque fieri soliti erant, cum conflictu iam orto, eventus, qui inde consecuturi sint, nullo modo praevideri possint. Nationibus vero quae cogitarent de via conflictuum formidolosorum ineunda, adhibitis omnibus hodiernis armis, atomicis non exceptis, firmiter dicimus nullam nationem ius habere sibi internecionem gentis adversae ut finem proponendi, quantumcumque damnum est ab illa illatum.

99. [*De « aequilibrio terroris »*]. Nostris diebus arma apparata apud potentiores nationes ingenti quantitate accumulata sunt, quia firmitas defensionis uniuscuiusque partis e capacitate fulminea adversarium repercutiendi dependere putatur. Propterea immensa vis armorum qua variae nationes praeditae sunt efficit sic dictum « aequilibrium terroris », quod habetur quasi ultima ratio pacis ad praesens existentis in mundo.

Sane nationes, de propria existentia iure sollicitae, condiciones « concretas » in quibus versantur, considerare debent; quae condiciones magna ex parte sunt consectaria eventuum praeteritorum ac lugenda veluti hereditas errorum humanorum. Attamen omnibus ac praesertim rectoribus Civitatum, qui totis viribus atque animo omnino recto adimplere student

[78] gravia officia quae eis incumbunt, valde cavendum est ne hunc statum rerum confundant cum eo qui revera status pacis vocari potest.

Etenim aequilibrium hoc est aliquid de se omnino deforme (*monstrueux*). Nam si quacumque de causa in hoc statu rerum conflictus orietur, mutua destructio populorum qui sibi invicem opponuntur omnino instaret. Est etiam contra rationem ut nationes vires suas optimas insumant in apparandis et semper augendis armis, quae reapse numquam adhibentur.

Hic rerum status gravissima detrimenta secum fert. Divitiae quae in armis gignendis effunduntur, adhiberi possent ad omnimodum incrementum et debita auxilia inopiae populorum. Ab initio suffocantur conamina perutilia inter nationes ut institutiones pacificae condantur, cum timor ne inermibus bellum mortiferum inferatur, irrita faciat talia incepta quae fiduciam mutuam supponunt. Beneficia huius asperi status, si
[79] adsunt, valde precaria sunt. Forsan « aequilibrium terroris », loco melioris consilii, reapse stabilitatem quamdam in consortione humana servet; multa tamen continet quae praevideri nequeunt, etiam pro illis qui res accurate computare censentur, et ideo nemo talem condicionem ut institutionem sanam et efficacem pro rationibus internationalibus considerare potest, spem suam pro futuro in eam locando. Hoc triste et temporarium aequilibrium nonnisi quoddam perfugium a nobis haberi debet, quod occasionem praebet ut homines in hoc brevi temporis spatio quod superest, controversias suas modo homini digno componere queant.

100. [*De actione internationali ad bellum vitandum*]. Nationibus earumque rectoribus certe concedi debet tempus opportunum, ut conflictus in conventu communi solvere possint; meminerint tamen omnes hoc tempus non posse in indefinitum produci. Exigentiis boni communis in praesentibus rerum adiunctis ad extremum nonnisi per exclusionem belli ab omnibus sancitam satisfieri poterit. Tale autem est discrimen in quo genus humanum hodie versatur, ut gravi officio devinciantur christiani, una cum omnibus hominibus bonae voluntatis, hoc totis viribus non tantum optare, sed per formationem opinionis publicae expostulare et pro viribus ad effectum deducere.

Certe hoc non fiet nisi per auctoritatem publicam quae in orbem terrarum potestatem exerceat. Affirmat S. Synodus urgentem necessitatem talis auctoritatis, ita ut condiciones vere praeparentur in quibus bellum quodcumque iam non possit amplius ut instrumentum considerari legitimum, etiam ad defensionem iuris. Haec auctoritas viribus polleat quibus efficaciter se interponere possit ad lites inter nationes arbitrio suo

dirimendas, ad vigilantiam super armorum progredientem diminutionem [79] eorumque definitivam abolitionem exercendam, et ad eos puniendos qui ordinem pacificum internationalem perturbant. Patet igitur liberum usum armorum hodiernorum moraliter admitti non posse, et tendendum esse ad eorum omnimodam suppressionem. Quamdiu tamen institutiones internationales pacem satis communire non valent, possessio illorum armorum, solum ad deterrendum adversarium, eiusdem armis instructum, non affirmari potest ut in se illegitima. Sed enixe agendum est ut tali statui rerum quam citissime finis imponatur, etiamsi ad hunc finem obtinendum, summae difficultates sint superandae.

Cum interim progressus technici, communicationes et instituta ad lites pacifice componendas in dies maiorem efficaciam nanciscantur, monentur Civitatum moderatores ut sine cunctatione gentes a belli discrimine pro viribus liberent per conventiones et pacta quae iustam pacem confirment; simul ad hoc intendant ut ex animis deponantur simultates (*les sentiments hostiles*), diffidentiae et odia. Insuper maxime cordi habeant ut minora numero fabricentur et teneantur arma, modo quo iam fieri potest, idque promoveant et sollemnibus pactis firment, processum bonorum officiorum stabiliter constituant et sese consultis auctoritatis internationalis [80] existentis subiciant.

101. [*De bellis minoribus et actibus cum bello connexis*]. Quamvis populi praesertim et sponte periculum belli per orbem saevientis timeant, nullo modo praetermittenda sunt, cum propter neces et vastationes quas secum ferunt, tum propter periculum ab eis paci in mundo illatum, bella regionalia et interna hodie vigentia vel imminentia (bella inter tribus; conflictus inter stirpes, « ideologici », religiosi; contentiones circa fines Civitatum; bellum civile, seditiosum ad evertendam Civitatem susceptum, etc.). Quaecumque sunt causae eiusmodi conflictuum, qui in nonnullis casibus ultimum suffugium hominum iniuste laesorum vel oppressorum efficiunt, omnia facienda sunt ad eos praeveniendos vel terminandos, sive tollendo iniustitias e quibus saepe oriuntur, sive fovendo mutuam reverentiam et aestimationem, sive recurrendo ad processum bonorum officiorum, ut appellantur.

Nemini licet dare vel exsequi mandata quae evidenter legi Dei adversantur, ut sunt occisio innocentium et captivorum. Ubi autem violatio legis Dei non manifeste patet, praesumptio quidem iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussis est parendum, sed illi qui iussa impertiunt et rei publicae rationem moderantur, multo magis obligatione adstringuntur summa cum prudentia decernendi et secundum legem moralem agendi. Insuper, in hodiernis adiunctis sat conveniens vi-

[80] detur ut leges « positive » eos respiciant qui, vel propter testimonium lenitatis christianae, vel propter reverentiam erga vitam humanam, vel ex sincero fastidio omnem vim exercendi, ex conscientia servitium militare vel quosdam actus qui ad immanem crudelitatem in bello conducunt, recusent.

In quocumque bello, sive externo, sive interno, semper observandae sunt normae humanitatis quae a naturali iure oriuntur ac definiri solent pactis et conventis internationalibus. Denique tamquam « intrinsece » perversa existimanda sunt instrumenta quae destructionem vel minutionem adversarii in sua « personalitate » psychologica vel morali intendunt.

Sectio 3: *De missione Ecclesiae et christianorum*

102. [*De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali*]. Ecclesia vi missionis divinae omnibus hominibus Evangelium praedicandi et thesauros gratiae elargiendi, pacem ubique terrarum promovere studet atque solida fundamenta consortionis pacificae hominum ac populorum, cognitionem nempe legis divinae et naturalis, omnes docet. Ad fovendam ergo et stimulandam cooperationem inter homines, in sinu Communitatis gentium omnino praesens sit Ecclesia, tam per suas insti-
[81] tutiones officiales quam per plenam ac sinceram cooperationem omnium christianorum, voluntate ceteris inserviendi et spiritu abnegationis animatam, ratione habita institutionum et operum omnium quae ad pacem firmandam adlaborent.

Quod efficacius continget, si ipsi fideles, officiis onerisque sui ut homines et christiani conscii, influxum iam in proprio vitae ambitu exerceant, ita ut apud plurimos prompta ad cooperandum cum communitate internationali voluntas excitetur. Cura peculiaris impendatur de hac re educandis et formandis iuvenibus.

Haec formatio et hic spiritus ad ceteros clericos et laicos extendi debet, ut efficiatur et roboretur opinio publica paci favorabilis, praesertim destruendo praeiudicatas opiniones, iniustitias et odia, quae tam saepe causa fuerunt oppositionis inter homines et impedimenta fraternae eorum unitatis.

In eiusmodi formatione et actione christianorum principalis sollicitudo pertinet ad episcopos: summum munus quod cum successore Petri in tota Ecclesia gerunt, etiam ad officia iustitiae et caritatis, praesertim a christianis in commodum omnium implenda, extenditur.

103. [*De partibus christianorum in Institutionibus internationalibus*]. Excellens forma navitatis internationalis profecto est socia opera quam christiani, sive singuli sive consociati, praestant Institutis ad coope-

rationem inter nationes fovendam conditis vel condendis. Praeterea variae [81] consociationes catholicae ordinis internationalis, ad communitatem gentium pacificam ac fraternam construendam variis modis conferre possunt. Quas oportet roborare, debitis subsidiis instruere et recto ordine componere. Hodie enim tam efficacitas actionis quam necessitas colloquii requirunt ut singuli etiam per incepta « collectiva » operentur. Tales consociationes insuper non paulum conferunt ad excolendum verum sensum universalem, quod catholicis certe congruit, et ad firmandam apud omnes conscientiam proprii officii et oneris pariter universali indole praeditam.

Denique optandum est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali adimplendum, cooperationem quaerant actuosam et « positivam », sive cum fratribus seiunctis qui caritatem evangelicam profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem quaerentibus.

NOTAE

Ad n. 90.

[1] Cf. *Act.* 17, 26.

Ad n. 91.

[2] Cf. *Is.* 9, 6; *Lc.* 2, 14; *Io.* 14, 27; *Rom.* 5, 1; *Eph.* 2, 14.

Ad n. 95.

[3] Cf. PAULUS VI, Alloc. in Bombay ad diurnarios scriptores: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 135.

[82]

CONCLUSIO

104. [*De munere singulorum fidelium et Ecclesiarum particularium*]. Principia et normae ab hac Sacra Synodo proposita, diversis quidem rationibus, ad Ecclesiae doctrinam pertinent: quae quidem omnes homines nostrorum temporum, sive credant in Deum sive non credant, adiuvare intendunt, ut mundum praecellenti dignitati hominis magis conforment et largiorem humanam fraternitatem instaurent, ut exigentias integrae suae vocationis clarius percipiant ac denique ut generoso atque consociato conamine urgentibus nostrae aetatis postulationibus sub impulsu amoris respondeant.

At coram immensa diversitate tum status rerum tum cultus humani formarum in mundo, doctrina proposita in pluribus suis partibus consulto nonnisi indolem omnino generalem prae se fert. Ad episcopos itaque variarum regionum, commodo suo, ad clericos et laicos cuiuscumque territorii spectabit, ut eam magis determinent atque explicent, et praesertim ut eam exprimant et explanent verbis quae adiunctis, mentis formis et proprio singulorum gentium ingenio accommodentur: et sic eadem doctrina, ope altioris intelligentiae, populos ad fecundiorem actionem perducere queat.

105. [*De colloquio inter omnes homines*]. Cum autem hodie tempus futurum mundi potius quam aetatibus praecedentibus e liberis hominum decretis pendeat, Concilium diserte praedicta principia, in inconcussa Dei Veritate fundata, inculcare voluit, ut omnes humani generis familiae ac coetus iis illuminentur in iisque fundamentum pro communi colloquio inveniant. Ecclesia, quae, virtute Spiritus Sancti homines ad diversissimas nationes, stirpes et cultus humani formas pertinentes in unum Corpus coadunat eosque in unam cum Deo et inter se communionem colligit, quomodo non excellenter apparet ut habitaculum fraternitatis et sedes colloquii, pignus supremae veritatis et signum unitatis totius humani generis?

Animus noster imprimis complectitur fratres nondum nobiscum in plena communione viventes, quibus tamen iungimur confessione Patris, Filii et Spiritus Sancti et caritatis vinculo, memores scilicet christianorum unitatem hodie a multis etiam non credentibus expectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, sub potenti actione Spiritus Sancti, in veritate et caritate proficiet, eo magis universo mundo praesagium erit unitatis et pacis. Quare unitis viribus studeamus ut Evangelio Christi in

dies melius conformemur, sed etiam ut fraterne cooperemur servientes [83] familiae humanae, quae familia Dei est et Christi Iesu.

Animum nostrum etiam convertimus ad omnes qui in Deum credunt in suisque traditionibus pretiosa elementa religiosa et humana conservant, optantes ut apertum colloquium nos omnes adigat ad impulsionibus Spiritus fidelius obtemperandum.

Desiderium instituendi colloquium, quod sola caritate erga Veritatem ducatur et cum congruente prudentia fiat, ex parte nostra neminem excludit,[1] neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, at neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur. Unum Patrem habentes, omnes fratres sumus, eadem humana et divina vocatione praediti: ideo, ubi deest violentia, cur sine dolo ad aedificandum mundum cooperari non possumus?

Sed etiam intra Ecclesiam mutuam benevolentiam, reverentiam, aestimationem et concordiam promovere oportet, ut inter domesticos quoque fidei fructuosior sermo obtineatur. Hic etiam colloquium varias formas assumere potest: inter Pastores, inter fideles, a Pastoribus cum fidelibus. In multis quaestionibus catholici legitime et utiliter diversimode opinantur, unde magis clarescit ratio transcendens fidei; nunquam tamen praeterire possunt id quo uniuntur multo fortius esse quam id quo dividantur, memores adagii: in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas, et verbi praesertim Domini: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35).

106. [*De mundo aedificando et ad fidem perducendo*]. In Ecclesia et per Ecclesiam christiani a Domino illuminantur et a Spiritu roborantur. Certe hodie ius non amplius habent mediocriter vivendi. Cum omnibus qui iustitiam colunt coniuncti, Evangelio fideliter adhaerentes huiusque viribus fruentes, ingens opus in his terris adimplendum susceperunt, de cuius exitu die supremo reddent rationem. Non omnes enim qui dicunt Domine, Domine! intrabunt in Regnum caelorum, sed ii qui faciunt voluntatem Patris,[2] et validam manum operi apponunt. Vult autem Pater ut in singulis fratribus Christum agnoscamus et efficaciter diligamus, utque tam verbo quam opere testimonium perhibeamus Veritati et mysterium amoris Patris caelestis cum aliis communicemus. Hoc facientes totum genus humanum ad vivam spem excitabimus, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando in mundo perenni et in pace ac beatitudine summa ad gloriam Domini suscipiatur.

« Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam peti-

[83] mus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

[84]

NOTAE

Ad n. 105.

[1] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* Pars III.

Ad n. 106.

[2] Cf. *Mt.* 7, 21.

RELATIO GENERALIS [85]

Hac relatione generali historiam integram, et iam sat longam, schematis « *De Ecclesia in mundo huius temporis* », nullo modo describere intendimus; sed tantum elementa necessaria praebentur ad novam redactionem eius intelligendam. Hac de causa initium sumitur a tempore quo organa conciliaria competentia, post disceptationem antiqui textus in aula habitam, ex animadversionibus Patrum quaedam consectaria, et quidem maximi momenti, duci censuerunt.

Sic proceditur:

I - *Historia textus praesentis*:

1) Decisiones Subcommissionis plenariae mixtae (conventus dierum 17, 19 et 20 nov. 1964).
2) Modus procedendi in reelaboratione textus.
3) Sessio laboris apud « Ariccia » habita (31 ianuarii - 6 februarii 1965).
4) Sessio subcommissionis plenariae mixtae Romae habita (8-13 februarii 1965).
5) Sessio Commissionis plenariae mixtae Romae habita (29 martii - 6 aprilis 1965).
6) Sessio Commissionis de Concilii laboris coordinandis Romae habita (die 11 maii 1965).

II - *Praesentatio generalis textus*:

1) De titulo
2) De iis ad quos dirigitur schema
3) De stylo
4) De scopo et de modo procedendi
5) De ordine schematis

Addendum: *De ratione novae redactionis schematis cum textu priore*:

1) Quoad amplitudinem textus
2) Quoad relativam novitatem textus
3) Quoad essentialem similitudinem argumentorum

[86] # I – HISTORIA TEXTUS PRAESENTIS

1. Decisiones Subcommissionis plenariae mixtae (conventus mense novembri 1964 habitus)

Sub praesidentia Exc.mi D.ni Guano, Episcopi Liburnensis, plures conventus habiti sunt a Subcommissione plenaria mixta ultimis diebus tertiae periodi Concilii, diebus nempe 17, 19 et 20 novembris 1964. Ratione habita animadversionum Patrum, plures « orientationes » schematis determinari potuerunt, et sequentes conclusiones factae sunt:

— ampliandus est numerus Episcoporum Subcommissionis centralis, ita ut variae regiones et continentes melius repraesententur, iuxta optata plurium Patrum (quod immediate factum fuit).

— admittitur necessitas amplioris « conspectus generalis » (olim signa temporum), qui explanat characteres principales mundi hodierni et sit veluti punctum proficiscendi (initium) totius schematis.

— constituatur parvus coetus redactionis, cuius erit reelaboratio et redactio nova textus, *iuxta animadversiones Patrum,* sive scripto sive oretenus prolatas.

Ut perfectior unitas schematis habeatur, eligendus erit unus tantum redactor. Sub responsabilitate exclusiva Episcoporum, redactor ille, coadiuvantibus secretariis duarum Commissionum et R. P. Häring, munus habebit redigendi partem doctrinalem, et in unum colligendi textum, et invigilandi, quantum fieri poterit, ut unitas schematis servetur usque ad adoptionem definitivam a Patribus factam.

Exc.mus D.nus Guano, Praeses Subcommissionis plenariae mixtae, et Exc.mus D.nus Ancel, Vice-praeses, petierunt ut R. D. Canonicus Petrus Haubtmann sumeret munus istud, et coadiuvaretur a tribus cooperatoribus: nempe a RR. PP. Tucci, Hirschmann et a D.no Canonico Moeller.

Rev.mus D.nus Philips, Secretarius-adiunctus Commissionis doctrinalis, accepit munus supervisionis schematis quoad doctrinam, et etiam munus relatoris apud Commissionem plenariam mixtam.

Haec decisio scripto exarata, die 8 decembris 1964, missa est ab Exc.mo D.no Guano, Praeside Subcommissionis plenariae mixtae, ad Sodales Commissionis plenariae mixtae.

2. Modus procedendi in reelaboratione textus [86]

Nova elaboratio textus tribus praecipuis elementis innititur, quae ut normae redactionis habebantur:

a) textus prior est basis (fundamentum) textus emendati;

b) textus prior tamen emendandus, retractandus, denuo redigendus erit quoties hoc necessarium videtur ut animadversionibus Patrum sive [87] scriptis sive oralibus respondeat.

c) Secundum desideria a pluribus Patribus expressa, Adnexa quae textum priorem comitabantur, inserenda erunt in novum textum, saltem quoad substantiam. Quod factum fuit ex iussu Em. Card. Cicognani, praesidis Commissionis de Coordinandis laboribus, iuxta epistolam missam Em. Cardinalibus praesidibus Commissionis plenariae mixtae, die 2 ian. 1965.

Ut his normis obtemperetur, animadversiones Patrum, sive oretenus sive scriptis exhibitae, acuto examini atque scientificae inquisitioni subiciendae erant. Quod certo certius magnum laborem exigebat: animadversiones enim Patrum 830 amplius paginas comprehendunt.

Textus qui nunc Patrum examini proponitur, ex elementis supra memoratis originem ducit. *Quapropter, quamvis in multis textus veluti novus apparet, non est tamen aliud nisi textus prior retractatus et diversimode expressus, ad mentem plurimorum Patrum, necnon iuxta mandatum competentis auctoritatis. Quod sane numquam obliviscendum erit in examine et disceptatione huius textus.*

3. Sessio laboris apud « Ariccia » habita (31 ian.-6 febr. 1965)

Sessio haec fuit eventus maximi momenti in reelaboratione novi textus. Praesidebat Em.mus Card. Cento, Praeses Commissionis de Apostolatu Laicorum et Exc.mus D.nus Guano, Praeses Subcommissionis plenariae mixtae.

Aliqua redactio praeliminaris partis doctrinalis exhibita erat Subcommissioni doctrinali, sub praesidentia Exc.mi D.ni Garrone, et peculiari modo examinata. Alia ex parte, variae Subcommissiones particulares elaboraverunt textus quoad propria obiecta ratione habita studiorum praecedentium, et praecipue Adnexorum textus prioris.

Notandum est quod 29 Patres aderant in hac sessione laboris, ex omnibus fere partibus mundi. Aderant insuper 38 Periti, necnon aliqui auditores et auditrices et alii laici invitati (circiter 20). Iam praecedenti

[87] schematis redactioni conficiendae, laici collaboraverunt. Iuxta desideria Patrum, plures adhuc ad hanc novam redactionem opus suum praestiterunt.

4. Sessio Subcommissionis plenariae mixtae Romae habita (8-13 febr. 1965)

Sessio Subcommissionis plenariae mixtae, post sessionem laboris « Ariccia » habita, examini subiecit textus, eos perfecit et conclusiones opportunas duxit. Determinavit structuram definitivam textus praesentis, hoc modo:

[88] — « conspectus generalis » partem propriam, distinctam nempe sive a Prooemio, sive a duabus partibus schematis, constituere debet;

— pars doctrinalis dividi debet in quattuor capita (prout de facto iacent);

— pars tractans de quibusdam problematibus magis concretis et actualibus ex quinque capitibus constare debet (cf. Summarium schematis).

Duo hic notanda sunt:

1) Adnexum olim I (*De dignitate personae humanae fovenda*) incorporatum est, quoad substantiam, sive in partem doctrinalem, sive in novum caput, nempe *De vita politica.* Impossibile enim visum est de anthropologia christiana agere, quin de ipsa dignitate hominis tractaretur. Haec decisio facta est petente ipso praeside Subcommissionis competentis, Exc.mo D.no Wright.

2) Brevis textus novus: *De vita politica,* introductus fuit secundum desiderata multorum Patrum, necnon ex mandato Subcommissionis plenariae mixtae.

5. Sessio Commissionis plenariae mixtae Romae habita (29 martii - 6 aprilis 1965)

Liceat in memoriam vocare quod Commissio mixta consistit ex Commissione doctrinali (30 Sodales), Praeside Em.mo Card. Ottaviani, et ex Commissione de Apostolatu Laicorum (30 Sodales), Praeside Em.mo Card. Cento, necnon ex 7 Episcopis cooptatis ex sic dicto « tertio mundo » et ex regionibus quae sub regimine communismi inveniuntur.

Commissio mixta plenaria examini acutissimo subiecit schema denuo elaboratum.

Relator schematis fuit Rev.mus D.nus Philips, Secretarius-adiunctus Commissionis doctrinalis.

Schema, uti nunc habetur, unanimi voto (uno dempto) a Commissione mixta probatum fuit, licet cum nonnullis modis a Patribus Commissionis allatis et admissis, quae postea in textum introducti fuerunt. [88]

6. SESSIO COMMISSIONIS COORDINATIONIS ROMAE HABITA (die 11 maii 1965)

Sub praesidentia Em.mi Card. Cicognani, Commissio « de coordinandis Concilii laboribus » audivit relationem particularem Em.mi Card. Suenens, super hoc schema. Post amplam disceptationem, statuit ut textus schematis, prouti iacet, Concilii Patribus transmitteretur, et insuper satisfactionem suam expressit de labore facto.

II - PRAESENTATIO GENERALIS TEXTUS [89]

1. DE TITULO

a) Titulus generalis schematis: *De Ecclesia in mundo huius temporis,* iam abhinc duobus annis a Commissione de coordinandis Concilii laboribus determinatum erat. Nihil ergo amplius hac de re dicendum videtur.

b) Quoad qualificationem documenti, visum est ab eadem Commissione Coordinationis, in sessione diei 11 maii 1965 Romae habita, aptiorem titulum esse: « Constitutio pastoralis ». Scopus enim praecipuus huius schematis non est directe doctrinam praebere, sed potius eius applicationes ad condiciones nostri temporis necnon consectaria pastoralia ostendere et inculcare. Altera ex parte, schema hoc difficulter posset vocari « decretum », cum fere nullam contineat praescriptionem. Momentum autem schematis bene exprimi videtur per verbum « constitutio ». Quae cum ita sint, iure meritoque convenire videtur titulus « Constitutio pastoralis » per oppositionem ad « Constitutionem dogmaticam », scilicet De Ecclesia (*Lumen Gentium*).

Notandum est insuper, quod, attenta indole essentialiter pastorali textus, schema hoc non indiget disceptatione tam rigorosa cuiusque vocabuli, ut fieri deberet in re stricte dogmatica.

2. DE IIS AD QUOS DIRIGITUR SCHEMA

De « destinatariis » sat longa et difficilis disceptatio habita est in ipsa Subcommissione plenaria mixta. Hac de causa accurato studio subicienda erant animadversiones Patrum quoad hunc punctum, ut eorum mens bene cognosceretur. Hoc studium, methodice ductum, nullum relinquit dubium quoad desiderium maioritatis Patrum, scilicet quod schema

[89] seu Concilium, sermonem *ad universos homines sine ulla exceptione dirigi debet.*

Re vera, quamvis pauci Patres declarent vel supponant quod documentum essentialiter dirigatur ad fideles (E/3645, 3741, 3919), longe maior pars explicite declarat, quod dirigi debet ad universos homines: « Omnibus christianis necnon omnibus christicolis, quinimmo omnibus hominibus bonae voluntatis » (E/3646), ad totum universum secus ac alia schemata (E/3691), « tum christianis tum non christianis » (E/3690, 3852), omnibus incolis terrae (E/3749, 3643, 4131, 4153 nomine 70 Patrum); nam « ad universos homines spectat » (E/3680), ad « hominem in viis » (E/3758), ita ut « ad omnes ordinari » debeat (E/3837). Igitur, loqui debemus « omnibus hominibus », atheis non exceptis (E/3769). In eodem sensu, alius Pater (E/3747), nomine 60 Patrum, declarat quod schema comprehendi deberet etiam a 2.400.000.000 hominibus qui adhuc Ecclesiam non cognoscunt.

[90] Aliqui improbant textum priorem propter aliquam imprecisionem in isto puncto (E/3593, 3648). Non agitur, ait unus Pater, de colloquio simplici *de* mundo in ipsa Ecclesia, sed de colloquio Ecclesiae *cum* ipso mundo (E/3744).

Ut his desideriis longe maiori parti Patrum obsecundetur, schema praesens — *sicut ceteroquin schematis adumbrationes praecedentes* — dirigitur « non tantum ad Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed etiam ad universos homines » (N. 2): quod maximi momenti esse videtur.

Clarum est ex hac « orientatione » consequentias sat ponderosas effluere, sive quoad stylum schematis, sive quoad modum procedendi.

3. De stylo

Dum pauci Patres petunt stylum non descriptivum, sed essentialiter theologicum (E/4093, 3757, 3688), Patres multo numerosiores expectant stylum « directum », « simplicem », non nimis ecclesiasticum vel exhortativum, « pastoralem », « heuristicum », et, in quantum fieri potest, « omnibus accommodatum » (E/3678, 3593, 4121, 3804, 3770, 3852, 3646, 3691, 3679, 4131, 3747 nomine 60 Episcoporum). Aliqui etiam rogant ut sedulo vitetur stylus polemicae vel damnationis (E/3595, 4052).

Haec autem affirmatio *nullo modo contradicit* alteram assertionem multorum Patrum, immo eorumdem Patrum, secundum quam schema supra fundamenta *theologica,* clara, firma, « *christologica* », niti debet (E/3676, 3594, 3126, 3136, 3838, 3922, 4093, 3649, 3687, 3757).

Uno verbo, expectatur ut schema stylum quendam omnino « sui generis » inveniat, doctrina quidem suffultum, sed communi hominum loquendi modo accommodatum (E/3598, 3575). Quod sane non tam facile fieri potest! [90]

Animadvertere tamen liceat quod stylus novus schematis generatim placuit, sive Patribus, sive laicis qui sessionibus laboris interfuerunt. Verbi gratia, exempla « concreta » quibus utitur pars doctrinalis ad illustrandum aliquod punctum doctrinae (v. g. cf. N. 27, 33 et 38) desideriis plurium respondent.

4. De scopo et de modo procedendi

Scopus schematis optime enuntiari videtur ab aliquo Patre (E/3689): « Repercutere *spem* et *anxietatem* hominis hodierni, et Ecclesiam ostendere ut transcendentem et ut ad servitium hominum » directam. Haec assertio manifeste convenit plurimorum Patrum optatis.

Quocirca perplures Patres rogant, ut incipiatur a *factis* et a *veritatibus* qui a plurimis hominibus, etiam non credentibus, admittuntur: ita tamen ut ad manifestationem totius veritatis revelatae paulatim perveniatur (E/3593, 3690, 3691, 3748, 3768, 3804, 3837, 3846, 3744, 3747 nomine 60 Episcoporum). [91]

Alii (E/3676 et E/3683) optime animadvertunt Ecclesiae missionem non debere considerari tantum in relatione ad problema mundi: nam missio Ecclesiae non est nisi continuatio ipsius operis salvifici Christi.

Pauci tantum (E/3764, 3770) vellent ut a veritate revelata initium sumeretur.

Plurimi, veluti « synthesim » assertionum allatarum proponentes, affirmant ipsas veritates « naturales » « oculis evangelicis » videndas esse — exclusa illa damnosa separatione inter ea quae ad ordinem « mere naturalem » et ea quae ad « redemptionis ordinem » pertinent, siquidem et ipsa creatio in ordine redemptionis inseritur (E/3676, 3746, 3740, 3765, 3782, 3769, 3764, 3838, 4052, 3738 nomine alicuius Conferentiae Episcopalis).

Eadem ratione, maior pars Patrum optat ne incipiatur per manifestationem ipsius Ecclesiae hierarchicae (E/3804, 3837, 3846, 3744, etc.). Ecclesia tamen debet sese mundo praesentare, non auctoritativo quidem modo, sed « modo praesentationis » (E/3677). Explicite petitur ab aliquibus ut Ecclesia, quatenus communitas hierarchica, in ultimo tantum capite partis doctrinalis praesentetur (E/3804, 3837).

[91] 5. DE ORDINE SCHEMATIS

Ut omnes hae opiniones, quantum fieri potest, concilientur, *iubente ipsa Commissione competente,* textus sic componitur:

Post breve *Prooemium,* initium sumitur a factis et eventibus generalioribus quibus condicio hominis in mundo nostri temporis signatur (*Expositio introductiva: De hominis condicione in mundo hodierno*).

Ambae partes subsequentes, quarum altera magis generalis est, altera magis in particulari ingreditur, exponunt quid Dei Populus, seu Ecclesia, de hoc rerum statu et evolutione praesentis mundi sentiat. Ubique vero homo ipse, sive consideratur ut persona individualis sive ut membrum societatis, omnium rerum expositarum centrum tenet.

In unoquoque autem trium priorum capitum *Iae partis* (*De Ecclesia et condicione hominis*), initium denuo sumitur a veritatibus et a problematibus quae omni homini obviam veniunt: quae tamen, quando fas est, modo biblico exponuntur. Semper autem e rebus magis cognitis usque ad altissimarum veritatum manifestationem fidei christianae, quippe quae in persona Verbi Incarnati reassumuntur, progreditur (cap. I: *De humanae personae vocatione;* cap. II: *De hominum communitate;* cap. III: *Quid significet humana navitas in universo mundo*).

[92] Insuper, notandum est quod ad nonnullorum Patrum postulata assequenda, in his tribus prioribus capitibus, exponitur quid Ecclesia, seu Populus Dei, cogitat de mundo; dum contra in quarto capite eiusdem primae partis, ostenditur quomodo Ecclesia ipsa, ut communitas visibilis et hierarchica in hoc mundo exsistens, suum munus circa res temporales exerceat (cap. IV: *De munere Ecclesiae in mundo huius temporis*).

De IIª autem parte, nil amplius in hac relatione generali dicendum est propter duas causas:

a) argumenta quae in ea exponuntur ex capite IV necnon ex adnexis textus antiqui desumpta sunt, secundum eumdem ordinem (duabus dissimilitudinibus iam notatis exceptis) et non semel eisdem verbis.

b) De cetero, in relatione particulari (cf. infra), de singulis capitibus istius IIªᵉ partis accurate agendum est: scilicet, *De dignitate matrimonii et familiae fovenda* (cap. I), *De cultus humani progressu rite promovendo* (cap. II), *De vita oeconomica-sociali* (cap. III), *De vita communitatis politicae* (cap. IV), *De communitate gentium et de pace promovenda* (cap. V).

ADDENDUM: DE RATIONE NOVAE REDACTIONIS SCHEMATIS CUM TEXTU PRIORE [92]

Ut similitudo necnon dissimilitudo novae redactionis cum priore textu melius appareant, haec animadvertenda sunt:

1. Quoad amplitudinem textus

Prior textus, sine adnexis, circiter viginti quatuor millibus verborum constabat; cum adnexis autem, circiter triginta quinque millia verborum includebat. Quamquam vero, ex instanti petitione plurium Patrum necnon ex iussu auctoritatis competentis, argumenta in adnexis antea exposita in nova redactione resumuntur, textus praesens paulo *brevior* fit quam prior cum suis adnexis coniunctus. Etenim ex circiter triginta tria millibus verborum constat.

2. Quoad relativam novitatem textus

Certo certius textus hodie Patribus propositus in nonnullis indolem sat novam praefert. Haec tamen sequentia recolenda sunt:

— Substantia et orientatio generalis schematis eaedem manent. Materia tamen novo modo ordinatur, ratione habita animadversionum a Patribus prolatarum. In nonnullis autem punctis, accuratius in doctrina fundatur.

— Actualis structuratio capitum plane respondet studio analytico [93]
omnium animadversionum. Haec structuratio capitum explicite approbata fuit a Subcommissione plenaria mixta, Romae habita (8-13 febr. 1965), necnon a Commissione plenaria mixta (29 martii - 6 aprilis 1965) et a Commissione Coordinationis (11 maii 1965).

3. Quoad essentialem similitudinem argumentorum

Ut similitudo duorum textuum manifestius appareat, ambae redactiones breviter hic aequiparandae sunt (N.B. In hac tabula, initium sumitur a nova redactione; signa « T.P. » ad priorem textum referunt).

Prooemium: quasi totaliter correspondet textui priori (num. 1 correspondet T.P. num 1; num. 2 correspondet T.P. num. 2; num. 3 correspondet T.P. num. 4).

Expositio introductiva: num. 4-5 correspondent T.P. num. 2. Num. 6-7-8-9: est *nova* descriptio mutationis psychologicae, moralis, religiosae, etc.

[93] PARS I – DE PRINCIPIIS

Caput I. *De humanae personae vocatione*

Num. 10 correspondet T.P. num. 5.

Num 11-20: quaedam elementa occurrunt in Adnexo I, num 2-6.

Plura tamen de hac « *anthropologia christiana* » de facto sunt nova; inserta sunt, quia a Patribus enixe postulata fuerunt. Quod valet in specie de num. 18-19, circa *atheismum.*

Caput II. *De hominum communitate*

Plura passim iam occurrebant in T.P., aliquando in Textu, saepius autem in Adnexis I et IV.

Quoad singula, compara

Num.	23	cum	T.P., Adn. I, 8;
»	24	»	Adn. I, 1;
»	25-26	»	Adn. I, 7;
»	27	»	T.P. num. 20;
»	30	»	Adn. I, 5;
»	33	»	Adn. IV, 6;
»	34	4	Adn. IV, 7;
»	35	»	Adn. IV, 17 (in fine).

Unde disceptatio de hoc capite poterit brevius absolvi.

[94] Caput III. *Quid significet humana navitas in universo mundo*

Si quaedam elementa iam antea occurrebant (v. g. pro num. 42 in Adn. IV, 6), revera tamen haec pars est nova.

Caput IV. *De munere Ecclesiae*

Huius capitis elementa, saltem plurima, in Textu Priori adsunt, sed alio ordine.

Ita num.	49	correspondet	Adn. IV, 1;
»	51	»	Adn. IV, 5;
»	54	»	T.P. num. 23, 7° et num. 14;
»	55	»	T.P. num. 14;
»	57	»	T.P. num. 17.

Unde disceptatio de hoc capite poterit brevius absolvi.

Summatim: in *Expositione introductiva* novi sunt numeri 6-9. *In Parte I,* nova sunt plurium in *Capite I et III.* Cetera autem, scilicet Capita II et IV, magna ex parte iam antea fuerunt tractata.

PARS II – QUAESTIONES PARTICULARES [94]

Caput I. *De dignitate matrimonii et familiae fovenda*

Nova redactio plane correspondet Textui Priori, sed in pluribus est *emendata* secundum propositiones Patrum.

Pro num. 60, cf. T.P. num. 21 et Adn. II, 1;
» 61, cf. Adn. II, 2-3;
» 62, cf. Adn. II, 4;
» 63, cf. Adn. II, 5-6;
» 64, cf. Adn. II, 7.

Caput II. *De cultus humani progressu rite promovendo*

Nova redactio correspondet T.P. num. 22 et Adn. III, quae fuerunt abbreviata sed non substantialiter immutata, quamvis ordo singularum partium sit diversus, et plures correctiones introductae fuerint secundum desideria Patrum.

Num.	65-67	correspondet	Adn. III, 1;
»	69	»	Adn. III, 7;
»	70	»	Adn. III, 4, 6 et 8;
»	71	»	Adn. III, 2-3;
»	72	»	Adn. III, 9;
»	74	»	Adn. III, 5 et 9.

Caput III. *De vita oeconomica-sociali* [95]

Nova redactio correspondet T.P. num. 23 et Adn. IV.

Textus prior satis abbreviatus est, licet quaedam novae ideae introductae fuerint. Rursus non datur substantialis immutatio, sed plures factae sunt correctiones.

Num.	75	correspondet	Adn. IV, 1-4;
»	76	»	Adn. IV, 5;
»	77	»	Adn. IV, 6-7;
»	78	»	Adn. IV, 16;
»	79	»	Adn. IV, 11;
»	81	»	Adn. IV, 8-9;
»	83	»	Adn. IV, 15.

Caput IV. *De vita communitatis politicae*

Materia hic tractata invenitur in T.P. Adn. I in quo plura sunt emendata et praesertim abbreviata.

[95]

Num.	86	correspondet aliqualiter	Adn. I, 10;
»	87	»	Adn. I, 9;
»	88	»	Adn. I, 11-12;
»	89	»	Adn. I, 13-14.

Caput V. *De communitate gentium et de pace promovenda*

Nova redactio correspondet T.P. num 24-25 et Adn. V.

Ampliata fuit descriptio de natura pacis (num 91) et addita est expositio de bello totali et de « aequilibrio terroris » (num. 98-99). Cetera fuerunt emendata et aliquando secundum alium ordinem disposita.

Num.	90	correspondet	Adn. V, 1;
»	92	»	Adn. V, 3-4;
»	93-94	»	Adn. V, 9;
»	95	»	Adn. V, 13;
»	96-97	»	Adn. V, 10;
»	100-101	»	Adn. V, 11;
»	102	»	Adn. V, 14;
»	103	»	Adn. V, 15.

CONCLUSIO

Num. 104 novae redactionis comparari potest cum Conclusione T.P.

Num. 105, de colloquio occurrit aliquo modo in T.P. num. 18.

Num. 106, de fine ultimo constituit additionem.

Summatim. Praeter numeros indicatos ex Cap. V de pace et bello, cetera quae in hac Parte II exponuntur, plures tantum continent emendationes ad satisfaciendum Patribus.

RELATIONES PARTICULARES [96]

Cum omnia quae anteponuntur sive ad *partem introductivam* sive ad *partem primam* schematis quam maxime pertinent, de his duobus elementis pauca dicenda sunt. De *parte secunda* autem, diutius loquemur.

PROOEMIUM

Prooemium tribus numeris expletur in quibus prioris textus substantia resumitur.

Secundum placita Patrum, magis determinatur ad quos Concilium sermonem dirigit, nempe ad catholicos, ad christianos, necnon ad omnes homines (n. 2) (cf. supra).

Accuratius exponuntur diversi sensus verbi « mundus », ut saepius postulatum fuit (E/3756, 3667, 3779, 3650, 3690, 3594, 3686, 2794, 3929, 4052, 3597, 3898, 3853, 3768, 3764, 3922, 3684, 3647, 3677). Hac de causa in fine n. 1 breviter delineatur sensus vocis *mundus,* in peccato positus sed a Christo redemptus.

Item explicite dicitur quod Ecclesia est imprimis *Populus Dei,* etsi semper hierarchicus, ut plurimi Patres rogaverunt (E/3808, 3921, 3691, 3599, 3921, etc.). Unus tamen Pater vult ut vox Ecclesia potius citetur in sensum Ecclesiae hierarchicae (E/3604). Quocirca, in tribus prioribus capitibus, Ecclesia praesertim ut Populus Dei exhibetur, utique hierarchice constitutus, dum autem in capite quarto de Ecclesia ut communitas hierarchica explicite agitur.

EXPOSITIO INTRODUCTIVA

Haec sequentia notanda sunt:

Pars illa est nova. Composita fuit ut desideriis plurimorum Patrum respondeatur (cf. supra — de modo dicendi « historico », « dynamico », « intuitivo » et quasi « prospectivo », cf. etiam E/3740, 3646, 4153, E/3676).

Elementa descriptionis allata sunt: *a*) a Subcommissione « De signis temporum », quae multum adlaboravit ad elementa universaliora colligenda; *b*) necnon, magna ex parte, a laicis qui interfuerunt in sessionibus laboris.

Notandum est insuper sensum huius descriptionis esse ut semper appareat omnia ad hominem eiusque dignitatem et finem se referre. Mens commissionis fuit aliqua generaliora delineare, in quibus facile consensus quidem haberi potest, et ex quibus sequens sermo introducatur, quin ad particularia deveniatur. [97]

[97] PARS PRIMA

Pars illa quamdam doctrinam generaliorem exponit quae fundamentum theologicum praebeat sequentibus capitibus, ut enixe a Patribus postulabatur.

Ex duobus elementis essentialiter constat: nempe ex *anthropologia* sub lumine fidei exposita et ex *cosmologia*. Quod certissime animadversionibus plurimorum Patrum respondet.

Caput I: De humanae personae vocatione

Sat multi Patres rogant ut anthropologia initium sumat in revelatione ipsa (E/3645, 3852, 3593, 3764, 4148, 3830, 3598, 3675, 3679, 3682, 4093, 3865, 3821, etc.). Alii autem postulant ut fundamentum anthropologiae praeprimis in campo naturali ponatur (E/3743, 3685, 3869, 3861, 3871, 3163, etc.). Plures denique insistunt in veritate « biblica » circa hominem creatum ad imaginem Dei, cuius dignitas in Christo restauratur (E/4093, 3830, 3841, 3679, 3865, 3821, 3682, 3844, 4117, 4131, 3598, 3675, 3189, 3848, etc.).

Ut hae sat diversae sententiae componantur progressio fit ut antea diximus, iubente Commissione competente.

De atheismo: multi Patres postulant ut ampliori modo sermo sit de atheismo, et quidem sub eius diversis formis, nullis exceptis. Longe maior pars horum Patrum aestimant ita de atheismo loquendum esse ut colloquium possibile evadat (E/3646, 3680, 3687, 3698, 3675, 3766, 3644). Nonnulli rogant ut sermo fiat de communismo (E/3751, 3745, 3846, 3650), sed non utando verbo « communismus », ut vitentur omnes species ingerentiae politicae (E/3126 nomine plurium Patrum, E/4046, 4107).

Ut satisfactio praebeatur Patribus, explicite sermo fit de diversis formis atheismi, sine ulla ambiguitate possibili (nn. 18 et 19). Notandum est insuper quod tota prima pars responsionem globalem humanismo atheo constituit.

[98] Caput II: De hominum communitate

Cum ea quae iam diximus de anthropologia christiana de hoc capite etiam valent, pauca dicenda manent.

Aliqui Patres deplorant quod antiquus textus laboret individualismo, vel quod hominem non consideret in eius socialibus mensuris. Omnis autem vita socialis in doctrina personae humanae fundari debet (E/3676, 3749, 3668, 3868, etc.). Dum autem aliqui magis insistunt super fundamentum caritatis, alii plus tribuant iustitiae sociali: quod de cetero,

ut iidem Patres fatentur, nullo modo contradictorium est (E/3769, 4080, 3686, 2647, 3868). [98]

In specie, plures Patres postulant ut sermo fiat de dignitate mulieris (E/3890, 3850 nomine 40 Episcoporum). Perplures Patres rogant etiam ut schema explicite loquatur adversus omnis generis discriminationem (E/3935, 3770, 4107, 3840 nomine multorum Patrum variarum nationum quorum numerus non indicatur).

Caput III: QUID SIGNIFICET HUMANA NAVITAS IN UNIVERSO MUNDO

Problemata de significatione ultima navitatum hominis necnon de earum habitudine cum Regno Dei, veluti centrum animadversionum multorum Patrum apparet. Exempli gratia, « aestimatio valorum profanorum sub respectu theologico » enixe postulatur, ita ut omnino vitetur falsus dualismus inter ordinem mere naturalem et finem supernaturalem (E/3839, 3689, 3681, 3921, 3738 nomine alicuius Conferentiae Episcopalis).

Relate ad hanc quaestionem, unus Pater sese refert positivo modo ad R. Teilhard de Chardin (E/3681). Contra, duo timent « ne indulgeatur optimismo teilhardiano » (E/3767, 3750). In eodem sensu, sex Patres affirmant salutem hominis « unice » reponi in « fuga mundi » (E/2794): quia adest « absoluta incompatibilitas inter Christum et mundum qui totus in maligno positus est » (E/3929; cf. etiam E/3690, 3768, 3846). Attamen fere omnes Patres qui de hac re locuti sunt instanter postulant ut fundamenta praebeantur ad « theologiam valorum terrestrium » elaborandam. Quod certe cum postulatis plurimorum laicorum maxime convenit.

In specie dignitas creationis sublineanda est (E/3748, commemorando prologum Iohannis), quia homo et mundus in uno consilio divino conveniunt (E/3675), ita ut, quamvis mundus vulneratus sit a diabolo, Christus et ipsum redemit (E/3750). Coniunctio hominis et mundi materialis in oeconomia salutis negari non potest, siquidem homo integer, cum suo corpore, in fine temporum salvari debet (E/3597, 3169, 3756). Idem argumentum, sed modo magis dialectico expositum, proponitur ab alio Patre qui, ad mentem Sancti Thomae, dicit quod « in homine evecta [99]
est universitas creaturarum » (E/3684). Contra, unus Pater affirmat quod « sola creatura spiritualis elevari potest ad ordinem supernaturalem, etsi tota creatio extrinsece ordinetur ad Christum » (E/3776).

Simili modo, plures Patres de sensu « laboris humani » locuti sunt. Duo ex illis affirmant quod « labor est fons perfectionis, sed tantum naturalis perfectionis » (E/3604), et quod nimius optimismus in hac re vitandus est (E/4051). Plurimi autem insistunt in significationem « theo-

[99] logicam » laboris, quae non solum in sanctificatione personali (E/3756) vel in sola bona « intentione » reponenda est (E/3742), sed in adimpletione muneris a Deo homini dati. In hoc sensu dici debet quod « labor hominis constituit partem integralem oeconomiae salutis, quia suo labore homo praeparat illam consummationem qua Deus mundum transformabit » (E/3597; cf. etiam E/3747, 3748, 3742, 3595, 3676).

Plures Patres rogant ut ampliore modo sermo fiat de « technica », quia est « anima mundi moderni » (E/4141) et quia progressus technici magnum influxum exercent super condicionem actualem hominum (E/3593). Ambivalentia technicae artis non est obliviscenda (E/3796), sed omnes hominis conatus in habitudine ad verba Genesis (*Replete terram*) referenda sunt (E/3741, 3921).

Ut patet, omnia haec problemata difficillima sunt. Ex una parte, « ruptura » eschatologica numquam obliviscenda est (E/3645, 3764). Eadem ratione, indoles transcendentalis missionis Ecclesiae clare affirmari debet (E/3675). Ex altera autem parte, ipsa brevitas temporis « urget ad laborem », siquidem de omnibus quae in terris gerimus, iudicabimur (E/3645, 3764, 3675). In hoc sensu *cosmologia christiana* elaborari debet « in qua incorporatio ad Christum appareat non ut abalienatio a mundo, sed ut elevatio valorum mundi » (E/3598). Sic vera notio *spei* theologalis apparebit, quia spes christiana non avertit hominem a constructione mundi, sed contra eum invitat ut melius et arctius in mundo operetur (E/4050, 3650). Uno verbo, propositum providentiale amplectitur non tantum civitatem caelestem sed etiam perfectionem mundi: et sic denuo in meliori luce apparet coniunctio intima inter vocationem caelestem et terrestrem hominis (E/3595).

Ex omnibus his animadversionibus Patrum nova dispositio materiae capitis III facile deduci potest. In ultimis numeris huius capitis, omnia recapitulantur in Christo, « alpha et omega », « centrum omnium desideriorum » (nn. 45, 46, 47).

Caput IV: De munere Ecclesiae in mundo huius temporis

Hoc caput redactum est, iubente Subcommissione plenaria mixta ut Ecclesia ipsa, quatenus communitas visibilis et hierarchica in hoc mundo existens, « sese manifestat mundo », ordine tamen generali schematis
[100] servato. Difficultas materiae ex eo provenit quod constitutio dogmatica *Lumen gentium* idem problema tractare videtur. Sed hic tantum agitur de Ecclesia *relate ad mundum hodiernum,* non autem de Ecclesia in seipsa considerata, nisi per transennam. Unde etiam aspectus « concretus » et « historicus » Ecclesiae magis sublineatur.

Secundum plurimorum Patrum optata (cf. supra), themata de « insertione » ordinis creationis in ordine redemptionis, necnon de « missione universali Ecclesiae » innuuntur (nn. 50 et 51). Ex his autem thematibus, consequentiae maximi momenti fluunt. In specie, « haeresis », in praxi sat diffusa, secundum quam religio tantum in actibus quae ad cultum divinum pertinent concludi debet, explicite denuntiatur (n. 52). Ut in antiquo textu, dicitur etiam quomodo ipsa Ecclesia a mundo — sensu communiter recepto — iuvatur (n. 55). Denique sermo fit de spiritu servitii et paupertatis, quem exprimere debent omnes Ecclesiae compages (*structures*), ut postulatis permultorum Patrum respondeatur (n. 57). **[100]**

Cetera omnia quae in hoc capite continentur in relatione generali iam exposita sunt.

PARS SECUNDA

N.B. In hac parte, ordo procedendi sat diversus est ac in prima parte. Agitur enim de problematibus magis « concretis », quae alium modum dicendi (stylus) postulant. Quod etiam pro ipsa relatione verum est. Notandum est tamen quod relatio particularis de capite III (*De vita oeconomica-sociali*) modo generaliori procedit, ex eo quod relatio magis « technica » tempore opportuno non pervenit ut typis edatur.

Caput I: De dignitate matrimonii et familiae fovenda

1. *De laboris methodo et de materia generali textus*

Subcommissiones quae mense februarii et Commissio plenaria mixta quae, mense aprilis 1965, textum de matrimonio et familia in nova redactione paraverunt, in suo opere perficiendo, iuxta regulam servandam, profectae sunt a textu in aula conciliari iam discussionibus Patrum submisso et generaliter recepto, denique votis Patrum Concilii verbotenus vel scripto prolatis complendo.

Problemata, intuitu curae pastoralis elucidata, ita evolvuntur, ut doctrina catholicis proposita, etiam a non-catholicis, immo a non-christianis accipi aut saltem intelligi possit. Ordo expositionis doctrinalis generatim ab elementis, uti aiunt, naturalibus procedit; quae per doctrinam de sacramento et vita specifice christiana illuminantur et coronantur.

Sub num. 60 enumerantur quaedam sic dicta *signa temporum* in re matrimoniali et familiari. Elenchus brevis proponitur ad vitandas repetitiones et hoc quidem modo, ut facta potius citentur quam statim diiudicentur. **[101]**

[101] *Sub num. 61*: sacra *indoles matrimonii et familiae* illustratur. Successive sermo fit de matrimonio prouti, tamquam institutum, personali consensu inductum ac ulterius arbitrio coniugum subtractum, natura sua cum bonis ac finibus suis, cum proprietatibus legibusque suis ut aliquid sacrum aestimatur, ab illis omnibus qui huic societati dediti sunt; deinde prout est sacramentum in vetere testamento praefiguratum et a Redemptore instauratum.

Deinde agitur de familia eiusque iuribus, prae ceteris in prole religiose educanda.

Quae doctrina ita proponitur ut omnibus pateat matrimonium christianum esse fontem felicitatis atque sanctitatis pro ipsis coniugibus, educationis atque sanctificationis pro liberis, profectus pro societate civili et augmenti pro Ecclesia.

In num. 62, iuxta vota multorum Patrum, *de vero sensu amoris,* qui exclusive coniugibus proprius est, disseritur. Amor humanus totum hominem movere potest tam in corpore quam in anima. Verus autem amor humanus, qui « terminatur » semper ad personam qua talem, fit amor amicitiae. Ita amor coniugalis quo duae personae intime et modo specifico uniuntur, quamdam plenitudinem humanam attingere valet et a Domino dono gratiae ac caritatis ditatur. Deus vero speciatim benedixit generosam virginitatem. Longe igitur ille amor vere humanus, a Deo sanctificatus, a mera egoistica inclinatione erotica differt.

Talis autem amor variis et sibi propriis operibus honestis excolitur, sed et sacrificiis fovetur. Ille amor coniugalis est fidelis et indissolubilitatem, instituto propriam, urget.

Quapropter christiani omnia reiicere debent quibus amoris fides misere proditur; e contra, testes in mundo sint illius veri amoris. Quare oportet iuvenes de illo sensu amoris instruantur et in castitate efformentur.

Additiones factae iuxta vota Patrum: de adulterii et divortii lue; de necessitate educationis amoris et castitatis; de libertate consensus matrimonialis; de utilitate operum formationis, praecipue consociationum familiarum.

Num. 63 tractat de problemate sic dictae « *paternitatis responsabilis* ». Iuxta votum multorum Patrum, subcommissiones et Commissio plenaria mixta:

a) clare dixerunt hac in re conscientiam parentum regi legibus obiectivis;

b) clare sublineant media inhonesta prohibita esse, verbis: « conscientia quae lege Dei recte informatur »;

c) clare denique merita familiarum etiam numerosiorem prolem [102]
rationabiliter habentium ita extollunt, ut alii, qui prolem habere non potuerint, non de defectu accusentur.

Addantur iuxta vota Patrum: laus familiarum prolem numerosiorem habentium; aequalis personae humanae dignitas tum mulieris tum viri.

In num. 64 ubi tractatur *de reverentia ipsi vitae* atque vitae coniugali debita: 1) sermo fit de difficultatibus quae in praxi vitae coniugalis passim occurrunt; 2) reiiciuntur solutiones faciliores et falsae; 3) proclamatur Dei dominium in vita et ministerium tantum ab Ipso hominibus hac in re commissum.

Iuxta vota Patrum addita sunt quaedam de cura infantis in utero viventis, de abortu, de infanticidio, de ipsa vita coniugali secundum debitam dignitatem et legitimam competentiam a Deo tributam ducenda. Principia tantum generalia proponuntur, ne Concilium abeat in casuisticam et ut res Pontificiae Commissioni commissa integre servetur.

2. *Relatio de particularibus*

Animadvertatur: Signa in textu (1) (2) etc. ad Notas referuntur. Litterae vero (A) (B) etc. ad hanc relationem remittunt. Numeri autem vel ad tabulas Secretariatus vel ad tabulas Subcommissionis competentis se referunt.

Ad num. 60 [*De matrimonio et familia in mundo hodierno*].

(A) Compendiose *profectus* in re coniugali et familiari citantur. Cf. E/4520, E/4527, E/4532, E/4599, 200, 201, 202, 340, 348 bis, 368, 479.

(B) Iuxta vota Patrum, de quibusdam *periculis* sermo fit. Cf. E/ 3754, E/4035, E/4520, E/4532, E/4695, E/4802.

(C) Ad « matrimonialis » additur « *familiaris* instituti », quia de utroque agitur;

— voci « vis » additur « *et robur* », ut stabilitas instituti magis sublineatur;

— loco « repentinae » dicitur rectius « *variae et profundae* » immutationes;

— dicitur quod profundae immutationes societatis hodiernae non potuerunt evertere « funditus » matrimonii institutum, ne confusio fiat cum immutationibus tantummodo accidentalibus.

(D) Verbis « concordi actione » adduntur: « *cum omnibus hominibus bonae voluntatis* », propter rei momentum.

— loco « remotis obstaculis » dicitur « *interceptis difficultatibus* », quia obstacula saepe removeri nequeunt.

[102] Ad num. 61 [*De sacra matrimonii et familiae indole*].

(A) Mentio non fit de « contractu matrimoniali », sed verbis clarioribus sermo est de « irrevocabili consensu personali », secundum vota Pa-
[103] trum (cf. 196, 217, 336, 337, 359). Additur terminus biblicus « foedus », intuitu etiam Orientalium, pro quibus « contractus » quasdam difficultates facit.

Notio instituti matrimonii sequenti phrasi firmatur, ne ullus censeat sese illud arbitrio suo postea dissolvere posse; aut, deficiente amore etiam requisito, matrimonium suum nullum fieri.

(B) Proponitur *additio*: « Ipse vero Deus ... donis ac finibus ... instruxit ». Ita fines intrinseci matrimonii synthetice in textum introducuntur: cf. 196, 197, 206, 207, 208, 211, 213, 219, 220, 225, 228, 246, 247, 341 bis, 343, 345, 347 bis, 350, 351, 353, 357, 475, E/4035, E/4792. Introductio huius ideae duorum principalium bonorum matrimonii (procreationis nempe et amoris) uniendorum, semper fortius expetita fuit et in duobus supplementis scriptis fere unanimiter expostulatur. Inter ipsos Patres qui aliter sentiunt, quidam, uti n. 336, petierunt tamen ut amoris locus amplior daretur. Cui in n. sequenti sufficienter provisum est. Verba: « quae omnia pro generis humani ... maximi momenti sunt » fere ad litteram desumpta sunt ex emendatione 341.

(C) Per verba: « Amore autem coniugali ... animetur oportet matrimonium, quod ... completur et coronatur » mentio fit, uti multi Patres petierunt, de matrimonio simul et amore. Momentum amoris coniugalis etiam ad ipsam prolem procreandam educandamque sublineatur: 197, 200, 202, 206, 207, 208, 211, 219, 225, 336, 341 bis, 352, 477.

Verba « veluti fastigio » eminenter, licet non technice, prolis praestantiam manifestant.

(D) Expresse mentio fit de matrimonii sacramento: ita 197, 199, 200, 205, 337, 341 bis, 344; compendiose in his lineis assumitur theologia ab (E/4053) proposita. Referuntur breviter textus Scripturae: cf. 206, 207, 211, 338, 347 bis, 470, E/4035, E/4532, E/4733.

Expositio fit inde a V. T., ubi foedere inter Deum et populum electum praefiguratur Christus Sponsus Ecclesiae, fundamentum indolis sacramentalis matrimonii.

(E) Ubi de fructibus sacramenti, additur « *gradatim ad plenam humanae personae perfectionem* » accedere, ad exprimendum aspectum plene humanum matrimonii, etiam ut sacramenti.

Additur « *ideoque* », quia glorificatio non est tertium quid; sed fit per perfectionem et sanctificationem ipsam.

Dicitur « *facilius* » invenient, ne expressio sit nimis generalis (361).

Verba, ex Encyclica *Casti connubii* introducta sunt iuxta vota Patrum (196, 197, 203, 205, 209, 220, 347, 348). [103]

(F) Aliquid additur de modo agendi liberorum erga parentes: familia enim non solummodo parentibus constituitur; alia membra ei cooperantur, etiam ad exemplum dandum.

(G) Additur « *ius procreandi* » etiam tuendum (cf. E/4035). Additur « *prae ceteris* » in religione, quia ius parentum latius patet (cf. 362). [104]

(H) Verbis « *prosperitati omnique incremento ... faveat* » providetur votis Patrum (218, 229, 479).

Ad num. 62 [*De amore coniugali*].

(A) Loco « homines » dicitur « *plures homines* », ne nimis generaliter homines sumantur.

Loco « exaltent » dicitur « *magni faciunt* », latinitatis et rei causa.

(B) Idea hic expressa reperitur in alloc. Pii XII (29 oct. 1951). De *amore* tanquam *actu eminenter humano* locuti sunt 200, 206, 207, 219, 336, 350, 473, E/3754, E/4792; de amore amicitiae: 213, 217, 236; de amore caritatis: 197, 199, 219, 344 bis, 355.

Adduntur verba desumpta ex Encycl. *Casti connubii.*

(C) Loco « affectiva » dicitur « *erotica* », quia de illa inclinatione agitur et non de tota vita affectiva; cf. 237.

(D) *Additiones*: *de adulterii et divortii lue damnanda*: cf. 200, 201, 205, 338, 341, 341 bis, 352, 355, 359, 472, E/3754.

— *de polygamia,* vide num. 60.

— *de prole illegitima* (cf. 199, 217), consulto sermo non fit, quia eius damnatio quibusdam non rite intelligentibus viam ostendere posset ad media anticonceptiva, immo et abortum.

— *de educatione et praeparatione ad matrimonium* per castitatem: cf. 199, 204, 209, 217, 338, 469, E/4772.

— *de castis sponsalibus*: cf. 199.

— de utilitate *operum formationis,* in specie consociationum familiarum: cf. 209, 338, 339, 474, E/4035.

— *de consilio parentum* a filiis audiendo, praesertim in quibusdam regionibus.

— *de amore coniugali.* Mens fuit viam mediam inire inter duas opiniones principaliores in aula vel scripto prolatas. Ampla maioritas petit ut valor amoris in vita coniugali eiusque natura exponatur: E/30, 187, 199, 200, 204, 206, 212, 213, 219, 236, 331, 336, 341, 343, 345, 347 bis, 350, 351, 353, 473, 476, 477, 478.

Utraque pars Patrum fortasse satisfactionem inveniet in iis quae dicuntur de natura amoris coniugalis, quia: *a*) coniungitur cum ipsa caritate; *b*) praesentatur ut amor amicitiae et sic praecavetur confusio

[104] cum solo amore concupiscentiae; *c*) agnoscitur in sua realitate sexuali, sed sublineantur eius character eminenter humanus eiusque assumptio in amorem supernaturalem; *d*) unitur cum adimpletione officiorum vitae quotidianae et cum eius sacrificiis.

Ad num. 63 [*De matrimonii fecunditate*].

1. Quoad *doctrinam*. Licet quocumque tempore parentes numerum prolis determinaverint, quaestio hodie difficilior facta est eo quod in illa determinatione plura nova elementa concurrunt. Variae quoque sen-
[105] tentiae manifestatae sunt in aula. Patres sat numerosi exoptant parentes, divinae Providentiae sese confidentes, tot generare filios quot Deus, mediante natura humana, eis dabit. Longe autem maior pars Patrum, uno aliove modo sententiam de sic dicta « paternitate responsabili » proponit (e. g. 192, 198, 199, 200, 209, 211, 216, 217, 218, 219 [+ 145 Epp.], 241, 336, 341, 346, 472, 476, E/4792, E/4529, E/4599). Pauci tantum (e quibus 2 solummodo haesitanter) usum mediorum anticonceptivorum in gravioribus casibus non excludunt. Commissio potius viam priorum sententiarum, ad quas tot Patres accedunt, subsecuta est.

De paternitate responsabili, recoluit verba Pii XII, ad obstetrices italicas (29 oct. 1951) et associationes familiarum italicarum (26 nov. 1951), ubi « regulationem nativitatum » (distinguendo eam a sic dicto *contrôle des naissances*), ex indicatione medicali, eugenetica et sociali admittit.

Textus clare dicit conscientiam parentum regi legibus obiectivis et exigentiis bonorum diversi ordinis; et clare sublineat ex verbis adhibitis (« conscientia lege Dei recte informata ») media inhonesta esse prohibita, ut rogaverunt plures Patres (205, 209, 214, 216, 341, 375, 472, E/4529).

Clare denique, iuxta vota multorum Patrum (cf. 196, 199, 206, 212, 218, 220, 242, 336, 347, 352, 471, 472, E/4602, E/4802), merita familiarum prolem etiam numerosiorem habentium extollit, ita tamen ut alii, qui prolem numerosam habere non potuerint, non accusentur de generositatis defectu (E/4512).

2. *Ad particularia*. (A) Ordo quo ideae in hac pericopa evolvuntur immutatus est; maluit subcommissio partem positivam praeponere.

(B) Loco: « matrimonium sua natura ad prolis procreationem ordinatur », dicitur: « *talis est matrimonii et amoris coniugalis indoles, ut ex semetipsis* ad prolem ordinentur ». Vocabulum « natura » in nostro contextu sat ambiguum esset; mentio de matrimonii instituto addita est, ut elementum iuridicum cum vita personali amoris coniungatur.

(C) Loco: « eo proditur ut », dicitur: « eo *tendunt* ut », ut tollatur ambiguitas vocabuli usurpati et melius indicetur finalitas instituti et amoris. [105]

(D) Additur « *licet in prolem ordinetur* », ad temperandam duritiam expressionis « non est merum institutum procreationis ».

(E) Loco: « matrimonium exigit ut coniuges sese vere ament », dicitur: « mutuus coniugum amor *proficiat et maturescat* », iuxta animadversiones Patrum ex novellis Ecclesiis, qui affirmant amorem in suis regionibus saepius incipere et crescere in ipso matrimonio. Cf. num. 62,

(F) Additur: « *saepius* tam optata », ut attendatur ad intentionem eorum qui, etsi prolem non habent, eam tamen desiderant. Pro iisdem [106]
additur quod ad multiformem fecunditatem spiritualem invitantur.

(G) Cf. infra, ubi de additionibus.

(H) Post vocabula: « sciunt coniuges », delentur verba: « se non caeco instinctui mancipatos esse », quia negativa sunt et multis parentibus offensiva apparere possent. Cf. 240.

(I) Loco: « non sine precibus », quod est satis negativum, dicitur: « *docilitate erga Deum vivum* »; insuper additur: « *iugi vigilantia* », ut parentes semper dispositi maneant ad ulteriorem prolem, si fieri potest, recipiendam.

(J) Loco: « secundum *normam* amoris » dicitur « indicationem amoris », quia amor non est norma sed indicat regulam. Additur coniuges sibi efformare debere iudicium prudentiae « communi *consilio atque conatu* », quia deliberandum est ante actionem.

(K) Post verba « iudicium prudentiae sibi efformabunt » *omittuntur* verba: « non semel pro semper », quia pluribus Patribus displicent (v. g. 245); ceterum iam idea exprimitur verbis « iugi vigilantia ».

(L) Proponitur ut addatur: « dignoscentes *temporum et status vitae* conditiones », quia conditiones ulterius determinantur a temporibus et statibus vitae.

(M) Additio: « societatis *temporalis* », explicite petitur ab E/4035.

(N) Loco: « cum *plena et conscia* responsabilitate », dicitur: « *generosa, humana et christiana ...* », quia « responsabilitas » spiritu generositatis dirigi debet (363, 477, E/4602).

(O) De laude *familiae numerosae*: cf. supra, p. 102, C.

3. *De additionibus.* 1) Laus *familiarum prolem numerosam habentium.* De qua dictum est supra, p. 105.

2) Additur phrasis *de aequali dignitate humana cum mulieris tum viri,* ut rogaverunt multi Patres, speciatim ex regionibus sese evolventi-

[106] bus (cf. 200, 201, 202, 340, 358 bis, 368, 479); sic roboratur unitas et stabilitas matrimonii.

3) Dicitur coniuges non arbitrario modo *determinare posse numerum prolis,* sed « conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur » (iuxta vota 192, 195, 212, 214, 216, 243, 341, 370), ut tollatur omne periculum subiectivismi moralis et norma etiam obiectiva inculcetur.

Ad num. 64 [*Deus Dominus vitae*].

(A) *Deletur* vocabulum « *sincere* », quia superfluum, et dicitur « *novit* ».

(B) Additur « *aliisque* », quia enumeratio non est exhaustiva.

(C) Additur: « *in sua integritate et harmonia* » ut materia, in qua difficultatem experiuntur coniuges, melius indicetur.

[107] Loco « aegre » dicitur « *difficulter* » (E/4035), ad mitigandam expressionem.

Loco « possit », dicitur: « *potest* », quia de factis loquendum est (cf. E/4035). Verba « *nisi ab iis qui iam magnis dotibus personalibus sunt* » delentur, quia non satis determinata, et ne illi, qui talem superiorem personalitatem non habent, incriminentur.

(D) Constructio stylistica clarior fit et expressio mitior.

(E) Vocabulo « responsabilitatem », substituitur vox: « *exigentiis* »; res enim componendae sunt: nempe amor et exigentiae pro tempore proli oppositae; de cetero in verbo « componere » responsabilitas iam continetur.

Loco « prolis », dicitur, claritatis causa, « *numerus prolis* ». Introducitur expositio de periculis quibus familia et proles quandoque exponuntur per verba: « *ubi autem vita intima coniugalis abrumpitur* »; idea illa clarius exprimenda erat, quia revera causa periculorum esse potest.

(F) Damnantur solutiones faciliores et *crimina,* quorum quaedam graviora citantur. De aliis illicitis operibus, uti de iniusta sterilisatione etc., sufficienter constat ex tota doctrina sequenti; de cetero enumerationes damnatoriae in textu conciliari non videntur multiplicandae.

(G) Introducitur quaestio specialis, hortatione speciali.

(H) Retinetur idea *de labore scientifico* perficiendo sed magis iuxta mentem Ecclesiae evolvitur, scilicet non mere de scientia profana sed etiam de revelatione, Magisterio, sensu fidelium necnon iustorum omnium.

(I) Sublineantur ideae de generositate in amore atque *de sacrificiis* accipiendis. Ita vitantur hedonismus (contra quem locuti sunt 196, 197, 204, 209, 210, 213, 221, 236, etc.) et pessimismus iuxta vota (206, 207, 208, 210, 211, E/17 etc.). Cf. etiam num. 61.

Omittuntur ea quae dicebantur *de dubiis ministrorum* Ecclesiae.

E contra, iuxta vota omnium fere Patrum, traduntur breviore modo principia generalia, quibus vita, et speciatim vita coniugalis, debita dignitate atque competentia regitur. Nulla practica solutio proponitur, ut in casuisticam non intretur, et ut res Pontificiae Commissioni commissa integre servetur. [107]

Expositio fit absque verbis technicis et *lingua pastorali.* Linn. 12-16 in memoriam vocantur quae saepius a Pio XI et Pio XII dicta sunt de supremo dominio Dei in vitam et de iure limitato hominis in ea.

Inde, uti nonnulli Patres rogaverunt (199, 205, 216, 241, 241 bis), damnantur crimina abortus et infanticidii, quorum prius specificatur: « *quo innocenti vita iniuste aufertur* », ne disputatio vigens inter theologos de ipsis variis argumentis et vocabulis in textum conciliarem introducatur. Damnatio aliorum quae non citantur, sufficienter ex ipso textu patet; si elenchus efficeretur, semper insufficiens esset et periculo exponeret, ne omnia non directe condemnata, approbari vel saltem tolerari viderentur.

(J) De vita coniugali asseritur: [108]

— legi divinae fideles sint coniuges: *de sacrificiis et temperantia* requisitis locuti sunt 196, 197, 200, 201, 204, 209, 212, 216, 338, 341, 345, 353, 363, 477, E/4529. Cf. de delectatione ordinanda: 199, 202, 206, 207, 219, 473, 476.

— *indagatio* est facienda: cf. 192, 198, 199, 200, 203, 206, 207, 208, 209, 211, 213, 215, 215 bis, 217, 219, 243, 344 bis, 345, 347, 351, 353, 355 bis, 356, 473.

— *facultas procreandi* et actus ad hanc spectantes obiective considerati secundum genuinam personae humanae dignitatem revereantur: cf. 180, 197, 198, 200, 202, 204, E/4532; modus loquendi adhibitus, post longam disceptationem, selectus est ut satisfaceret votis Patrum, qui rogant: *a*) ut hac de re non taceatur (207, 241, 347, 348, E/4520, E/4527); *b*) quin tamen sermo fiat de sic dictis « methodis regulationis nativitatis » (192, 193); *c*) et quin res modo nimis technico exponatur (246, 247); *d*) rogant insuper Patres ut principia generaliora indicentur, quibus via aperta relinquatur operi theologico (193, 206, 217, 220, 340, 347 bis, 353, 470, 473, 476); *e*) et ut illa principia non mere hauriantur e vita biologica seu animali (198, 204, 208, 219, 251, E/4695), sed ex ordine specifice humano atque dignitate personae humanae (209, 211, 338, 353).

— sacrificia et gaudia sensu christiano accipiantur ut coniuges fiant *testes mysterii* mortis et resurrectionis Domini (lin. 33-36): cf. 204, 208, 211, 471, E/4772.

[108] Caput II: De cultus humani progressu rite promovendo

1. *Relatio generalis*

Post varia tentamina quae ad exitum non pervenerunt, statutum est ut textus de Cultura (num. 22, cum Adnexo III), qui in Aula discussus fuit, revisioni generali subiiceretur. Quod factum est in Subcommissione, Aricciae, diebus 2-5 febr. 1965, deinde in Subcommissione Centrali Mixta, ibidem die 9 febr. Numerus 22 Textus prioris et elementa ex Adnexo III in aliquem largiorem contextum redacta fuerunt.

Haec nova redactio a Commissione Mixta plenaria discussa et approbata fuit, Romae, 6-7 apr. 1965, admissis pluribus emendationibus pro claritate, et expositione latiore facta de nexibus inter Ecclesiam et Culturam, necnon de difficultatibus quae in hoc campo advertuntur.

[109] 2. *Relatio de particularibus*

Plures Patres novam redactionem postulaverunt (v. g. E/3953; E/3955; E/3957), quae elementa Adnexi III includeret. Introducta fuit tripartita divisio: de *factis,* de *principiis* theologicis, de *applicationibus* ad problema urgentiora.

Sectio 1: *De cultus humani condicionibus in mundo hodierno* (nn. 65-68)

a) Aliqui petierunt ut aliquomodo cultura *definiatur* (E/3957, 3901). Alii (sed aliquando iidem sunt), conscii de difficultate elaborandi definitionem strictam culturae, rogaverunt ut descriptio aliquorum elementorum daretur, ut cultura posset distingui a civilisatione (E/3929, 3957); ut clarius appareret relatio inter culturam et « humanizationem » mundi; et denique ut melius manifestaretur nexus inter culturam et communionem interhumanam (E/3955), siquidem cultura radicata est in tota historia stirpis vel familiae (E/3934). Cum idem postulatum fuerit a pluribus membris Commissionis plenariae mixtae, mense aprili 1965, aliqua *descriptio* culturae introducta fuit in initio num. 65.

b) In textu priori deerat « *sociologia culturae* » modernae (E/3163), in qua pericula technocratiae et « suffocationis » verae culturae exponerentur (E/3951). Cultura ad verum finem personae humanae ordinari debet (E/3903), ideoque clarius manifestata fuit in textu novo tum ordinatio anthropologica tum conditio concreta culturae in societate hodierna (E/3952, 3163). Cultura respicit etiam patrimonium populorum et ambitum in quo vivunt, ut dicitur in altera parte num. 65.

c) Inter istos aspectus, sic dictus « *pluralismus* culturarum » considerandus est, praesertim in regionibus ubi Ecclesia recenter introducta fuit, sicuti in Africa (E/3954). De quo sermo fit in num. 66. [109]

d) Eo amplius apparet necessitas rectum *valorum ordinem* servandi (E/3163, 3901, 3957, 4052). Cultura non tantummodo consistit in labore quo terra excolitur, v. g. ope scientiarum (E/3957, 3901, 3955, 4066); insimul, valor artis technicae non potest reduci ad qualitatem « medii » ad acquirendum otium et subsidium (E/2643), quia scientiae sunt et ipsae obiectum culturae: sic sat complexa relatio oritur inter diversos aspectus culturae, eo amplius quod in luce ponendum est etiam momentum theologiae et philosophiae christianae (E/3901, 3957), relate ad hominis finem ultimum, qui est ordinis spiritualis (E/3955, 4066). Uno verbo, *homo* simul auctor et finis est culturae, ut dicitur num. 67.

e) Apparent autem *difficultates* huius muneris. Cum hodie relationes inter populos frequentiores et intimiores fiunt, insimul apparet possibilitas alicuius culturae universalis (E/3955), sed etiam periculum [110]
evacuationis « sapientiae traditionalis » (E/3954, 3955). Accedit periculum humanismi mere terrestris. De his tractat num. 68.

Sectio 2: *De quibusdam principiis ad cultum humanum rite promovendum* (nn. 69-71)

Multi patres rogaverunt ut cultura magis *sub lumine fidei* poneretur (E/3934, 3953, 4066, 3899, 3952, 4118, 3080), ita ut simul appareat quid Ecclesia conferre possit ad culturam et quomodo a cultura adiuvari possit in suo munere.

a) Ecclesia, etsi de se non condita fuit ad culturam promovendam, magnopere tamen *conferre potest ad veram culturam* (E/3953, 4066). Sic Episcopi plurimi (E/3959), vel Sancti (E/3899) partem habuerunt in cultura spirituali promovenda. Ecclesia enim « ipsam plenitudinem humanitatis Christi Capitis in mundo diffundere debet » (E/3934): sic tueri potest veram « anthropologiam » et vitare « anthropocentrismum » (E/3955), et falsum optimismum qui in oblivionem mittit praesentiam mali et doloris in mundo (E/3953). Eo sensu, munus suum proprium adimplendo, i. e. evangelizando, Ecclesia ad culturam confert (E/3955).

b) Ecclesia plurimis formis culturae aperta esse potest ac debet (E/3952, 3959, 3903). Sane hoc officium difficile est: periculum enim infert alicuius relativismi vel in visione humanistica (E/3957) vel in formulatione theologica quam « novam paideiam » animare debet (E/3959). Sic etiam *Ecclesia a cultura iuvatur* in exercendo suo munere praedicandi (E/3953, 4118, 3952).

[110] *c*) Inde *sana libertas culturae,* immo iusta eius in suo ordine autonomia ab Ecclesia agnosci debet. « Tempora quidem sunt elapsa, in quibus ad solam Ecclesiam pertinebat totius culturae dominium atque discrimen » (E/3953). Synodus « emphatico modo specialem et expressam declarationem facere debet de plena libertate atque autonomia investigationis scientificae prudenti modo factae » (E/3456, 3953).

Ideae illae sequenti ordine in textu exponuntur: Num. 69: Sub *lumine fidei,* christiani ad promovendam culturam adducuntur, investigando veritatem, quaerendo aeternas rationes et ipsum Dei Verbum ac profundiorem Dei cognitionem.

Num. 70: *Evangelium et Cultura connectuntur.* Nuntium salutis in cultura inveniet media sese exprimendi. Diversis formis culturae aperitur easque variis modis promovet.

Num. 71: *Variae rationes culturae rite sunt componendae.* Ad integram hominis perfectionem respicere debent. Servanda est sana libertas culturae; quod etiam observari debet ab auctoritate reipublicae.

[111] Sectio 3: *De quibusdam urgentioribus muneribus christianorum circa cultum humanum*
(nn. 72-74)

a) Etsi per media communicationis, de se, bona culturae *omnibus hominibus* praesto esse possunt, longe tamen abest ut modo concreto via sternatur omnibus ad talia bona. Toto conatu ergo adlaborandum est ut haec possibilitas concreta evadat pro illa maiore parte hominum qui adhuc his bonis privati sunt (E/3951 [+ 70 Epp.], 3901, 3957).

Quod valet etiam pro individuis, qui exhortandi sunt ut sese perficiant et sufficiente libertate instruendi sunt: num. 72.

b) Unde patet necessitas procurandi *educationem culturalem,* etiam in familia, et necessitas bene utendi maiore spatio otii: num. 73.

c) De cursu historiae, non raro *difficultates* ortae sunt *in relationibus inter Ecclesiam et culturam.* Sane periculum falsi laicismi adest (E/4061), immo oppositionis ad Ecclesiam, e. g. in cultura atheistica (E/4062); sed periculum alicuius separationis etiam adfuit. Sic aliqui Patres rogaverunt ut declaratio fieret de « casu Galilei » (E/3953), quod clare alluditur sub num. 40. Alii voluerunt ut expresse aliquid dicatur circa elementa culturae etiam in his regionibus ubi religio impeditur. Historice constat evolutionem culturae aliquando factam esse per « liberationem » (*affranchissement*) erga certas formas sociologicas religionis. In hac materia « nimis facilis apologetica » vitanda est; contra, in tendentiis quibusdam atheisticis « modum veritatis » detegere oportet

(E/3952). Immo, hae confrontationes vel « oppositiones » ad meliorem intelligentiam praedicationis Ecclesiae conferre possunt. De his quaestionibus agitur in num. 74, alineis 1 et 2. [111]

d) Exinde urgentior necessitas apparet ut bona culturae omnibus praesto sint per promotionem *scientiae tum profanae* (E/4105) *tum theologicae* (E/3953, 3955, 3956, 3959). Speciatim « laicis animus infundendum est ut aggrediantur investigationes vera dignitate scientifica pollentes in « theologicis disciplinis » (E/3959), et etiam in materiis saecularibus, spiritu christiano imbuendis (E/3955).

Quod exponitur in num. 74, al. 3.

e) Nonnulli insistunt in libertatem veram praestandam illis qui *artibus* ingenuis incumbunt (E/3163), ita ut istae artes appareant ut manifestationes problematum intimorum hominis. Denique aliqui postulant ut formae novae artis adhibeantur in ipso sanctuario, ita ut Ecclesia, in sua vita culturali, magis omnibus sit aperta. Quod exponitur in duabus ultimis alineis.

Caput III: De vita oeconomica-sociali

N.B. Ut iam diximus, relatio quaedam amplior et accuratior postea dabitur Patribus, cum omnibus adnotationibus et citationibus opportunis.

Methodus laboris: Subcommissio competens examini subiecit omnes animadversiones Patrum, quae sat multae fuerunt in hac re. Insuper subcommissio curavit non omnia nova dare vel reficere, sed potius priorem textum perficere et complere, elementis principalioribus congruentibus Adnexis additis, iuxta Patrum vota. [112]

Quoad titulum: Non dicitur, sicut in anteriore textu, « de vita oeconomica et sociali », sed « de vita oeconomica-sociali », ut melius percipiatur hic non agi de tota vita sociali, sed tantum de ordine oeconomico prout existere debet in actuali vita sociali. Sermo autem fit in ipso titulo de *vita* oeconomica-sociali, ut statim percipiatur quod Concilium ad ipsam realitatem, et non tantum ad ideas, attendere vult. In hoc capitulo, vita socialis non tantum aspectus mere sociales (seu inter varias communitates et societates) comprehendit, sed etiam relationes inter personas individuales in societate.

Quoad materiae dispositionem: Prius proceditur a descriptione realitatis et imprimis a descriptione ipsius progressionis oeconomicae, prout est vel prout esse debet, secundum suas fundamentales leges (sectio 1). Ex ista autem progressione, transitus fit ad principia quae totam vitam oeconomica-socialem regere debent (sectio 2). Quae principia se refe-

[112] runt sive ad processum oeconomicum productivum, per laborem (nn. 79 et 80), sive ad aspectum distributionis et acquisitionis bonorum (nn. 81-83). Denique de normis oeconomicis inter ditiores et egentiores nationes sermo fit (n. 84).

Quoad themata tractata: Relate ad antiquum textum, plura addita sunt. Inter alia, Patres quaesierunt ut sermo fieret de principiis ordinis moralis quoad ius proprietatis, respectu habito intrinsecae eius functionis socialis. Alii petierunt ut prae oculis habeantur condiciones et necessitates oeconomicae-sociales terrarum et populorum totius mundi, et non tantum condiciones populorum occidentalium. Alii postulaverunt ut circa problemata de labore, de iusto salario, de operistitio, de participatione, de condicionibus agriculturae necnon de migrationibus, aliquid dicatur.

Quae omnia in novo textu locum habent.

Caput IV: De vita communitatis politicae

Relatio generalis

Haec materia antea exponebatur in Adnexo I, altera parte, in numeris scilicet 9-14, ubi de persona humana in societate. Rogantibus pluribus, tractatio, spectato rei momento, ad particulare caput redacta est, cui titulus « de vita communitatis politicae ».

Textus absolvitur 4 numeris, successive agentibus: num. 86: de hodierno statu rerum in vita publica; num. 87: de societatis politicae
[113] natura et fine; num. 88: de cooperatione omnium ad publicam vitam; num. 89: de habitudine Ecclesiae erga societatem politicam.

Relatio ad singulos numeros

Num. 86 [*Quaedam de hodierno statu rerum*]

Praemittuntur considerationes *ordinis positivi,* scilicet ex una parte, studium melius tuendi iura personae in vita publica, et ex altera parte latior participatio civium in rebus publicis ordinandis. Deinde evocantur *elementa negativa,* praesertim quod melior ordinatio praedicta non ad omnes nationes extenditur et quod exercitium auctoritatis saepe a suo fine detorquetur.

Concluditur ad necessitatem excolendi sensum iustitiae et promovendi rectam cognitionem de principiis ad vitam publicam spectantibus.

Num. 87 [*De natura et fine politicae societatis*] [113]

Imprimis exponitur *necessitas societatis politicae,* quae nititur in natura personae humanae, et tanquam corpus morale ex bono communi procurando exhaurit ius suum proprium et originarium.

Deinde explanatur *necessitas auctoritatis,* quae similiter exoritur ex natura humana et consequenter ex Dei ordinatione, quamvis formae sub quibus auctoritas exercetur ab homine libere determinantur.

In quibus fundatur *obligatio* pro auctoritate ordinem moralem observandi et fines suos non praetergrediendi, et pro civibus praestandi oboedientiam. Quod corroboratur ex Revelatione, praesertim *Rom.* 14, et illustratur secundum Encyclicas *Mater et Magistra* ac *Pacem in terris.*

Num. 88 [*De cooperatione omnium in vita publica*]

a) Imprimis affirmatur formas societatis *evolvi* et ad *latiorem cooperationem* civium tendere. Ipsum bonum publicum dynamice est concipiendum.

b) Ulterius insistitur in necessitate exstruendi *ordinem iuris* in favorem tum civium tum coetuum, cum distinctione inter diversas potestates. *Cives* debent reipublicae subsidia offerre, non nimium auctoritati committere neque nimium ab ea petere. *Auctoritas,* hodie saepius merito interveniens corpora intermedia et organa regionalia sustinere ac promovere debet. Omnes in genere componere debent rectum *amorem patriae* cum sensu boni communis universalis et societatis internationalis. Hanc brevem et aeque ponderatam expositionem petierunt plures Patres.

c) In specie exponuntur *munera christianorum,* ut omnimodum aequilibrium prosequantur, diversitatem opinionum revereantur et educationem civicam curent. Insistitur super necessitatem ut *active* in vita [114]
publica participent, sicut plures Patres expresse postulaverunt.

Num. 89 [*De Ecclesia erga societatem politicam*]

a) Sublineatur *distinctio* observanda inter illud quod christiani agunt ut cives, et illud quod faciunt nomine Ecclesiae.

b) *Ipsa Ecclesia* simul servat erga politicam societatem tum distinctionem tum cooperationem, utrumque propter bonum commune. De quibus iam loquitur Const. *Lumen Gentium,* n. 36.

c) *Media* ab Ecclesia adhibita redolent spiritum Evangelii.

d) Denique exponitur *quaenam iura* Ecclesia in societate publica sibi vindicat.

[114] Caput V: De communitate gentium et de pace promovenda

Relatio generalis

Sub titulo « De communitate gentium et pace », Subcommissio de Capite V textum praeparavit qui numeris 24 et 25 schematis et Adnexo V respondet. Materia sat ampla nobis tradebatur tractanda. In elaboratione novi textus duplex principium nos conduxit: 1° sumere textum schematis et Adnexi ut fundamentum discussionum et illos textus retinere ubicumque retineri potuerint; 2° animadversiones Patrum attente considerare et correctiones ad mentem illorum adhibere. Attamen, ut persaepe advenit, in nonnullis punctis, quaesita Patrum diversa, immo aliquando contradictoria fuerunt, praesertim in quaestionibus maximi momenti, sicut v. g. quando sermo fuit de quaestione demographica vel de bello. Tunc Subcommissio viam mediam quaesivit inire reficiendo textum in conformitate cum factis obiectivis quae ab aliquibus peritis in hac materia particulari modo competentibus praesentata fuerunt. Ideo, quando in uno vel alio puncto nova dicta sunt, quae antea in schemate adhuc non inveniebantur, nihil aliud quaerebatur quam ut tractatio materiae tam arduae perfectior et magis intelligibilis reddatur et puncta opposita in quaesitis modo opportuno concilientur.

De Sectione 1. Votis plurium Patrum obsecundantes *ante omnia de natura pacis* aliquam novam paragraphum posuimus, quae de natura pacis modo doctrinali loquitur, quod fit sub num. 91. In num. 92, de communitate gentium et de institutionibus internationalibus fit sermo. Nonnulli Patres quaesierunt ut de Institutionibus nunc vigentibus expressius sermo fieret. Quare ab initiis affirmatur necessitas communitatis gentium ad bonum commune humanum et ex hac necessitate principia deducuntur iuxta quae efformanda est Communitas Internationalis. In num. 93, de cooperatione internationali in campo oeconomico tractatur. Animad-
[115] versiones Patrum in hac materia de facto famis et paupertatis in mundo declarationem expressam postulaverunt, et etiam ut ostenderetur quod solutio huius problematis in exercenda paupertate evangelica quaerenda est. In nn. 96-97, de problemate demographico agitur, quod certe ad expositionem de communitate gentium pertinet. Secundum vota aliquorum Patrum, ad hoc thema integrandam varia elementa ex Adnexis sumpsimus, ubi problema fusius et clarius tractatum fuit. Nonnulli Patres petierunt ut quaedam insuper dicerentur de amore patriae. Quod nunc factum est breviter in capite de communitate politica, sub num. 88.

De Sectione 2. In secunda sectione huius capitis agitur *de bello.* [115]
Interventus Patrum ex una parte condemnationem armorum et omnis praeparationis bellicae enixe postulaverunt; ex altera parte, alii ad graves difficultates guberniorum in praesentibus rerum adiunctis appellaverunt. De uno elemento tamen consensus fuit: de horrore belli et de difficultate exceptionali praesentis temporis propter existentiam armorum modernorum. Etsi multi damnationem specificam belli nuclearis requisierunt, Subcommissio tamen putavit magis conforme esse veritati rei et doctrinae traditionali, ut immoralitas actionis bellicae non tam e natura specifica armorum a priori deduceretur, sed ab effectibus ipsius actionis bellicae, nempe a defectu discriminationis et proportionalitatis cum talibus effectibus coniuncto. In praesenti situatione praesertim duo considerata fuerunt sub hoc aspectu: periculum belli totalis et absurditas aequilibrii terroris. Unde confirmatur necessitas auctoritatis internationalis efficacis ad statum pacis omnino firmandum. Postea, sub num. 101, quaedam adduntur de bellis regionalibus et variis actionibus subversivis.

De Sectione 3. Tandem, in tertia sectione, agitur *de missione Ecclesiae et christianorum in campo actionis internationalis.* Textus de hac materia praesentatus quasi complete desumptus fuit ex Adnexis. Praesertim laici, in Subcommissione praesentes, quaesierunt ut de hac materia expresse sermo fieret. In hoc campo actionis nempe permulti normas exspectant concretas.

Haec fuerunt principia et motiva quae Subcommissionem in nova redactione textus huius capitis inspiraverunt.

Relatio de particularibus

Num. 90: *Introductio.* Inter graves circumstantias huius temporis indicantur non solum pericula belli generalis, sed etiam varii conflictus particulares passim vigentes. Iustificatur deinde interventus Ecclesiae in hac materia.

Num. 91: *De natura pacis.* Imprimis proponitur notio *positiva* et non tantum negativa pacis. Ulterius indicantur condiciones ad pacem requisitae et effertur indoles dynamica pacis, i. e. pax est semper [116]
aliquid faciendum. Fundatur autem in iustitia, et adhuc profundius in caritate.

Pax terrestris non confundi debet cum *pace Christi,* cuius tamen est figura et effectus. Unde impelluntur christiani ad pacem in terris promovendam.

In fine paragraphi addita est celeber *textus Isaiae,* servato eius sensu biblico.

[116] Sectio 1: *De communitate internationali necnon de pace construenda*

In hac sectione *tria* principaliora themata tractantur, nempe de communitate internationali (num. 92); deinde de cooperatione oeconomica (num. 93-95); denique de incremento populationis in mundo (num. 96-97).

Num. 92: *Communitas gentium* oritur ex necessitate omnibus vitam vere humanam procurandi. Haec communitas requirit *institutiones* internationales, tum propter exigentias generales mutuae dependentiae, tum propter eventus particulares, qui exsurgere possunt. Indesinenter autem sunt *perficiendae.*

Debent insuper observare *ethicam* internationalem, in qua nituntur. In hoc contextu quaedam verba dicuntur de « non-violentia » in iuribus vindicandis, ut postulaverunt multi Patres.

Num. 93-95: *De cooperatione oeconomica* inter nationes, praesertim in favorem *nationum progredientium.* Textus affirmat simul obligationem istarum nationum ad proprium laborem praestandum, tum eorum ius ad assistentiam peritorum alienigenarum.

Indicantur variae formae *subsidiorum* quae afferri debent, necnon difficultates devincendae et vitia vitanda in eorum distributione.

Sub num. 94 dantur *normae opportunae,* successive pro populis progredientibus, pro nationibus iam progressis, et pro communitate ipsa internationali.

In num. 95 insistitur super *munus christianorum,* non tantum peritorum, sed absolute omnium qui auxilia afferre debent; in quo opere oportet ut etiam cum technica methodo procedant. Memoratur explicite cooperatio cum christianis seiunctis.

Num. 96-97: *De incremento* « populationis » in mundo. Imprimis statuitur *problema,* num. 96. Urget ante omnia necessitas *augendi* facultates et media subsistendi pro maiore numero hominum; quod inceptum declaratur possibile. Sed requiritur *solidarietas universalis,* speciatim pro nationibus « *tertii mundi* », quibus praebenda sunt media apta, i. e. instrumenta ad augendam productionem bonorum, correspondens educatio necessaria, extensio et profectus agriculturae, et institutiones « cooperativae ».

[117] In num. 97 affirmantur *principia directiva.* Potestas publica non potest quovis modo restringere populationis augmentum et apprime agnoscere debet ius *coniugum* et parentum. Parentibus autem praestari debent tum necessaria formatio religiosa et moralis, tum subsidia oeconomica, socialia et culturalia. Reprobantur vero solutiones quae non servant rationem *moralitatis.*

Sectio 2: *De pace firmanda seu de bello vitando* [117]

Tria primordialia themata tractantur: de bello totali (num. 98); de aequilibrio terroris (num. 99); de actione internationali contra bellum (num. 100-101).

Num 98: *De bello totali.* Imprimis annuntiat S. Synodus *gravia verba,* per conscientiam christianam inspirata, licet in rebus technicis non intrent.

Proscribitur explicite bellum totale propter immensitatem criminis obiectivi, quidquid sit de subiectivis intentionibus. Additur omne bellum modernum propria mole ad extrema tendere. Magis magisque excludendum est bellum etiam defensivum in communitate internationali melius constituta. Annihilatio adversarii nunquam potest intendi.

Num. 99. Describitur « *aequilibrium terroris* », quod confundi non potest cum pace, immo quod interna contradictione laborat et consectaria gravissima infert, i. e. quia incepta ad conciliationem enervat, deficiente mutua fiducia. Non potest admitti nisi ut perfugium et ultimum spatium ad pacem confirmandam.

Num. 100: *De actione internationali.* Haec tendere debet ad omne bellum excludendum, et consequenter ad fovendam opinionem publicam et ad roborandam auctoritatem internationalem in hunc finem. Scopus est reductio et finalis *suppressio armorum.* Interea, donec fortior evadat organizatio internationalis, *possessio* armorum exclusive ad deterrendum adversarium non declaratur absolute illegitima, sed providendum est ut instituantur conventiones et pacta, cum apta praeparatione animorum, ad conflictus solvendos.

Num. 101: agitur de quaestione connexa, scilicet *de bellis minoribus* et actionibus cum bello connexis. Inculcatur obligatio in his omnibus observandi praescriptiones ethicas. In hoc contextu additur observatio de « *obiectione conscientiae* » relate ad servitium militare, ut postulaverunt multi Patres.

Sectio 3: *De missione Ecclesiae et christianorum*

Num. 102. Imprimis tractatur *de praesentia Ecclesiae* in communitate internationali. Ad praestandam cooperationem Ecclesia fideles, speciatim iuvenes, *educat* et praeparat, praesertim spiritualiter, tum doctrina sua tum actione sua. In quo opere sollicitudo particularis *Episcopis* incumbit.

Num. 103. *Christiani* ex una parte in institutionibus internationalibus [118]
apte collaborare debent; ex altera parte excolere proprias organizationes catholicas internationales. Textus insistit super necessitatem *consociatis viribus* agendi, et quaerendi cooperationem cum fratribus seiunctis et omnibus hominibus vere pacificis.

[118] RELATIO DE CONCLUSIONE

Conclusio respicit totam expositionem de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis aedificando, et insistit super positionem principalem et vocationem integralem hominis.

In conclusione tria efferuntur nempe necessitas actionis, utilitas colloquii et spes christiana in mundo construendo et ad Deum dirigendo.

Num. 104. Inculcatur necessitas *operose agendi* ad mundum ita aedificandum, ut *dignitati hominis* eiusque integrae vocationi respondeat. Doctrinam generalem ad particulares regiones et specialia adiuncta *ulterius determinare* et applicare oportet, ducentibus Episcopis eorumque coetibus.

Num. 105. Ad fructuosum laborem requiritur *colloquium* cum omnibus, cuius fundamentum invenitur in universali fraternitate humana, et magis adhuc christiana, inter universos homines. Ecclesia sit « *domus colloquii* ». Consideratio applicatur successive fratribus seiunctis, deinde credentibus in Deum, denique etiam non-credentibus. Indicantur conditiones ad colloquium requisitae. Finaliter insistitur super dialogum *inter ipsos catholicos.*

Num. 106. Ecclesia in hoc opere et colloquio praebet *lumen Verbi* et *roborem Spiritus Sancti*; a. v. christiani dare debent testimonium Veritati et divulgare mysterium *amoris Patris,* cum firma *spe* in consummatione finali.

2 – Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

RELATIO GENERALIS *

Venerabiles Patres,

De priore parte huius schematis relaturus nomine Subcommissionis, quae hanc partem elaboravit, nunc improvisam absentiam Exc. Domini Guano, infirmitate detenti, suppleturus adsum. Hoc munere pro posse fungi conabor, in continuitate et pleno consensu cum priore relatore.

Textus huius schematis qualis Patribus nunc proponitur *non sine magno labore* praeparatus est. De laboribus prioribus denuo loqui non expedit. Dicendum est tamen pondus operis, quale a Commissione mixta post tertiam sessionem acceptum est, grave omnino fuisse: non sine magno labore possibile erat tot et tantis interventionibus respondere. Membra igitur a Commissione mixta designata unam habuerunt sessionem, per quindecim dies intensi laboris. Secunda sessio locum habuit in qua Commissio mixta completa textum examinavit, et approbavit, quem hodie Patres prae manibus habent. Ad hoc opus, numerus valde auctus erat Episcoporum, ut vere universalis repraesentatio haberetur. Insuper cooperati sunt efficaciter et fructuose plures eminentes laici sive viri sive mulieres.

Quod si textus, primo oculo, *differre videtur* a textu priore, hoc ferme asserendum est Commissionem nihil aliud intendisse et fecisse quam textum priorem votis Patrum perfecte accommodare. Quod si videtur etiam *longior,* sciendum est Commissionem solummodo religiose votis a Patribus prolatis satisfacere voluisse.

Opus igitur quod nunc exhibetur multa diligentia exactum, nobis probum esse videtur.

Sine dubio fatebuntur Patres opus valde *arduum* fuisse. Arduum quidem ratione *materiae*: haec enim non plene definita erat, et in multis locum relinquebat ad determinationes in genere a Concilio requisitas. Arduum etiam ratione *formae,* quae, datis destinatariis, in traditione conciliari aliqualiter nova exstabat.

Sub utroque respectu ab ipsis Patribus et normae agendi et media ad agendum exspectanda nobis erant, scrutatis interventionibus in Aula habitis.

---

* Huiusmodi relatio typis impressa Patribus distributa est in congregatione generali CXXXII, die 21 septembris 1965.

Quas normas Commissio attente in omnibus sequi studuit. Ibidem etiam media efficacia ad opus perficiendum invenit. Patrum est de fructu operis iudicare, nomine Patrum et, ut nobis videtur, ad mentem Patrum exacti; non quidem, libenter fatemur, perfecti, ob difficultatem rei et deficientias nostras; et ideo omnino suggestionibus Patrum indigemus et iisdem aperti erimus.

Non autem se exhibebant problemata sub iisdem conditionibus quoad integrum schema. Sive scrutando interventiones Patrum, sive naturam ipsam rerum experiendo, quasi statim apparuit obiectum schematis in *duas partes* sponte dividi: altera ordinis magis theoretici, quae nempe mentem Ecclesiae in genere de relatione Ecclesiae ad mundum definiret; magis practica altera, utpote ad diversa saepta activitatis humanae beneficum lumen doctrinae Ecclesiae extendens, ita ut facta socialia « humano » modo aspiciantur.

Praeterea postulaverant Patres expresse ut quibusdam lineamentis statim ab initio et veluti in limine textus *conditio mundi hodierni* describeretur qui nunc ab Ecclesia ad dialogum quaeritur.

Inde divisio textus simplex et clara in duas partes, post introductionem descriptivam.

Commissioni visum est Patres expresse et breviter de parte introductoria ab ipsa Subcommissione, quae hanc partem paravit, in aliqua propria relatione certiores facere. Item suo tempore de secunda parte practica. Ideo relatio generalis ...[1] praesertim de priore parte aget in quam moventur quaestiones generaliores, quae maiorem mutationem tulit, et circa quam praesertim gravis quaestio de modo loquendi ponitur.

* * *

De oeconomia textus.

In decursu prioris sessionis duplici modo mens Concilii patuit: primo Schema in *genere* Concilium voto suo comprobavit, illud ut basim studii multo maiori suffragiorum numero accipiens, ita ut commissionibus quoad spiritum et mentem, lux fieret. Sed secundo et simul animadversiones et observationes cumulavit, quarum plures intimius non tantum formam et ordinem sed etiam multimode substantiam Schematis propositi tangere constabat.

Quibus requisitis nonnisi retractatione prioris Schematis occurrere fas erat, eo magis quod, secundum votum omnium, maxima cura continuitati expositionis et redactionis unitati studendum erat: materia enim periculose complexa erat et diversitatem destinatorum considerare oportebat.

Inde textus hic exhibitus, quo requisitis Patrum considerandis simul et conciliandis, quantum possibile est, satis fieri censemus.

Instanter et pluries a Patribus postulatum erat ut Schema a conspectu quodam introduceretur de statu hodierno mundi, in hac ferme hora in qua mundum Ecclesia adit ad colloquendum, id est in isto « nunc temporis » de quo in ipso schematis titulo.

De hoc speciali introductione quaestio fiet.

Sed praecise ab hoc conspectu mutuandum esse visum est integrae partis prioris Schematis veluti cardinem.

Etenim praesentem mundi conditionem inspicienti statim apparet in quaestionibus, quae hodie ex evolutione rerum oriuntur et saepe corda premunt, nodum intimiorem, plus minus explicitum sed semper vivum, esse *problema de ipso homine*. Hoc enim saepius advertendum Patres dixerunt qui « Anthropologiam christianam » ut elementum essentiale Schematis postularunt.

Ut ex tabula rerum videre est, totus Schematis prospectus in hominem et in conditionem humanam quasi contrahitur; haec est vere veluti anima Schematis.

Ut responsum afferat ad aspirationes et quaestiones quae ex mutationibus et disruptis aequilibriis mundi hodie exsurgunt (n. 9), Schema nostrum exprimere intendit, in sua parte priori, quid Spiritus dicat Ecclesiae de conditione humana, et unde homini oritura sit salus (10).

Nihil igitur aliud agendum nisi fontes scrutari, a Genesi ad Evangelium, unde dici possit quid sit homo, ab initio scilicet « ad imaginem Dei » factum. In medio positus mundi materialis quem aliquo modo per corpus suum, partem sui integrantem, resumit (12); sed mundum huic per spiritum suum transcendens (13), provocatur ad redeundum in se ut in secreto cordis praesentiam inveniat et conversatione gaudeat ipsius Dei (14). Libertate igitur ad amorem praeditus (15); ad relationes et communionem vocatus quae in caritate culmen suum obtinent (16); ad mortem tandem in communione Christi resurgentis vincendam (17), homo in ipsa sua ad Deum relatione differentiam suam propriam et supremam legem invenit (18), ita ut nihil homini magis offendat quam Atheismus, nihil etiam maius in hominem scelus quam iste Atheismus cum violenter vel perfide fit tyrannicus.

Hominem dicere idem est ac Christum evocare, originem et fontem humanae perfectionis, simul et exemplar supremum: unde in Christo concluditur Caput de vocatione hominis.

Quidquid a Patribus postulatum est in decursu expositionis fideliter retinetur.

Longius disserit Caput II de Societate humana. In hac enim com-

munitate seipsum invenire et complere potest homo Evangelio conformis. Unde de ordine sociali principia fundamentalia enuntiantur (22-26). Deinde revocantur in memoriam lineamenta existentiae humanae secundum quod a Christo nobis tradita sunt (27-36), et qualia in ipso Christo inveniuntur, in quo fundatur quidquid solidarietatis humanae nomen legitime habet.

Maximum momentum Capiti III tribuendum est in praesenti humanae vitae tempore. Hic enim problemata tanguntur ex iis quae maxime conscientiam humanam hodie pungere et premere constat: quid de rebus terrenis censendum? Quem ipsis valorem agnoscit Ecclesia? Quid de rerum terrenarum autonomia? Ecclesia iis rebus consistentiam propriam agnoscit an non? Quid de progressiva evolutione mundi, quid de victoriis quibus mundus hodie legitime gloriari posse credit? Haec omnia putatne Ecclesia grave quid et serium esse? Quid tandem omnia haec respectu promissionum caelestium et Regni? Graves omnino quaestiones quae ad imum mentes hominum hodiernorum pertingunt et simul puncta difficillima et minime explicita revelationis christianae respiciunt (37-44).

De his problematibus noluit Commissio Mixta quidquam negligere nec aliunde quocumque modo ultra certitudines fidei procedere: etenim opiniones particulares assumere nequit, sed tantum doctrinam communem Ecclesiae tradere debet. Quam proxime igitur rebus humanis et hominibus sistere, nihil temerarie asserere, non incertis parcere et ad dominationem Christi in fine accedere, in quo ultimum et summum veritatis verbum invenitur, ipsa non exclusa cruce: haec lex laboris fuit (45-47).

Hic requirebatur inquisitio in profundo fidei, speciali modo in dogmate creationis a qua res terrenae initium sumunt necnon et in mysterio paschali; requirebatur etiam maxima prudentia. De exitu laboris iudicabunt Patres.

Nunc de Capite IV.

Caput istud instanter et gravissimis argumentis a pluribus Patribus postulatum est: necessarium enim ductum est ut ex eo appareat etiam melius finis Schematis: nempe Ecclesiam esse vere in mundo principium et magistram salutis.

Necesse erat ut Ecclesia, a cuius eruitur doctrina in prioribus capitibus exhibita, veluti per inclusionem resumpto in conclusione initio capitis, in fine se ipsam ostendat, formaliter dicendo quo titulo et cum quibus promissis doctrinam suam teneat et doceat: haec non ut philosophia accipienda est sed ut vera oeconomia salutis Creationem hominis in Redemptione includens (48-51).

Ideo, populus Dei qui est Ecclesia, communionem suam cum mundo manifestat in quo praesens est. Ideo, vitam christianorum constat non posse a realitatibus mundi eradicari, nec fidem extra vitam fieri posse. Munus laicorum praesertim sic fortiter affirmatur. Sic mundo Ecclesia iungitur ita ut iugiter in seipsa vestigia ferat talis coniunctionis necnon et quanta ab ipso mundo accipiat ignorare nequeat (52-57).

Populus tandem Dei, in paupertate fraterna, in futurum tendit spe Salvatoris sui innixus (58).

* * *

De modo dicendi.

De modo dicendi, praesertim in hac priori parte Schematis, non minor erat difficultas. Haec enim pars de doctrina fidei formaliter agit; atqui ita praestanda erat haec doctrina ut voluntati Concilii de destinatariis consonaret, ut scilicet christiani quidem respiciantur imprimis sed expresse et omnes homines, ita ut, quae dicuntur non tantum christianis sed universis hominibus intelligibilia forent: hoc expresse a pluribus Patribus et a Commissione Coordinationis requisitum erat.

Ardua quidem via! Sed hic, magis quam in ullo alio loco, urget nos suprema Concilii intentio et vocatio qualis a Papa Ioanne definita est in ipso ortu Concilii et de qua simul ab ipso exemplum accepimus cum in Encyclicis suis linguam condebat istius collocutionis cum mundo, nobis indubitanter viam aperiens, et ...[2] probationem afferens mundum Iesu Christi verbo non impervium esse et ad Ipsum suscitari posse: quam viam Summus Pontifex Paulus et ingressus est in tot declarationibus, et Encyclicis, et nos iugiter ingredi docuit.

Textus hic igitur evangelicus potiusquam technicus generaliter esse voluit: id est theologiam fideliter sequens, verbis tamen *uti*[3] simplicibus, ut sunt verba evangelica — sic de verbo « cor » ad loquendum de persona, quod verbum et sensus plenitudine et adaequatione ad rem mirabiliter gaudet. Textus vivens etiam voluit esse et dynamicus potiusquam abstractus et theoreticus, ut problematibus hominum quae respicere intendit quam proximus sit. Tandem aliquando et veritati fidei et realitati humanae vitae coniunctus esse quam maxime conatus est.

Arduum ferme propositum, quod optime a Commissione Coordinationis expressum videtur cum, ad determinandam qualitatem theologicam huius textus, titulum eligere decrevit: « Constitutio pastoralis », quem modum dicendi Pontifici Ioanni placiturum fuisse non dubitandum est, cuius voluntate Concilium hoc exstitit, et nobis videtur plene modo agendi et docendi Summi Pontificis cohaerere. Optime enim hoc titulo manifestatur quid intendamus: Electis enim destinatariis, currunt

huius electionis consequentiae et accipiendae sunt. Inde etiam conatus ...[4] ad praebendum Patribus statim ab initio sessionis, versiones textus officialis latini in plures linguas vernaculas.

* * *

Secunda pars quinque capitulis constat, quae omnia iam in priori schemate inveniebantur. Duo tantum maiora notanda sunt:

Primo deletum est caput proprium de persona humana, et remissa sunt quae continebat ad priorem partem ad vitandas repetitiones. Praeterea quae exhibita sunt in priori sessione sub titulo « Adnexa » in ipso schemate admissa sunt saltem quoad essentialia ut eo ipso schema melius fieret, secundum vota Patrum. Proprio relatori relinquitur munus praesentandi capitula huius partis. Ut apparebit, ipsa sunt capitula prioris schematis, adaptata tantum postulationibus Patrum.

* * *

Conclusio.

Relationem istam introductoriam aliter concludere nequimus ac in memoriam revocando praeclara verba Summi Pontificis nostri in Encyclica *Ecclesiam suam* de dialogi necessitate et conditionibus: quae verba nobis ibi sunt lex.

Non restat nisi ut iterum Commissio a Patribus indulgentiam petat, quibus satisfacere conata est, haud quidem ignorans imperfecti operis sed conscia de possibilitate ipsum perficiendi adiuvantibus Patribus et ipsorum iudicio humiliter confidens.

In oratione: [1] quae hodie affertur. [2] simul. [3] utens. [4] — non parvus —.

Moderator: Gratias agimus ex corde exc.mo relatori necnon omnibus venerabilibus membris mixtae commissionis quae vere laboriosum textum paraverunt.

Nunc autem exc.mus D. secretarius proponit ulteriorem suffragationem circa schema *de divina revelatione.*

Secretarius generalis: Videatis, Patres, pag. 21 schematis *de divina revelatione,* n. 12 [*cf. pag. 355-357 nn. 12-13*]. Patres venerabiles, *placet* vobis aut *non placet* textus perlectus?

Postea fiet, ante conclusionem, suffragatio de integro capite. Nunc respondeatis ad hunc textum.

Moderator: Initium fit ergo disceptationis circa schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* in toto suo complexu sumptum, in genere.

Post hanc disceptationem genericam, Patrum votum exquiretur utrum placeat transire ad disceptationem singularum textus partium.

3 – PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis*)

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

In primis, sicut in aula durante sessione proxime peracta iam dixi, haec constitutio pastoralis debet esse affirmatio perlucida sincerissimaque de positione quam Ecclesia ut suam videt in hoc saeculo: debet esse rededicatio sollemnis sed simul simplex, candida et humilis catholicae Ecclesiae ad humanitatis servitium. Ideoque desiderium habemus ut audiamus et audiamur, ut rogemur exponere — etiam repraesentare — sententias nostras. Optamus super omnia ut sinamur auxilium ita ferre toti generi humano ut omnes in vitam abundantiorem afferri possint.

Ad huiusmodi finem assequendum, textus praesentis schematis nullo modo debilitandus est quoad materias tractatas. Attamen adhuc opus est, ut mihi videtur, providere speciatim in paginis primis quamdam qualitatem seu modum expressionis omnino clare significantem quod praecise hoc schema optat. Hoc in schemate Ecclesia non dat solutiones simplices et definitivas pro omnibus problematibus mundi hodierni; sed desiderat ut in dialogum cum omnibus hominibus bonae voluntatis ineamus ad mundum meliorem aedificandum.

Essentialis conditio huiusmodi dialogi ex parte christifidelium est spiritus virtusque oboedientiae erga potestatem quae in Ecclesia « a Christo est constituta, ipsius vice fungitur, ut eius veluti publicum instrumentum, tantique Pastoris repraesentat amorem ». Valde necessarium mihi videtur ut substantiam et significationem filialis oboedientiae christianae, liberrime datae, explicemus. Ex una parte saepe aliquibus videtur ut Ecclesia catholica maxime foveat oboedientiam mere iudicialem et indeliberatam. Ex altera parte hodie aliqui ita loquuntur ac si oboedientia et reverentia erga Magisterium ecclesiasticum quodammodo op-

ponuntur libertati filiorum Dei. Modo vere pastorali agendum est de oboedientia christiana quae cum libertate christifidelium perfecte consonat et quae ordinatur ad efficientiam ministerii nostri servitutis humano generi.

In specie, cap. V de communitate gentium et de pace promovenda bene revisum est secundum animadversiones multorum Patrum. In textu praesenti praelucet desiderium ardens omnium bonae voluntatis hominum pro pace in iustitia et caritate vere fundata.

Uni sectioni, tamen, obiicere debeo. Ex verbis n. 101 schematis oriri potest opinio quod servitium militare numquam potest esse obligatorium vel saltem potest esse obligatorium tantum pro iis qui vitam christianam perfectiorem non desiderant.

Nationes, de propria exsistentia iure sollicitae, conditiones concretas in quibus versantur, considerare debent sub n. 99. Etiam hodie rectores nationis possunt iudicare institutiones internationales ad pacem stabiliendam nondum valere et ideo praeparationem militarem ad pacem iuste promovendam esse necessariam. His in casibus praesumptio est illos, qui ad servitium militare vocentur, veram pacem intendere.

Sicut ait S. Thomas ...[1], aliquis potest resistere malo dupliciter. Uno modo, condonando propriam iniuriam. Et sic potest ad perfectionem pertinere, quando ita fieri expedit ad salutem aliorum. Alio modo, tolerando patienter *iniuriam*[2] aliorum. Et hoc ad imperfectionem pertinet, vel etiam ad vitium, si aliquis potest convenienter iniurianti resistere.

Sine dubio, iudicium de modo perfectiori resistendi malo in mundo hodierno non est facile. Sed, si rectores alicuius nationis in bona fide et post maturam considerationem iudicant servitium militare a civibus suis ad pacem et iustitiam defendendam omnino necessarium esse, quomodo potest civis individuus servitium militare iuste recusare? Sicut dictum est in eadem sectione schematis: ubi autem violatio legis Dei non manifeste pateat, praesumptio iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussis est parendum.

Nullus est vir bonae voluntatis qui non vult omnia bella regionalia et interna pacifice praeveniri vel terminari posse. De adiunctis hodiernis, tamen, in quibus rectores aliquarum nationum in bona fide iudicant vim militarem ad pacem veram stabiliendam omnino necessariam esse, sententiam definitivam moralem dare nec volumus nec possumus. Ne haec constitutio in fines politicas contra intentionem nostram male vertatur, vehementer rogo ut totus hic n. 101 redigatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*S. Theol.* II-II, q. 188, art. 3, ad 2). [2] iniurias.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio circa integrum cap. III *de divina revelatione. Placet*ne vobis, Patribus, integrum caput, *non placet* an *placet iuxta modum?* Triplex formula igitur.

6

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS

Archiepiscopus Limanus

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* est primum documentum conciliare in quo Ecclesia coram universis hominibus agit de quibusdam gravissimis problematibus quae totum mundum affligunt. Gaudemus de hoc proposito Concilii vere opportuno et gratitudinis nostrae sensus pandimus commissioni et redactoribus: multa enim in actuali schemate bona sunt et pulchre dicuntur. Nova redactio sine dubio verum progressum constituit.

Ne autem exspectationem totius mundi deludamus, non paucae emendationes adhuc requiri videntur. Nonnullas animadversiones secretariatui in scriptis tradam; aliquas autem principaliores hic proponere velim. Et quidem:

1. Necessarium est ut sermo latinus perpoliatur.

2. Ipse stylus litterarius emendandus est et ad maiorem unitatem reducendus: nam cum pluries adhibeatur sermo cathedraticus, aliquando tamen stylus pertinet ad quoddam genus rhetoricae nimis popularis. Sic, v. g., in contextu solemniore apparent sententiae huius generis: « Garrire circa dignitatem personae humanae non sufficit » (...[1] n. 27), et paululum infra legimus de esuriente « qui, repente nobis in televisione occurrens, sopitam conscientiam nostram interpellat » (*ibid.*). Tales modi dicendi forsan minus consoni videntur dignitati textus conciliaris.

3. Maior disciplina mentalis in doctrina enuntianda requiritur atque melior materiae distributio, unde simul et maior brevitas habebitur: schema est nimis longum, triginta milia verborum continet; et saepe, dum multa dicuntur, non multum edicitur. Repetitiones etiam in actuali redactione abundant et satis manifeste patet singulas partes schematis a diversis redactoribus confectas esse quin deinceps in synthesim logicam et internam unitatem reductae sint. Sic, v. g., tribus in locis fuse agitur de sociali indole hominis, nempe in pag. 15-16, 21 ss. et 60 ss. Eadem principia hic illic repetuntur, non raro eisdem fere verbis nec

desunt alia plura loca schematis in quibus fere identica doctrina iterum repetitur. Hae constantes repetitiones nonnihil contribuunt ad lectionem schematis onerosam faciendam ...[2]

4. Confusionem gignere potest quod eidem termini interdum sub alia et alia significatione adhibentur. Pro exemplo sit ipse terminus « Ecclesia », qui in schemate quandoque significat fideles, quandoque institutionem vel ipsam hierarchiam; nec deest mira expressio de Ecclesia quae « Concilium convocavit », cum *notum sit Concilium a Romano Pontifice convocatum fuisse* (*n. 56*).[3] Haec sensus mutatio interdum in duabus sententiis immediate connexis occurrit (cf. *ibid.*).

5. Maxima autem difficultas in eo est quod nec in praesenti schemate clare perspicitur ad quasnam personas ipsum dirigatur. Ab una enim parte in relatione generali (pag. 90, II, 2) dicitur schema dirigi « non tantum ad Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes sed etiam ad universos homines ». Ab altera autem parte constanter recursus fit ad expressiones et categorias theologicas quae non-christianis sunt simpliciter in-intelligibiles et eorum mirationem potius quam assensum provocabunt. Agens, v. g., de sociali indole hominis, schema loquitur de fide quae « docet nos Deum qui Unus quidem est, tribus subsistere Personis, quarum unaquaeque ita ad alias vivit ut ea ipsa relatione constituatur » (...[4] n. 16).

Ut Ecclesia universos homines alloqueretur, duplex via possibilis erat: aut abstrahendo ab illis veritatibus quae in sola fidei luce cognosci possunt; aut, ex adverso, plenam veritatem nobis divinitus commissam hominibus proponendo, modo tamen hodiernae mentalitati hominum accommodato.

Prima methodus potius est philosophica et humanistica quam theologica ideoque Concilio Oecumenico minus consona; altera methodus talia gravia incommoda evitat sed secum fert periculum ne solos catholicos vel solos christianos attingat. Actuale vero schema utramque methodum permiscet et inde, ni fallor, nec fidelibus nec non-christianis revera satisfaciet. Fortasse aequivocatio venit ex ipso conceptu constitutionis. Textus enim schematis non est revera nec esse debet constitutio, sed simplex proclamatio ad omnes homines, qua Ecclesia suam missionem describit. In hac proclamatione Ecclesia non debet recurrere ad argumenta philosophica nec adhibere categorias theologicas complicatas, sed annuntiare purum Evangelium quod Ecclesia praedicare tenetur omni creaturae. Sic tandem aliquando pervenire poterimus ad textum vere theologicum, doctrinae Christi apprime innixum, Christi dico cuius verba simplicia, profunda, corda moventia manent hominibus cuiusvis

temporis et condicionis aptata. Sic etiam exspectationi fidelium et non-christianis melius respondebimus; nam homines hodierni non exspectant a nobis longas et difficiles elucubrationes in humana ratione praesertim innixas sed potius purum Dei verbum quod et transcendit saecula. Tandem ita via panditur qua incedentes efficacius agere poterimus de aliquibus — haud omnibus — problematibus hodie urgentioribus. Ex Evangelio Christi et doctrina Ecclesiae systematice procedentes, haec problemata in luce fidei non solum multo profundius illustrabimus sed simul hominibus indicabimus verum vitae nostrae sensum qui ex sola morte et resurrectione Christi explicari potest.

Ad modum conclusionis, quid in praxi — mea humili sententia — fieri possit, sequentibus verbis propono: Integra prima pars schematis retractetur et quidem ita ut in paucis paginis, modo sobrio et simplici, doctrina catholica circa praesentiam Ecclesiae in mundo explicetur et ipsa exhibeatur tamquam fermentum quod totam humanitatem pervadere debet; deinceps vero statim transitus fiat ad secundam partem quae « de quibusdam problematibus urgentioribus » agat, modo autem magis concinno et magis theologico ...[5]

Totus mundus exspectat ut *Concilium* [6] sollemni modo exponat problemata de familia, de cultura, de vita oeconomico-sociali et praesertim de pace quae nostris diebus in summo periculo est et cui conservandae Summus Pontifex incessanter adlaborat. Faxit Deus ut hoc schema, omni qua possumus cura elaborandum, optimum effectum sortiatur apud omnes homines bonae voluntatis.

Atque verba eiusdem in praxi plene perficiantur, i. e.: « Gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, *sint* etiam gaudium et spes, luctus et angor membrorum Populi Dei, nihilque humanum *inveniatur,* quod in corde Christi discipulorum non resonet » ...[7]

In textu scripto tradito: [1] pag. 23. [2] Accedit quod in hoc schemate plura explicantur quae iam in aliis schematibus fuse exposita fuerunt, puta in constitutione de Ecclesia et in schematibus de apostolatu laicorum et de libertate religiosa. [3] Concilium a Romano Pontifice convocatum fuerit (cf. pag. 43, n. 56). [4] pag. 15. [5] In redactione primae partis multa usui venire poterunt quae actu in cap. IV partis I inveniuntur, opportune additis quibusdam principiis ex actualibus capitibus I-III desumendis, in specie autem illis quae de historia salutis nostrae et de Christo agunt. Non dixerim angustias temporis hanc solutionem excludere, nam ab una parte etiam adaequata emendatio actualis longissimae partis I multum temporis requiret; ab altera autem parte videretur rectius nihil esse approbandum potius quam, propter angustias temporis approbare schema non satisfaciens. [6] Ecclesia. [7] (Prooemium n. 1).

Animadversiones additae:

In sat multis locis schematis exprimuntur iudicia valde generalia et categorica de saeculis anteactis et de hodiernis temporibus. Qua in re multo cautius est procedendum.

Refero, v. g., ad ea quae dicuntur in pag. 32, n. 40 et referentia in nota addita ad casum Galilaei, necnon ad ea quae in pag. 43, n. 56, proponuntur, scil.: « quod varia adiuncta v. g. necessitas defendendi fidem contra quosdam cogitandi modos tunc Ecclesiae adversos, vel deficiens comprehensio apud quosdam fideles, sive clericos sive laicos, in aliquibus regionibus *effecerunt* ut communitas christianorum apparuerit ... tamquam amica divitum et praepotentium, socia illorum qui alios opprimebant, protectrix eorum qui " immobilismo " favebant » (pag. 43, n. 56).

Talia iudicia sunt procul dubio nimis categorica et etiam iniusta. Agitur de rebus maxime complicatis in quarum serena et obiectiva diiudicatione plurima alia elementa consideranda sunt quae hic immerito penitus negliguntur. Cum hic insuper sermo non sit de quodam documento privato sed de sollemni documento conciliari, speciali cum cura providendum est ut huiusmodi iudicia parum aequilibrata expungantur vel substantialiter corrigantur.

Moderator: Nunc autem exc.mus D. secretarius legit exitum suffragationis de dubio Patribus proposito circa schema *de libertate religiosa*.

Secretarius generalis:

Inter praesentes votantes	2.222
dixerunt *placet*	1.997
non placet	224
Suffragium nullum	1

Ergo exitus fuit positivus.

7

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* videtur nimis longum; tamen nobis in genere placet ut basis disceptationis. Censemus specialis momenti esse materiam propositam in prima parte, ubi agitur de visione christiana hominis et universi. Laici invenire debent in hac parte lumina necessaria ad dirigendas activitates suae difficilis vocationis in historia.

Ad hoc autem, ut ista lumina magis perspicua appareant et maiorem certitudinem afferant, non paucas emendationes proponemus, quas in

scriptis trademus; at insuper nobis videtur opportunum dilucidare sensum valoris schematis, incipiendo ab ipso eius titulo.

Schema inscribitur « Constitutio *pastoralis* de Ecclesia in mundo huius temporis ». Explicatio autem huius tituli invenitur in pag. 89 fasciculi iam distributi. Ibi affirmatur documentum nostrum vocari « Constitutionem *pastoralem* » per oppositionem ad « Constitutionem *dogmaticam* » de Ecclesia, iam promulgatam, et additur scopum huius constitutionis « *non esse directe doctrinam praebere* », ideoque « non indigere disceptatione tam rigorosa cuiusque vocabuli, ut fieri deberet in re *stricte dogmatica* ».

Liceat nobis, salva reverentia erga « commissionem de coordinandis laboribus », aliquas breves animadversiones de hac re proponere.

1. *De sensu vocis « pastoralis »*. Haec vox saltem duplicem sensum induere potest:

a) Vox « pastoralis » ostendere potest ipsam naturam missionis hierarchiae Ecclesiae, et sic usurpatur in cap. III constitutionis *Lumen Gentium*. Hoc sensu indicat omnia quae ad missionem apostolorum pertinent, imprimis vero, ut patet, ministerium doctrinale. Manifestum est ergo quod, sic intellecta, vox ista nequit significare oppositionem inter scopum pastoralem et scopum doctrinalem vel dogmaticum.

b) Vox « pastoralis » innuere potest etiam accuratam ordinationem navitatis apostolicae eiusque accommodatam organisationem; et sic, sensus vocis certe minuitur.

Iamvero, ut satis clare apparet, schema nostrum nequit dici « pastorale » secundo sensu, praecise quia veram doctrinam proponit. Si vero schema dicitur « pastorale » primo sensu, hoc quidem verum est, sed hoc praecise excluditur a relatione generali, ut concluditur ex citationibus allatis.

Censemus ergo hanc denominationem revera non esse usurpandam, primo quidem quia est ambigua et ansam praebere potest minori existimationi valoris documenti; secundo vero, quia sensu ampliori adhibita, omnino convenit omnibus documentis conciliaribus, praesertim huius Concilii, ideoque non apponenda particulari cuidam documento.

Quaestio ergo de nomine, nostro iudicio, recte solvi posset supprimendo adiectivum « pastoralis », in titulo, ita ut documentum inscribatur « *Constitutio de Ecclesia in mundo huius temporis* ». Huic solutioni favet etiam praeclarum exemplum primi documenti nostri Concilii, quod « Constitutio de Sacra Liturgia » simpliciter nuncupatur.

2. *De qualificatione theologica huius schematis.* Valor theologicus huius schematis indicandus videtur tantummodo in genere, et quidem

secundum principia a commissione de doctrina fidei et morum stabilita die 6 martii anni elapsi et Patribus notificata in congregatione generali 123.

En textus: « Ratione habita moris conciliaris ac praesentis Concilii finis pastoralis, haec Sancta Synodus ea tantum de rebus fidei et morum ab Ecclesia tenenda definit, quae ut talia aperte ipsa declaraverit. Cetera autem, quae Sancta Synodus proponit, utpote Supremi Magisterii doctrinam, omnes et singuli christifideles excipere et amplecti debent iuxta ipsius Sanctae Synodi mentem, quae sive ex subiecta materia, sive ex dicendi ratione, innotescit, secundum normas theologicae interpretationis ».

Notandum est hanc commissionis declarationem, e suo tenore, non ad solam Constitutionem *de Ecclesia* coarctari, sed etiam documento nostro bene congruere.

Venerabiles Patres, clare agnoscatur ergo plura doctrinalia in nostro documento contineri; schema vocetur simpliciter « Constitutio de Ecclesia in mundo huius temporis »; et, ad eiusdem valorem quod attinet, remittatur ad « declarationem » commissionis theologicae supra relatam. Cetera in scriptis tradam. Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

Nota praevia: Prae oculis habeatur quod dictum est de titulo ac valore theologico huius documenti ab ipso infrascripto Cardinali. Proponitur quoad nomen ut auferatur vocabulum « pastoralis » quia et ambiguum, et non specificum. Ad valorem quod attinet, applicetur principium a Commissione theologica stabilitum d. 6 martii 1964 et Patribus notificatum in Congregatione Generali 123, d. 16 novembris eiusdem anni. Et sic corrigantur dicta in pag. 89, ubi « De titulo ».

Ad n. 1. Pag. 5, linn. 1-4: Proponitur parva mutatio ordinis ad stylum directius reddendum, hoc modo: « Hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium et spes, luctus et angor, sunt etiam membrorum Populi Dei ... ».

Pag. 5, lin. 5 s.: Deleatur phrasis: « ... Ecclesia enim seu Populus Dei coalescit ex hominibus, ... ». *Ratio* est quia verba haec innuunt probationem, minime necessariam, quia res evidens est.

Pag. 5, lin. 7: Consequenter ad superiorem omissionem, deleatur verbum « qui ».

Pag. 5, lin. 8: Post verbum « acceperunt » ponatur referentia ad Constitutionem *Lumen Gentium,* cap. II.

Pag. 5, linn. 8-10: Suadetur inversio ordinis in hac phrasi, hoc modo: « *Ecclesia* cum genere humano eiusque historia revera coniuncta est et intime sentit se esse coniunctam ». *Ratio* est ut prius de ordine ontologico dicatur et deinde ad ordinem cognitionis transeatur.

Ad n. 2. Pag. 5, linn. 21-29: Proponitur alia ordinatio huius paragraphi: « (incipiendo a lin. 26) Licet " mundus " quatenus sub signo Maligni positus *intelligatur* (quod verbum ponitur pro " est ", quia hic potissimum agitur de modo

intelligendi) Deo *in* tempore (dicitur " in ", quia affirmatio valet tantummodo usque ad Diem Domini) adversetur (cf. *1 Io.* 5, 19; *Io.* 12, 31; 14, 30; 15, 18. 19; 16, 8-11; 17, 9, etc.), tamen nomine " mundi " hic intelligimus (reditur ad lin. 21) ex una parte caelum et terram seu universitatem rerum a Deo creatarum, ex altera parte universam familiam humanam, cuius membra, quamvis peccatores sint, a Deo tamen personaliter diliguntur, pro quibus Christus seipsum tradidit et postea resurrexit, et qui omnes una eademque gaudent vocatione divina. Illum uno verbo dicimus mundum, quem sic dilexit Deus ut Filium suum Unigenitum daret: Christum nempe, lucem mundi ». Et nota bene quod omittitur phrasis « donec in fine et ipse per fidem salvetur » (lin. 27) quia non videtur hanc affirmationem fieri posse de " mundo " sensu peiorativo sumpto. *Ratio* huius mutationis ordinis est desiderium servandi homogeneitatem textus. Sic etenim iam ab initio proponitur, quasi in obliquo, sensus peiorativus " mundi ", et deinde, usque ad finem, agitur de sensu positivo. In textu officiali phrasis « licet ... adversetur ... salvetur » rumpit cursus idearum.

Ad n. 3. Pag. 6, lin. 9: Pro verbo « accepit » scribatur « *habet* ». *Ratio*: cf. tx. gallicum, et insuper vox « habet » melius quam « accepit » innuit actualem influxum Domini in Ecclesiam.

Ad n. 4. Pag. 7, lin. 7 s.: Post verbum « distrahitur » addatur « ... *dum dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, raciales et ideologicae imminutae non sunt, et aliunde novum* bellum ... ». *Ratio* huius additionis est ut iam ab initio paradigmata afferantur et speciali modo sermo fiat de racismo, cuius momentum neminem fugit.

Ad n. 5. Pag. 7, lin. 16: Scribatur: « ... de re mathematica, *de rerum natura* et de ipso homine ... ». *Ratio*: verba « de rerum natura » videntur magis comprehensiva.

Ad n. 7. Pag. 8, lin. 26 s: Scribatur: « ... non amplius illis *plene* statui rerum hodierno apt*ari videntur* » vel « ... non amplius illis statui rerum hodierno bene apt*ari videntur* ». *Ratio* est quia hic agitur de iudicio iuvenum, non directe de obiectiva realitate.

Pag. 8, lin. 27 s.: Scribatur: « Inde gravis perturbatio in *eorum* modo et normis agendi ». *Ratio*: etiam hic sermo est de conditione iuvenum.

Ad n. 8. Pag. 9, lin. 13: Scribatur: « Rumpitur inter condiciones vitae *immersae multitudini* et » vel « *multitudini immersae* ». Sic videtur clarius reddi sensus phrasis.

Pag. 9, lin. 30: Post verbum « acerbissimae » addatur « ... quibus sensus infaustae eventuum successionis comitantur, quarum ipse homo ... ». *Ratio*: Verbis sublineatis conamen fit reddendi verbum gallicum « échec », quod in priori textu inveniebatur et in textu latino forsitan casu cecidit.

Ad n. 9. Pag. 9, lin. 38: Scribatur: « ... quibus per *non aequam* vel iniustam distributionem, orbatos se esse vivida conscientia iudicant ». Emendatio consistit in substitutione verbi « iniquitatem », quod nimis durum sonat, et in mutatione ordinis phraseos, ad maiorem perspicuitatem.

Pag. 10, lin. 2: Post verbum « nationibus » addatur: « ... *nec non ab illis oeconomica earum dependentia* ». *Ratio*: est factum quod in dubium revocari non potest, et cuius momentum grave omnino est. Sine hoc elemento descriptio manet quasi manca.

Pag. 10, lin. 8: Hic nobis nova paragraphus inserenda videtur, hoc modo:

« Talis evolutio, tum in suis causis, tum in decursu eius processus, cum variis modis cogitandi seu etiam philosophandi, cum diversis rationibus vitam ethicam aut aestheticam agendi, cumque denique maximis habitudinibus religiosis arcte connectitur. Ideo processui mere mechanico illa evolutio assimilari nequit. Notandum est autem quod non paucae ideae quibus conscientia hodierna quodammodo imbuitur et regitur non directe pendent a civilisatione ut aiunt " technica ", sed saepe saepius in lucem pervenerunt cum ideae quasi proprio suo marte evolvebantur. Verum hodie novum studium circa res culturales nec non religiosas apud plures scaturire conspicitur ». *Ratio* huius additionis est ut aperte ostendatur influxus idearum in mundi evolutionem, et ut non ita res proponi videantur quasi ex evolutione technica omnia etiam idearum systemata provenire dicantur. Et hoc non est merum iudicium seu interpretatio facturum, sed est factum sufficienter stabilitum.

Pag. 10, lin. 10: Proponitur parva emendatio: « ... universalior appetitio; personae *enim,* atque coetus plenam vitam ... ». *Ratio* est quia « appetitio » non est persona.

Pag. 10, lin. 12: Post verbum « potest » addatur: « ... potest; atque nationes omnes consociandas fortius in dies manifestantur ». *Ratio*: videtur necessarium ut ostendatur conatus in hoc sensu, qui tanquam caracteristica hodierna maxime agnoscendus est. Si formula proposita non placet, proponitur altera in eodem sensu: « ... potest, atque nationes omnes quae in dies fortius conantur ad universalem quandam unitatem assequendam ».

Pars I: *ad titulum*: loco « condicione », dicatur « vocatione », ita ut titulus legatur: « de Ecclesia et vocatione hominis ». *Ratio*: quia « vocatio » hominis ad totam primam partem schematis se refertur et insuper poterit mutari titulus capitis primi, qui, prout nunc sonat, non bene exprimit argumentum capitis.

Ad n. 10. Pag. 12, lin. 16: corrigatur « e contrario » per « e contra », ut clarior evadat expressio.

Pag. 12, lin. 17: substituatur « eoque non fallaci » cum adverbio: « secure ». *Ratio*: ut vitentur comparationes odiosae.

Caput I: *ad titulum*: dicatur simpliciter: *de humana persona,* secundum rationes supra dictas quoad titulum primae Partis.

Ad n. 11. Pag. 13, lin. 17-19: Melius videtur invertire ordinem orationis hoc modo: « Quae consociatio viri ac mulieris, *primam formam efficit communionis personarum, ad stirpem humanam propagandam instituta* », ad vitandas possibiles interpretationes quoad hierarchiam finium matrimonii, nam hic non est intrandum in hanc quaestionem.

Ad n. 12. Pag. 13, lin. 25: loco « Corporali sua conditione », dicatur: « *Corpore et anima unus,* homo universas mundanas ... ». *Ratio*: ut vitetur dualismus in visione realitatis humanae.

Pag. 13, linn. 34-35: in fine lin. 34 supprimatur « homo » et tota phrasis sic corrigatur: « ... bonum est, *quod honorari et semper magis in vocatione personali hominis assumi debet* ». *Ratio*: ne videatur opponi hominem corpori suo.

Pag. 14, linn. 3-7: supprimatur tota alinea « At homo ... (*Mt.* 18, 18) », et in eius loco ponatur: « *Homo ergo glorificet Deum in corpore suo, nec pravis cordis sui inclinationibus serviat* ». *Ratio*: ut vitetur omnis species dualismi neque interpretetur corpus esse fontem peccati.

Pag. 14, lin. 9: supprimatur « spiritualiter transformatum » et mutetur verbum « resuscitabitur » ita ut phrasis evadat mutata hoc modo: « *die enim ultimo resuscitabimur,* ut in Symbolo ... ». *Ratio*: ut loquatur de resurrectione modo magis amplo ad vitandas interpretationes dualisticas.

Ad n. 13. Pag. 14, lin. 14: supprimatur adiectivum « physica » quia videtur inutile.

Pag. 14, lin. 16: post « scientiis » addatur: « *empiricis* » quia adsunt et aliae scientiae de quibus hic non loquitur.

Pag. 14, linn. 16-19: tota haec phrasis mutetur hoc modo: « At sapientia *imbutus,* etiam artem technicam *ad pleniori vitae humanae inserviendum* dirigat, *et sese* in meditatione *veritatis* et in contemplatione mirabilium Dei exerceat ». *Ratio*: ut melius indicetur quod ars technica ipsi homini servire debet, et ad vitandas interpretationes discutibiles quoad fundamentales veritates humanas.

Pag. 14, linn. 21-22: dicatur: « non in hoc campo tamen *illud* perficitur ... » supprimendo phrasim sequentem « colloquium illud, quod condicio et subsidium est vitae socialis ». *Ratio*: quia non videtur haec affirmatio vera.

Pag. 14, linn. 24-25: omittatur phrasis « Non enim ... acceptione », quia non videtur hic opportuna.

Pag. 14, lin. 29: supprimatur « a maioribus accepta », quia affirmatio evadit magis incisiva et verior et pulchrior in contextu.

Ad n. 14. Pag. 14, lin. 32: supprimatur « dominationem super res corporales affirmat et cum », quia est repetitio inutilis.

Pag. 14, lin. 34: loco « Aliquid enim intimius in se habet, quo », dicatur: « *Sua enim interioritate* universitatem rerum ... ». *Ratio*: ad vitandam omnem speciem dicotomiae.

Pag. 14, linn. 37-41: supprimatur tota phrasis « ibi non illuditur ... detrimentum pateretur », quia est nimis apologetica et non videtur necessaria in contextu.

Pag. 14, lin. 42: supprimatur haec ultima linea.

Pag. 15, linn. 1-2: supprimantur hae duae lineae et eorum loco dicatur: « Homo legem in corde suo inscriptam habet, quam ipse sibi non dedit, cui obedire debet et secundum quam iudicabitur; eius autem vox ita sonat: Fac hoc, et hoc devita. Huius legis lumine ... ». *Ratio*: ut tota oratio clarior evadat.

Pag. 15, linn. 5-8: dicatur: « ... oriun*tur; quae proinde solu*tio nullius individui aut coetus arbitrio relinqui pote*st* », cetera supprimantur brevitatis causa ad vitandas repetitiones.

Ad n. 15. Pag. 15, lin. 9: supprimatur « At nonnisi », et paragraphus incipiatur simpliciter: « Homo libere ad bonum ... ». *Ratio*: nulla enim videtur dari oppositio.

Pag. 15, lin. 10: post verbum « potest » addatur: « ac debet », ut affirmatio sit verior.

Pag. 15, lin. 16: loco « humana » dicatur: « hominis », ratione grammaticali.

Pag. 15, lin. 19: post « ... aut coactionis » addatur: « Intimae vero huiusmodi voluntatis libertati, externae quoque libertatis ab aliis agnitio et observantia, hominis naturae ac dignitati consona, respondeat oportet. Neque tamen ad propriam perfectionem accedet homo, nisi insuper ab interna concupiscentiae et passionum suarum servitute liberabitur ». *Ratio*: ut detur visio magis completa ipsius libertatis, praesertim post approbationem declarationis *de libertate religiosa.*

Pag. 15, lin. 24: supprimatur « E contra » et dicatur: « Agens vero cum Populo suo, eum semper ... », ne videatur nimis fortis oppositio.

Pag. 15, lin. 29: supprimatur « etiam » quia ambiguum.

Ad n. 16. Pag. 15, lin. 30: dicatur melius: « *Homo rerum universitati certe praestat;* omni *tamen* homini ... ». *Ratio*: sic evadit clarior.

Ad n. 17. Pag. 16, lin. 13: ordinetur phrasis hoc alio modo: « Semen aeternitatis, quod in se gerit, soli materiae irreductibile cum sit, contra mortem insurgit ... » ut vitetur suspicio dualismi.

Pag. 16, linn. 15-16: supprimatur tota phrasis « nam prorogatio longaevitatis biologicae huic quaestioni non respondet », quia videtur revera irrisoria.

Pag. 16, lin. 26: ordinetur phrasis hoc alio modo: « Haec amoris *relatio* eum *in esse constituit* », claritatis causa.

Ad n. 18. Pag. 16, lin. 37: loco « errant », dicatur « deficiunt ».

Pag. 17, lin. 4: supprimatur « tamen ».

Pag. 17, lin. 8: post verba « consulto devitant » addatur haec phrasis: « In pluribus his agendi rationibus latet veri Dei desiderium, immo ipsius Dei vocantis attractio, cum non longe sit ab unoquoque nostrum (cf. *Act.* 17, 27). In eorum autem erratis ipsi ... ». *Ratio*: ut melius describatur conditio obiectiva.

Ad n. 19. Pag. 17, lin. 16: loco « probare », dicatur « propugnare », quia verius.

Pag. 18, lin. 5: supprimatur « praesertim » quia est aequivoca traductio textus gallici.

Ad n. 20. Pag. 18, linn. 13 et ss. Tota paragraphus reordinetur hoc modo:

a) « Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati hodierna inquietudo religiosa atque illa insoluta hominis quaestio vere clarescunt.

b) Christus enim, qui est imago Dei invisibilis, Ipse est homo perfectus, qui Adae filios ad similitudinem divinam, inde a prima peccato obnubilatam, restituit. In Eo Deus est verus homo et unus ex hominibus est verus Deus. Quinimmo, Ipse, incarnatione sua, Se cum omni homine quodammodo in unum coaluit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit, humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.

c) *De cetero* Adam, primus homo, erat « forma futuri » (*Rom.* 5, 14), scilicet Christi Domini.

Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam suam vocationem patefacit. Nil igitur mirum si in Eo omnes praedictae veritates suum inveniunt fontem atque fastigium.

d) Homo ergo, Dei imaginem in seipso portans et mirabile mysterium Verbi incarnati Eiusque opus erga mundum participans, recapitulationem omnium rerum, peccati vulnere disgregatarum, in Christo et per Christum vere implet. Virtute enim Spiritus Sancti, Christi opus perpetuo vivum et efficax per saecula manet, tum in unoquoque hominum, tum in historia humana, donec Dominus veniat ac Regnum Dei instituatur.

e) Regnum vero Dei non ita concipiendum est ac si Christus creaturas renitentes vi Ei subiicere velit, sed potius ut ordo ex ipsa unitate redintegrata exsurgens, ita scilicet ut Christus, Deus-Homo, et auctor sit illius unitatis et caput novi ordinis exsurgentis, in quo ipse homo fiat integraliter homo et ipse Deus sit omnis in omnibus.

Ratione: *a*) Introducta est vinculatio magis explicita cum affirmationibus anterioribus: cf. pag. 17, linn. 7, 10.

b) Transponitur hic alinea secunda n. 20: Christus, Deus incarnatus, est ante omnia vera responsio hodiernae inquietudini religiosae.

c) Transponitur hic alinea prima n. 20: Christus, secundus Adam, est responsio actualis angoris circa problema de homine, quid revera sit.

d) Introducuntur hic aliquae ideae quae ditiorem reddunt paragraphum cum aliqua visione magis cosmica et magis anthropologica magnitudinis et missionis Christi.

e) Suadetur hic aliqua clarificatio circa relationes hominem inter et Deum, inter historiam humanam et Regnum Dei.

Excluduntur variae affirmationes textus propositi, quia videntur sitae in atmosphera theologica distincta ab illa quae revera est anima totius capitis.

Ad Cap. II. Totum caput istud videtur valde inferius Encyclicis socialibus Romanorum Pontificum; ex altera parte, cum hic agatur, de aliqua visione synthetica, melius esset reducere Caput istud ad breviores paragraphos, allusione facta Litterarum Encyclicarum pertinentium.

Ad n. 31. Abbrevietur, et utinam adsit in nova redactione cura vitandi quandam, ut ita dicam, depauperationem conceptus theologici caritatis.

Ad n. 34. Pag. 27, lin. 30: dicatur melius: « in qua pars quam maxima possibilis civium ... » ut affirmatio magis realistica evadat.

Ad n. 35. Pag. 28, linn. 10-11: corrigatur hoc modo: « iam nunc vitae SS. Trinitatis eisdem offertur participatio ab Eaque vires ad communem salutem omnes accipiunt ». *Ratio*: ut affirmatio sit theologice vera, nam non omnes de facto participant nunc vitam SS. Trinitatis.

Ad Cap. III. Ad n. 37. Pag. 30, lin. 3: substituatur « haec omnia ducunt? » pro « haec evolutio ducit? ». *Ratio*: sic quaestio est magis concreta et limitata et potest melius vitare ambiguitatem.

Pag. 30, lin. 3: post « reapse » addatur: « in tempore », ob rationem nuper dictam.

Pag. 30, lin. 4: post « ad quid » addatur: « historice », ob rationem nuper dictam (NB. corrigatur error « societatem » pro « societatum »).

Pag. 30, linn. 6-14: mutetur ordo totius alineae sequenti modo:

a) « Deus, qui nobis illuminationes ac vires omnes quibus indigemus praebuit, ut sancte vivere et in suum Regnum, his in terris iam inchoatum, intrare possemus, non in antecessum omni nostrae *inquisitioni* respondit.

b) *Ideo* pro omnibus hominibus haec problemata perobscura remanent, quamdiu in fide peregrinamur, videntes « per speculum in aenigmate » (*1 Cor.* 13, 12), id est usque ad ultimum diem.

c) Attamen cum hae quaestiones a salute nostra alienae non sint, credere debemus nos humili ac fidenti meditatione verbi divini, impellente Spiritu Sancto, posse aliquam arcanae veritatis intelligentiam impetrare ». *Ratio*: ut adsit progressus magis logicus in consideratione specialis difficultatis istorum problematum.

Pag. 30, lin. 6: si mutatio ordinis recipitur, addatur in initio « Ideo », uti fecimus.

Pag. 30, lin. 8: si mutatio ordinis recipitur, supprimatur « enim », uti fecimus.

Pag. 30, lin. 11: loco « curiositati », dicatur « inquisitioni ». *Ratio*: iste terminus videtur pro nobis magis positivus.

Pag. 30, lin. 16: substituatur « continetur », pro « adumbratur », quod verbum videtur exprimere melius veritatem affirmationis.

Ad n. 38. Pag. 30, lin. 23: supprimatur « " individualis " et " collectiva " », quia ista adiectiva hic videntur non necessaria; addantur potius inferius, hoc modo.

Pag. 30, lin. 25: post « condiciones vitae » addatur « humanae, individualis et socialis ... » ut tota pericopa clarior evadat.

Pag. 31, lin. 3: loco « doctrinarum », dicatur « scientiarum », ut verior sit.

Pag. 31, lin. 11: substituatur « pertinet etiam », per « extenditur usque »; et post « ad mentis humanae opera » addatur: « quae in multis admirationem suscitant ». *Ratio*: ne simpliciter affirmetur opera illa esse maxime mira, quod quidem non semper verum est.

Ad n. 39. Pag. 31, lin. 16: omittatur « ut quidam asseveraverunt », quia est sententia polemica. In eadem linea ponatur verbum in subiunctivo: « arbitrentur », sic vitatur iudicium historicum forsan non omnino verum.

Pag. 31, lin. 24: loco « christianorum nuntium », dicatur « nuntium evangelicum ». *Ratio*: sic sententia nititur fundamento magis obiectivo.

Pag. 31, lin. 26: omittatur « ut quidam obiciunt », ad vitandum aspectum apologeticum in schemate.

Ad n. 40. Pag. 31, lin. 39: loco « Pro credente igitur omnia », dicatur « Omnia igitur ultimatim ... ». *Ratio*: nam hoc non est nec debet esse solum pro credente.

Pag. 32, linn. 8-22: mutetur tota haec alinea « Si his verbis ... omnia condidit » hoc alio modo: « Si his verbis intelligimus creaturas omnes propria bonitate et valore gaudere (cf. *1 Tim.* 4, 4: " omnis creatura Dei bona est "; *Gen.* 1, 10, 12, 18, etc.), propriisque legibus ac firmitate constare, ideoque et veram rationem finis ipsis competere, — quae omnia digna sunt quae, secundum talem eorundem rationem et bonitatem, ab homine gradatim dignoscantur, serventur et colantur —, talem autonomiam exigere plane fas est: quod non solum ab hominibus nostrae aetatis vehementer postulatur, sed cum voluntate Creatoris apprime congruit, qui, ad Suae bonitatis exemplum, creaturas vere esse bonas et pulchras, vereque finis rationem induere fecit, earumque activitates, virtutes (efficaciam, efficientiam, causalitatem) legesque condidit, atque ita hunc mundanum ordinem firmum voluit atque humano labori perficiendum tradidit (cf. *Gen.* 1, 28 ...). Debent ergo homines hanc exigentiam vereri. Inquisitio methodica in omnes scientiarum partes, si more humano et secundum normas morales procedit, omni opportuna libertate fruatur oportet. Qui enim, humili et constanti animo, abscondita rerum perscrutari conatur, etiam inscius quasi manu ducitur Dei, qui omnia sustinet et facit ut sint id quod sunt.

Ex altera parte, cum Creator universorum idem sit ac Deus Sacrae Scripturae, cumque ille qui salvos nos fecit et ad vitam suam participandam vocavit, idem sit atque ille qui omnia condidit,[9] leges illae et virtutes ab hominis inquisitione inventae, nedum unquam fidei adversari possint, contra cum ea optime sociantur, atque Deum ipsum Eiusque opera a nobis melius cognosci atque admirari ipsiusque operi quo perfecit caelos et terram et omnem ornatum eorum (cf. *Gen.* 2, 1) successivum laborem applicando inseri et continuando cooperari faciunt ». *Ratio*: nota quod tantummodo lineae quae sublineantur constituunt partem novam textus. Ista pars nova vult melius innuere autonomiam rerum temporalium, indicando praesertim quod ipsis competit veram rationem finis. Nobis videtur vere necessaria ista explicitatio.

Pag. 32, lin. 3: loco « vereri », dicatur « timere », non agitur enim de reverentia sicuti in lin. 14 istius paragraphus.

Pag. 32, lin. 14: loco « doctrinarum », dicatur « scientiarum », uti iam supra innuimus.

Pag. 32, lin. 24: supprimatur « pristinis saeculis », quia non videtur tam verum.

Pag. 32, lin. 28: supprimatur « interpretationem », sic textus simplificatur.

Pag. 32, linn. 33-34: loco « res creatas ac leges sociales », dicatur potius « res omnes creatas », ut vitentur distinctiones minus utiles et non tam clarae.

Ad nn. 41 et 42. Inter numerum 41 et numerum 42, id est post numerum 41, *inserantur* duae paragraphus Capitis sequentis, scilicet IV, et praecise *nn. 50* (*Ordo redemptionis ordinem creationis assumit*), et *52* (*De unione inter fidem et vitam concretam*). *N. 50* incipiet in lin. 10 (pag. 39) post suppressionem primarum trium linearum hoc modo: « Deus enim qui novissimis ... ». In hoc ipso numero supprimatur ultima linea, scil. lin. 23 (pag. 39), ratione translationis. *N. 52* incipiatur hoc modo: « Consectarium haud parvi momenti ex hac inclusione totius ... ». *Ratio*: nobis videtur opportuna ista traspositio ut responsio ad problemata proposita sit integra, logice proposita et sat ampla, quin interrumpatur ab aliis quaestionibus quae disrumpunt nexum considerationis et complicant responsionem.

Pag. 33, lin. 13: ponantur hic, ob rationes allatas, nn. 50 et 52 capitis sequentis.

Ad n. 42. Pag. 33, lin. 15: loco « universum » dicatur « omnia », claritatis causa.

Pag. 33, lin. 18: loco « res et societatem », dicatur melius « alia », ut vitetur quaecumque umbra dicotomiae.

Pag. 33, lin. 30: videtur melius loco « naturam » scribere hic « creationem ».

Ad n. 43. Pag. 34, lin. 8: substituatur « ad Regnum Dei accedunt » pro « ad virtutum exercitium accedunt », quod verius exprimit mentem indicandam.

In fine lineae dicatur, post punctum, « Inhaesitanter ergo christiani ... », supprimendo « Unde », ne videatur indicari veluti unica ratio istius oppignerationis.

Pag. 34, linn. 16-17: non dicatur « iam in mysterio adest », sed potius « iam inchoatur », claritatis theologicae causa.

Ad n. 46. In pag. 35, totus n. 46 exigit specialem revisionem *a*) quoad citationes Sacrae Scripturae, *b*) ut melius introducatur notio « servitii ».

Cap. IV. Ad n. 49. Pag. 38, lin. 21: post « congregentur in unum », aggregetur sequens pericopa: « Post Adae peccatum ita dispersi erant homines ut in dies ab unitate, sive individuali sive collectiva, misere decederent; eorum enim vita, ob intimae cum Deo unionis privationem, luctu et angore afficitur, atque eorum historia inter acerbas discordias et horrendas belli devastationes decurrit, dum universalis inter eos coniunctionis ardua problemata nimis difficulter enodari possunt. Ecclesia, ergo, ipsa est veluti sacramentum ... ». *Ratio*: ut clarius explicitentur peccati consequentiae, quae revera constituunt rationem fundamentalem praesentia Ecclesiae Christi in Mundo eiusdemque peculiaris missionis salvatricis.

Indicanda omnino est nota soteriologica Ecclesiae.

Pag. 38, lin. 34: mutetur initium phraseos hoc modo: « Credentibus Ecclesia tradit Dei Revelationem, quae non apparet tanquam ... ». *Ratio*: sic verior evadit affirmatio.

Ad n. 50. Pag. 39, linn. 7 ss.: iste numerus trasponatur, uti iam diximus in

observationibus pertinentibus, ad praecedens caput, post n. 41. Ad hoc bene faciendum supprimatur prima phrasis paragraphus, scilicet: « Ex eo quod ... humanae historiae efficitur ».

Pag. 39, lin. 23: supprimatur tota linea « Ex hac doctrina ... eruuntur ». Ratione traslationis uti iam diximus.

Ad n. 51. Pag. 39, lin. 37: post « spectantibus » ponatur virgula, et supprimatur « Quapropter disciplina eius », ita ut evadat unica phrasis hoc modo: « ... ad rem socialem spectantibus, et licet certas ... ». *Ratio*: ad simplificandam et clarificandam affirmationem.

Pag. 39, lin. 39: substituatur « accommodatur » per « aperta est », ne subrepat suspicatio opportunismi.

Ad n. 52. Pag. 40, linn. 18 ss.: transponatur totus numerus ad praecedens caput, uti iam explicavimus, post numeros 41 et 50. Ad hoc bene faciendum mutetur initium paragraphi hoc modo: « Consectarium haud parvi momenti ex hac inclusione totius ... ».

Pag. 41, linn. 17-18: partialiter mutetur ultima alinea paragraphus sequenti modo: « Gaudeant potius christiani, exemplum sequentes Christi, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, in unam « synthesim » vitalem concordando conatus humanos « professionales », scientificos, technicos, cum bonis religiosis, sub quorum altissima ordinatione omnia in Dei gloriam cooperantur ». *Ratio*: ut vitetur sensus alicuius dicotomiae inter activitatem temporalem et vitam religiosam.

Ad n. 53. Pag. 41, lin. 25: post « competunt » addatur: « cf. cap. IV constitutionis *De Eccl.*) ».

Pag. 41, lin. 26: substituatur « saepe » per « interdum », dialogi causa.

Secretarius generalis: En igitur exitus suffragationum.

Suffragatio super cap. II, nn. 9 et 10:

Inter praesentes votantes	2.253
dixerunt *placet*	2.214
non placet	34
placet iuxta modum (ergo extra chorum)	3
et suffragia nulla	2

Textus est in congregatione approbatus.

Exitus sequentis suffragationis « De divina Revelatione »:

Inter Patres	2.246
dixerunt *placet* super integro capite	1.874
non placet	9
placet iuxta modum	354
Suffragia nulla	9

Ergo hic est exitus super integro cap. II; quod igitur est a congregatione approbatum.

Nunc suffragatio super cap. III, n. 11:

Praesentes votantes	2.241
Dixerunt *placet*	2.179
non placet	56
placet iuxta modum	2
et suffragia nulla sunt	4

Placuit congregationi etiam hic textus.

Patres venerabiles, post factas suffragationes circa schema *de divina revelatione,* statim incipiet suffragatio super schemate de fidelium apostolatu, ni fallor, et dabitur crastina folium in quo omnes suffragationes super hoc schemate distincte habentur.

8

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres,

Hoc schema reformatum in genere placet, quia correspondet tam votis Patrum in aula prolatis quam constitutioni *de Ecclesia* et schemati *de libertate religiosa* aliisque documentis huius sacri Concilii. Laudandum est insuper aequilibrium inter doctrinam traditam Ecclesiae et responsiones ad huius temporis novas quaestiones.

Liceat mihi quasdam animadversiones proponere, quae magis totam rationem huius schematis respiciunt.

I - Primo loco vitari debet omnis species cuiusdam optimismi *arealistici,*[1] qui proprius fuit saeculi praeteriti non videntis ambivalentiam artis technicae et pericula in omni progressu humano abscondita. Quare propono, ut in n. 44, pag. 34, lin. 32, post verba « non sine influxu Maligni » addatur: « Quem spiritum malignum regno Dei iugiter adversantem Iesus Christus crucis victoria iam quidem devicit, sed eius potestatem adhuc acerbius semper hominum saluti vel aperte infestam vel occulte insidiantem glorioso secundo suo adventu ad nihilum reducet ». Ratio: Sacra Scriptura et praesertim Evangelium Ioannis eiusque Apocalypsis testantur illum magnum conflictum inter regnum Christi et regnum Diaboli, de quo S. Augustinus libros suos scripsit *De civitate Dei.* De hoc perenni conflictu, qui omnium saeculorum historiam salutis pervadit et progressu temporis non mitigatur, sed acrior fit et acerbior, debemus saltem una vice in nostro schemate clare et sobrie loqui, quam-

vis non intendimus quamdam theologiam historiae proprie dictam proponere.

II - Deinde in pag. 46 in initio partis II in fine prooemii haec verba inserantur: « In solvendis hisce problematibus multum iuvabit cooperatio omnium christianorum tam singulorum quam Ecclesiarum et communitatum secundum principia in n. 12 decreti *de Oecumenismo* promulgata, attentis illis quae in cap. III huius decreti de *differentia*[2] v. g. in Evangelii applicatione ...[3] sunt significata ». Ratio: Haec cooperatio in schemate hucusque nimis breviter est indicata et solummodo de singulis fratribus seiunctis loqui videtur. Oportet autem explicite hanc cooperationem etiam cum Ecclesiis et communitatibus seiunctis promovere, inquantum fieri potest.

III - Tandem mihi cordi est huic sacro Concilio proponere, ut commissio specialis postconciliaris elaboret quoddam Summarium doctrinae catholicae, dico aliquod compendium breve theologiae huius temporis intelligentiis et necessitatibus adaptatum. Ita sequimur exemplum Concilii Tridentini, quod sua decreta complevit per Catechismum Romanum, qui totam doctrinam catholicam exponebat respondens quaestionibus in illo tempore agitatis. Concilium nostrum iam statuit constitutiones et decreta, qui verum progressum doctrinalem et pastoralem Ecclesiae praebent, qui tamen progressus cum doctrina tradita componatur oportet. Ita omnibus apparebit plena harmonia progressus cum traditione catholica et evanescat illa incertitudo et inquietudo doctrinalis, quae in multis catholicis exorta videtur. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] differentiis. [3] (sub n. 23).

9

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares,

In medias res procedendo primum quidem agnoscere liceat non tantum ingentem laborem a commissionibus competentibus in hoc schemate redigendo insumptum, sed maxime huius laboris fructus, scil. quod schematis textus multo melior evasit. Commissio videtur, id quod est maximi momenti, nunc fere illum modum loquendi invenisse, qui huic singulari schemati proprius esse debet. Id igitur agendum erit, ut textus etiam quoad alias qualitates perpoliatur. Qua in re tria puncta tantum efferre liceat:

1. Saepe saepius, *uti ceteroquin iam notatum est,*[1] lector quasi quodam fastidio afficitur, quia eaedem ideae iterum iterumque repetuntur et lectoris animus identidem ad iam dicta reverti cogitur. Hoc maxime obtinet in prima parte. Non opus est exempla afferre. Fortasse generaliter commendari potest, ut principia generalia, postquam semel in prima parte cap. I et in sectione I cap. II exposita fuerunt, nonnisi brevissime et paucissimis verbis, ubi opus est, recolantur, remittendo lectorem ad antea exposita. Puto vere operae pretium esse hac in re adhuc serio *insudare.*[2]

2. Schema in pluribus tum *quoad doctrinam* tum quoad modum eam *proponendi*[3] perpoliri debet. Utique saepius valde difficile est sibi iudicium adaequatum efformare de doctrina ipsa ob permultos graves defectus linguae latinae, de quibus plura *postea.*[4] Haec difficultas tamen non impedit, quominus plura notari possint, quae corrigi vel accuratius exponi debent. Hic nonnisi unum aliudve exemplum propono. Cetera scripto exponam.

a) Initio schematis (n. 2) optime exponuntur variae acceptiones vocis « mundus » et additur: « Licet mundus, quatenus sub signo Maligni positus est, Deo hoc tempore adversetur, donec in fine et ipse per fidem salvetur » ...[5]. Iamvero, ni fallor, hic agitur de conceptu ...[6] mundi, qui Novo Testamento proprius est, quique denotat creaturas liberas proprie *quatenus* Deo adversantur. Sic v. g. in noto textu ad Galatas, cap. 6, 14: « Mihi mundus crucifixus est et ego mundo », *ille mundus certe in fine non se convertet*;[7] vel in *1 Ioannis,* cap. 2, 15: « Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo »; *et alia huiusmodi.*[8] Agi in textu de mundo hoc sensu innuunt etiam expressiones ipsae ...[9] adhibitae, quae desumuntur ex *1 Ioannis,* cap. 5, 19 ...[10]. Iamvero patet, hunc talem « mundum » ex conceptu *suo*[11] nunquam salvari posse praecise quia Deo adversatur. Nec valet hic provocare ad Ioannem, cap. 3, v. 17 s. ...[12]; nam *ibi*[13] *non* agitur de mundo quatenus sub signo maligni est, sed quatenus significat universitatem rerum a Deo creatarum ...[14]

b) *Aliud exemplum* pag. 35 (n. 46) ad probandum Ecclesiam non quaerere propriam dominationem, dicitur: « Christus ipse omnem terrestrem potestatem pro se abnuit » ...[15]. Iamvero mittamus quod ad probandam hanc affirmationem afferantur textus, quorum multi nihil probant, quod longum esset enumerare (quod scripto *faciam*[16]). Sed ipsa affirmatio, qua forma exprimitur, sustineri nequit. Nam Christus ipse dixit: « Data est mihi *omnis* potestas in caelo et in terra » ...[17]. De facto in lectionibus Festi Christi Regis omnino affirmatur potestas Christi *etiam in res temporales,* in quantum rectores mundi *huius*[18] ei eiusque

legibus oboedire debent: « Turpiter — *dicit Encyclica* —, *turpiter*[19] ceteroquin erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet » ...[20] « cuius imperio parere omnes necesse sit » ...[21]. Ergo textus potius afferre deberet regulam illam humilitatis et mansuetudinis, quam Christus in vita sua mortali secutus est, quamque *Ecclesia Sua*[22] omnino sequi vult.

3. Ultimum punctum, quod quidem magni momenti esse videtur, respicit *linguam latinam* schematis, *maxime primae partis.*[23] Qua in re nullo modo agitur de lingua classica adhibenda. Omnino consentio, simplicem et fere aliquo modo « modernam » esse *linguam*[24] debere, quatenus scil. pro conceptibus recentioribus v. g. « cultura » etiam voces novae adhibeantur vel creentur. *Cultus humanus non adeo facile intelligitur ac cultura humana. Et alia vocabula adhibeantur*[25] etsi non sint auctorum classicorum vel aliorum auctorum antiquorum. Immo pluries defectus claritatis et perspicuitatis in schemate oritur e nimio studio vocibus classicis utendi, etiam in rebus, quae res et conceptus modernos *et non antiquos*[26] exprimunt.

Lingua latina ergo reddenda est *non* magis classica, sed hodiernis hominibus magis perspicua, quatenus scil. ideae clare exprimantur, ita ut lingua simul magis intellegibilis *fiat.*[27] Valde doleo, sed sincere fateri cogor, linguam schematis, prout nunc est, Concilio honori non esse et, id quod etiam peius est, saepe intellegi non posse. *Toties*[28] in schemate legendo cogebar respicere ad textum gallicum, ut intelligerem quid textus latinus dicere velit, *quamvis per quinquaginta annos in lingua latina lectiones meas habui*[29]! Non afferam exempla. Dicam simpliciter in hoc schemate mihi *accidit*[30] quod in nullo alio *schemate,*[31] ex multis schematis quae habuimus, *accidit*[32]: scil. ad solas primas 14 paginas, quas in hac parte accuratiori examini *subieci,*[33] plus quam 20 paginas annotationum apponere coactus sum. Tamen honeste addo textum latinum inde a cap. III partis II notabiliter meliorem esse ...[34]

Non intendo inquirere, quas ob causas translatio talis sit. Hoc solum monere liceat, cavendam esse opinionem ac si sufficiat tradidisse Patribus conciliaribus textum gallicum, vel alium moderna lingua exaratum. Textus enim *officialis Concilii,* qui a Patribus *intelligi et approbari debet,*[35] non est ulla translatio moderna sed solus textus latinus *intelligibilis.*[36] Oportet ergo, ut hic textus accuratus sit et maxime clarus. Secus postea infinitae orientur discussiones *de sensu verborum quae dicuntur*[37] et etiam ipsa auctoritas doctrinalis documenti ob incertitudinem textus grave damnum patietur.

Ergo lingua latina schematis saltem usque ad cap. II partis II inclusive *funditus retractanda est,* ut textus saltem aeque clarus et accuratus

evadat ac textus gallicus. Insuper plura puncta doctrinae revisenda sunt vel accuratius exponenda. Hoc solum modo textus Concilio dignus evadet et votationi submitti poterit.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] instare. [3] probandi. [4] infra. [5] (5, 26 s.). [6] aliquo. [7] deest. [8] (cf. etiam *Io.* 3, 13; *Io.* 7, 7; 16, 20). [9] hic. [10] « Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est ». [11] deest. [12] (uti fit in loco citato). [13] in *Io.* 3, 17 s. [14] Fortasse auctores schematis hic dicere volebant, etiam ex illis qui aliquando ad mundum pertinebant, plures salvari posse, id quod omnino verum est. Proinde dicatur « etsi ... etiam aliqui, qui aliquando de mundo erant eumque diligebant, postea ad fidem converti et salvari possint ». [15] (35, 19). [16] probabo. [17] (*Mt.* 28, 18). [18] deest. [19] deest. [20] (Brev. Rom. lect. 6). [21] (*ibid.* lect. 5). [22] Ecclesiam suam. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] evadat. [28] Tantoties. [29] deest. [30] accidisse. [31] deest. [32] deest. [33] subiicere potui. [34] Proinde supra dictum iudicium de lingua latina schematis his partibus non applicatur. [35] approbabitur. [36] deest. [37] deest.

Animadversiones additae:

Prooemium. Pars. I: *cap. I. N.B.* Non repeto hic, quae in aula Concilii dixi, sed addo plura quae respiciunt doctrinam et maxime linguam latinam schematis, quae quidem usque ad cap. II partis II inclusive *funditus retractanda esse videtur.*

Pag. 5, lin. 31. « Propriaque potestate »: nonne melius esset « potentia »? Idem dicatur ad pag. 6, lin. 34.

Pag. 6, lin. 3. « Conaminis »: secundum traductionem gallicam fortasse melius latine « de suis ... studiis et industria ».

Pag. 6, lin. 9. « Hominis enim persona salvanda »: forte melius « servanda »; haec ultima vox enim eandem ideam exprimit, sed nihil habet, quod hominem modernum offendere possit; dum verbum « salvare » offendere posset.

« Spiritu sancto *ducente* »: ordinarie dicitur « *duce* »; idem dicatur pag. 6, lin. 18.

Pag. 6, lin. 12. « In capite ... explanationis »: nescio utrum sit clarum et valde latinum; fortasse dicatur simpliciter « in centro ».

Pag. 6, lin. 14. « Divinum quoddam semen »: nescio an sit imago valde felix et clara; fortasse est etiam nimis materialis; dicatur ergo uti in traductione gallica « aliquid divini ».

Pag. 6, lin. 33. « Ut in repentino incremento »: expressio infelix et minime clara; proinde dicatur: « uti contingit, quando aliquid de repente ac velociter crescere incipit ».

Pag. 6, lin. 35. « potestatem tam late extendit »; « jamais ... a été aussi grand ».

Pag. 6, lin. 36. « Proprii cordis *intimiores recessus* »: fortasse simplicius et clarius « proprii cordis *intima* ».

Pag. 7, lin. 2. « Dum tamen »: forte melius « et tamen adhuc » (etiam antea enim multi incolae fame torquebantur).

Pag. 7, lin. 6. « Sicut hodie ... distrahitur »: forte melius « et hodie ut numquam antea ... distrahitur ».

Pag. 7, lin. 14. « *Plena* quadam rerum transmutatione »: est fortasse nimis fortis expressio; sufficeret « magna » vel « profunda ».

Pag. 7, lin. 15. « Quae in mentem inducitur »: melius et clarius « in *mente* hominum producitur vel *efficitur* ».

« Per praevalentes scientias »: melius: « eo quod praevalent scientiae ... ».

Pag. 7, lin. 16. « In actione applicatur »: nonne melius esset « in praxi applicatur » vel « in praxim deducitur per ... ».

Pag. 7, lin. 17. « Mens scientifica »: forte clarius « mens scientifica per dictas scientias naturales exactas effecta » (vel « inducta »).

Pag. 7, lin. 23. « *Versus* praeterita »: forte melius repetere eandem praepositionem e lin. 22 et dicere « *super* praeterita ».

Pag. 7, lin. 26. « Amplificatio demographica ... praevidendo »: clarius: « incrementa demographica, quae ex praedicta perfectione technica ex parte consequuntur, genus humanum ad incrementa propria praevidenda iam et ordinanda magis magisque inducunt » (vel.: « efficiunt, ut genus humanum ... cogitet ... »).

Pag. 7, lin. 30. « ad altiorem ... perducunt »: ... melius invertere et dicere: « non solum ad altiorem cognitionem sui perducunt, sed ... ».

Pag. 7, lin. 31. « efficiunt, ut ... exerceat »: sententia parum clara; vix intelligitur.

Pag. 7, lin. 31. « consimiles *suos* »: forte melius « consimiles *sibi* ».

Pag. 7, lin. 33. « Nova denique et aptiora »: melius « Nova denique et *usque* aptiora ».

Pag. 7, lin. 35. « Quidquid magni accidit »: melius « Quidquid magni *alicubi* accidit »;

« cognoscitur ... excitat »: melius: « cognosci ... excitare potest ».

Pag. 7, lin. 38. « Unica ratio ... efficitur »: forte melius: « consortionis humanae ratio *una* efficitur, non iam in varias velut historias dispergitur ».

Pag. 8, lin. 1. « atque *quasi* (« pour ainsi dire »). Ceterum in *hoc* contextu haec descriptio difficulter intelligitur.

Pag. 8, lin. 16. « cum *sui* similibus ... ».

Pag. 8, lin. 17. « Attamen non ... promoveat »: forte melius: « *Quin* tamen ... promoveat » (vel « dum non ... promovet »).

Pag. 8, lin. 18. « Huiusmodi evolutio »: melius adde « huiusmodi *quidem* evolutio ».

Pag. 8, lin. 21. « Qui suis ... tribuere cupiunt »: melius « *pro* suis *obtinere* vel *acquirere* cupiunt ».

Pag. 8, lin. 31. « Cuiuscumque generis »: melius « omnis generis » vel « omne genus ».

Pag. 8, lin. 33. « Aggrediuntur »: expressio forte nimis fortis; melius « conantur ».

Pag. 8, lin. 39. « Disce*n*dunt »: forte est mendum typograficum pro « discedunt »?

Pag. 8, lin. 40. « Non amplius eventus singularis »: melius « non *iam* eventus *rarus* et singularis est ».

Pag. 8, lin. 41. « Sed interdum ... proponunt »: forte melius conservatur subiectum antecedens et sententia construitur in passivo; proinde dicatur: « Sed interdum a quibusdam potestatibus ut doctrina propria proponitur ».

Pag. 9, lin. 2. « Philosophorum sententiis »: fortasse pro « sententiis » ponatur una e vocibus sequentibus: studiis, placitis, doctrinis.

Pag. 9, lin. 3. « Ita ut multi »: melius « ita ut *inde per*multi ».

Pag. 9, linn. 8-16. « Frequentius rumpitur ... vix valet »; tota haec descriptio parum perspicue proponitur et a paucissimis intellegetur.

Pag. 9, lin. 8. « Frequentius ... in intima persona »: forte clarius et magis latine: « frequentius perturbatur aequilibrium in ipsa hominis persona et activitate ».

Pag. 9, lin. 9. « Adultum ... et theoreticam »: nescio, num haec linea sufficienter clara sit; proponitur: « intellectum practicum, qui maturus et tempori hodierno accommodatus sit, et theoreticam ... ».

Pag. 9, lin. 10. « Summam cognitionum ... perveniat »: forte clarius: « Nec cognitiones suas ordinare nec eis dominari easque sufficienter in synthesim redigere valet » (invertitur « ordinare » et « dominari », quia ordinare est medium ad dominandum).

Pag. 9, lin. 12. « Rumpitur inter »: melius repetere subiectum et omittere secunda vice (lin. 13) verbum « rumpitur » et proinde dicere: « rumpitur item aequilibrium inter curam efficacitatis ... moralis; inter condiciones vitae ... personalis ».

Pag. 9, lin. 15. « *Ingentem* conatum »: melius « maiorem vel sufficientem »; nam si neque sufficientem conatum perficere valet, tanto minus ingentem!

Pag. 9, lin. 16. « Efficere », melius « *per*ficere ».

Pag. 9, lin. 19. « Oriuntur discrepantiae ... »: praedicatum « oriuntur » *commune* est sequentibus particulis.

« Et in ipsa densissima turba »: melius « in media turba positus ».

Pag. 9, lin. 21. « subsequentes generationes »: « inter generationes quae sibi subsequuntur ».

Pag. 9, lin. 27. « *Quod* mutuos diffidentias »: non apparet, ad quid referatur hoc pronomen relativum « quod »; dicatur fortasse « quae omnia »; nam plura in praeteritis lineis commemorata fuerunt.

Pag. 9, lin. 30. « et quasi victima »: cur « quasi »?

Pag. 9, lin. 34. « Roborare posse ... »: forte melius « in dies magis (vel usque) roborare ».

« Insuper eius esse ... statuat »: forte melius « eius esse, ordinem politicum ... statuere » (vel melius, « constabilire »).

Pag. 9, lin. 36. « Facultatem det » melius: « facultatem *praebeat* ».

Pag. 9, lin. 39. Forte melius invertere ordinem et dicere: « orbatos se esse, vivida conscientia moti, iudicant ».

Pag. 9, lin. 40. Cum in sequentibus sit sermo de mulieribus et de opificibus, ergo de classibus singularibus, et iterum de populis, forte ordo melius mutatur, ita ut, quae hic de nationibus dicuntur, ponantur post ea, quae dicuntur de mulieribus et de opificibus et uniantur cum illis, quae pag. 10 lin. 6 dicuntur de populis.

Pag. 9, lin. 42. « In actione mundi » forte melius secundum contextum « in *dominio* mundi ».

Pag. 10, lin. 3. « Aequalitatem de iure et de facto »: forte melius « aequalitatem iuris et facti ».

Pag. 10, lin. 6. Quid significat vox « interpellant »?

Pag. 10, lin. 7. « Arbitrari »: cum non agatur de mera opinione, quae fortasse falsa esse posset, forte melius est dicere: « cogitare vel sibi persuadere ».

Pag. 10, lin. 11. « In suum bonum convertentes »: forte clarius et coordinando cum sententia priori: « Et ut in suum usum convertant ».

Pag. 10, lin. 13. Quid significat « bonitatis gradibus »? (de valorum gradibus? vel: haec iudicia de valoribus?).

Pag. 10, lin. 14. « Ad ... evolutionem »: melius « *in* evolutione » vel « *pro* evolutione ». Praeterea non agitur de « huius *aetatis* evolutione », sed de « *hac* evolutione » (quae modo descripta est).

Pag. 10, lin. 16. « Quae mundum conspiranter ... imprimunt »: magis latine et magis clare: « Quae *in mundo* transformando *conspirant* eique indolem implicatam et cuncta *moventem* imprimunt ».

Pag. 10, lin. 18. « Potens ac debilis ... daturque ei optio eligendi »: corrigatur constructio et simul loco « apparet » quod saepe meram apparentiam significat, dicatur « se exhibere »; proinde textus sic construatur: « mundus hodiernus simul potentem ac debilem et capacem optima vel pessima patrandi, se exhibet et coram se posita habet ut eligat, libertatem vel servitutem ... » (Loco « exhibet » posset dici « se esse ... experitur »).

Pag. 10, lin. 20. Quid significat « homo expetere pro bono suo non poterit »? « Se ipsum *superans* »: melius « se ipsum *vincens* »; haec est enim expressio communis, dum « se superare » etiam de maioribus usque operibus patrandis falso intellegi posset.

Pag. 10, lin. 22. Melius repetitur subiectum et dicitur: « *Homo* enim subobscure novit ab ipso pendere ... ».

Pag. 10, lin. 23. « Et quae ... servire »: melius « Et quae dein vel eum opprimere vel ei servire ».

Pag. 10, lin. 25. « Quid ... significat »: clarius secundum contextum: « Quisnam est sensus et finis huius mirae condicionis »?

Pag. 10, lin. 27. Per duo ablativa subsequentia res obscura evadit; proinde dicatur « qui *per* suae vitae condiciones a talibus problematibus avertuntur vel ab eis considerandis impediuntur ».

Pag. 10, lin. 30. « Attamen »: non apparet cui sequentia opponantur; fortasse sententia melius ita ponitur: « Certe *ob* hodiernam mundi evolutionem quotidie eorum numerus crescit, qui hac in re a se ipsis responsum quaerunt ».

Pag. 10, lin. 31. « Pertingunt », forte melius « perveniunt »; pertingere potius de aliquo homine vel re valde ardua attingenda dicitur.

Pag. 10, lin. 32. « In itinere *suo* », melius « in *eorum* itinere ».

Pag. 10, lin. 33. « Vel quae ... obtruduntur »: forte melius omittere « quae » et aliud verbum pro « obtrudere » ponere; proinde dicatur « vel eis non semel ... membrorum proponuntur ».

Pag. 10, lin. 34. « Quid significationis in dolore ... »: melius latine: « quinam est sensus doloris mali etc. ».

Pag. 10, lin. 35. « Tanto progressu subsistunt? Quid post hanc vitam ... »: melius, secundum contextum: « subsistere *pergunt?* quid post vitam hanc terrestrem ... ».

Pag. 10, lin. 36. « Conamina » forte melius « studia et industria ».

Pag. 10, lin. 38. « Eodem vergentibus »: forte melius « ad idem redeuntibus ».

Pag. 10, lin. 39. « ambigitur »: melius: « agitur ».

Pag. 10, lin. 40. « Obtinendum plures etiam »: melius et clarius « multi *homines* ».

Pag. 10, lin. 41. « oculos *con*vertunt ».

Pag. 10. lin. 42. « Ad solutionem ... libenter intendit »: forte melius: « In solutione detegenda iuvare perlibenter paratum est ».

Pars I: De Ecclesia et condicione hominis.

Pag. 12, lin. 2. « In vita omnium hominum ... *implicatus* »: loco « implicatus » forte melius: « Vita omnium hominum intime participans et cognoscens ».

Pag. 12, lin. 3. « Hic status rerum »: haec expressio videtur referri ad descriptionem datam in numeris praecedentibus; si ita est, dicatur clarius « rerum status modo descriptus ».

Pag. 12, lin. 6. « Eventibus, postulationibus ... cum ceteris ... partem habet »: loco postulationibus dicatur exigentiis; loco « quorum partem habet » dicatur « quae ei cum ceteris ... hominibus communia sunt ».

Pag. 12, lin. 8. « eiusque interventus »: fortasse melius explicandum est, de quo genere interventuum agatur, fere ita: « eius interventus paterne hominum curam gerentis, provide mundum et homines regentis et ad seipsum eorum finem dirigentis », vel, adhibendo textum e libro Sapientiae: « eius interventus, qui attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (cf. *Sap.* 8, 1) ad hominum bonum ».

Pag. 12, lin. 9. « Novis inquisitionibus »: est expressio nimis abstracta, cuius sensus non est clarus; proponitur: « Et intensa ac repetita consideratione perseveranter instituenda ».

Pag. 12, lin. 14. « Auxilium *decretorium* »: expressio plene inintellegibilis; dicatur « Auxilium *efficax* » vel « auxilium rem evincens ».

Pag. 12, lin. 15. « in navitatibus »: cur non dicitur: « in activitate »?

« Ab observantia erga ... »: magis exacte: « ab observantia propriarum illorum legum »; « observantia *erga* » dicitur potius de personis; hic vero videtur agi de *legibus* observandis, unde construi debet cum genetivo, uti supra.

Pag. 12, lin. 17. « Haec fides *interea* ... illustrat »: melius « haec fides *tamen* ... illustrat ».

Pag. 12, lin. 18. « Mentem ... dirigit »: forte melius: « Mentem *hominis* ».

Pag. 12, lin. 18. « versus solutiones dirigit, ... sunt posita »: magis clare et exacte: « Quae profundis fundamentis nituntur et ex integra hominis vocatione consequuntur (vel eruuntur); vel secundum textum gallicum: « Quae rationem habent profundissimae illius realitatis, quae scilicet est integra hominis vocatio ».

Pag. 12, lin. 20. Quid significat expressio « *suffundata* bona » (valores fundamentales)? forte « superlaudata » vel « valores fundamentales »? forte neologismus « valor », qui facile intellegitur melius adhibetur loco vocis « bonum ».

Pag. 12, lin. 21. « sub hoc lumen reducere ... coniungere »: forte magis latine et clare: « hoc lumine collustrare (vel " sub hoc lumine cosiderare ") eaque ad fontem suum divinum referre intendit ».

Pag. 12, lin. 24. « Specia*tim* ... Semper sub lumine fidei humanae operae ... »: varia corrigenda hic videntur; proinde dicatur « Specia*liter* necessaria videtur (cap. II). Item sub lumine fidei, qui sit *sensus* ultimus operis hominis in mundo, illustrabit ».

Pag. 12, lin. 26. « Summe humana »: forte melius: « apprime humana ».

Pag. 12, lin. 28. Necnon « mutuum servitium ... invitantur »: forte clarius: « Necnon servitium ad quod sibi mutuo praestandum ipsi vocantur ».

Pag. 13, lin. 1. « Credentium et non credentium »: forte melius « tam credentium quam non credentium ».

Pag. 13, lin. 3. « Si intimiori eius cordis desiderio respondere velit »: « cor » generatim de affectibus et sentimentis intelligitur, unde talia desiderio quandoque ut « sentimentalia » spernuntur; proinde forte melius: « si intimis eius (hominis) aspirationibus satisfacere velit ».

Pag. 13, lin. 8. « Dirigitur »: haec vox ordinarie adhibetur ad *personae* actionem directivam designandam; hic vero agitur de ordinatione obiectiva hominis in Deum ut finem; proinde dicatur « ad finem suum ordinatur »; in eadem linea ommittatur vox « ita ».

Pag. 13, lin. 13. Nonne melius facultates hominis ponerentur ordine, quo ei innotescunt, ergo « conscientia et intellectu, corde et voluntate »?

Pag. 13, lin. 15. Corrigatur mendum typographicum « liber*e* » (loco liber*a*).

Pag. 13, lin. 22. Quid significant verba « misericordiam amoris non denegavit »? Agiturne de « amore misericordi » de quo est sermo in encyclicis Pii XII « Haurietis aquas » de devotione erga SS. Cor Iesu? Si vero textus latinus textum gallicum reddere vult, non videtur ei ullo modo respondere. Ceterum etiam expressio gallica « le pardon de son amitié » minime clara est, inquantum non apparet, utrum agatur de peccatis amicaliter vel amice ignoscendis, an de amicitia redintegranda, eo quod peccata ignoscuntur.

Pag. 13, lin. 26. « Vitae *terrestris* »: cum « terrestris » potius qualitatem vitae, et saepe in oppositione ad vitam caelestem significat, melius dicitur « vitae *in terra* » scil. in globo terrestri.

Pag. 13, lin. 28. Quid significat expressio « vita moventur »? Forte dicatur potius « vita gaudent » vel « vivunt et moventur ».

Pag. 13, lin. 31. « Homo ... cum hoc mundo conseritur super quem ... agere valet »: Expressio « cum hoc mundo *conseritur* » minime clara est; fortasse dicatur « in hoc mundo inseritur vel includitur »; loco « *super* quem ... agere valet » dicatur « *in* quem ... agere valet ».

Pag. 13, lin. 32. « Seipsum per corpus exprimendo »: forte clarius: « seipsum per corpus *eiusque organa et sensus* exprimendo ».

Pag. 13, lin. 35. « Honorare » (corpus) *male* exprimit sensum modernae vocis « respecter » « rispettare ». Fortasse « revereri » vel « recte aestimare ».

« In sua vocatione personali assumere debet »: minime clarum et minime latinum; fortasse dici potest: « in vocatione propria exsequenda adhibere ».

Pag. 13, lin. 36. « Homo totus, omnibus viribus suis »: melius « *Cum* omnibus viribus suis »; expressio enim « Omnibus viribus suis » non denotat instrumentum, sed explicat adiectivum praecedens « totus ».

Pag. 14, lin. 3. « At homo ne ... contra glorificet »: prior sententiae pars, uti prostat, potius ut finalis apparet, id quod non congruit cum secunda parte; proinde dicatur « nedum pravis desideriis serviat cordis sui, e contra glorificet ».

Pag. 14, lin. 4. « Corporis vires ... imperio *inservire* cogat »: imperium exigit potius oboedientiam; ergo loco « inservire » ponatur « oboedire »; secundum textum gallicum potius dicendum esset « spiritus dominio subesse cogat ».

Pag. 14, lin. 8. « Die ultimo »: dicatur potius « die novissimo » adhibeatur expressio biblica usitata in Vulgata et proinde clara « in die novissimo », vox technica ad finem mundi designandum.

Pag. 14, lin. 9. Quid significat expressio « spiritualiter transformatum resusci-

tabitur »? Textus videtur alludere ad *1 Cor.* 15, 44 « seminatur corpus animale, surget corpus *spiritale* »; melius citaretur doctrina S. Pauli; praeterea textus innuit ac si corpus *prius* spiritualiter transformatur et deinde resuscitatur, quod minus exactum est; proinde fortasse dicatur: « per resurrectionem transformabitur in spiritale » (vox « resurrectio » melius congruit cum verbis Symboli, quae in sequentibus adducuntur). Textus *Iob* 19, 26 melius omittitur.

Pag. 14, lin. 13. Quid significant verba « intellectu suo, divinae mentis speculo »; ordinarie dicitur potius intellectus *imago* divinae mentis quam « speculum »; intellectus posset dici quodammodo speculum Dei, in quantum homini refert imaginem Dei, sed non est praecise speculum divinae *mentis!*

Pag. 14, lin. 20. « Progressus fraterno ... colloquio ... conferunt »: vel dicatur « Conferunt *ad* colloquium » vel melius « colloquio prosunt vel favent ».

Pag. 14, linn. 20-23. In his lineis plura corrigenda et clarius exponenda videntur, ita ut textus fere ita sonare deberet (ponendo loco « colloquium » « communicationes », vox quae latius patet quam colloquium): « fraternae inter homines communicationi (communicationibus) plurimum faveant; tamen advertendum est, colloquium illud *proprie dictum,* quod condicio et subsidium est vitae socialis, non fieri in hoc campo magis amplo, sed in profundiore communione inter homines situm esse, scilicet in communione personarum facta in mutua reverentia erga integram hominis dignitatem spiritualem ».

Pag. 24, lin. 24. Loco « de veritatis perceptione » dicatur « de veritatis cognitione ».

Pag. 14, lin. 25. Addatur vox « etiam », ita ut sententia incipiat: « etiam magis quam ... ».

Pag. 14, lin. 26. Quid significant verba « supplemento animae indiget »? Id quod habetur in textu gallico, fere ita latine reddendum esset: « etiam maiore *contributione spiritus* indiget ».

« Ad sibi humanius adicienda »: non intellegitur quid significent haec verba; textus gallicus ita latine reddi posset: « Ad assimilanda (vel « interius elaboranda ») et magis humana efficienda ... ».

Pag. 14, lin. 27. « Si sapientiores ... non suscitat »: melius « nisi homines sapientia praeditos e proprio medio suscitet ».

Pag. 14, lin. 28. « Quocirca ... emolumentum praestare possunt »: melius et clarius « inde saepe saepius nationes pauperes quidem in re oeconomica sed sapientia a maioribus suis accepta ditiores, aliis nationibus egregie prodesse possunt ».

Pag. 14, linn. 37-39. « ... sorte decernit ... realitatem attingit »: haec descriptio multo magis concreta esse deberet; saltem principaliora quaedam corriguntur. Dicatur ergo: « ... Propriam sort*em* decernit; in his omnibus non decipitur fallaci aliqua opinione, quae quasi mero alicui influxui conditionum physicarum et socialium ... debeatur, sed econtra realitatem aliquam profundissimam mente attingit ».

Pag. 14, linn. 39-41. Si adhibentur verba Domini ex Evangelio ea potius citanda essent vel saltem locus (*Mt.* 16, 26) citandus esset; sed iure quaeri potest, num haec verba hic rite adduci possint; hic enim agitur de dignitate hominis naturali, dum verba Domini dicta sunt de salute hominis *supernaturali* et aeterna (agi de ordine naturali apparet etiam ex eis quae in primis lineis pag. 15 dicuntur).

Pag. 15, lin. 1. Lex moralis naturalis non tantum pure formaliter ut lex iubens vel vetans, sed etiam ut *bona* agere, *mala* vitare iubens describi deberet. Secus

enim ut arbitraria apparet. Quaeri etiam potest, nonne indicari debeat fundamentum huius legis situm in naturali dignitate hominis eiusque ordinatione in Deum ut proprium finem ultimum. Vera moralitas de qua pag. 15, lin. 7 non consistit in simplici imperativo aliqua agendi et alia vitandi, sed in imperativo *bonum* agendi et *malum* vitandi.

Pag. 15, lin. 7. « *Ad* virtutis ... proficere ... »: forte melius: « *in* virtutis exercitio ... proficere »; notandum tamen hic introduci derepente conceptum « virtutis », qui nullibi explicatur vel praeparatur; nonne multo melius procederetur ex dignitate hominis supra descripta et diceretur « ut homo et tota familia humana vitam homine vere dignam agere possit ».

Pag. 15, lin. 9. Fortasse melius invertitur et paulisper mutatur textus et dicitur: « At homo nonnisi libere bonum *sequi* potest ».

Pag. 15, lin. 11. Melius repetitur subiectum et dicitur: « *libertas* autem non est ... ».

Pag. 15, lin. 12. « Veram suam significationem et nobilitatem non obtineat »: forte melius et exactius: « suum scopum et finem non assequatur nec nobilitatem suam servet » (nobilitas ex se praecedit quamlibet actionem).

Pag. 15, lin. 13. « Nisi finem suum *constituat* ... »; deest enim verbum se referens ad vocem « finis »; sed forte melius vox finis omitteretur et diceretur « nobilitatem non servet, nisi bonum tamquam finem proprium spontanea electione persequendo et ... ».

Pag. 15, lin. 14. « Homo personalitatem suam detegens ... et iuris Dei »: quid significat « personalitatem suam detegere » (eius conscius fieri?) et esse « iuris Dei »? fortasse hominem « ad Deum pertinere »?

Pag. 15, lin. 15. « Homo ... detegens ... iuris Dei »: Cur non sequamur simpliciter textum gallicum, qui simplex et perspicuus est et latine fere sic reddi potest: « Homo evolvens propriam personalitatem, simul intellegit et affirmat se esse sui iuris et tamen etiam se a Deo pendere » (a Dei auctoritate pendere).

Pag. 15, lin. 17. « Consciam determinationem »: exactius « Sui ipsius determinatione » (secus determinatio ut ab extra proveniens intellegi posset).

Pag. 15, lin. 17. « Personaliter motus et persuasus, libenter ... »: dicatur melius: « scilicet motus persuasione personali, spontanee et non sub ... ».

Pag. 15, lin. 20. « Actuum suorum conscientiam et onus ... »: melius: « Actuum suorum conscius sit deque iis respondeat ».

Pag. 15, lin. 21. « *Permittit* potius ... auferat »: loco « permittit », quod perperam de permissione morali intellegi posset, dicatur « sinit » et totus textus hoc modo construatur: « Deus praefert sinere, ut creatura contra Creatorem suum insurgat, quam ei libertatem auferre ».

Pag. 15, lin. 23. « Non violenter *obtrudit* » melius « imponit ». « Mere serviliter prostratos ... aestimat »: secundum textum gallicum melius: « oboedientiam serviliter servilem nihili aestimat ».

Pag. 15, linn. 24 s. « E contra ... dirigit »: textus gallicus ideam multo rectius exprimit.

Pag. 15, linn. 25 s. « Et velut *quodam* itinere »; « ad definitivam resurrectionem »: etiam post *mortem?*

Pag. 15, lin. 27. « Indesinens »: forte melius: « continuata et progrediens ».

Pag. 15, lin. 30. « Dum materi*ae* praestat »: melius: « materiam longe superat » vel « longe praestantior est ».

« Omni homini similis est »: clarius « *vi ipsius naturae* omni homini ... ».

Pag. 15, lin. 31. « Sine rationibus cum aliis »: expressio saltem non clara; proinde dicatur « sine *relationibus* cum aliis ».

Pag. 15, lin. 30. « Non sit ei *onus* ... »: secundum dicta in linea praecedenti non est, proprie loquendo omnino, onus, sed ad summum officium; ergo dicatur « non sit ei *officium* accidentaliter ... ».

Pag. 15, lin. 34. « Grandescit »: estne vox latina? Dicatur simpliciter « crescit ».

Pag. 15, lin. 35. « Et *hoc demum modo* suae vocationi ... ».

Pag. 15, lin. 36. « In his rebus »: melius « qua in re » (Quae dicta sunt in lineis praecedentibus, omnino ut una res vel unum thema concipi possunt).

« Novos ... prospectus »: est ne vox latina et clara? Dicatur: simplicius « novam lucem ».

Pag. 15, lin. 38. « Ita ad alias vivit »: expressio saltem valde obscura; forte dici potest « ad alias refertur et pro eis vivit ».

Pag. 15, lin. 39. « Ut ea ipsa ... constituatur »: forte clarius: « ut hac eiusdem relatione ipsa eius ratio personae constituatur ».

Pag. 15, lin. 41. « Homo ... sola creatura ... propter se ipsam voluerit »: Notandum est textum S. Thomae, qui adducitur in nota, agere de providentia et gubernatione, non de creatione; praeterea res magis accurate exprimenda esset; nam certo Deus hominem propter *seipsum* et non tantum propter hominem voluit; ergo dicatur « propter se ipsa, qualibet alia *creatura* exclusa ». Sed tota phrasis est nimis contorta et parum probat.

Pag. 16, lin. 1. « Idem ex seipso ... refertur ... se dando ... »: dicatur clarius: « Idem vi propriae naturae ad alios refertur, ita ut nonnisi se donando seipsum invenire possit »; notandum tamen expressionem biblicam « invenire se ipsum » homini communi minime claram esse; proinde forte melius eius loco diceretur « suam perfectionem obtinere possit ».

Pag. 16, lin. 3. Mutetur ordo verborum hoc modo: « Ceteroquin uno mandato diliges reliqua omnia comprehenduntur »; notandum tamen hoc in Novo Testamento dici de ordine concreto supernaturali; ergo addi deberet hoc suo modo valere *etiam* in ordine naturali de quo agunt multa, quae dicuntur in praesenti paragrapho, v. g. quae dicuntur de indole sociali hominis.

Insuper oporteret explicare, de quonam mandato agatur, id est, an de mandato amoris Dei vel amoris proximi. E contextu praecedenti videretur agi de amore proximi, in linea sequenti autem videtur agi de amore Dei.

Pag. 16, lin. 4. « Atque cum amor ... docemur »: neque nexus neque ipsa sententia clara est; proponitur: « Atque cum amor Dei nequeat secundum conceptionem christianam ... seiungi, ideo a S. Paulo docemur ».

Pag. 16, linn. 8-10. « Quod vero pro hominibus ... comprobatur ... »: melius et clarius: « Hoc autem pro hominibus, quippe qui in dies magis ab invicem dependeant, atque pro mundo, qui in dies magis in se unitur, patet esse maximi momenti ».

Pag. 16, linn. 11-12. Cum in textu definitivo titulus in uncinis positus omittetur, in textu ipso vox « mors » poni deberet et proinde dicatur, simul corrigendo textum: « Recte iudicat homo, impossibile esse ut *morte* omnia finiantur ac in nihilum redigantur » (vox « denique » melius omittitur; nam non agitur de ultimo puncto expositionis).

Pag. 16, linn. 12-14. « Semen aeternitatis ... contendit »: primo videndum esset, utrum expressio « semen aeternitatis » sit sat clara, sine ulteriori explicatione; praeterea totus textus funditus corrigendus est; dicatur fere ita: « Semen aeternitatis, quod nullo modo ad materiam reduci potest, morti efficaciter resistit ac efficit, ut homo ultra ipsam mortem ad vitam non perituram aspiret ».

Pag. 16, linn. 14-16. « Sane omnia ... non respondet »: Sententia valde infelix; dicatur fere ita: « Omnia hodiernae technicae (artis) molimina, licet utilissima, in conspectu mortis omnino impotentia sunt et etiam prorogatio vitae materialis, a biologia hodierna tentata, minime hoc problema mortis solvere potest.

Pag. 16, linn. 16-19. « Dum coram morte ... positum esse »: Sententia clarior et magis latina reddatur fere hoc modo: « Etsi autem coram morte cogitatio mere humana deficit, Populus Dei affirmat, hominem vocatum esse ad finem aliquem beatum, qui excedit limites vitae terrestris ». (Non dicatur « terrestris miseriae » quod non respondet neque textui gallico neque illis, quae antea in textu de vita in hoc mundo dicta sunt).

Pag. 16, lin. 23. « Ad communionem cum ipso Deo »; forte melius secundum textum gallicum « Ad *vitae* communionem ... ».

« Utrumque colloquium »: melius adhibeatur vox « dialogus »; hic terminus ex una parte nota Encyclica Pauli VI iam consecratus est et clarior est; ex alia autem facilius intellegitur « communionem », de qua in praecedentibus, resumi voce ampliore « dialogus » quam voce per se magis angusta « colloquium ». Sed fortasse simplicius et rectius: « Utraque haec communio ... ».

Pag. 16, lin. 24. « A *prima* sua existentia »: numquid datur « secunda existentia » hominis? Dicatur ergo: « Inde ab initio existentiae ... participat » (loco « praesto est »).

« Non enim existit ... diligitur ... se committat »: plura hic corrigenda veniunt et proinde dicatur: « Solum enim propterea existit, quia a Deo diligitur ...

Pag. 16, lin. 26. « Se committat » est potius expressio fiduciae quam amoris, proinde dicatur « Seipsum donet ».

« Haec amoris ratio eum subsistentem ... incidit calamitatem »: sententia valde infelix; dicatur forte: « Haec autem relatio constitutive ad ipsius esse pertinet; illam non agnoscere maximum pro eo malum est ».

Pag. 16, linn. 28-32. Tum stylus tum claritas deficiunt. Proinde dicatur: « Fides igitur ob solidas rationes, quas homini considerandas proponit ei anxie de sorte sua futura interroganti responsum dare valet. Immo communionem cum fratribus iam morte praereptis, quos dileximus ac diligimus et qui veram vitam sunt adepti, possibilem reddit ».

Pag. 16, lin. 34. « Intimam ac vitalem ... cum Deo *rationem* »: expressio saltem non est clara; melius ponatur « relationem » (idem ponatur in lin. 37 et forte etiam in alio loco in eadem paragrapho).

« Nullo modo aut non ... »: melius « *vel* nullo modo *vel* non recte ».

Pag. 16, lin. 36. « *Se* invicem ... excludunt ... implicantur »: sufficit dicere « invicem » ut obiectum in accusativo; proinde dicatur « invicem non ... excludunt, immo ... invicem implicant » (ergo *sine* « *se* » et sine constructione passiva).

Pag. 16, linn. 38-39. « Plures legitimum ... suscitent »: magis praecise et clare: « Apud complures homines legitima ad autonomiam adspiratio efficit ut vix ac ne vix quidem qualemcumque dependentiam a Deo personali intellegere et admittere possint ».

Pag. 16, linn. 40-42. « Inter illos ... negationem »: magis clare et latine ita dicatur: « Quos inter quidam hominem plus minus conscie tantopere exaltant, ut fides in Deum fere evacuetur; hi potius quam negare Deum, hominem efferre intendunt ».

Pag. 16, lin. 32. « Sunt qui censeant ».

Pag. 17, lin. 1. « Circa *hoc* problema »: clarius problema relationis inter hominum et Deum vigentis.

Pag. 17, linn. 1-3. « Alii Deum ... reiciant »: forte clarius et magis accurate: « Alii Deum tali forma *sibi* repraesentant (vel fingunt), ut, Deum repudiantes, potius hanc fictitiam imaginem reiciant, quam verum Deum in Evangelio revelatum ». (Expressio « Deus Evangelii » per se minus placet, nam Deus *unus* secundum suam naturam etc. potius et magis in Vetere Testamento se revelavit, dum Evangelia potius Deum *Trinum* revelant. Iamvero hic videtur agi de *prima* cognitione Dei. Inde saltem *etiam* Vetus Testamentum includi deberet. Fortasse loco « Deum Evangelii » dici posset « Deum christianae revelationis »).

Pag. 17, lin. 3. « Bonis ... *imprimunt* absolutum »: melius: « valoribus humanis characterem *attribuunt* absolutum » (vox « imprimere » denotat actionem realem, de qua hic non agitur »; actio autem intellectualis de qua sermo est, melius exprimitur voce « attribuere »).

Pag. 17, lin. 4. « Deo ... agnoscitur ... substituantur »: forte melius: « qui nonnisi Deo competit, unde in sua mente illos valores Deo substituunt ».

Pag. 17, lin. 5. « Non vident ... non agnoscunt »: stylistice clarius: « Non vident rationes, cur in vita sua de Deo aut de religione curare debeant, aut saltem easdem non intellegunt ».

Pag. 17, lin. 6. « Practico materialismo dediti »: clarius: « Praesertim ob materialismum practicum cui dediti sunt ... » (vel melius « cui indulgent »).

Pag. 17, lin. 9. « Erratis »: dicatur: « Erroribus ».

Pag. 17, linn. 11-13. « *Nemo* ... effugere valet »: stylistice et linguistice melius: « In quibusdam occasionibus ... *nullus homo* effugere valet ».

Pag. 17, linn. 13 s. « Cui quaestioni solus Deus ... vocat »: melius et exactius: « Cui quaestioni solus Deus *complete et efficaciter* respondere potest, eo quod hominem ad profundiorem considerationem et humilem inquisitionem invitat » (additur « complete et efficaciter », quia per cognitionem naturalem Dei, et proinde etiam proprii finis, secundum *Rom.* 1, 19 ss. etiam homo ipse *aliquomodo* huic quaestioni respondere potest; secus negaretur cognitio Dei naturalis, affirmata a Concilio Vatic. I.

Pag. 17, lin. 15. « Comperimus tamen plures »: melius: « Compertum habemus (vel novimus) non paucos » quod plus dicit quam « plures »; et de facto habentur permulti!).

Pag. 17, lin. 16. « Probare »: exactius: « approbare ».

« Facta »: forte melius: « huius temporis *notas* ».

Pag. 17, lin. 18. « Non ... reducendas » melius: « quae reduci nequeunt » (si enim possent reduci, non est cur hoc non fiat).

Pag. 17, lin. 20. « Sustentatur »: expressio nimis debilis, melius: « promovetur ».

Pag. 17, lin. 21. « Diffunditur »: estne expressio latina et clara?

Pag. 17, lin. 22. « Multifariis ... ligatus »: latine melius dicatur: « Omne genus miseriis oppressus ».

Pag. 17, lin. 23. « In certis ac definitis ... sub specie ... »: melius: « In quibusdam determinatis condicionibus ... sub imagine ... repraesentat » (vox « species » potius respectum et similia denotat aut imaginem fictam).

Pag. 17, lin. 26. « Abalienat », melius: « sibi ipsi alienus evadit ».

Pag. 17, lin. 27. « enixe », melius: « omni ope » (gallice « à tout prix »).

Pag. 17, lin. 29. « Constituat »: estne sensus, ut homo *solum* hic in terris felicitatem suam quaerat, an est sensus, ut eam ad effectum deducat? In secundo casu melius diceretur « efficiat vel ad effectum deducat » (gallice « établisse »).

Pag. 17, lin. 31. « Subsidiis » melius « viis, mediis ».

Pag. 17, lin. 32. « Offendunt »: adhibeatur expressio fortior « laedunt ».

Pag. 17, lin. 33. « Ante faciem » melius « in conspectu » vel: coram.

Pag. 17, linn. 34-36. « Fideliter ... addicta ... firmiter reprobet »: clarius (secundum textum gallicum) et latine melius dicatur: « tam fidelitate erga Deum quam erga hominem mota perniciosas illas doctrinas actionesque, cum dolore quidem, firmiter tamen reprobare perget ».

Pag. 17, lin. 37. « Ab innata eius excellentia *deiciunt* », melius: « innata ... *privant* ».

Pag. 17, linn. 40 s. « Num suam ... puris fulcire valeant »: non adhibeatur modus dicendi, qui videtur admittere possibilitatem ut rationes illae vere validae et purae sint, eo vel magis quia hae rationes lin. 31 iam ut falsae indicatae fuerunt; hoc enim sapit contradictionem, vel saltem modum non sincerum agendi, quo homo hodiernus valde offenditur. Ergo dicatur: « Illos qui haec systemata sequuntur ac defendunt (melius quam " asserunt ") invitamus, ut sincere rationes, quibus oppositionem suam contra religionem (melius quam " contra Deum ") fulciunt, sincero examini subiciant » (et omittantur verba « num vere validae atque purae sint », nam sensus examinis e contextu clarus est).

Pag. 17, lin. 41. « Quaerimus ... civitatum rectores »: melius: « Interrogamus insuper eos, qui populos regunt, quo iure ipsi inter homines ... » (etsi enim expressio « civitatum rectores » classica esse possit, tamen in contextu minus clara est; melius ergo adhibetur expressio adhibita lin. 20 vel, ob varietatem, « qui populos regunt »).

Pag. 17, lin. 43. « Ecclesia atheismum reiciens ... conferre debere »: magis clare.

Pag. 18, lin. 3. « Etsi Ecclesia atheismum reicit, tamen sincere agnoscit, omnes homines, sive credant sive non, in hoc mundo simul habitare et ad illum perficiendum propriam operam conferre debere ».

Pag. 18, lin. 3. « At pro credentibus ... congregatorum »: melius: « Simul tamen pro credentibus iustam libertatem postulat, ut in hoc mundo templum etiam Deo exstruere possint, communitatem scilicet christianorum, qui in Ecclesia congregantur ».

Pag. 18, lin. 6. « secretissimis ... desideriis »: cum vox « secretus » fortasse in lingua latina non habet sensum « intimus » melius dicatur « intimis ... desideriis ».

Pag. 18, lin. 8. « De altiore sua sorte desperabant »: melius « De altissima *eius* sorte acriter dubitabant » (« desperare » potius denotat dubium de sorte *ad effectum deducenda,* quam dubium de existentia ipsius sortis; hic autem agitur potius de dubio de existentia eiusdem sortis).

Pag. 18, linn. 8 ss. « Nuntium eius ... utilitatem fundit »: sententia minime

clara, forte hoc modo corrigenda est: « Nuntius eius, adeo hominem non minuit, ut ei potius lucem, vitam et libertatem afferat ».

Pag. 18, lin. 10. « Null*um* praeter illu*d* ... valet »: melius: « Nullus alius nuntius cordi hominis satisfacere valet, secundum illud S. Augustini: ».

Pag. 18, lin. 14. Forte melius invertuntur verba et dicitur « primus enim homo, Adam, erat ... ».

Pag. 18, linn. 15 ss. « Christus, novissimus Adam ... patefacit »: clarius diceretur: « Novissimus Adam, Christus, revelans mysterium Patris Eiusque amoris, eo ipso humano generi manifestat qui sit homo et quae sublimis eius vocatio ».

Pag. 18, lin. 18. Primo corrigendum esset mendum typographicum ponendo « *si* » loco « se ». Tamen forte melius sententia construeretur sic: « Nil igitur mirum, omnes veritates de hominis vocatione hucusque expositae in eo suum habere fontem atque invenire consummationem ».

Pag. 18, lin. 20. Omittantur verba « qui est » et dicatur: « Imago Dei invisibilis, Christus est ... ». Et addatur in parenthesi *Col.* 1, 15.

Pag. 18, lin. 21. « Ad similitudinem » forte melius et fortius: « Ad imaginem ».

« Inde a primo peccato obnubilatam »: forte melius indicatur primum peccatum simul *ut* causa et proinde omittuntur verba « inde a » et dicitur « primo peccato obnubilatam ».

Pag. 18, lin. 23. « Se cum omni homine ... coaluit »: cum « coalescere » sit intransitivum, omittendum esset « se »; praeterea videndum esset, an non possit inveniri melior expressio latina pro gallico « s'identifier » fortasse: Ipse ... cum omni homine quasi in unum coaluit.

Pag. 18, lin. 24. « Humanis manibus *opus fecit* »: melius dicatur termino magis generali « laboravit » vel « laborem exercuit ».

Pag. 18, lin. 26. « Ex *nostris* » melius dicatur: « Ex *nobis* ».

« In omnibus ... excepto peccato »: addatur citatio *Hebr.* 4, 15.

Pag. 18, lin. 28. « Sanguine suo *libere* effuso »: ut clarius idea libertatis efferatur, forte melius diceretur « *sponte* effuso » ... et in Ipso Deus ... ».

Pag. 18, lin. 29. « Deus nos reconciliavit sibi et inter nos »: est constructio aliquomodo dura; forte ita corrigi potest, adhibendo verba Epist. Ad Ephesios: « Nos reconciliavit sibi et fecit pacem inter nos » et in nota ponatur etiam *Eph.* 2, 15.

« e servitute ... eripuit »: addatur citatio *Col.* 1, 13; *Rom.* 6, 8-17.

Pag. 18, lin. 39. Si placet citare in textu subiectum phrasis paulinae « Filius Dei », hoc fiat citando textum ad Galatas sicut iacet: « In fide vivo filii Dei, qui dilexit me ... ».

Pag. 18, lin. 33. Forte magis praecise « Donec *in fine mundi* Dominus veniat » (confer *1 Cor.* 11, 26).

Pag. 18, lin. 34. Forte melius in plurali « impugnationes ».

Pag. 18, lin. 38. « Cunctis possibilitatem offerre, ut, modo Ipsi cognito »: forte melius: « Cunctis id *praestare,* ut, modo ipsi *soli* cognito ».

Pag. 18, linn. 39 s. « In Christo ... illuminatur ... nos obruit »: proponitur plura magis clare et latine exprimere hoc modo: « Hoc igitur modo in Christo novam lucem accipit problema doloris et mortis, quod sine hac revelatione caligine obruitur ».

Pag. 18, lin. 41. Forte melius invertere: « Christus instanter nos monuit ».

Pag. 18, lin. 43. « Sed scriptum est ... »: nexus citationum sequentium cum

praecedentibus non est clarus et melius explicetur; sensus videtur esse: eo quod aliquis « quaerit animam suam » et proinde peccat, eum non statim perdere animam suam, datur enim remissio peccatorum. Si ita est, nectatur adhibendo textum S. Ioannis: « Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum » (*1 Io.* 2, 1). Et dein forte melius omittitur textus « Si reprehendit ... ». Quidquid est, nexus et sensus *clarius* explicandus est.

Pag. 19, lin. 3. Quid significant verba « qui solus cor nostrum transformare potest » et cur ponuntur?

Pag. 19, lin. 4. Quomodo Christus, mittendo Spiritum suum, unumquemque « suo nomine appellat »? Ad quid refertur « suo »? hominis an Christi? Ut nexus inter missionem Spiritus et verba « eique comitem ... se praebet » appareat dicatur fortasse « mittendo *proprium* suum Spiritum », ita ut appareat, Christum *per suum Spiritum* se bonum comitem praebere.

Fortasse loco « suo nomine appellat » melius diceretur, alludendo ad *Io.* 10, 4 « Vocat nominatim » i. e. unumquemque individualiter et personaliter curat.

Ceterum huius ultimi commatis (18, 41 - 19, 7) nexus et sensus vix perspicitur. Aut omittatur aut clarius explicetur.

Pars I - capp. II-IV. — *N.B.* Magnus numerus notarum, quas in praecedentes paginas apponere coactus sum, sufficienter ostendit, omnino mihi impossibile esse eadem mensura reliquam partem textus eiusdem schematis examini subicere quoad linguam et translationem. Unde in sequentibus potius ad rem ipsam attendam; adnotationes quoad linguam non apponam, nisi ubi agitur de sensu magis praeciso et clariore reddendo vel per modum digressionis.

Pag. 22, lin. 24. « Utputa victum, vestitum ... »: cum verbum relativum « tribuantur » sit in passivo hic potius nominativa ponenda sunt.

Pag. 22, lin. 29. « Decretoria evolutione » pro « evolution décisive », non est latinum; ponatur « evolutione maximi momenti vel ponderis » vel simile quid.

Pag. 23, lin. 17. Omittatur « non » ante « licet », nam negatio implicite iam habetur in praecedenti « minus ».

Pag. 23, lin. 29. « Ideo et damnatus est », scil. dives ille, qui secundum parabolam Christi quotidie epulabatur; certo in textu nihil habetur de hac ratione damnationis divitis; inquantum in Evangelio ratio damnationis indicatur, haec potius in vita effrenata et luxuriosa quaerenda est; saltem illa ratio damnationis non tam absolute et peremptorie ponenda est. Forte addi posset aliqua probatio e S. Scr. v. g. « Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam » *Iac.* 2, 14.

Pag. 23, lin. 38 ad pag. 24, lin. 5. Cur crimina variorum generum et maximae variae gravitatis ponuntur ita permixta? Nonne inde res perperam intelligi posset, Ecclesiam haec omnia in eodem gradu ponere ac si eiusdem gravitatis essent? Ergo aliquis ordo inducendus esset, incipiendo v. g. a sententia generali pag. 24, lin. 2, illustrando dein eandem per exempla minus gravia et procedendo ad magis et maxime gravia.

Pag. 24, lin. 19. « Caritas mentis » (Gall. Charité intellectuelle): omnis caritas ex mente procedit et expressio non indicat illud quod in textu intenditur; forte expressione descriptiva utendum est v. g. caritas in rebus vitae intellectualis vel aliquid simile (caritas relate ad opiniones aliorum).

Pag. 25, lin. 10. « Humani generis conscientiae »: daturne aliqua « conscientia » proprie dicta humani generis? Et si datur, constituitne illa veram aliquam nor-

mam moralem? Ipsa utique potest adhiberi ut *argumentum* aliquod potius intellectuale sed non proprie ut aliqua norma moralitatis.

Pag. 25, lin. 18. Secundum contextum potius ponendum esset « num » loco « nonne ».

Pag. 25, lin. 19. « Personarum acceptioni » dubitari potest num haec expressio biblica sufficienter clara sit, maxime in aliquo documento, quale est schema 13. Ponatur ergo expressio moderna « studium partium » (« parzialità ») vel simile quid.

Pag. 26, lin. 27. « Roborem »: rectius « robur ».

Pag. 26, lin. 27. « Inevitabiles coercitiones vitae socialis »: Cum omnis « coercitio » proprie dicta cum hominis libertate pugnet, haec expressio potius evitanda esset; forte dici potest « inevitabiles necessitates ».

Pag. 26, lin. 42. « Destinatio »: forte clarius dicatur « sors » vel « fata ».

Pag. 27, lin. 11. « Normas ... ad cursum vehiculorum ... »: fortasse addatur « normas *iustas* », ne Concilium videatur simpliciter omnes normas in conscientia imponere.

Pag. 30, lin. 1. « Coaetaneis »: haec vox indicat illum, qui eiusdem aetatis est ac ille, qui loquitur, non eos qui eodem tempore vivunt; ergo dicatur « aequales ».

Pag. 30, linn. 6-14. Haec verba videntur nimis pessimistica esse. Etsi enim etiam pro christianis plura problemata hac in terra obscura maneant, tamen revelatio lucem ea multo maiorem affert, quam quae hominibus sine revelatione praesto est. Unde non debemus loqui illo modo tam debili quasi dubitativo « credere debemus nos ... posse » (linn. 12 s.). Ergo dicatur: « Pro omnibus *quidem* hominibus ... » (lin. 6) ... « Attamen cum hae quaestiones cum salute nostra intime cohaereant, revelatio divina eas sufficiente luce illustrat, unde humili oratione ac fidenti meditatione verbi divini, duce Spiritu Sancto, aliquam arcanae veritatis intellegentiam consequi possumus » (linn. 11-14).

Pag. 30, lin. 31. « Ut universum mundum ... regeret »: locus citatus *Sap.* 9, 3 dicit: « in aequitate et iustitia », cur ergo mutatur?

Pag. 30, lin. 36. « Saluti corporis et mentis et animi »: quaenam est differentia inter « mentem et animam »? Ergo dicatur simpliciter cum gall.: « sanitati physicae, intellectuali et morali ». Sunt enim haec tria adiectiva iam sufficienter nota in lingua latina ecclesiastica, unde sine difficultate adhiberi possunt.

Pag. 31, lin. 7. « Creatoris opus peragere »: Certe non proprie opus Creatoris peragunt, ad summum illud continuant, etiamsi nec hoc proprie loquendo; dicatur ergo « opus a Creatore inceptum quodammodo continuant ».

Pag. 31, lin. 11. « ... assertio *pertinet* etiam »: melius « refertur etiam ad »; simplicius: « Quae dicta sunt, referuntur ... ».

Pag. 32, lin. 8. « Si his verbis »: clarius, repetendo e praecedentibus « Si voce " autonomia " intellegitur ... ».

Pag. 32, lin. 10. « Autonomiam exigere plene fas est »: cum « fas » adhibeatur de re licita et hic agitur potius de veritate aliqua, melius dicitur « autonomia legitime exigitur », vel melius « affirmatur ».

Pag. 32, lin. 19. « Hae leges et haec inventa, *si vera sunt* »: Quo sensu leges et inventa « vera » esse possunt? dicatur « *si vere talia* sunt ».

Pag. 32, lin. 29. « Non ita *operose* » melius difficulter ».

Pag. 33, lin. 4. « *Longius* progredi *velint* »: melius: « *ulterius* progredi *vellent* » vel: « volunt ».

Pag. 33, lin. 17. « Ad hominis *incrementum* »: loco « incrementum » dicatur: « adiumentum ».

Pag. 33, lin. 29. « Plenam abnegationem requirere potest »: Dominus in Evangelio certe ab omni homine plenam abnegationem requirit: « omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus » (*Lc.* 14, 33); non vero requirit semper plene *effectivam* abnegationem. Ergo dicatur: « plenam renuntiationem requirere potest ».

Pag. 33, lin. 34. « Modo quidem communitatis proprio »: (« Manière communautaire ») expressio non valde clara fortasse dicatur: « modo cum aliis communi ».

Pag. 34, lin. 9. « Oppignorare se debent » (Gall. s'engager.): non est expressio latina; dicatur « se dare » vel « se dedere » vel « se dicare », vel: « eniti debent ».

Pag. 34, lin. 22. « Non sine influxu Maligni »: saltem brevis probatio huius incisi requiritur v. g. de mundo in maligno posito (*1 Io.* 5, 19) vel *Eph.* 6, 12 « adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae ».

Pag. 34, lin. 26. « Exspectatio creaturae ... » melius citetur ad verbum *Rom.* 8, 19.

Pag. 34, lin. 29. « In dispensatione plenitudinis ... instaurabuntur »: expressio « plenitudo temporum » apud S. Paulum adhibetur de tempore *primi* adventus Christi (cf. *Gal.* 4, 4; *Eph.* 1, 10), non de tempore scil. *gloriosi* adventus. De eodem etiam tempore agunt textus qui loquuntur de omnibus rebus in Christo instaurandis (*Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20). Proinde hae expressiones et hi textus non bene citantur in contextu stricte eschatologico, id est ubi agitur de adventu *glorioso* Christi.

Pag. 34, lin. 32. « Caelum novum et terra nova ... consummabuntur »: « Caelum novum et terra nova » secundum Apocalypsim (21, 1 s.) sunt realitates iam consummatae, non demum « consummandae », id quod etiam valet de « novo caelo et de nova terra » de quibus loquitur S. Petrus (lin. 32).

Pag. 34, lin. 39. « Redigere » agiturne de mendo typographico pro « dirigere »? Certe verbum « dirigere » melius diceretur.

Pag. 35, lin. 6. « Dei sapientia »: dicatur « *ut* Dei sapientia » (vel dicatur « ille, cum sit Dei sapientia, attingit ... »).

Pag. 35, lin. 7. « Splendor Patris aeterni ... omnia in Ipso constant »: melius esset, textum ita redigere, ut quam maxime textus Novi Testamenti ad verbum citari possint, fere ita: « Splendor est gloriae et figura substantiae » (*Hebr.* 1, 3) Patris, imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia ...; omnia per ipsum et in ipsum creata sunt et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant » (*Col.* 1, 15-17), « portatque omnia verbo virtutis suae » (*Hebr.* 1, 3).

Pag. 35, lin. 17. « Ampliore ratione »: melius: Multo minus ... inserviens, propriam (attende ad « non » quod sequitur).

Pag. 35, linn. 19-27. Omittatur citatio hymni liturgici « non eripit mortalia, qui regna dat caelestia »; non decet affirmationem prius quasi probare verbis liturgicis quam ex S. Scriptura. Praeterea in sequentibus probationibus plura certe rem non probant. Omittantur ergo quae dubia sunt et afferantur solum quae *certo* probant. Ita v. g. *Mt.* 4, 10 non proprie probat; nam ratio, cur Dominus satanam

repellit, proprie ea est, quia ipse falso offert potestatem, quam non habet eamque offert *pro* sui ipsius adoratione.

E textibus, qui hic adducuntur alii indicant regulam aliquam *particularem,* quam Dominus certo aliquo momento sequi voluit. Sic de legionibus angelorum quas a Patre non postulavit. Cetera autem indicant regulam humilitatis et mansuetudinis, quam Christus in vita sua mortali secutus est, quamque Ecclesiam suam omnino sequi vult. Ergo in *hac* regula a Christo Ecclesiae data insistendum esset.

Pag. 35, lin. 32. « In Spiritu *famulatus* » potius dicatur in spiritu *servitii* »; (Confer. Gall. « service »); etsi enim Christus venit ministrare, non venit tamen « famulus » hominum fieri.

Pag. 35, lin. 38. « Punctum *medium* desideriorum »: secundum verba Pauli VI (n. 37): « il punto focale » potius dicatur « punctum ad quod convergunt desideria ».

Pag. 35, lin. 39. « Gaudium et *plenitudo* »: secundum textum Pauli VI potius « gaudium et *expletio* ».

Pag. 38, lin. 6. « A superbia simul et a desperatione liberat »; est forte modus loquendi, qui facile lectorem modernum offendere potest ab eoque ut nimis negativus considerari posset; saltem loco « liberat » dicatur « avertit » (Cf. Gall. « détourne »).

Pag. 38, linn. 19 ss. « Unicus finis ... ut homines vitam habeant ... congregentur in unum ». Et quid de gloria Dei? Ergo dicatur: « Finis propter quem vivit non est alius, quam ille Christi, scil. ut homines ... ».

Pag. 38, linn. 29-32 (et pag. 39, lin. 1). « Scire desiderabit », « responsum praebet », « aperitur sensus propriae existentiae »: omnes hae expressiones indicant hic problema religiosum ad campum *scientiae* reduci, vel quasi ita; iamvero hoc objective non est verum; in religione multo magis agitur de relatione personali hominis ad Deum personalem; et praecise hic aspectus personalis religionis, respiciens totam personam et non tantum intellectum, ab hodierno homine maxime urgetur et iure quidem. Haec propria natura religionis non videtur plene negligenda esse.

Pag. 38, lin. 34. « Tamquam ideologia *quaedam* ».

Pag. 39, linn. 2 s. « Verbum Dei caro factum, homo Christus Iesus »: quisnam est sensus? Nam Verbum Dei caro factum non est simpliciter *homo* Christus Iesus, sed homo-Deus Christus Iesus. (Cf. Gall. verbum Dei caro factum *in* Christo Iesu).

Pag. 39, lin. 3. « Fons omnis sanctitatis » quid hic sanctitas sibi vult? Quinam nexus est cum praecedentibus?

Pag. 39, lin. 4. « Ecclesia in mundo praesens »: secundum contextum exactius « Ecclesiae in mundo praesentia ».

« Innititur » melius simplicius « nititur ».

Pag. 39, lin. 5. Nonne ratio huius praesentiae etiam *finis* illius missionis est, id est ipse mundus per Ecclesiam salvandus, in cuius bonum Ecclesiae concreditur illa missio (Cf. lin. 15).

Pag. 39, lin. 7. « Ordinem creationis *assumit* »: melius dicatur « comprehendit » (Cf. lin. 25).

Pag. 39, lin. 10. « Novissimis temporibus »: alibi pluries haec expressio de *hodierno* tempore dicitur; ut appareat expressionem sensu biblico adhiberi, forte posset poni inter uncinas.

Pag. 39, lin. 21. Quid significat vox « suopte »? Estne sensus « suo quodque modo »?

Pag. 40, lin. 13. « Fermenti instar, totam *massam* humanam »: uti notum est hodierni homines non amant considerari ut « massa »; dicatur ergo totum genus (vel familiam) humanum (quamquam vox « massa » *1 Cor.* 5, 6; *Gal.* 5, 9 invenitur).

Pag. 40, lin. 16. Quinam est sensus verborum « gloria Dei, vivens homo » et eorum nexus cum praecedentibus?

Pag. 40, lin. 20. « Initio sumpto » est translatio litteralis expressionis gallicae « à commencer »; dicatur simpliciter « inde a ».

Pag. 40, lin. 27. « Modo inverso »: est translatio litteralis expressionis gallicae « à l'invers »: dicatur « ex contrario ».

Pag. 41, lin. 11. Quid significat vox « dolose »? (Cf. Gall. « artificielle »); fortasse « iniuste ».

Pag. 41, lin. 26. « Saepe *redarguendum* »: non apparet cur hoc ponatur; praeterea Gall. « contester » non significat « redarguere »; fortasse: « ad disceptandum cum eo, semper autem ad eum vivificandum ... ».

Pag. 41, lin. 34. Quid significat vox « animadvertentur »? videtur poni debere « animadvertatur », vel « ... laici admoneantur » ...

Pag. 42, lin. 6. « Auctoritatem Ecclesiae *obligare* »: quid significat haec vox? Certe vox ital. « impegnare » vel gall. « engager » non ita redditur latine; fortasse « ... auctoritatem Ecclesiae sibi vindicare ».

Pag. 42, lin. 12. « *Interventus* Eius audient »: (Gall. « Appel »): dicatur simplicius et clarius « vocem » (Cf. lin. 13) vel « inspirationes ».

Pag. 42, linn. 13 s. Melius quam « voci respondere » dicitur « vocem sequi » vel « Voci obsequi » vel « oboedire ».

Pag. 43, lin. 2. « Ex humani generis historia » ex sequentibus videtur agi potius de iis, quae Ecclesia « *decursu* historiae generis humani » acceperit, nam agitur etiam de progressibus scientiarum etc.

Pag. 43, lin. 11. « varias loquelas nostri temporis auscultare »: est translatio litteralis gallici « langages »; secundum usum latinum forte melius dicitur « voces » vel, si ita melius placet, adhibeatur utraque expressio et dicatur « varias voces nostri temporis ac loquelas, quibus ipsum utitur auscultare »; hoc modo forte melius quadrat ad sequentia.

Pag. 43, lin. 16. « Coaetaneos »: dicatur potius « Coaevos »; non agitur de iis, qui eiusdem aetatis sunt quam nos, sed de iis qui eodem aevo vivunt ac nos.

Pag. 43, linn. 20 s. « Testimonio ... *libertatem eorum nullo modo offendit* »: Est fortasse expressio nimis fortis; de facto secundum Gall. agitur simpliciter de respectu habendo libertatis; ergo dicatur « libertatem iusta observantia prosequitur » vel simile quid.

Pag. 43, lin. 27. « Fideles » dicatur « fidel*ia* » scil. membra (cf. lin. 26).

Pag. 43, lin. 31. Quid significant verba « Ecclesia vero ab Evangelio iudicatur »: Quinam est nexus cum praecedentibus?

Pag. 43, lin. 35. Addatur hic nota: Cf. Sermo Ioannis XXIII 13 Nov. 1960, *A.A.S.*, 52, 1960, pag. 960.

Pag. 44, lin. 8. Loco « Exemplum » dicatur « exemplar ».

Moderator: Nunc, exc.mus D. secretarius generalis exitum alius suffragationis dicit.

Secretarius generalis: Super cap. III, nn. 12-13:

Patres praesentes et votantes		2.064
Dixerunt	*placet*	2.029
	non placet	28
	placet iuxta modum	4
Suffragia nulla		3

Etiam hic textus placuit congregationi.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, feria IV, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA VOTI DE MATRIMONII SACRAMENTO

post schematis disceptationem

1

Em.mus P. D. LAURENTIUS card. JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Problematis matrimoniorum mixtorum solutio perfecta inveniri non potest, quamdiu separatio christianorum perdurat. Hisce in circumstantiis proposita schematis emendati commendanda et laudanda sunt, quia saluti animarum provident inquantum fieri potest, et quidem secundum principia in decreto *de oecumenismo* statuta.

Quasdam emendationes propono:

Pag. 13, linn. 2-5: Omnino distinguantur matrimonia partis catholicae cum parte baptizata non catholica a matrimoniis partis catholicae cum parte non baptizata. Haec distinctio necessaria videtur neque etiam brevitatis causa unquam omittatur. *Ratio*: re vera sunt duae res valde diversae. Fratres baptizati seiuncti graviter offenduntur, si hac in re aequari videntur cum non baptizatis.

Pag. 13, lin. 10: Post verbum « baptismum » addatur: « in Ecclesia catholica ». *Ratio*: claritatis causa, nam textus revera intendit baptismum catholicum.

Pag. 13, lin. 15: Loco verborum « item certior pars non catholica fiat » potius dicatur: « item ambae partes certiores fiant ». *Rationes*: *a*) revera ambae partes certiores fieri debent de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii; *b*) si solummodo pars non catholica nominatur, fratres seiuncti ex hoc offenduntur, quia supponitur, solummodo non catholicos christianos monendos esse de essentialibus matrimonii. Et quamvis verum est v. g. plures protestantes in quibusdam regionibus ignorantia de matrimonii proprietatibus laborare, tamen sunt etiam alii protestantes, qui hac de re bene instructi sunt. Ex altera parte non desunt etiam catholici, qui monitione et instructione de matrimonio egent.

Pag. 14, linn. 32-33: Valde placet, ut cursus causarum matrimonialium expeditior fiat. Ideo in fine lin. 33 addatur: « et omnis retardatio et dilatio causae aptis ordinationibus excludatur ». *Ratio*: illae dilationes, ubi nihil iam agitur in causa, in detrimentum salutis animarum cedunt.

Pag. 15, lin. 3: Post verbum « amplientur » addatur hoc vel simile incisum: Acta causarum ad Sacram Rotam Romanam transmittenda praeter in lingua latina liceat exhiberi etiam in linguis vulgaribus plurimum usitatis, ut sunt v. g. lingua italica, gallica, anglica et germanica. *Ratio*: plures difficultates ex necessitate translationis actorum in linguam latinam exoriuntur, quibus persaepe causarum cursus nimis protrahitur.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMAR CARD. RITTER

Archiepiscopus S. Ludovici

1. Pag. 12, linn. 15 ss.: Saltem indicatur votum respicere solummodo legislationem futuram. Urgentius propono ut novae dispositiones de re matrimoniali in voto contentae incipiant valere statim post earum approbationem et promulgationem. *Ratio*: novae dispositiones desiderantur ut problematibus et necessitatibus existentibus respondentes. Recognitio autem codicis iuris canonici, quantumvis certa sit quoad factum, adhuc maxime incerta est quoad tempus.

2. Pag. 14, linn. 22-31: Praescripta in *c*) par. 6 contenta, ut mihi videtur, delenda sunt. *Ratio*: sine necessitate aut utilitate, exercitium iuris personalis restringunt. Secundum notas in fine schematis positas, haec praescripta finem habent ut aliqui abusus corrigantur et evitentur. Paragraphus verbis « At in applicatione... » incipiens, in pag. 18, mentionem facit duorum abusuum. Quorum alterum, meo iudicio, minime constituit abusum: potius medium existit commendandum iuris ad matrimonium servandi. Si remedium necessarium est contra matrimonia minorum, aliter provideatur.

3. Alicubi in schemate inseratur sequens: « Illi qui in religione catholica baptizati sunt sed ab infantili aetate sive in alia religione sive sine ulla religione adoleverunt nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam nec ullis impedimentis iuris mere ecclesiastici restringuntur ». *Ratio*: pars canonis 1099 abrogata est in favorem illorum qui volunt se convertere ad fidem catholicam in aetate adulta. Ex altera parte tamen Ecclesia multa alia matrimonia fecit invalida: quod minime convenit. Probitas, aequitas, ac caritas prohibent ne Ecclesia, in favorem paucorum, matrimonia plurimorum invalida faciat.

3

EXC.MUS P. D. THOMAS LEONETTI

Archiepiscopus Capuanus

Pag. 11, lin. 12: loco « induant oportet » dicatur: « induunt »: quo satius innuatur Sacramenti efficacia.

Pag. 12, linn. 13-15: legatur: « ... Plurimis periculis *et ingruentibus erroribus* sunt obnoxii, quibus nuptiarum genuina *natura, fines, proprietates,* validitas ipsa labefactari possunt »: opportunum enim videtur ut Concilium nedum conditiones novas sed et grassantes errores prae oculis habeat.

Pag. 12, lin. 17 dicatur: « ... fiat, necnon ad matrimonii sacramentum tuendum... » quod nimirum in subsequentibus schema Voti assequendum intendit.

Pag. 12, in n. 4: aliquid videtur addendum quo votum temporaneum castitatis, in professione religiosa, emissum, impedimentum impediens constituere dicatur.

Pag. 14, linn. 5 ss.: sub litt. *b*) nimium videtur aperiri ianua ad matrimoniorum quocumque vel malo modo celebrationem admittendam; quod nefastis consectariis

locum facile daret. Casum effingas, haud satis rarum, sacerdotis qui non sit plene compos sui, licet nondum ulla interdictione aut prohibitione ligatus, vel ex longinqua dioecesi et regione provenientis.

Haec saltem viderentur addenda: « ... in ecclesia vel oratorio publico celebretur, intra fines dioecesis cui sacerdos incardinatus seu adscriptus sit ».

4

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ

Episcopus Albasitensis

Huius brevis ac ieiuni schematis voti *de matrimonii sacramento* revisio ac emendatio, potius, ut fuit propositum, curae et studio alicuius commissionis pontificiae esset committenda. Clare non perspicitur cur haec propositio Concilio facta Patribus non placuerit. Multa etiam quae in Voto continentur, ob eorum indolem iuridicam et practicam, meliorem locum haberent in C.I.C. renovando.

Animadversiones aliquae. N. 4, pag. 12. Haec addantur: « Impedimentum cognationis legalis (cc. 1059 et 1080) sit semper impedimentum impediens ». Impedimentum raptus supprimatur.

Ratio: 1. Legislatio C.I.C. in hac re canonizat leges civiles, at impossibile est scire utrum lex civilis statuat impedimentum dirimens an tantum impediens: iura civilia enim habere solent conceptionem longe diversam a lege canonica circa naturam et influxum impedimentorum matrimonialium.

2. Hodie, et in posterum, raptus vix momentum practicum habet, data evolutione sociali mulieris: satis enim protegitur libertas mulieris per invaliditatem statutam in c. 1087, 1, ex capite vis et metus. Tristis experientia demonstravit hoc impedimentum talis esse naturae ut impossibile fere sit determinare quando impedimentum contrahatur quando re vera cesset.

N. 4, linn. 31 ss., pag. 12. Dicatur: « *d*) Votum publicum temporarium castitatis in professione religiosa emissum, impedimentum impediens constituit.

c) Votum publicum perpetuum castitatis, in professione... ».

Ratio: 1. In textu actuali sermo est de voto *privato* ac de voto *publico perpetuo*: statuitur ut illud nullum impedimentum canonicum, hoc autem impedimentum dirimens constituat. Sed quid de voto publico temporario? Cum sit votum *publicum* impedimentum canonicum constituat oportet, cum vero sit *temporarium* forse melius esset ut non nisi impedimentum impediens sit.

2. Supprimuntur verba « Omne » et « perfectae » quia superflua: verbum « omne » nihil addit; verbum « perfectae » superest, cum votum publicum castitatis semper importat castitatem *perfectam*.

N. 5, lin. 2, pag. 13. « ... Separentur, *in quantum fieri potest...* ».

N. 5, lin. 13, pag. 13. Dicatur: « ... partem non catholicam *opportuno tempore ante dispensationem nempe* moneatur... ». *Ratio*: pars non catholica, si serio assentiri vult tum promissionibus a parte catholica factis tum obligationibus a finibus et proprietatibus matrimonii dimanantibus, tempestive omnino moneri oportet, cum res adhuc sunt integrae et certo ante dispensationem.

N. 5, linn. 18 ss., pag. 13. Textus posset sic mutari: « ... Ordinariis locorum,

si ita statuit Conferentia episcopalis nationalis, facultas a forma canonica *in singulis casibus* dispensandi tribuatur... ». *Ratio*: si non ponitur haec restrictio, lex communis de forma canonica pro matrimoniis mixtis, practice ex dispensationibus generalibus Ordinariorum posset enervari. Lex de forma canonica servanda, quae maxime uniformis sit oportet, practice careret uniformitate: immo ut valide quis contrahere posset in nuptiis mixtis absque forma canonica sufficeret ut se transferret in dioecesim ubi illa dispensatio generalis ab Ordinario concessa esset.

N. 5, linn. 25 ss., pag. 13. Dici possit: « Matrimonia mixta sive inter baptizatos sive inter baptizatos et non baptizatos, intra Missam celebrari possunt, si auctoritas localis, attentis circumstantiis et periculo scandali remoto, id opportunum censuerit ». *Ratio*: non videtur ratio huiusmodi distinctionis: omnia relinquenda prudenti arbitrio episcopi attentis causis et circumstantiis locorum, semper tamen remoto scandali periculo.

N. 6, linn. 15 ss., p. 14. Vel supprimatur haec pericopa, vel saltem graviores statuantur cautelae ad graves abusus praecavendos qui ex hac matrimonii forma admissa, coram sacerdote facile oriri possint.

1. Dicatur expresse quod implicite tantum habetur, nempe gravis inde illiceitas: « matrimonium contra iuris praeceptum, *quod graviter illicitum est,* validum declaretur ».

2. Hae cautiones vel conditiones ad validitatem matrimonii addendae: *a*) quod haec matrimonia non sint per generalem dispositionem vel per particulare decretum ab Ordinario prohibita: *b*) ut publice celebretur cum expressa rectoris ecclesiae permissione; *c*) ac simul tum sacerdoti tum nupturientibus constet et istorum status libertas et impedimentorum absentia.

5

Rev.mus P. D. VINCENTIUS TOMEK

Praepositus generalis Ord. Scholarum Piarum

N. 5, pag. 13. In textu illae habentur tantum normae, quae ad matrimonia mixta cum forma canonica, vel sine ipsa ast cum dipensatione Ordinarii loci contrahenda referuntur.

Quid autem quoad matrimonia clandestina mixta, idest illa quae absque dispensatione a forma canonica contrahentur? Matrimonia huiusmodi sat frequentia erunt in ditionibus populationis mixtae eo, quod pars catholica non implorabit dispensationem Ordinarii loci, vel vero ideo, quia Ordinarius loci dispensationem, v. g. ob non completas condiciones sub *a*) enumeratas, denegabit. *Quaeritur, utrum haec matrimonia consensu vere matrimoniali publice contracta valida debeant haberi, sicuti habita sunt in Germania et in Hungaria ante a. 1918, an non.*

Ita nobis videtur, quod legislatio futura validitatem talium matrimoniorum non agnoscet. Ast — de opinione nostra — *neque expedit ut talia matrimonia clandestina mixta valida agnoscantur.* En rationes: 1. Si ipsa valida agnoscerentur, magna haberetur tentatio non praestandi cautiones sub *a*) signatas, quae tentatio suppressione excommunicationis in iure hodierno latae maior adhuc evaderet. 2. Uti experientiae nos edocent (experientiae infrascripti imprimis ad Hungariam referuntur), permulta matrimonia clandestina mixta, imprimis ex culpa partis

acatholicae, infra breve tempus cum divortio terminantur. His in casibus, si nempe validitas talium matrimoniorum agnosceretur, pars acatholica iuxta principia suae religionis post divortium libere posset alterum matrimonium contrahere, dum pars catholica hoc facere nequiret. Quam ob rem non convenit partem catholicam agnitione validitatis matrimonii obligatione vinculi indissolubilis onerare.

Omni modo *convenit autem, ut Ordinarius loci ad matrimonia huiusmodi convalidanda facultatem habeat,* pro casibus, in quibus adfuerit probabilitas adimplendi cautiones sub *a*) enumeratas.

6

PLURES EXC.MI DD. PP. CONCILIARES

Velim exprimere adhaerentiam meam interventionibus prolatis ab em.mo card. Spellman et exc.mo D. Krol, e Civitatibus Americae Septemtrionalis, de quibusdam defectibus maioris momenti in schemate de matrimonii sacramento. Enixe rogatur ut hae animadversiones amplissime considerentur a commissione incaricata de hac re iudicanda.

[*Subscripserunt*] A. Bell, ep. Sacramentensis; J. Byrne, arch. Dubuquensis; J. Costello, ep. tit. Chomatitanus; A. Danglmayr, aux. Dallesensis-Arcis Vorthensis; J. Donovan, ep. tit. Rhasensis; Th. Donnellan, ep. Ogdensburgensis; J. Fearns, ep. tit. Geritanus, aux. Neo-Eboracensis; Th. Gorman, ep. Dallesensis-Arcis Vorthensis; C. Greco, ep. Alexandrinus; M. J. Guilfoyle, ep. tit. Bullensis; R. Joyce, ep. Burlingtonensis; E. Primeau, ep. Manchesteriensis; M. Schnexnayder, ep. Lafayettensis; E. Swanstrom, ep. tit. Arbensis; J. Whealon, ep. tit. Andrapensis; A. Zuroweste, ep. Bellevillensis.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE LIBERTATE RELIGIOSA

inter sessionem III et IV

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Iterum cum dolore coram Vobis confiteor me non consentire doctrinae schematis *de libertate religiosa* ne quidem sub nova sua forma.

Haec oppositio nullatenus procedit a quacumque dispositione minus bona erga nostros dilectos fratres separatos sed a desiderio conservandi in hac materia doctrinam catholicam exactam quae plena est caritate et aequitate erga eos et erga omnes homines.

Haec doctrina, in primo loco, scopum habet defensionis verae Fidei contra omnia pericula.

Item humillime agnosco doctrinam illam quam Summus Pontifex breviter

enuntiavit in Allocutione Natalitia circa illam iustam et bene intellectam libertatem religiosam quae argumenta non assumit a persuasionibus religiosis aliorum hominum, quando illa non sunt contrariae bono communi, ad illis imponendam fidem libere ab ipsis non acceptatam vel ad instituendam respectu eorum discriminationes odiosas vel vexationes iniustas.

Observationes meae unice habent intentum ut schema perducatur ad exactius exponendam et vindicandam illam iustam libertatem religiosam hominibus sacram sive ex iure ipsis a Deo, auctore naturae, collatam sive ex iure ipsis a Deo auctore ordinis supernaturalis collatam per doctrinam Evangelii Iesu Christi, Fundatoris Ecclesiae.

His dictis procedo nunc breviter per ordinem ad illas observationes quae tangunt intrinseca ipsius schematis:

1. Dici non potest Encyclicas Litteras et alia documenta Pontificia saec. XIX non respicere doctrinam libertatis religiosae prout in schemate exponitur. Utique forsitan motiva Pontificum illius temporis alia fuerunt ab illis quae nunc cadunt sub nostra consideratione, sed ipsi conceptus naturae huius libertatis ut ab illis expositae et ut expositae in schemate iidem sunt saltem quoad substantiam.

2. Finis auctoritatis civilis non limitatur ad meram curam rerum temporalium et ordinis publici qualitercumque intellectorum. Sed finis proprius eius est ita gubernare ut cives vivere possint et ut de facto vivant vitam hominibus dignam. Apex huius vitae hominibus dignae invenitur sub aspectu morali, scil., ut cives vivant secundum virtutem.

3. Si populus sit christianus, tunc rectores civitatis regere debent eo modo ut subditis facile reddatur immo ut ipsi promoveantur ad vivendum secundum illam rationem quae digna est christianis, seu secundum virtutem christianam.

Exinde rectores debent magni aestimare Ecclesiam catholicam eique auxilium praestare. Ipsa enim a Deo instituta est ut cives sancte et virtuose vivant. Rectoribus civitatum non licet esse agnosticos quoad vitam civitatis.

4. Dignitas humanae personae non potest considerari ut ratio iustificans indifferentiam auctoritatis civilis quoad religionem specificam civium. Haec dignitas est ratio ob quam auctoritas civilis nihil facere debeat derogatorium huic libertati, non autem ut nihil faciat ipsi conveniens, immo promotivum eiusdem.

Nihil autem ita consonans est dignitati humanae ac vera fides et vita humana secundum eius dictamina.

5. In fine confiteor me non videre aliam viam ad veram doctrinam circa libertatem religiosam in societate politica ostendendam nisi illam quam innuit Summus Pontifex Pius XII scil. studium exigentiarum boni communis in societate quoad professiones religiosas promiscua.

Textus varii ex Enc. Leonis XIII circa *Libertatem religionis.*

I. « ... Insuper neque causa iusta nascitur cur Ecclesiam quisquam criminetur... ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam. Revera *si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere,* non ideo tamen eos damnat rerum publicarum administratores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexendam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia,

quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* » (ex Litt. Enc. *Immortale Dei,* p. 141, *infra,* in *Actis Leonis XIII,* vol. V).

II. « Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt... *quae valent ad decus, ad personam hominis,* ad aequalitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur » (ex Litt. Enc. *Immortale Dei,* p. 142, *infra,* in *Actis Leonis XIII,* vol. V).

III. « Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. *Vetat igitur iustitia, vetat ratio* atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, *erga varias, ut loquuntur religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri* » (ex Litt. Enc. *Libertas,* p. 231, *in med.* in *Actis Leonis XIII,* vol. VIII).

IV. « Itaque ex dictis consequitur, *nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi,* scribendi, docendi, *itemque promiscuam religionum libertatem veluti iura totidem quae homini natura dederit.*

Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. Similiter consequitur ista genera libertatis posse quidem, si iustae causae sint, tolerari, definita tamen moderatione ne in libidinem atque insolentiam degenerent » (ex Litt. Enc. *Libertas,* p. 244, *in med.* in *Actis Leonis XIII,* vol. VIII).

Ex alloc. Pii XII, *Ci riesce* (anno 1953): « ... Innanzi tutto occorre affermare chiaramente: che nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, qualunque sia il loro carattere religioso, *possono dare* un mandato positivo o *una positiva autorizzazione d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa* o al bene morale... Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione, perché sarebbe in contraddizione con la Sua assoluta veridicità e santità.

Un'altra questione essenzialmente diversa è ... (se) *si chiede se il non impedire ossia il tollerare sia in ... (certe) circostanze permesso,* e perciò la positiva repressione non sia sempre un dovere ». (*A.A.S.,* 45, p. 798).

Poi il Papa pone due principi per aiutare a risolvere i problemi circa la tolleranza: « *Primo*: *ciò che non risponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto né alla esistenza né alla propaganda né all'azione.*

Secondo: *il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto* » (*ibid.,* p. 799; cf. quoque *A.A.S.,* 38 [1946], p. 393).

2

Em.mus P. D. IOSEPH M. card. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

N. 1, linn. 9-12. Deleantur verba « *In permultis publicis civitatum...* » usque ad finem paragraphi « *... stabile regimen* ». *Ratio* est quod idem dicitur in n. 14, est ergo repetitio. Qui conceptus, nempe mentio Constitutionum civilium, aptius inveniri debet in memorato n. 14.

Ad initium tractationis de libertate sumendum, sufficit factum hodie apud omnes naturaliter notum; quin nostra tractatio debeat initium sumere a Constitutionibus politicis Statuum.

Tandem melior illatio habetur cum paragrapho sequenti.

N. 4, linn. 3-15: ... eius activitate *plerumque* aspectus socialis connectitur cum aspectu interiore. Ergo ... deneget, *quando hoc exercitium socialem conviventiam non impedit.* Hoc modo enim ... integritas personae.

Deleantur vero reliqua verba huius n. 4 a), quum falsa omnino proferant, nam manifestatio socialis impediri potest quando praeiudicium affert ordinatae et pacificae vitae communitatis.

Nec necessario omnis actus internus tendit ad exteriorizationem; maxime vero in re religiosa, quae potius « in corde » perficitur.

N. 4. In lin. 29 deleatur particula *in.* In lin. 30, post verbum « exponendis », addatur: *, iis qui libere huic dialogo assentiant. Ratio* patet, eadem enim saltem est libertas ei qui exponit, ac ei qui libere acceptare vel respuere potest hanc expositionem. Unde sequeretur ius limitandi libertatem exponendi quando expositio fit mediis psychologice aut socialiter prementibus, a quibus quis liberari nequit. Confer modernas « propagandas » quae assimilari aliquo modo possunt « lavacro cerebri », et reapse libertatem minuunt audientium.

N. 6, lin. 24. Deleantur verba « veritatem divulgandam »; maneat ergo textus: ... *ad vitam religiosam* fovendam... *Ratio* est quod, quum agatur de libertate cuiusvis religionis, etiam falsae, non possumus de omnibus dicere « veritatem divulgare »; nec ratio unde libertas petitur est veritas vel falsitas obiectiva divulgationis sed natura personae.

N. 12. Reficiatur ex integro textus huius numeri, iuxta sequentia. Roboretur ex exemplo Christi Domini assertio facta in lineis praecedentibus, n.p.: Indoli fidei christianae oppositum est... etc.

Exemplum Domini explanari posset verbis secundae paragraphi « Etenim Iesus qui Christus et Dominus... » etc.

Deleantur vero, quia falsissima et arbitraria sunt ea omnia quae confundunt libertatem prouti hodie intelligitur, cum Libertate a veteri Lege et a peccato quam Christus praedicavit i. e. deleatur integra paragraphus prima huius numeri.

Deleantur pariter verba secundae paragraphi quae respiciunt miracula Christi, inde a verbis « Miracula fecit ut auditores... » usque ad verba « quae omnia recusavit Iesus (*Lc.* 11, 16 ss.; *Io* 4, 48) ».

Agitur enim de interpretatione omnino mira et arbitraria ne dicam ridicula, de qua dein erubescere tenebimur.

3

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Cum consensu aliorum 12 episcoporum Iaponiae; reliqui 2 Praesules (i. e. de Nagasaki et de Fukuoka) suas observationes separatim miserunt.

1. N. 2 (*Quaestio historica*): Iste numerus totus aut tollatur aut funditus emendetur. Securius et facilius est eum simpliciter omittere. *Rationes*: 1. Est

valde difficile dare explicationem brevem, exactam et sufficientem de hac quaestione tam complexa et obscura.

2. Non potest dici, ut fit in schemate, quod prohibitiones Ecclesiae saec. XIX respiciebant tantum doctrinam laicismi et illam de omnipotentia status. Conferatur v. g. prop. 78 Syllabi (DENZ. 1778) quae directe opponitur illis quae dicuntur in n. 7 schematis.

3. Neque asseri potest tam absolute quod principia Ecclesiae hac in re « semper eadem manent in suo sensu et sua sententia ». Nam etiam quoad principia haec aliquis progressus admittendus est, quatenus nempe paulatim profundius et plenius cognoscantur, et consequenter ad hanc cognitionem etiam adhibentur.

4. Timendum est ne homines cultiores, catholici et acatholici, qui complexam historiam huius argumenti in saeculo elapso investigaverint, haec legentes Concilium aut de nimia simplicitate aut de defectu sinceritatis accusent.

5. Displicet etiam tam sollemnis renovatio duplicis damnationis in pag. 5, linn. 13-14. In hoc Concilio, propter eius finem praecipue pastoralem, generaliter evitata sunt damnationes et anathemata ideoque mirum est quod praecise in hoc documento, agente de libertate religiosa, redeant.

2. In n. 3, pag. 6, linn. 11 s.: loco « sed unam religionem veram esse, quam Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi per Filium suum incarnatum revelavit... » dicatur potius: « sed Deum et Patrem D.N.I.C. veram religionem per Filium suum incarnatum revelasse atque Ecclesiae custodiendam et omnibus hominibus evangelizandam tradidisse ». *Ratio*: propter ipsam naturam et totum contextum huius declarationis quae a multis acatholicis legetur, haec forma mitior praeferenda est.

3. In n. 4, *e*) pag. 9, lin. 7: loco « Ipsa » dicatur « Ipsa potestas publica ». *Ratio*: secum enim refertur ad subiectum immediate praecedens, i. e. « Libertas ».

4. Desideratur ut ex illis, quae habentur in pag. 38 et 39, n. 4 et n. 5 (de religione catholica ut religione Status et de Concordatis) brevis mentio in ipsa declaratione fiat. *Ratio*: ne Ecclesia in regionibus, in quibus talibus iuribus fruitur, damna ex hac declaratione patiatur.

4

EM.MUS P. D. LEO STEPHANUS CARD. DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Ad n. 2, pag 5 (ad finem) compleatur sequenti modo « Tandem clarius... quod omnium civium naturalia iura *inter se componat,* tueatur, colat, vindicet ». *Ratio*: fidelitas perfecta in transcribendo conceptum seu doctrinam a Ioanne XXIII in allato textu propositam.

Ad n. 4, pag. 7, sub *a*) loco « Hoc modo enim... et ad duo simul spectat » dicatur oportet: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectat... ». *Rationes*: si proponitur principium sic absolutum in schemate, nusquam ulla potestas ullum actum exteriorem in vita sociali impedire posset.

Principium schematis de nexu omnino indivisibili inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem contradicit aliis eiusdem schematis principiis, videlicet: *a*) « potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » [cf. pag. 8, sub *e*] et *b*) « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico » (cf. pag. 9 sub *b*).

Praeterea, ex eo quod homo ex natura sua non potest quin actus exteriores ponat secundum conscientiam propriam sequitur ius eiusdem ad tales actus exteriores sed non tamen ad *omnes actus exteriores*. Igitur mundus internus hominis ab eiusdem manifestationibus separari valet.

Ad n. 4, pag. 7, sub *b*). Loco « Quare ad debitam hominis libertatem... exponendis » dicatur oportet: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». *Ratio*: illogice saltus fit in textu ex officio et iure quaerendi veritatem ad ius exponendi persuasiones quascumque i. e., etiam falsas. Hoc autem contradicit: primo rationi, ius enim falsum exponendi oriretur ex officio quaerendi veritatem. Secundo, contradicit doctrinae Vaticani I circa obligationem catholicorum perseverandi in fide eorumque disparem conditionem cum acatholicis (DENZ.-SCHÖN., 3036). Referentia ad Enc. *Ecclesiam suam* non est ad rem; loquitur enim de dialogo ipsius Ecclesiae, non de quibuslibet exponendis.

Ad n. 7, pag. 11, lin. 4. Loco « Communitates religiosae... testanda », dicatur oportet: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ». *Rationes*: *a*) ut intelligatur quod ius docendi testandique exercere nequit coactione sive physica sive morali erga alios, et ex alia parte, exprimatur limitatio contra abusus, laedentes ipsam aliorum libertatem; *b*) in ipso schemate mentio fit limitationis iuris libertatis religiosae his verbis: « servato ordine publico », « servatis exigentiis ordinis publici » etc.; sed hic, ubi agitur de re tanti momenti, nulla proponitur limitatio; et hoc maxime dolendum.

Ad n. 7, pag. 11, lin. 4, in fine. Textus compleatur hoc modo: « ... , praesertim quando de pueris, *egenis* vel rudioribus agitur ». *Ratio*: minus honesta iudicanda sunt munera quaevis cum iniunctione hanc vel illam fidem amplectendi alicui exhibita. Huiusmodi proselytismus, certe reprobandus ut personae dignitati contrarius, plus una vice apud indigentes exercetur.

Ad n. 12, pag. 14, lin. 28; sequens proponitur emendatio: expungantur verba: « tamen consulto prodigia illa... pag. 15, lin. 11... traxit ad seipsum ». Paragraphus sic perhibeatur: « ... Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent testimonium autem veritati summopere praestitit sanguine suo, ita ut exaltatus a terra, omnes vi amoris traxerit ad seipsum ». *Ratio*: quae in verbis eradendis asseritur falso nititur supposito videlicet, miracula fidem coactam ac modo necessario extorquere. Sunt miracula motivum credibilitatis, auctoritatem Dei utique suadentia, minime vero rationem rem revelatam intellectui ut evidentem monstrantia.

[*Subscripserunt etiam*] Franciscus Aldegunde, arch. Tingitan., Vedastus Jacquier, ep. tit. Sufasar.

* * *

1. N. 2, pag. 4, lin. 29, loco « quaedam notio libertatis religiosae », dicatur « quaedam vitiosa notio libertatis ». Lin. 31, loco « Hanc libertatis religiosae notionem » dicatur « Hanc falsam libertatis notionem ». *Rationes*: *a*) saec. XIX agebatur non tantum de libertate religiosa, sed de libertate sub eius latiore ambitu (libertas religionis, libertas moralis); *b*) cum schema versetur circa « libertatem religiosam », non opportunum nec prudens videtur adhibere hanc vocem ad designandam falsam conceptionem libertatis. Haec falsa notio libertatis religiosae confusionem facit.

2. N. 2, pag. 5, lin. 2, deleantur verba « libertatis religiosae » et dicatur simpliciter « reipublicae legale regimen ». *Rationes*: *a*) cf. supra; *b*) hoc regimen non est regimen libertatis, sed regimen oppressionis, ut ex sequentibus verbis schematis constat.

3. N. 2, pag. 5, in fine paginae, deleantur 2 lineae: « Cum historiae religiosae » et prosequatur: « Hodie agitur... ». *Rationes*: *a*) haec quaestio non est absolute nova; *b*) haec affirmatio est inutilis, immo nociva, utpote vim tollens horum quae infra dicuntur.

4. N. 3, linn. 11 ss. deleantur verba « sed unam... » usque ad « tradidit » et sic scribatur: « sequi in vita religiosa sententiam, sed homines gravi teneri officio... etc. ». Postea dicatur: « Insuper declarat haec Sacra Synodus hanc catholicam doctrinam nullatenus adversari... » (suppressis verbis « de una vera religione »). *Rationes*: *a*) ita sufficienter exponitur unam esse veritatem religiosam; *b*) ansa non praebetur accusationibus contra Ecclesiam.

5. N. 4, pag. 8, lin. 26, par. 1). Tota paragraphus aliter redigatur v. g. sic: « Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui perpetrari possint adducto titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis boni communis. Ideoque exercitium libertatis religiosae limitari non licet nisi in quantum graviter et manifeste contradicit fini societatis, seu ipsi bono communi. Sed bonum commune definiri non potest nisi in relatione ad personam humanam; complectitur enim « summam earum vitae socialis conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque perfectius consequi » (*Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 1961, p. 417; *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, p. 273). Inde sequitur exercitium libertatis religiosae in societate a coercitiva interventione status immune est, nisi quando exercitium religionis graviter noceat, iuri aliorum, dignitati personae humanae aut legi morali. *Rationes*: *a*) periculosissimum est asserere limitationes libertatis religiosae pendere ab ordine publico; nam gubernia possunt abuti referentiis ad ordinem publicum; v. g. aliqua potestas publica sub nomine ordinis publici, posset interdicere talem vel talem religionem, immo omnem religionem; *b*) gubernia non possunt abuti referentiis ad bonum commune, cum bonum commune innitatur in aliquo fundamento absoluto, i. e. persona humana; *c*) Paulus VI in nuntio radiophonico diei 22 decembris 1964, dixit (circa finem): « Nous redisons l'interdiction de tirer prétexte de croyances d'autrui — *à supposer qu'elle ne soient pas contraires au bien commun* — pour imposer une foi non librement acceptée... ».

N.B.: Nullo modo intelligi possunt ea quae dicuntur pag. 28, linn. 8 ss. « difficile est ad hos limites describendas formulas invenire quibus potestates pu-

blicae religioni hostiles abuti non possent ad iustificandam inadmissibilem repressionem vitae religiosae ».

Haec verba indigna sunt Concilio oecumenico. Revera textus schematis ansam praebet abusibus potestatis civilis. Si dicitur limites pendere a dignitate personae humanae, nulla ansa praebetur istis abusibus.

6. N. 9, pag. 12, linn. 21 et 22, deleantur verba: « educativas, culturales, caritativas, sociales ». *Ratio*: etsi per haec verba affirmetur aliquid omnino verum, tamen hoc non videtur affirmandum in textu de libertate religiosa.

[*Subscripserunt etiam*] Franciscus Aldegunde, arch. Tingitan., Bertrandus Lacaste, ep. Auranen., Paulus Pinier, ep. Constantinian., Georgius Mercier, ep. Laghouaten., Vedastus Jacquier, ep. tit. Sufasaritanen.

5

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Ratio emendationum sequentium haec est. Valde placet in schemate *de libertate religiosa* libertatis aspectus personalis, sed tamen distinctio inter hominis libertatem « civilem » et « personalem » seu interiorem, quae generaliter in schemate adhibetur, videtur esse nimis subiectivistica seu individualistica. Persona etenim humana natura sua est socialis, i. e. constituta in relatione personali ad alteras personas humanas, quae relatio finaliter et ultimo terminatur in ipso Deo. Proinde actio seu libertas socialis sub hoc respectu aeque est *personalis* ac actio individualis seu libertas conscientiae. Adiectivum « personalis » hoc sensu potest sumi pro: ad personam pertinens, quo indivisibilis libertas « personalis » includit duplicem aspectum: individualem (privatam) et socialem. Recte iam in textu schematis hoc sensu dicitur pag. 8, lin. 30: « Actus religiosi, quibus homines *privatim* et *publice* sese ad Deum ex intima sententia *personali* ordinant, etc. ».

Pag. 3, loco linn 1 ss. alius textus ponatur: Dignitatis personae humanae *ac proinde libertatis personalis, i. e. individualis et socialis,* hac nostra aetate homines magis magisque conscii fiunt. Postulant iuridicam limitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis *individualis* nimis circumscribantur. Itemque exigunt libertates civiles, ut possint in societate vitam agere homine dignam.

Pag. 6, lin. 36: ... ad custodiendam in societate hodierna *personae* dignitatem et *individualem* (privatam) et civilem.

Pag. 8, lin. 22: ... aucto sensu dignitatis *personalis, individualis* (privatae) et civilis.

6

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG

Archiepiscopus Vindobonensis

N. 2: Vel omittatur totus textus inde a verbis n. 2 pag. 4 « patet igitur libertatem » usque ad verba « colat, vindicet » versus finem pag. 5; cetera huius numeri adaptentur secundum infra dicenda. Vel: pag. 4, lin. 5 n. 2, loco « laicismus nun-

cupata » dicatur sic vel simili modo « quaequidem germina quoque veritatis continebat, sed tandem illum errorem protulit, qui laicismus nuncupatur ». Pag. 5, in secundo inciso lin. 3 post « ideologiae » addatur « Ecclesia vero novis quaestionibus exortis mota est, ut ex fonte Evangelii profundiorem intelligentiam libertatis religiosae inquirat et doctrinam suam de hac libertate aptiori modo exprimat ». *Rationes*: 1. Continuitas historica, quam conspectus historicus in n. 2 exhibitus monstrare intendit, de facto hoc modo non existit. Expositio prout datur historice teneri nequit. Iamvero veracitas historica tum pro catholicis tum pro lectoribus non-catholicis maximi momenti et officium pastorale Ecclesiae est. Intentio apologetica salvandi principium continuitatis non debet nos inducere, ut facta historica secundum beneplacitum nostrum adaptemus.

2. Indicatio pag. 4, n. 2, errorum saec. XIX explicat quidem damnationes ab Ecclesia editas, non vero sufficit, ut intelligatur, cur Ecclesia verum conceptum libertatis religiosae contra errores non explicaverit. Homines hodierni quibus Concilium respondere intendit quaerunt, cur Ecclesia saec. XIX tantum errores damnaverit et germina veritatis in mente hominum exsurgentia, quamvis erroribus obnubilata, non serius consideraverit et evolverit. Ad hanc quaestionem conspectus historicus schematis non respondet.

3. Conspectus historicus suggerit solum laicismum causam fuisse funestarum illarum consequentiarum, quae iure in schemate reprobantur. Revera autem multis hominibus catholicis persuasum est etiam modum loquendi et agendi nimis defensivum et negativum Ecclesiae ad illam evolutionem contulisse.

4. Schema proponit principia (omnino vera), quae Ecclesia temporibus praeteritis nondum docuit. Continuitas modi agendi in eo consistit, quod Ecclesia semper conata est, ut nuntium Evangelii condicionibus temporum applicaret. Eventus historici saepe novos aspectus Evangelii in lucem ponunt, qui antea neglecti sunt.

5. Constitutio *de Ecclesia* exhibet Ecclesiam tamquam populum peregrinantem et decretum *de Oecumenismo* iure agnoscit homines Ecclesiae quandoque in habitudine erga alios a culpa non fuisse exemptos. Quae nunc in declaratione *de libertate religiosa* concrete applicari deberent. Homines nostri temporis bene intelligunt etiam Ecclesiae peregrinantis homines, novis exurgentibus quaestionibus, veritatem quaerere debere et non statim invenire, sed non acceptant declarationem aliquam apologeticam, quae non correspondeat veritati historicae.

6. Melius esset, si totus conspectus historicus de saec. XIX agens omitteretur. Nam non videtur esse Concilii, sed potius theologiae quaestiones historicas investigare, praesertim si sunt difficiles.

* * *

Omittatur totus textus inde a verbis n. 2 pag. 4 « patet igitur libertatem » usque ad verba « colat, vindicet » inclusive versus finem pag. 5. Cetera huius numeri adaptentur secundum infra dicenda. *Rationes*:

1. Non videtur esse Concilii, sed potius theologiae, exponere quaestiones historicas, praesertim si sunt difficiles.

2. Expositio historica, prout in hoc numero exhibetur, scientifice vix defendi potest et vix convincet peritos neque catholicos neque acatholicos, qui documenta et modum agendi Ecclesiae catholicae saeculis praeteritis, praesertim saec. XIX,

non ignorant. Continuitas historica eo saltem modo, quem conspectus historicus n. 2 praetendit, historice vix affirmari potest. Iamvero veracitas historica Concilii tum pro catholicis tum pro lectoribus non-catholicis maximi momenti et officium pastorale Ecclesiae est. Intentio apologetica salvandi principium continuitatis non debet nos inducere, ut facta historica secundum beneplacitum nostrum adaptemus. Periculum pro doctrina de infallibilitate Ecclesiae non adest, cum ex una parte continuitas aliqua existat et ex altera parte Ecclesia nulla documenta ediderit, de quibus infallibilitas affirmanda esset.

3. Schema proponit principia quaedam (omnino vera), quae Ecclesia temporibus praeteritis nondum docuit. Continuitas modi agendi Ecclesiae in eo consistit, quod semper conata est, ut nuntium Evangelii conditionibus temporum applicaret. Eventus historici saepe novos aspectus eiusdem Evangelii in lucem ponunt, quorum Ecclesia antea nondum fuit conscia.

4. Expositio n. 2 data non respondet quaestionibus hominum nostri temporis, quibus Concilium respondere debet et vult. Nam homines hodierni quaerunt, cur Ecclesia saec. XIX tantum errores damnaverit et germina veritatis tunc in mente hominum exsurgentia (quamvis certe erroribus obnubilata) non modo magis serio et obiectivo consideraverit et evolverit. Indicatio errorum saec. XIX pag. 4, n. 2 data explicat quidem damnationes ab Ecclesia editas, non vero sufficit, ut intelligatur, cur Ecclesia verum conceptum libertatis religiosae non positive contra errores explicaverit et nunc demum positivam doctrinam proponat, postquam multi Status principium libertatis religiosae in constitutiones suas receperunt.

5. Homines nostri temporis (praesertim doctrina constitutionis *de Ecclesia* et decreti *de Oecumenismo* edocti) bene intelligunt etiam Ecclesiae peregrinantis homines, novis exsurgentibus quaestionibus, veritatem quaerere debere et non statim invenire, sed non acceptant declarationem aliquam apologeticam, quae non exhibet plenam veritatem historicam. Quae veritas tunc tantum plene exhibetur, si non tantum — ut in schemate fit — laicismus indicatur ut causa funestarum consequentiarum iure reprobatarum, sed commemoratur quoque modus loquendi et agendi magis defensivus et negativus Ecclesiae in illo discrimine saec. XIX.

Si vero textus supra indicatus omitti nequit, propono sequentes emendationes, quae saltem cautiones quasdam afferunt:

1. Pag. 4, lin. 5 n. 2, loco « laicismus nuncupata » dicatur sic vel simili modo « quae quidem germina quoque veritatis continebat, sed tandem illum protulit errorem, qui laicismus nuncupatur ».

2. Pag. 5, lin. 3 secundi incisi post « ideologiae », addatur « Ecclesia vero novis quaestionibus exortis mota est, ut ex fonte Evangelii profundiorem intelligentiam libertatis religiosae inquirat et doctrinam suam de hac libertate aptiori modo exprimat ».

7

EM.MUS P. D. ARCADIUS M. CARD. LARRAONA

Textus emendatus

DECLARATIO

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA. (a)

I. LIBERTATIS RELIGIOSAE GENERALIS RATIO.

1. [*Rerum status hodiernus*]. (b) Dignitatis personae humanae hac nostra aetate homines magis magisque conscii fiunt.[1]

Exigunt libertates civiles, ut possint in societate vitam agere homine dignam. (c)

Itemque postulant iuridicam limitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis personalis nimis circumscribantur. (d)

Quae libertatis postulatio maxime ea respicit, quae ad religionem spectant. (e) In permultis publicis civitatum

(a) Proponitur nova redactio magis accurata: *Declaratio Conciliaris Vaticana de humanae personae dignitate ac de iure libertatis personarum singulari et collectivo in re praesertim religiosa.* - *Rationes* emendationis propositae:

Declaratio conciliaris vaticana: ut ab initio in titulo iam appareat declarationis origo et fons, ex quibus ipsa declaratio momentum et auctoritatem obtinet.

De humanae personae dignitate: ut subnotetur Concilium cum libertate religiosa, et ut ipsius fundamentum, tractare voluere de dignitate personae humanae; non « de humana personae dignitate », ne dum humanam personae dignitatem exponimus, filialem illam dignitatem christianam et supernaturalem oblivisci videamur. « Agnosce, christiane, dignitatem tuam », monebat S. Leo. Dignitas personae humanae, et quidem integre accepta, cum omnes ad Regnum Dei invitentur et destinentur, est radix omnium aliorum iurium.

Ac de iure libertatis personarum singulari et collectivo: ut relatio statim appareat inter personae dignitatem et ius libertatis personarum singularum et collectivarum, quod ex ipsa oritur.

In re praesertim religiosa: ut vindicatio veri iuris libertatis, etsi in re praesertim religiosa, in ambitu aliorum aspectuum libertatis inseratur. Id est, etsi speciatim de religiosa libertate agatur, tota vera et rationabilis libertas vindicatur, sicut tota humana dignitas merito proclamatur.

(b) Hic titulus primo numero competens melius ita corrigeretur: *Sensus hodiernus dignitatis et libertatis*. Sane, ipse respondet illis, ut attente legenti patet, quae in tribus paragraphis n. 1 continentur.

In prima paragrapho plura confuse miscentur quae, ut credimus, melius ordinarentur immo separarentur, ut in novo textu totius numeri fecimus. Tamen, si libet, posset relinqui textus, sequentibus tamen correctionibus.

(c) Deberet melius dici: « Status vere civiles et Societates authentice religiosae, non solum dignitatem personae humanae in civibus omnibus ac etiam in

constitutionibus civium libertas in re religiosa instituta est tamquam stabile regimen.[2] (f)

(g) Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut ius civile evadat. Percipitur insuper esse ius, secundum quod homines debent liberi seu immunes esse a coercitione ex parte hominum et cuiusvis potestatis mere

---

singulis subditis ac hominibus, generatim absque exceptione, agnoscunt et proclamant, sed integram vitam practice dignam pro omnibus vindicant et tuentur ». *Ratio*: ne misceamus res, et agamus de libertatibus antequam libertatem definierimus, melius ageretur primo de humana dignitate agnoscenda, deinde de libertate religiosa et civili generatim, et postea de libertate religiosa et de illis quae ipsa complectitur.

(d) Melius haec verba et hoc loco omitterentur, quia evidenter non nimis cohaerent cum praecedentibus et sequentibus. Ceterum nimis vaga sunt verba « nimis circumscribantur », et posset magis concrete et magis practice res definiri. Quod « ad melius esse » dictum sit, indeque possit etiam relinqui.

(e) Melius, ut in n. 1 diximus, postea, separatis numeris, magis logice « de libertate generatim » et « de libertate religiosa » ageretur. Si textus relinqueretur, ita corrigendus esset: « Quam libertatis postulationem Ecclesia in hac declaratione considerare statuit in iis quae ad religionis libertatem spectant, inspectis ceteris sanae rationis criteriis atque christianae catholicae revelationis fontibus ».

Rationes hae sunt: 1. Non videretur simpliciter verum, accurate loquendo, quod sollicitudo hodierni hominis, sibi libertatem vindicantis, ea maxime respiciat, quae ad religionem spectant, cum plures nullam religionem profiteantur, et multi etiam qui theoretice aliquam colunt, de multis aliis rebus magis quam de religione solliciti certe sint.

2. Declaratio vaticana, qua conciliaris est, libertatem contemplatur sub lumine Dei, attentis principiis sanae rationis, revelationis christianae criteriis, atque Ecclesiae doctrinis. Iuxta haec, libertas primo respicitur ut Dei donum ac medium vitam divinae voluntati congruentem libere ac ex voluntate et amore, ex sensu responsabilitatis cum merito ducendi, et finem ultimum inde consequendi. Haec, quae Ecclesia, sibi ipsi fidelis, proclamat, cum plene cohaereant dignitati humanae et rectae rationis criteriis, maxima ex parte rationabilia cum sint, ab omnibus admitti directo possunt; quatenus vero rationem excedunt, etsi ut principia vindicentur (thesis), tamen in praxi nemini qui catholicus non sit (hypothesis) imponuntur.

3. In hac declaratione agitur de humana dignitate ac de libertate religiosa. Aliis in locis de ceteris aspectibus libertatis actum fuit; e. g. circa preli et diffusionis idearum libertatem, etc.

(f) Haec verba melius duplici ratione omitterentur: 1. quia non necessaria comparatio, odiosa est; 2. quia non raro proclamatio libertatis religiosae permixta est cum gravibus erroribus qui certe laudari non possunt, e. g. atheismus Status, indifferentismus, cum admissione plurium quae moralitatem crasse offendunt, etc.

(g) « Libertas religiosa sive facultas ducendi vitam religiosam, communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana et eius officio erga Deum fundatum... Non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam

humanae, non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam in religionis libero exercitio. Quod quidem exercitium religionis agnoscitur liberum esse debere duplici sensu, ut scilicet in re religiosa nemo cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat, (h) intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur. (i) Denique intelligitur tutelam huius iuris tum ad singulos homines tum maxime ad potestates publicas pertinere.

Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur (j) nullatenus significatur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Dei potestate emancipari. Non enim concipitur ac si persona humana falsum et verum possit aeque aestimare, vel ipsi officium non incumbat formandi veram sibi de rebus religiosis sententiam vel arbitrario statuere valeat utrum, in qua religione et quanam ratione Deo servire velit.[3] (k)

2. (l) [*Quaestio historica*]. Patet igitur libertatem religiosam hodie non

---

in debitae religionis libero exercitio... Neque impediatur quominus iuxta suam rectam conscientiam agat ». *Ratio*: « Libertas religiosa » est locutio aequivoca rite determinanda: non est quaestio de libertate « a religione » sed « ad religionem ». Fundamentum est dignitas humana, non quomodocumque concepta, sed ex eius officio erga Deum. Item non potest agnosci verum ius cuicumque formae religionis, sed religioni debitae iuxta rectam conscientiam, sicut edixit Ioannes XXIII in Enc. *Pacem in terris* et iterum atque fusius Paulus VI, cuius sunt sequentia verba: « quanto è in essi (in hominibus) sacro e insopprimibile; l'aspirazione fondamentale a Dio e il diritto di manifestarla all'esterno nelle forme dovute del culto... La giusta e bene intesa libertà religiosa » (Nuntius radioph. 22 dec. 1964, apud *L'Osservatore Romano,* 24 dec. 1964, p. 2).

(h) Pro verbis « percipitur, agnoscitur, intelligitur », quae potius subiectiva esse videntur, obiective forsan melius dici posset: « Ex huiusmodi iuris ratione ac vi descendit quod homines...; quod exercitium religionis liberum esse debet...; quod denique ad singulos homines et maxime ad publicas potestates ipsius tutela ut grave competit et inalienabile officium ».

(i) Loco verborum « intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur », in fine paragraphi diceretur: « Hoc ius, ut infra clare definitur, intra limites normarum moralium, certi boni communis, honesti et legitimi iuris civilis circa ordinem publicum et parium iurium harmoniam, concludendum est ».

(j) Postulatur deletio verborum « quae nostra aetate generatim agnoscuntur », quia, ut videtur, Concilium debet proponere notionem libertatis religiosae, quae non pendeat a temporalibus adiunctis, sed eam quae, a revelatione et hominis natura emanans, tempora quaelibet transcendit. Id congruit cum iis quae dicit declaratio sub n. 2, pag. 5, linn. 22-26.

(k) Paragraphus tertia: « Per hanc igitur... » relinqui quidem potest, sed si volumus omnia clara et completa, Concilioque plene digna evadere posse, duo numeri addi deberent, hic vel infra, scilicet: « Limites intrinseci libertatis religiosae, et Limites extrinseci exercitii libertatis religiosae » (pag. 15).

(l) Melius quam « Quaestio historica » diceretur: « Iuris religiosae libertatis evolutio historica ».

Loco priorum verborum « Patet igitur » quae non perfecte anterioribus co-

eodem modo ac olim considerari. Revera saeculo decimo nono in multis nationibus invalere coepit ideologia, laicismus nuncupata.[4] Nitebatur in placito rationalistico de absoluta autonomia individualis rationis humanae, secundum quod homo est sibi ipsi lex et Deo nullatenus subiicitur.[5] Ex hoc placito philosophico derivata est quaedam notio libertatis religiosae, in qua omnimodus relativismus atque indifferentismus in re religiosa latebat.[6] Hanc libertatis religiosae notionem eiusque praemissam philosophicam Ecclesia reprobavit. Componi enim non potest notio haec cum dignitate humana, quae maxime consistit in eo, quod homo, ad imaginem Dei factus, Deum vivum et verum cognoscat Eique soli serviat.[7]

Hoc valet in omnibus partibus vitae atque activitatis humanae, ac praecipue in iis, quae ad religionem spectant.[14] (m) Tandem clarius in dies affirmatur, praecipuum potestatis publicae munus in eo esse quod omnium civium naturalia iura tueatur, colat, vindicet.[15]

Cum historiae decursu igitur exorta est nova quaedam quaestio de libertate religiosa. Hodie enim agitur de observanda conservandaque dignitate personae humanae ac proinde de efficaciter tuendis eius iuribus, quorum primum est hominis ius, ut sit in re religiosa immunis a coercitione, (n) praesertim ex parte potestatis publicae.[16]

3. [*Declaratio*]. His positis, haec Sacra Synodus hac sua Declaratione exponere intendit quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat. (o) Primo affirmat et docet, iuxta constantem Ecclesiae doctrinam, non liberum esse unicuique homini quam quisque maluerit sequi in vita religiosa sententiam, sed unam religionem veram esse, quam Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi per Filium suum incarnatum revelavit atque Ecclesiae custodiendam et omnibus hominibus evangelizandam tradidit; homines vero gravi teneri officio veritatem in re religiosa inquirendi et cognitam sectandi. Insuper declarat haec Sacra Synodus, hanc catholicam de unica verae reli-

---

haerent, dici posset: « Ius libertatis religiosae, antequam ad indigitatum sensum quem nunc habet, et sub quo communiter recipitur, pervenerit, non brevem neque facilem evolutionem passum est. Sane, ut tantum recentiores evolutionis phases recenseamus, saeculo decimo nono... ».

Dum dicitur in ultimis quinque lineis: « Componi enim non potest... » addenda haec verba essent: « Componi enim non potest neque cum vinculo essentiali quo ut creaturae Deo ligamur, neque cum humana dignitate... ».

(m) Documenta quae allegantur sub notula 14 ad confirmanda dicta in textu, non pertinent ad rem, si excipiantur Litt. Enc. *Pacem in terris*. Leo XIII et Pius XI loquuntur de libertate quam filii Ecclesiae habent ubique et palam fidem suam profitendi, ut patet legenti contextum. Verba Pii XII fuerunt alibi explanata ab eodem Pontifice, i. e. in Allocutione diei 6 dec. 1953 (*A.A.S.*, 45, pp. 797-799) ubi exponit notam suam doctrinam de tolerantia.

(n) « ... immunis ab indebita coercitione... ». *Ratio*: quia aliquando merito coerceri negative potest, ne abusive vita religiosa publice geratur.

(o) « Exponere intendit doctrinam de debita libertate religiosa ». *Ratio*: non videtur verum quod finis declarationis sit enuntiare quid Ecclesia cogitet « de hodierno libertatis religiosae regimine ». Declaratio ideo editur a Concilio ut omnibus innotescat doctrina quam, circa libertatem religiosam, Ecclesia profert de thesauro suo.

gione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda. (p) Veritas enim evangelica est in societate humana fermentum, quod plura honestae libertatis beneficia per saecula protulit; praeterea Ecclesiae doctrina de hominis dignitate, quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem in re religiosa firmiter sustentat et commendat. (q)

Cum igitur Ecclesiae incumbat munus, ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem. (r) Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare.[17] (s)

II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta. (t)

4. [*Fundamenta libertatis religiosae*].

a) (*Integritas personae*). Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis inseparabiliter connectitur cum aspectu interiore. Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget. Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. (u)

(p) « de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda, sed ex adverso, si illa solide, ut hic eam exponimus, intelligatur, cum vera libertate perfecte componi ».

(q) « ... praeterea Ecclesiae doctrina de hominis vera dignitate, quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem in vita religiosa debite gerenda sustentat ». *Ratio*: quia non omnes recte sentiunt de vera germanaque dignitate hominis; neque omnis forma vitae religiosae est digna libertate, ut patet de idololatria, praxi superstitiosa, etc.

(r) « quando expositis et exponendis normis fideliter conformatur, in se honestum esse, bono communi respondere posse, et ad custodiendam in societate hominis dignitatem personalem et civilem, in concreto moraliter necessarium reputari posse ». *Ratio*: non licet ita universalitatem approbare regimen « hodiernum » ut prototypum, cum non omnia regimina eodem modo agnoscant libertatem, salva honestate de facto, neque est probatum regimen quodcumque libertatis religiosae esse absolute honestum ac necessarium.

(s) « ... in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines, et singillatim et in communitate religiosa adunati, possunt sibi legitime vindicare ». *Ratio*: non enim recte dicitur « omnes communitates religiosae », quia indicare videtur pluralitatem religionum legitimam seu naturaliter debitam. Revera ius naturale non competit nisi uni verae communitati religiosae.

(t) Melius corrigeretur titulus, iuxta superius dicta: II. *Doctrina de humana dignitate et religiosa libertate ex rectae rationis principiis illustrata ac confirmata.*

(u) « ... aspectus socialis naturaliter connectitur cum aspectu interiori. Ergo

Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uno subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis.

b) (*Inquisitio veritatis*). Homo habet officium et ius quaerendi veritatem. Veritatem autem quaerere, eique iam inventae firmiter adhaerere tenetur humano modo, libera scilicet inquisitione atque assensu personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem inter homines, in qua aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel se invenisse iudicaverint.[18] Quae omnia maxime valent de veritatibus in re religiosa. (v) Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis. (w)

c) (*Indoles religionis*). Ex ipsa religionis indole, exercitium eius consistit primario in actibus interioribus prorsus voluntariis atque liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo quidem animo ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret, in actus exteriores prodeunt. Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali. (x)

d) (*Conscientia humana*). Supre-

---

iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa iure agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium sine causa extrinseca proportionata deneget. Hoc enim modo violaretur integritas vitae personalis. Nexus inter libertatem interiorem debitam et eius manifestationem socialem aptam solvi nequit salva integritate debita vitae religiosae hominis ». *Ratio*: melius dicitur « naturaliter » quam « inseparabiliter », quia revera, debite vel indebite, actus exteriores sunt separabiles ab actu interiori. Aliquando, supposito actu interiori, merito impeditur actus exterior, ut patet, e. g. de non consummatione furti intenti; et aliquando, reddito impossibili actu exteriori, urget ponere saltem actum interiorem. Oportet addere verba illa « sine causa », quia aliquando absque iniuria moderatur exterius vita religiosa, etiam legitima, ob bonum commune civitatis. Loco « integritas personae » dicendum est « integritas vitae personalis », quia revera, proprie loquendo, actus exteriores hominis, licet dimanent a persona, non pertinent ad integritatem personae. Postrema verba determinantur vocabulo « debita », quia non quaecumque religiositas, sive interna sive externa, est iusta et digna libertate, ac fundamentum veri iuris.

(v) « Quae valent de veritatibus in re religiosa quae reapse tales sunt, salvis, quoad communicationem, bono communi, ordine publico, moralitate, illa speciatim quae publice sancita est, et denique iuribus aliorum, ita ut proselytismus nec mendax, nec venalis, seu non ordinatus, merito censeri queat ».

(w) « ... pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus, honesto dialogo exponendis coram aliis veritatem de re religiosa conquirentibus ». *Ratio*: sic vitatur fictum ius evulgandi aberrantes opiniones inter vere fideles incautos, etc.

(x) « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione Deo debita publice riteque exercenda, immunis sit a coercitione sive legali sive sociali. Quoad exercitium vero externum religionis, non sufficit sinceritas professionis et religionis professae dignitas et honestas; cum agatur de re ordinis socialis, ius necessario con-

ma humanae vitae norma est lex divina, quae est aeterna, absoluta, obiectiva, universalis. Homo autem legi divinae obtemperare tantummodo potest, secundum quod illam sui ipsius conscientiae dictamine percipit. Neque finem suum ultimum consequi potest, nisi certa conscientiae iudicia, mediis adhibitis idoneis, sibi prudenter efformet et his dictaminibus fideliter oboediat. Inde sequitur principium morale absolutum, quod vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam.[19] (y)

Hisce autem nostris diebus, aucto sensu dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigitur, ne scilicet quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, (z) salvo ordine publico, qui partem essentialem totius boni communis constituit. (α) Quae quidem exigentia est prorsus rationi consentanea et homine digna.[20]

e) (*Moderatio civitatis*). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur,[21] (β) et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores

---

cluditur intra limites boni communis, ordinis publici, ordinis moralis recepti, parium aliorum iurium quae coordinanda sunt ».

(y) « ... ad agendum contra suam conscientiam. Immo hodie et semper, vera aestimatio dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigit, ne scilicet quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum rectam suae conscientiae normam ». *Ratio*: hoc enim ius est non solum hodiernum, sed pro semper. Hoc tamen ius debetur dignitati humanae recte aestimatae et iuxta rectam conscientiam, ut est doctrina catholica et satis expressa in Enc. *Pacem in terris*.

(z) « ... salvis semper bono communi, ordine publico et praecipue ordinata conviventia iuridica et sociali, moralitate publica sancita ».

(α) « His salvis, Status, etsi imprimis numquam absolute possit ullo modo quemvis cogere ad agendum in re religiosa contra propriam conscientiam, et praeterea etsi competens non sit agnoscendus ad iudicandum in ordine interno et obiectivo de veritate religiosa, an scilicet conscientia recta sit vel erronea, tamen in ordine externo et sociali, quin obstet conscientia indubie recta, ratione boni communis, socialis conviventiae, ordinis publici, sancitae moralitatis, recognitorum iurium, intra horum omnium veros limites stricte interpretatos, ipsius conscientiae manifestationes moderari prudenter potest. Ecclesia vero, Magistra veritatis, etsi ut principium illa probare non possit quae in re religiosa erronea certe sunt, etsi a conscientia subiective recta teneantur, tamen quando conscientia sincera est, etsi invincibiliter non accurate vera, non tantum ulla ratione illos tangit ipsisve molestiam infert, sed ut Bona Mater erga eos " qui ignorant et errant " benevolentia ac materna pietate afficitur ut mente ac corde in oratione praecipue complectatur ».

(β) Nemo capere poterit quae sit connexio verborum Ioannis XXIII, quae leguntur sub notula 20, cum textu cui eadem respondent.

Documenta quae allegantur sub notula 21 non cohaerent cum textu. Leo XIII et Pius XI loquuntur de habitudine Status non ad religionem simpliciter, sed ad

extenditur.[22] (γ) Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici. Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum est neces-

---

Ecclesiam catholicam; et tunc planum est competentiam Status coarctari ad temporalia, quamvis semper servato ordine ad aeterna.

Insuper, haec pars declarationis inscribitur *Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta*; sed documenta illorum Pontificum doctrinam hauriunt a revelatione, eamque proponunt prout emanat ab eadem revelatione. Hic sunt extra locum.

Evidens est rationes intercedentes inter Statum et Ecclesiam catholicam non posse extendi ad definiendam habitudinem Status ad religionem quamlibet. Nemo ignorat Statum habere iura et competentiam in educationem civium, quae non potest esse vere humana absque religione seu recta hominis ordinatione ad Deum; religio autem, de sua natura, transcendit tempus. Competentia Status proinde non restringitur ad temporalia.

(γ) Verba « cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » displicent multiplici ratione. Primo, quia non referunt doctrinam documentorum, quae allegantur sub notula 22. S. Thomas loquitur de iudicio legis humanae analogo sensu atque moralistae et canonistae, cum dicunt: « de interioribus non iudicat Ecclesia ». Inde tamen, minime sequitur Ecclesiam non habere potestatem in conscientiam. S. Thomas docet explicite legem humanam posse praecipere actus virtutum (*Summa Theol.,* I-II, 96, 3) — qui actus non sunt mera exsecutio externa —, atque obligare in foro conscientiae (*ibid.,* a. 4). Verba Ioannis XXIII non pertinet ad rem, quia loquuntur de habitudine singulorum civium ad invicem, non de rationibus intercedentibus inter publicam potestatem et subditos; de hoc tantum agitur nunc; schema enim loquitur de potestate legifera Status.

Secundo, verba illa non solum carent quovis auctoritatis patrocinio, sed insuper sunt falsa. Nonne Ecclesia praedicavit semper verbum S. Pauli, scil. civili auctoritati obtemperandum esse « propter conscientiam »? (*Rom.* 13, 5). Item Ioannes XXIII statim post inutilia verba ad rem quae allegantur in not. 22, dicit omnino ad rem: « qui igitur personam Civitatis gerunt, tunc tantum homines ex animi conscientia obligare possunt, si eorum auctoritas cum Dei auctoritate coniungitur eiusque est particeps » (*Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55, p. 270). Et pergit docens quod illi qui oboediunt civilibus magistratibus, oboediunt et serviunt Deo, cui servire regnare est (*ibid.,* p. 271). Et nunc quaeritur: quomodo civium conscientia ligari potest lege civili, nisi eadem lex, nudam exterioritatem transcendens, conscientiam attingat?

Tertio, verba illa non cohaerent cum ipso schemate. Iuxta schema, libertas religionem publice profitendi habet duplex fundamentum, quod ita enuntiatur: *a*) « nexus inter libertatem interiorem eiusque manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis... » (n. 4, *a,* pag. 7). *b*) « Actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret, in actus exteriores prodeunt... » (n. 4, *e,* pag. 8). Si actus interior et exterior seiungi nequeunt, cum sermo est de personis singulis, cur non solum seiungi possunt, sed de facto seiungitur in schemate ad restringendam competentiam Status? Dicemusne Statum esse tantum centrum coordinandi ea officia,

sarium.[23] (δ) Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat.[24] (ε)

5. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). etc.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui perpetrari possint adducto titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis ordinis publici. Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni com-

---

quae curant publicam vigilantiam et externam securitatem ordinis constituti? Bonum commune, quod civili potestati committitur, nihil aliud continet nisi officium vigilantiae?

Intrinseca contradictio schematis magis adhuc effertur, si attendantur ea quae dicuntur postea in *Relatione* sub titulo *Ratio habetur obiectionum maiorum,* 2, pp. 37-38: *de indistinctione inter ius obiectivum et subiectivum.* Cum agitur de quaerendo fundamento libertatis personalis, aufertur distinctio; cum vero quaestio est de competentia Status, eadem distinctio exaggeratur immodice. Inde non potest oriri nisi individualismus.

(δ) Verba illa continent regulam nimis concretam, quae pendet a prudentia et non debet enuntiari in documento Concilii. Optimum erit concordare iura civium singulorum cum iuribus Status atque exigentiis boni communis; et non videtur rationabile praesupponere quod concordia statuenda erit semper ampliando ad maximum usum iurium singulorum et restringendo ad minimum iura Status et exigentias boni communis. Aliquando alicubi poterunt res ita componi, sed non semper et ubique. Et ideo non est danda regula universalis.

Praeterea, si verba illa intelligantur sub lumine principii enuntiati in notula 23 displicent omnino. Licetne respicere Statum eiusque iura uti rem civibus odiosam? Nonne iura illius emanant a natura atque ab eadem natura ordinantur ad tuenda iura civium? Si iura Status sunt odiosa, propterea quod nonnumquam coarctent iura civium, cur non iura uniuscuiusque erunt etiam odiosa ceteris, quandoquidem eos similiter cum coarctent vel coarctare possint? (cf. n. 5, *a,* pag. 9). Nemo non videt hinc facillime fieri transitum ad conflictationes sive civium adversus Statum et viceversa, sive civium ad invicem.

(ε) Verba quae hic leguntur, non referunt « doctrinam de libertate religiosa ex ratione desumpta », sed solum doctrinam de incompetentia Status ad regimen vitae religiosae, quae est propria Ecclesiae catholicae. Quod evidenter patet legenti verba Leonis XIII, quae allegantur sub notula 24. Non est possibile continere admirationem, cum quis videt ea verba prolata esse pro doctrina affirmata in schemate.

Omnibus perpensis, quae dicta sunt in anterioribus Animadversionibus, postulantur duo circa n. 4, *e*) schematis: primo: delere ea omnia quae leguntur p. 9, linn. 5-10. Secundo: redigere reliqua prout sequitur: « ... temporalem et terrestrem rerum ordinem pervadunt et transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia propria et immediata ordinem terrestrem et temporalem primario attingit, intuitu tamen finis transcendentis civium, et cuius potestas legifera directe actus exteriores ordinat. Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nisi prout exterius

munis (ς) quae committitur potestati publicae, ut praecipue vi coercitiva legis protegatur. Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum.

III. Consequentiae practicae

6. [*Cura libertatis religiosae*] .Inviolabilia hominis iura tueri praecipuum est cuiusvis potestatis publicae officium. Debet igitur potestas publica, per iustas leges, efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter rationes religiosas.

Ex quibus sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso. (η) Immo vero huic Sacrae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur et efficaci tutela iuridica muniatur.[25] Quo magis enim societas civilis propitias suppeditat condiciones ad veritatem divulgandam vitamque religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[26]

7. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, (θ) quae

---

innotescunt, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis veritatis religionis et boni communis ».

(ς) « ... quae constituuntur exigentiis boni communis, quod committitur potestati publicae... nisi quando exercitium religionis graviter noceat bono communi sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem quorumcumque iurium aliorum ». *Ratio*: melius quam de « ordine publico » qui hodie habet sensum nimis extrinsecum, dicendum est de bono communi, quae locutio est frequentior in Magisterio ecclesiastico, magis ethica et theologica. Inter iura aliorum includitur ius ad veritatem religiosam.

(η) « ... tutelam curamque iustae aut debitae libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica cavendum est ne vi aut metu civibus verae religionis professio imponatur, aut civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter solam religionis rationem... Ad religionem ipsam delendam vel cohibendam in individuo vel in societate ». *Ratio*: in declaratione religio quae tutela et cura digna est, non est alia quam religio iuste Deo debita. Hoc adiectivum « debita » apponendum est, sicut apponitur a Paulo VI in Alloc. 22 dec. 1964. Ea quae dicuntur in linn. 11-13 atque 19-28 sunt repetitiones prioris numeri, et melius omitterentur.

(θ) « Vera germanaque libertas religiosa, quae... ». *Ratio*: oportet distinguere, cum Magisterio Ecclesiae, religionem veram seu Deo debitam, et alias formas religionis, quibus non est verum ius sociale, nec individuale proprie dictum. Falsum, utpote malum, non fundat verum ius et officium, ut iterato docent Leo XIII et Pius XII.

singulis personis competit, etiam, communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis, tum ipsius religionis requiruntur. (ι)

Illis igitur iure debentur independentia et etc.

IV. Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.

10. [*Libertas Ecclesiae*]. (κ) In bonis Ecclesiae, quae ubique semperque conservanda sunt ab omnique iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, tanta ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec enim est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit. Atque adeo propria est Ecclesiae, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum faciunt. Iuxta totam traditionem catholicam, libertas Ecclesiae est principium fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.[27] (λ)

Ecclesia sibi in societate humana et coram quavis potestate publica vindicat libertatem, utpote quae est auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui soli ex divino mandato incumbit officium, ut in mundum universum eat atque evangelium praedicet omni creaturae (cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 10-20).[28] Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia, prout est etiam societas hominum divinitus convocata, quorum omnes et singuli in societate civili iure gaudent vivendi ad rationis conscientiaeque christianae praescripta.[29]

(μ) Iamvero ubi reapse viget hodiernum regimen libertatis religiosae,

---

(ι) « ... salvo bono communi, ordine publico, fundamentali recognita moralitate, atque aliorum etiam paribus iuribus ». « His semper salvis, communitatibus religiosis etiam debentur... ».

(κ) Textus schematis silet de dignitate et libertate filiorum Dei, biblica quam maxime, ideoque ab Ecclesia quam maxime proclamanda. Oportet insuper distinguere inter veram dignitatem et libertatem filiorum Dei (ab errore et licentia peccandi) et pseudo-dignitatem et libertatem hominis recedendi a veritate fidei et salute Christi. Hae omnes libertates indistincte proclamatae sunt in illa Professione Univ. Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 ab O.N.U., quae sane, ex hac parte, stare non potest cum doctrina catholica. Haec eadem libertas ad officia et iura adimplenda, vindicanda est societati et Statui, iuxta notam doctrinam Romanorum Pontificum, praesertim Leonis XIII in Enc. *Libertas* et *Immortale Dei.* Cf. textum novum in n. 10.

(λ) « Hinc Ecclesia libertatem conscientiae ac cultus exercitii, ut iure divino fundatam ac veluti necessariam conditionem suae missionis adimplendae ubicumque erga Statum aliosque quoslibet vindicavit ». *Ratio*: non potest sine distinctione dici quod « iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae est principium fundamentale in iis quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae ».

(μ) Tota paragraphus omittenda esset. Nam est declaratio facti particularis hodierni extra quaestionem. Praeterea illud factum non semper componitur cum pleno iure Ecclesiae, ex voluntate Christi et ex iure fundato in veritate religionis christianae. Theoretice non potest dici omnes religiones a veritate aberrantes eodem iure gaudere atque Ecclesia catholica. Et practice, etsi determinatis circum-

ipsa Ecclesia stabilem obtinet condicionem et iuris et facti plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei soli ex mandato Christi committitur.[30] Praeterea Christifideles iure civili gaudent ne impediantur in vita ducenda iuxta fidem catholicam.

Concordia igitur datur inter libertatem, quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia postulat pro omnibus hominibus et communitatibus ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum. (ν)

---

stantiis, tale « regimen libertatis religiosae » faveat verae religioni, hoc non demonstrat verum statum iustitiae in illis regionibus, et minus adhuc communiter pro omnibus, ut monebat Leo XIII in Epist. *Longinqua Oceani*.

Praeterea, verba Pii XII, quae allegantur sub notula 30, non habent sensum, quem eis schema tribuit. Dicit enim Pius XII statim ante verba citata: « essa (Ecclesia) per principio, ossia in tesi, non può approvare la completa separazione dei due Poteri » (*A.A.S.*, 45 [1953], p. 802). Ergo ubi « hodiernum regimen libertatis religiosae » fundatur in separatione Potestatum, non viget libertas religiosa, quae sit ad mentem Pii XII in documento allegato, et propterea documentum eiusmodi non potest iure allegari ad confirmandum « hodiernum regimen libertatis religiosae ».

Insuper, paulo post verba allegata in notula schematis, addit idem Pontifex: « quando la Chiesa ha apposto la sua firma ad un Concordato, questo vale per tutto il suo contenuto. Ma il suo senso intimo può essere, con mutua cognizione di ambedue le alte parti contraenti, graduato; può significare una espressa approvazione, ma può anche dire una semplice tolleranza, secondo quei due principi che sono la norma per la convivenza della Chiesa e dei suoi fedeli con le Potenze e gli uomini di altra credenza » (*ib.*); de quibus duobus principiis idem Pontifex prius disseruerat in eadem Allocutione (*ibid.*, pp. 797-799).

Manifestum est ea, quae Ecclesia tolerat tantum, non iuvare directe et ex se ad missionem suam divinam omni, qua par est, independentia exsequendam. Quodlibet Concordatum praebet Ecclesiae instrumentum, vi cuius gaudet libertate iuris et facti in Civitate, quacum initur. Sed ea libertas iuris non semper est libertas quae adaequet postulata iuris divini, ut supponit schema contra apertam declarationem Pii XII, sed nonnumquam est tantum libertas iuris humani, quam Ecclesia acceptat ad vitanda maiora mala, i. e. secundum regulas tolerantiae, prout idem Pontifex edicit.

(ν) Prout iacet in textu emendato a Commissione hic numerus sustineri non potest, et quidem his de causis: supponit systema ideale, ad quod absolute conspirandum esset, systema libertatis, ita ut traditionalis Ecclesiae thesis nunc iam nec ut hypothesis admittatur. Quod clare contradicit et certe missioni specificae Ecclesiae, et supremis, claris, certis principiis, iteratis solemnibus declarationibus, quae vetant aequiparationem totalem conscientiae erroneae et conscientiae verae, et confusionem inter libertatem conscientiae, ex qua non licet imponere, vi quomodolibet illata, nec fidem neque ideas religiosas, vel exigere actus vel religiosas praxes, et plenam positivam, socialem libertatem religiosam. Intra limites saepe saepius definitis, iustis de causis potest agnosci rationabilis libertas religiosa quae absque dubio, non raro, moraliter necessaria erit atque socialiter utilis. Libertas religiosa quae proponitur, et ut proponitur, potest esse conspiratio (l'ideale pratico) pluribus in casibus apta et sufficiens, et sub hoc respectu admitti potest. Sed

11. [*Libertas fidei*]. etc.

12. [*Doctrina evangelica*]. etc. (ζ)

13. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat... » etc.

14. [*Conclusio*]. (ο)

---

nec deducitur tota ex principiis allegatis, nec sub multiplici respectu potest esse in omnibus nationibus una, nec in hoc mundo impediri potest quod, occasione modorum libertatis religiosae, et sub ipsorum praetextu, fiant interventus Statuum in alios Status, in quibus, tot tantisque modis, actio et proselytismus libertatis religiosae convertuntur in damnandos interventus characteris aperte politici.

(ζ) Quoad n. 11, melius esset redire ad textum priorem. Magna pars numeri 12 non considerat nisi aspectus superficiales libertatis fidei.

Si quis vero malit retinere textum emendatum utriusque numeri, notentur sequentia: Adversus postremam sententiam numeri 11 valent quae prius dicta sunt.

Textus emendatus protrahitur absque causa. De natura libera actus fidei nemo dubitat. Ad quid ergo tot testimonia? Praeterea, testimonia Sacrae Scripturae non videntur esse ad rem de libertate religiosa, prout in declaratione consideratur.

In toto hoc novo textu potius quam curare de bono usu libertatis eiusdemque iure in homine et in societate erga Deum colendum, videtur esse cura unice de ipsa libertate simpliciter, sub quacumque forma vel modo accipiatur (etiam ad malum et errorem), eodem fere modo ac « liberalismus ». Non sufficit extollere libertatem personalem contra Status totalitarios antipersonalistas, sed necesse est extollere etiam rectum et dignum usum libertatis contra autonomiam absolutam conscientiae ad libitum.

Potest revera dici quod Christus non voluit miracula facere, de quibus est sermo in n. 12, ea determinata ratione quod « violentiam redolerent »? Cur ergo aliquod eorum patratum est ab Elia? Miracula inferunt violentiam fidei? Nonne maximum omnium miraculorum est resurrectio Christi? Nonne Apostoli eam continuo appellant, non utique ad extorquendam fidem, sed ad eam confirmandam?

(ο) Proponitur sequens Conclusio: « Sacra erga Synodus christifideles omnesque homines bonae voluntatis adhortatur ut libertatem filiorum Dei internam magis magisque assequantur; iustum exercitium cultus Deo privatim publiceque debiti curent vel concedant. Item exoptat ut civitates et regimina hanc iustam libertatem, quam ius naturae et gratiae postulant, rite agnoscant et in ius civile mandent. Denique, cum manifestum sit cunctas gentes magis magisque in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri relationibus, ut pacificae relationes, concordia et profectus humanitatis foveatur atque firmetur, ipsa Sacra Synodus adprecatur ut illi qui gratiam verae ac indubitabilis fidei catholicae acceperunt, omni cum humanitate ac reverentia personae debitis, alios alloquantur et, proportionata mensura iuxta circumstantias, eorum propriam professionem religiosam ne incongrue obstruant, sed fideliter servent traditam Ecclesiae doctrinam.

Faxit igitur Pater luminum ut familia humana per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad illam libertatem Christi in veritate (*Gal.* 5, 1; *1 Tim.* 2, 4; *Io.* 8, 32) unumque cultum Deo debitum ».

Postquam ad plures numeros declarationis illas saltem quas necessarias seu valde utiles in Domino censuimus correctiones seu additiones brevesque illustrationes praesentavimus, pro aliquibus magis momentosis numeris, qui, diversis sub respectibus, totum tangunt schema, novum textum redegimus, quem Commissioni humiliter subiicimus.

DECLARATIO CONCILIARIS OECUMENICA

CONCILII VATICANI SECUNDI

DE HUMANI GENERIS MIRABILI DIGNITATE

DE PERSONARUM SINGULARIUM NECNON SOCIALIUM

IN RE PRAESERTIM RELIGIOSA

SANCTA AC NOBILI « LIBERTATE » PROCLAMANDA

Sensus hodiernus humanae dignitatis. Sensus illius personalis atque socialis « humanae substantiae dignitatis », quam ut in Missae divino Mysterio, Ecclesia quotidie profitetur « Deus mirabiliter condicit ac mirabilius reformavit » [1] hac nostra aetate feliciter magis evadit inter homines ac gentes communis, magisque in dies conscius atque fortis. Et quidem adeo ut ipse iam totam humanam vitam, non religiosam tantum sed civilem etiam, publicam et privatam, pervadat atque informet.

Una voce plenoque animo hunc communem humanae dignitatis sensum, Societates religiosae ac civiles proclamant, nec tantum, sed et pro toto genere humano hanc fortiter sacram vindicant dignitatem necnon et vitam ipsi in omnibus fideliter respondentem, pro singulis etiam hominibus quotquot sunt, exigunt ac omnibus modis consequi nituntur.

Huic nobili humanae dignitatis sensui atque ipsius dignitatis proclamationi et vindicationi, ex corde totisque viribus Concilium Oecumenicum Vaticanum II atque singuli ipsius Patres adhaerent. Leonis vere Magni, qui suo agitato tempore, barbariae victor, Civitatem salvavit, notissimum dictum [2] accipientes et facile huic solemni occasioni aptantes, ut hortamentum, si licet, et ut sincerum simul atque amabile augurium omnibus prorsus hominibus dilectisque vere, nec una tantum sed trina ratione fratribus, natura scil. humana imagine Dei qua omnes ornamur simul ac iungimur, divina filiatione ad quam omnes singulique vocati sumus et iugiter invitamur, communi denique spe aeternae divinae hereditatis ad quam omnes destinamur, referimus. Et dum hanc declarationem subscribimus, subsignamus, vobisque mittimus, haec vobis nobisque laetantia verba, ad illa Leoniana composita, libenter addimus: Agnoscite homines excelsam vestrae nostraeque omnium humanae naturae, libertatis etiam inaestimabili dono insignitae, dignitatem, qua ad imaginem Dei facti sumus.[3] Agnoscite fratres sublimem celsitudinem qua ut Apostolus Paulus Athenienses in Areopago alloquebatur, Deus « non longe est

---

[1] In Offertorio Sacrificii Missae: ad aquae in Calicem immissionem.

[2] S. Leo Magnus, *Sermo I in Nativitate Domini.*

[3] *Gn.* 1, 26-27; *Mt.* 19, 4; cf. *Gn.* 9, 6; *Sap.* 2, 22; *Eccl.* 17, 1.

ab unoquoque nostrum » sed « in Ipso vivimus et movemur et sumus »; sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: « Ipsius enim et genus sumus » [4] veluti ex stirpe divina nati, divini generis participes effecti. Agnoscite filii Dei atque in Deo fratres, bonitatem paternam Dei quae vos omnes ad filiationem invitat, ad ipsam vos trahit, illam vobis offert, donatque et ad orationem alliciens illam verbis incipere iubet quae filialem et fraternam dignitatem profitentur: « Pater noster » et fiduciam excitant.[5]

Agnoscentes ut homines et liberi, ut imagines Dei, ut filii et heredes Dei,[6] ut fratres et coheredes filiorum Dei dignitatem nostram, Deo, qui est caritas,[7] Patri a quo omnia bona procedunt [8] et omnis paternitas descendit,[9] fratribus quibus in Deo et Patre iungimur, libere ex amore fidem fidelitatemque servemus ac filiali et fraterna pietate omnes prosequamur.

[*Libertas civilis*: *quid secumferat et quid exigat*]. Libertas civilis est ius in Statibus recte ordinatis recognitum, quod cives et subditi, sub respectu individuali et sociali, erga omnes habent et vindicare possunt; scil., erga concives, erga Statum ipsiusque organa singula, erga alios quoslibet.

Hoc amplissimum ius sequentia saltem complecti necessario debet: recognitionem plenam, et in casu defensionem, dignitatis vitae humanae, omniumque ad illam ducendam, sustinendam, exercendam et evolvendam, quae, iuxta seriam temporum evolutionem, necessaria seu convenientia reputanda sunt; auctoritatis publicae ita ordinatam moderationem, ut omnes qui illam exercent: digne et honeste cives subditosque suos, omnes semperque, tractare debeant, in regendo et in rebus definiendis et ordinandis, non arbitrio duci permittantur, sed ad normam legum civilium et naturalium, sub incursu respondentium sanctionum, operari teneantur, cuique concesso legali opportuno recursu contra certos potestatis abusus; in gubernio et in relationibus civium ordinandis, honestae ac iustae civium agendi facultati limites imponere non valeant, nisi ut certo bono communi satisfaciant, ut ordinem publicum tueantur et defendant, ut praevalentia iura recognoscant, et aequalia coordinent, ac denique ut saltem legibus recognitam, moralitatem vindicent.

[*Libertas religiosa*: *vera ipsius ratio*]. Libertas religiosa, ut hodie ipsa communiter, nec immerito, accipitur, in sua intrinseca ratione: est verum ius, naturale et civile in dignitate humana, qua ipsa patet, fundatum, atque legi et ordini divinae Providentiae in hac vita adaequate respondens, quod omni homini, quicumque sit et ubicumque inveniatur, agnoscendum est, ac nulli denegari potest, immo quod, ut fieri iam solet in legibus fundamentalibus Statuum qui eas recte habent ordinatas, ut ius primarium cuique in religionis professione expresse recognoscendum et sanciendum est.

Huiusmodi religiosae libertatis ius haec praecipue complectitur: *externam libertatem,* vi cuius nullus homo a qualibet auctoritate, civili vel religiosa, quavis

---

[4] *Act.* 17, 28-31.
[5] *Mt.* 6, 9 (cf. 6, 4. 6. 8. etc.); *Lc.* 11, 2.
[6] *Rom.* 8, 17.
[7] *1 Io.* 4, 8-12.
[8] *Io.* 1, 17.
[9] *Eph.* 3, 15.

ratione vel colore vi externa adigi potest ad hanc vel illam religionem amplectendam vel reiiciendam, vel ad quoslibet actus cultus ponendos vel omittendos; *libertatem conscientiae,* ex qua, in re religiosa, nulla civilis auctoritas competens est ut aliquam fidem definiat vel religionem seu religionis actus ut obligatoria decernat vel quomodolibet imponat, aut in iis iura civilia, omnibus debita, fundare praesumat; libertatem professionis huius vel alius religionis, ita ut Status non tantum aliquam religionem, vel ipsius actus, minime imponat, sed liberum propriae religionis exercitium cuique prorsus relinquant, quin iuribus inde privet vel onera imponat, sed civem defendat in sui cultus legitimo exercitio.

[*Limites intrinseci verae libertatis religiosae*]. Per hanc iuridicam libertatis religiosae sinceram notionem, in hac nostra aetate defensam, si ipsa recte intelligatur, nullatenus significatur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri, aut a Deo emancipari, ita ut atheismo privato vel Status quoquo modo faveatur. Non enim libertas religiosa eo sensu concipitur, ac si persona posset falsum et verum aeque aestimare, vel ac si ipsi officium non incumbat veram sibi, privatim et publice, de rebus religiosis formandi sententiam, vel arbitrio suo statuere valeat utrum, et in qua religione, et qua ratione, Deo servire velit.

Quaestio praeterea non tangitur: de religione Status, iuridice et politice libere recteque instituta, quae sarcta tectaque illa relinquit quae supra statuta fuerunt; nec regimine concordatario, salvis iterum nn. anterioribus, intra propriam ipsius provinciam, ullo modo derogare vel ab eo quid detrahere intenditur.

[*Limites in exercitio iuris libertatis religiosae*]. Omne ius, ut sustineri valeat. 1) Sibi ipsi fidele debet esse et suum fundamentum non excedere; ut puta in casu humanae naturae dignitatem, ita ut nullo colore religiosae libertatis liceat ea vindicare quae illam aperte violarent, etiam secundum normas iure ipso civili constitutas. 2) Certos aeternae et naturalis legis terminos praetergredi non potest, ac proinde libertas religiosa intra recognitam moralitatem contineri debet. 3) Commune bonum intactum servare tenetur, ita ut nulli suffragetur religiosa libertas: ad vim quomodolibet inferendam aliorum iuribus, praesertim in eodem ordine, sive impediendo ipsorum explicationem, sive exaggerato neque authentico proselytismo favendo; 4) Publicum ordinem in suis praecipue normis fundamentalibus vulnerare vel turbare non potest.

[*Fundamentum libertatis religiosae*]. *a*) (*Dignitas et integritas personae humanae*). Libertas religiosa in dignitate personae humanae solidum suum fundamentum invenire constat. Sane, dum Deus suis legibus hominis vitam ordinatam voluit, ipsas coercitive non imposuit, sed ad personae nobilitatem, ad servitii dignitatem et iustum meritumque praemium per eas consequendum, eas nulla illata vi, sed libere observandas tradidit.

Et quidem non uno tantum respectu, nam cum homo unus sit, sed ipsa natura sua socialis, dignitatem indeque exortam libertatem ex integritate vitae personalis, Dominus largitus est, non tantum interne, sed etiam externe, in ordine tam familiari, quam sociali et publico, in quibus omnibus pariter interna naturaliter debet fulgere libertas.

Dum tamen religiosa interna libertas externe exercetur, ipsa quin in suo exercitio coerceatur, qua ius est atque factum, cum bono communi, ordine publico, moralitate legitime externe sancita, cum aliorum denique pari iure coordinari debet necessario.

His salvis, nexus inter libertatem interiorem et eius externam cuiusvis gradus manifestationem, habendus est naturaliter.

Libertas religiosa, recte ita intellecta, est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaerens et ad duo simul generatim spectans, nempe, ad libertatem internam seu conscientiae et ad liberum externum religionis exercitium.

5. [*Limites libertatis religiosae*]. Praeter internos limites intra quos conceptus et ius libertatis religiosae, ut vidimus, necessario continetur, adsunt externi limites quos transgredi non licet:

a) (*Normae morales*). Libertas religiosa, intra unamquamque rempublicam, illis moralitatis normis contrahitur quae humana dignitate praecipue fundatae, in legislatione Status receptae sunt.

b) (*Normae sociales*). Ius ad libertatem in re religiosa in societate humana exercetur, ideoque quibusdam normis quae ipsum ratione ordinatae conviventiae necessario definiunt ac limitant, subicitur. Sane, primum ordinatae conviventiae morale principium in mutua responsabilitatis relatione erga alios consistit. Nam in iuribus exercendis, unusquisque iurium aliarum personarum, cum quibus ei est agendum, suorumque erga eas officiorum quae ex iustitia, aequitate, humanitate nascuntur, fidelis ratio habenda est.

c) (*Normae iuridicae*). Ius libertatis religiosae denique limites habere potest ex legitimo et rationabili Potestatis publicae interventu, ad iuris normas et tramites peracto in casibus in quibus: recognitae moralitatis normae defendendae et sanciendae essent, quae religionis praetextu non leviter offenderentur; bonum commune detrimentum certum caperet ex religionis arbitrario et effrenato exercitio; paria aliorum iura in exercitio libertatis religiosae violarentur; ordo publicus, occasione vel praetextu libertatis religiosae turbaretur; iura certa atque recognita Status, Societatis et singulorum, ex abusibus religiosae libertatis pessumdari possent vel non leviter offendi.

10. [*Dignitas ac libertas filiorum Dei*]. Praeter dignitatem naturalem, adest alia multo excellentior, nempe dignitas supernaturalis, qua homo est filius Dei ex gratia et caritate (*Rom.* 5, 5; *1 Io.* 3, 1), cui dignitati debetur libertas religiosa quam nobis attulit Christus, quaeque ideo appellatur libertas filiorum Dei: libertas a servitute diaboli et a servitute peccati. Libertas ideo non quidem errandi vel profitendi quamcumque religionem, sed illam tantum quae est unice vera, quam praedicavit ipse Christus, extra quem nemo salvatur (*Act.* 4, 12). Et consequenter libertas eam praedicandi in universo mundo, ex mandato Christi, cui data est omnis potestas in caelo et in terra (*Mc.* 16, 15-16).

Neque illi, qui catholicam fidem iam susceperunt, libertatem habent de ea dubitandi vel ab ea recedendi quocumque praetextu vel quacumque ratione, sed e contra officio adstringuntur in ea perseverandi, quin tamen huiusmodi captivatio intellectus in obsequium Christi minuat veram libertatem, sed potius eam servat et tuetur, sublata falsa libertate errandi. Cum quo tamen stat quod homo fidelis, vera libertate psychologica veraque libertate morali ab omni coactione, verum liberae voluntatis obsequium praestet Deo revelanti (DENZ. 3010, 3014).

Qui vero hanc veram fidem et religionem agnoverunt et susceperunt, nullum habent ius eam submittendi dictamini personali propriae conscientiae per modum dubitantis vel ipsam anxie quaerentis, sed tantum per modum ei firmissime adhae-

rentis. In his qui veritatem invenerunt vel in veritate nati et educati sunt, non est fides submittenda et regulanda libera conscientia eorum, sed potius ipsorum conscientia debet submitti et regulari ex fide.

Qui autem nondum eam invenerunt, ius et officium habent ipsam libere inquirendi eamque amplectendi et profitendi ex quo invenerint.

Quod dicitur de singulis hominibus, proportionaliter dicendum est de iure et officio societatis civilis et Status, qui pariter a Deo est et Deo obsequi debet.

8

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Il y a dans le *Schema declarationis de libertate religiosa* plus de perfection que dans les différents textes précédents sur la liberté religieuse, et au point de vue clarté de l'exposé, et au point de vue de la précision doctrinale. Il reste, cependant, un certain nombre de points à noter.

2. Des répétitions à supprimer, p. e. p. 3, par. 2, lignes 2 sq. et p. 6, par. 3, lignes 11 sq. et d'autres textes.

3. Heureusement qu'on a supprimé ce que comportait le texte de 1963 sur « le droit de la conscience errante ».

4. La relation juridique et sociale de la liberté religieuse à l'Etat est nettement affirmée et met la réflection contenue dans ce Schema sur un plan à la fois pastoral et doctrinal nécessaire.

5. Tout le développement de la pensée dans ce Schema tourne autour de la dignité de la personne humaine en laquelle est fondée la liberté de conscience. Mais cette dignité n'a de valeur que parce qu'elle se fonde finalement sur la condition surnaturelle de l'homme, fait à l'image de Dieu. Le lien du droit naturel aux réalités surnaturelles est le bienvenu ici. Le cadre existentiel concret de la vocation surnaturelle de l'homme n'enlève rien au contexte naturel de la dignité humaine. Il la renforce et lui donne plus d'assises.

6. Celà donne à la réflexion de ce Schema plus d'extension. L'Eglise entend ne pas s'adresser aux catholiques seulement. Elle se donne pour la protectrice de la liberté religieuse partout et toujours.

7. Le Schema tente de préciser autant que possible la notion du bien commun sur laquelle les Etats pourraient se fonder pour restreindre la liberté religieuse.

Ici le progrès de la pensée est lent, vague parfois, timide. Il y aurait lieu, je crois, de donner un paragraphe entier à la précision de cette notion sans éparpiller les principes dans différents développements.

Cette notion du bien commun est-elle une notion relative à l'ensemble de l'humanité ou à la communauté nationale seulement?

8. On a bien fait de lier la nature sociale de la religion à la nature sociale de l'homme. L'extension sociale de la religion est une manifestation de l'extension de la personne humaine dans sa relation à d'autres personnes.

9. Parlant de la dignité de la personne humaine, à plusieurs reprises (ce qui fait répétitions ici et à propos d'autres textes dans le Schema) la déclaration aurait pu insister davantage sur la responsabilité personnelle dans la recherche de la vraie religion.

10. Le texte du Schema refuse et condamne toute forme d'intolérance comme toute discrimination raciale et religieuse, et cela, d'ailleurs, en accord avec la cinquième partie du Schema sur la relation de l'Eglise avec les religions non-chrétiennes.

11. Les relations de l'Eglise et de la société civile sont tranchées dans des affirmations sans explication. On aimerait que cette question délicate et celle qui lui est connexe (les devoirs des Etats envers l'Eglise) soient analysées plus dans le détail.

Le Schema XIII en parlera. Mais il faudrait, me semble-t-il, donner ici des principes de solutions, renouveler la question et ne pas accepter facilement la séparation de l'Eglise et de l'Etat ni une relation purement formelle et négative. Il faudrait pouvoir définir la situation positive de l'Eglise dans son rapport à l'Etat. L'Eglise dans sa mission spirituelle doit être l'inspiratrice des Etats sans pourtant s'immiscer dans la politique.

12. L'on voudrait savoir, d'une manière plus claire, quelle serait l'attitude de l'Eglise si un Etat catholique laissait la liberté à des communautés protestantes d'ouvrir des temples et d'exercer leur culte.

Il y a les droits minimum des minorités religieuses à sauvegarder. Sur ce point notre Schema reste assez incomplet.

13. Sur le plan religieux, comme sur d'autres plans, la liberté n'est pas souveraine maîtresse du vrai et du faux, du bien et du mal. Il y a une exigence intérieure qui la lie par delà toute contrainte extérieure. Ce point a été très nettement dit et plusieurs fois répété, et avec bonheur. On ne peut tenir, en effet, en aucun cas, que la morale puisse être purement subjective sans en subir les excès assez vite. Le devoir missionnaire demeure intact. A cause de cela, on garde le droit d'avertir la liberté de la vérité. C'est le fondement même du devoir missionnaire d'annoncer une vérité qui est universelle.

14. Ce point qui se trouve dans le Schema pourrait être, me semble-t-il, un peu plus développé.

15. Ce qui est dit de la famille, des communautés religieuses, des Associations est bon. N'est-il pas nécessaire à ce propos de définir les relations des deux ordres, comme nous l'avons dit plus haut, temporel et spirituel?

16. Il me semble que l'indifférentisme religieux et le relativisme doctrinal qui pouvaient inquiéter le lecteur de la précédente déclaration sur la liberté religieuse n'aient plus de place dans le présent Schema.

* * *

1. Le présent texte est de loin supérieur au texte précédent et peut, tel quel, satisfaire à la discussion des Pères, si l'on veut se mettre dans les perspectives juridiques qui sont les siennes.

2. On a supprimé la partie historique de l'ancien texte. On a bien fait. Elle aurait, dans un texte conciliaire, soulevé plus de questions qu'elle n'en aurait résolu.

3. La méthode suivie dans la présentation des idées me paraît bonne: maintenir, après une déclaration qui oriente l'esprit dans le sens du contenu du Schema, les fondements rationnels de la liberté religieuse, pour passer ensuite aux fondements puisés dans la Révélation, et qui constituent des repères plus ou moins lointains, éclairant les affirmations précédentes.

De la sorte, l'étendue des idées développées est beaucoup plus large; les non-croyants pourraient en profiter autant que les croyants pour qui les données de la Révélation viendraient ultérieurement intérioriser une liberté qui ne veut être ici que l'absence de toute contrainte, et la mettre en rapport étroit avec l'Eglise, réalité surnaturelle, qui, devant mener l'humanité vers sa fin surnaturelle, a des droits à réclamer pour la vraie religion et pour elle-même, seule vraie société de salut fondée par le Verbe Incarné.

C'est bien ce que nous dit le paragraphe 2: il affirme trois points, sans preuves et d'une manière lapidaire: 1) le droit à la liberté religieuse fondée dans la dignité de la personne. Il consiste dans l'absence de contrainte: nul ne peut être forcé à agir contre sa conscience; nul ne peut être empêché d'agir selon sa conscience, en privé et en public, dans de justes limites. 2) Ce droit doit être reconnu par les lois. 3) Mais cela ne libère pas l'homme de chercher la vérité; il ne lui permet pas de vivre dans l'indifférence par rapport au vrai et au faux. Cela laisse intacte la doctrine catholique sur la vraie religion et l'unique vraie Eglise.

Les critiques d'indifférentisme faites aux précédents essais de textes trouvent ici leur solution par ces affirmations claires et pleines, et qui ne laissent de doutes ni sur l'intention du Concile ni sur les perspectives actuelles, différentes du temps du Syllabus.

Je note qu'on a bien fait d'insister dès le début sur la dignité de la personne humaine, pour fonder la liberté religieuse. Cette dernière est, par là, immédiatement caractérisée comme étant une notion morale et théologique. La difficulté serait justement de passer à la notion pratique, juridique de la liberté religieuse, c'est-à-dire, au droit du libre exercice de la religion dans la société.

Ne pourrait-on pas partir de l'ordre des faits purement et simplement et constater la liberté de l'homme dans les plans politique, légal, etc., et essayer de lui chercher, par après, les fondements nécessaires à sa structure, théologiques, moraux, juridiques, etc.

Les deux points de vue, metaphysique et existentiel, sont défendables. Mais il faudrait incliner, me semble-t-il, pour celui où l'inférence du point de vue juridique, qui est celui du Schema ne soit pas impossible ou trop difficile.

J'inclinerai volontiers vers l'ordre existentiel, le plan de la pratique de la liberté, et je dirai qu'il faudrait mieux partir de la constatation de la liberté de l'homme, en exercice, malgré tous les totalitarismes, telle qu'elle s'exerce sur différents plans et en venir à justifier ce fait universel par les arguments, dont le principal serait justement la dignité de l'homme et ce qui en découle.

De la sorte, il est plus normal d'atteindre les non-croyants qui pourraient se refuser à nos arguments théologiques et moraux. Ils sont obligés d'admettre une situation de fait qu'ils vivent eux-mêmes et qu'il s'agira ensuite d'interpréter.

L'étendue donc de l'ordre existentiel selon lequel on présenterait ce Schema sur la liberté religieuse serait plus large encore.

Les citoyens, en effet, qui ont constitué l'Etat en lui donnant sa structure

juridique, peuvent exiger de lui qu'il leur laisse la liberté de vivre leur vie, surtout leur vie de foi.

A partir de là l'on pourrait se servir de tous les arguments que nous donne le texte présent du Schema.

4. En suivant cette perspective, l'on éviterait tout ce qui donnerait à ce Schema une allure encore individualiste. Quant aux analyses de la personne comme relation aux autres et aux valeurs, on pourrait les inclure dans une orientation qui parte d'abord du concret et de ce qui est. Et c'est aussi dans cette orientation qu'on pourrait différencier la portée des structures sociales: les unes oppriment la liberté, les autres l'aident dans son développement et la protègent.

5. La notion de Bien Commun dont parlaient les précédents textes et qui devait signifier les limites de la liberté laissée aux individus sur le plan social, dans l'exercice public de cette liberté, était sujette à bien des interprétations, et pouvait prêter à des commentaires sans fin. On lui a substitué la notion d'Ordre public, qui demanderait encore à être précisée, objectivement. Malgré cela, elle restera sujette, pour qui le veut, à de mauvaises interprétations pour justifier un point de vue (athée ou autres) dans des circonstances données. Mais peut-on trouver une meilleure notion? Il me semble toutefois possible de la préciser pour couper court à un usage détourné et malveillant.

6. On devrait, en effet, me semble-t-il, caractériser l'Ordre public dont l'Etat est le défenseur: l'authentique ordre public. S'il n'est pas facile de le faire objectivement, l'on pourrait au moins signaler les actes qui lui nuisent, objectivement, des actes qui nuisent à d'autres citoyens, qui offensent la moralité publique, qui troublent la paix de la société. Ici encore, quelle est cette paix de la société et de telle société déterminée?

En tout cas, le Schema donne deux règles: morale et juridique qui limitent l'exercice social de la liberté religieuse.

7. Il me semble de la plus haute importance de rattacher concrètement d'une façon ou d'une autre, ce Schema aux autres Schemas conciliaires qui tratient de l'Eglise, de sa tâche missionnaire, de l'apostolat des laïcs, etc. pour enlever — dans les perspectives d'un droit aux autres à exister — tout relent d'indifférentisme. L'Eglise, en reconnaissant elle-même ce droit aux minorités religieuses dans les pays à grande majorité catholique, doit intensifier son travail pour éclairer les esprits sur les deux points qui sont affirmés ici avec vigueur: chercher le vrai Dieu et son unique Eglise. Cela maintient l'Eglise dans un état de mission, qui est son être propre, et cela libère sa conscience: la vérité est attirante par elle-même pourvu qu'elle soit accompagnée d'un témoignage authentique de la vie, dans une atmosphère de liberté.

8. L'insistance de l'Eglise, dans ce Schema, sur la dignité de la personne humaine, est une réponse au défi lancé par les totalitarismes de ce siècle. La personne humaine est sujette de droits qu'il faut sauver, parmi lesquel le premier est celui de l'immunité, en matière de religion, de toute coërcition, de la part des autres, surtout de la part des pouvoirs publics.

9. On a bien fait de supprimer les expressions « droits de la conscience », « liberté de la conscience », qui pourraient prêter à de longues discussions et à des confusions. Ce n'est pas, en effet, la conscience qui fonde le droit, mais la personne elle-même. La conscience est un critère immédiat dont la personne se sert dans sa recherche de la vérité; elle est la médiatrice de la loi éternelle.

De plus, d'avoir évité de parler d'un droit de la conscience, aide à ne pas entrer dans la discussion interminable de la conscience erronée (cf. GUY DE BROGLIE, *Le droit naturel à la liberté religieuse,* Collection Beauchesne, 6, Paris 1964).

10. C'est pourquoi, si l'homme doit suivre sa conscience, dans la recherche de la vérité, il doit le faire comme il convient à sa nature: librement et dans le dialogue. Ces deux points sont marqués dans le Schema. Mais peut-on affirmer de la religion naturelle (tant que nous sommes dans les arguments rationnels), qu'elle est sociale par nature? Ou bien qu'elle ne l'est qu'à cause de la nature sociale de l'homme religieux, qui doit manifester au dehors, dans des gestes de culte, sa religion (cf. paragraphe 6, p. 11, lignes 24-25).

11. La perspective dans laquelle s'est mis le Schema justifie certains modes de parler: p. e. *numen*. Otto en a parlé pour désigner le sacré dans toute religion. Je ne sais si ce mot existe dans la littérature chrétienne. C'est un terme générique qui peut s'appliquer à d'autres religions ou communautés religieuses que le Christianisme.

12. Parlant des fondements révélés de la liberté religieuse, le Schema aurait pu, d'une manière plus explicite, dire que c'est sous l'influence secrète de l'Evangile, de la Parole de Dieu, que certaines valeurs furent connues dans leurs véritables dimensions, que c'est aussi sous cette influence que certaines exigences morales et autres se sont fait jour lentement dans l'histoire de l'humanité... La dignité de la personne humaine est l'une de ces valeurs précisées (cf. p. 14, lignes 18-23).

13. Le paragraphe qui traite du Christ et des Apôtres dans leur comportement et leur mode d'agir avec les hommes, est insuffisant, hésitant, sans vigueur. L'expression elle-même, bien que simple, claire, n'est pas assez synthétique, ni la pensée qu'on voudrait déclarer (p. 14, par. 10).

14. Si l'acte de foi doit être suprêmement libre, cela ne veut pas dire que la foi est d'autant plus vraie qu'elle serait plus libre. C'est pour cela que le paragraphe sur la liberté de l'acte de foi a été allégée, et avec raison, de cette affirmation. Il fallait, en effet, rendre compte de la vertu de foi, et de la foi active qui existent chez les enfants.

15. Ce qui a été ajouté à la conclusion dans le sens pastoral est le bienvenu.

16. On a bien fait de suggérer que l'Etat n'est pas la société civile.

9

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Appendix I: De conceptu ordinis publici in iure canonico.

Can. 14, par. 1, n. 2: « (Peregrini non adstringuntur) legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant ».

Ut videtur, formula invecta est in ius canonicum ex iure civili internationali, secundum quod alieni tenentur legibus, quae ordinem publicum spectant. Intelliguntur istae leges, quae « securitatem status » respiciunt, si licet locutione hodierna uti.

Res explicatur a Vermeersch: « Verba: *ordo publicus* satis parum definita sunt ex voluntate legislatoris atque usibus receptis interpretationem recipiunt. Satis concordes sunt scriptores leges illas ordini publico consulere quae bonum publicum seu commune non pro *fine* tantum (sicut omnis lex), sed pro *obiecto* immediate habent. Quae nisi ab omnibus in territorio commorantibus observantur, ipsa communitas detrimentum patietur. Tales non sunt leges quae sanctificationem fidelium promovere intendunt. Dici fortasse posset ordini publico consuli per eas leges quae ad damnum avertendum potius quam ad bonum commune promovendum latae sunt. Peregrini enim communi alieni territorii bono cooperari per se non debent, cum ad communitatem particularem non pertineant; damnosi tamen esse vetantur » (VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici* 2, ed. 8, 1963, n. 110).

Circa totam rem, cf. HACKETT, JOHN HENRY, *The Concept of Public Order,* Washington, D.C.: The Catholic University of America Press, 1959.

Saltem patet distinctio inter bonum commune et ordinem publicum. Aliud est « bene esse societatis », aliud autem « securitas status ». Insuper patet, aliud esse id quod utile sit ad bonum commune; aliud autem id quod necessarium est ad ordinem publicum. Hoc praestandum est necessario, adhibita etiam coercitione; illud autem non necessario nec sub coercitione sed libere. Tandem patet, aliud esse id quod ordini publico opponatur; quod quidem est necessario reprimendum; aliud vero id quod opponatur bono communi, quod non necessario est reprimendum, cum per se valeat regula libertatis. Exigentiae ordinis publici iustificant restrictionem libertatis; utilitates autem boni communis eam non iustificant. Illae enim specialiter urgent; haec autem non.

10

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS

Archiepiscopus Compostellanus

Novum schema *de libertate religiosa* optima continet et accurate attendit ad non paucas animadversiones merito in textum prioris schematis allatas. Unde iustas laudes in genere meretur. Attamen quaedam, non parvi momenti, mea sententia, in ipso adhuc desiderantur, ut declaratio digna sacro Concilio et huius temporis necessitatibus accommodata revera evadat.

Animadversiones generales. En praecipui defectus qui, meo quidem iudicio, novum schema deturpant.

1. Regimen libertatis religiosae proponit, quin verbum addat de laudanda officiali agnitione verae religionis ex parte Status cuius cives maximo numero eam profitentur.

Utique exc.mus relator expresse asserit: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate ubi catholici numero praevalent, Ecclesiae catholicae quaedam privilegia aut etiam officialis agnitio tribuatur ». Sed haec in relatione inveniuntur, non in textu schematis. Omnino autem desideratur ut ipse textus ita aperte doctrinam proponat, ut non tantum recte intellegi possit, sed ut alio modo unquam possit intellegi.

In schematis textu, prout iacet, facile videri potest tacita approbatio doctrinae de indifferentismo religioso Status. Haec autem doctrina:

a) Directe damnata fuit a Pio IX (*Quanta cura* et *Syllabus*), Leone XIII (*Immortale Dei, Humanum genus, Libertas, Longinqua Oceani*), Pio X (*Vehementer Nos*), Pio XI (*Quas primas*), Pio XII (*Summi Pontificatus*).

Nullum quidem ex his Summorum Pontificum documentis affert aliquam damnationem « ex cathedra ». Sed neque Concilium Vaticanum II aliquid intendit « ex cathedra » definire. Eius constitutiones dogmaticae continent simpliciter « doctrinam catholicam ». Si autem doctrinae catholicae prius expositae opponuntur, quamnam vim retinent? Alia ex parte, nemini latet periculum scandali et perturbationis quod huiusmodi contradictiones inter doctrinam olim et doctrinam nunc propositam pro fidelibus involvunt. Concilium Vaticanum II adaptare debet nostris temporibus priores declarationes Ecclesiae, non eis contradicere; debet nova proponere, sed religiose servare antiquam ecclesiasticam doctrinam.

b) Iniuriam affert Ecclesiae: si agnitio verae religionis iura et vires Status excedit, aut opponitur regimini libertatis religiosae, quod ipsum ius naturale postulare asseritur, Ecclesia illegitime egit, quando — usque in hodiernum tempus — in conventionibus cum statibus catholicis curavit ut hi officialiter agnoscerent religionem Ecclesiae catholicae tamquam unicam veram.

c) Opponitur recto Status conceptui. Etenim, assertio incapacitatis Status ad discernendam veram religionem quam amplectuntur cives, dirimit absurde personam rei publicae moderatorum, ut si ipsi, tantum tamquam cives privati, non autem tamquam publici moderatores, ratione naturali et Gratiae auxiliis gauderent ad veram religionem cognoscendam. Praeterea, si incapaces sunt ad discernendum quaenam sit vera religio, logica consequentia affirmanda est etiam eorum impotentia ad cognoscendum Deum, necessitatem alicuius religionis, immo ipsa principia moralia. Unde nec de indissolubilitate et unitate matrimonii aliquid decernere valent, nec multo minus fovere quamlibet populi religiosam instructionem, nisi hoc agant ad servandam publicam aliquam opinionem, ob eius utilitatem relate ad ordinem publicum, quin tamen de eius veritate quid scire possint, quod diceretur illicita calliditas.

Societas civilis certe *directe* respicit tantum bona huius temporalis vitae, at *non unice*. Civis enim disiungi nequit in duas personas, quarum una, animo intento ad bona vitae terrestris, subiaceat civili potestati, altera vero, respiciens beatitudinem aeternam, pertineat ad Ecclesiae moderationem. Civis e contra unus est ac indivisibilis, aptus ad possibilem felicitatem temporalem et ad felicitatem aeternam consequendam. Hoc autem civitatis moderatores ignorare nequeunt. Ideoque — prout asserunt ecclesiastica documenta antea allata —, non utique directe, quod ad Ecclesiam pertinet, sed *indirecte* debent et ipsi civibus adesse in acquisitione ultimi finis, fovendo, pro viribus et sicut civium conditiones suadeant, veram religionem.

Doctrina haec directe respicit nationes in quibus numerus veram religionem profitentium valde praevalet. At de facto multae sunt nationes in quibus e contra praevalent sectatores falsae religionis. Hinc quaeri posset num Ecclesia, ob bonum universale, renuere deberet agnitionem officialem verae religionis ex parte Statuum catholicorum, ne aliorum Statuum moderatores similiter falsam aliquam religionem tamquam unicam Status religionem amplectantur. Sed agnitio verae religionis in ecclesiasticis documentis allatis iure merito affertur ut *officium* stricte dictum potestatis civilis Statuum catholicorum; huic officio respondet *ius* civilis potestatis ad agnoscendam officialiter veram religionem et ad tribuendum Deo cul-

tum, tamquam publica potestas, in vera Christi Ecclesia. Negare autem hoc ius ob humanum commodum non videtur licere.

2. Asseritur in schemate *eadem iura* competere sive verae sive falsis religiosis communitatibus (cf. v. g. n. 7). Hoc autem etiam a Summis Pontificibus damnatum fuit (a Leone XIII, *Libertas*; a Pio XII, or. *Ci riesce,* 3 dec. 1953). Et merito: etsi quilibet homo ius habeat ad quaerendam religionem absque ulla coactione (quod minime negandum est), si in errorem religiosum incidit, et cum aliis eiusdem mentis societatem instituit, haec communitas, quae falsam religionem profitetur, putabit forte se gaudere, sed revera non gaudet eisdem iuribus ac vera societas religiosa; nemo enim verum ius habet ad spargendos errores et falsitates. Aliud est quod nostri temporis conditiones suadeant ut de facto omnibus communitatibus religiosis libertas concedatur, tantummodo limitata exigentiis illis de quibus in schemate mentio fit.

3. Etiam deplorandum puto *loquendi* modum in extollenda humana dignitate et libertate, qui ostendere videtur sensum nimis, ut ita dicam, « humanisticum » et quasi « rationalisticum », ita ut schema aliquando potius diceretur laicalis proclamatio iurium personae humanae, quam pastoralis expositio propria Sacri Concilii.

Hic sensui, qui totum pervadit schema, accedit nimis iterata assertio de necessitate ubique promulgandi regimen libertatis religiosae et immodicae laudes huic libertati tributae; unde inferri forsitan posset concessionem amplae libertatis falsis communitatibus religiosis maxime urgentem necessitatem esse in hodierna vita et actione Ecclesiae.

Animadversiones in singulos numeros. N. 1. Lin. 2, pag. 3: Post verba: « Dignitatis personae humanae », addatur: « quam *Deus mirabiliter condidit et mirabilius reformavit* ». Et in nota: « In Sacrosancto Missae Sacrificio ». *Ratio*: hoc modo ostenditur quomodo Ecclesia semper personae humanae dignitatem agnovit. Additur insuper, ut oportet, aliqua religiosa dictio.

Linn. 9-12, pag. 3: Comma: « In permultis publicis civitatum constitutionibus civium libertas in re religiosa instituta est tamquam stabile regimen », omittatur. *Rationes*: 1. Non est ad rem. 2. Iteratur in n. 14: « patet etiam libertatem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari ». 3. Haec verba, in initio schematis prolata, sumi possent ut reprobatio agnitionis civilis verae religionis.

N. 2. Lin. 12, pag. 5: Post verba: « cum quo totalitarismus hodiernus intime connectitur », addatur in alia paragrapho: « Etiam damnavit Ecclesia doctrinam quae afferebat ut optimum et maxime optabile regimen indifferentismi Status in re religiosa. Omnes enim homines, non tantum individualiter sumpti, sed etiam quatenus in civili societate coalescunt, a Deo vocantur ut veram religionem agnoscant et colant ». In nota afferantur documenta ecclesiastica allata in animadv. generali, 1.

Rationes: 1. De facto, haec liberalismi doctrina etiam damnata fuit. Omissio autem huius damnationis sumi posset aut tamquam tacita eius abrogatio, aut saltem ut sinceritatis defectus, ex animo ingrata tacendi.

2. Verba Pii XI allata in nota 11, ad hunc numerum, intime quidem cohaerent cum hac damnatione, quippe qui ibi (Epist. Enc. *Maximam gravissimamque*) Pius XI renovat damnationem quae in Enc. Pii X, *Vehementer Nos* invenitur, circa separationem reipublicae Galliae ab Ecclesia.

3. Huius damnationis mentio nullatenus nocet regimini libertatis religiosae; de hac ecclesiastica damnatione etiam dicere oportet « manere integram et immutabilem ».

Linn. 13-14, pag. 5: Verba: « Utraque haec damnatio, olim lata, hodie manet integra et immutabilis », mutentur sic: « Hae damnationes, olim latae, hodie manent integrae et immutabiles ». *Ratio*: addita fuit, in correctione proposita, tertia damnatio.

Linn. 27-29, pag. 5: Verba: « In hac doctrina firmius in dies persona humana asseritur esse et esse debere totius vitae socialis fundamentum, finis, subiectum », omittantur. *Ratio*: Etsi postrema huius commatis verba desumpta sint ex documentis Pii XII et Ioannis XXIII, in his documentis inveniuntur in alio plane contextu. Hic autem assertio intellegi posset ut si tota vita socialis ad tutelam iurium personalium uniuscuiusque civis reduceretur, cum e contra vita socialis non semel imponat sacrificium personalium utilitatum, immo ipsius vitae, in bonum societatis (in pestilentia, in bello iusto ...).

N. 3. Linn. 40-41, pag. 6: Verba: « omnesque communitates religiosae », omittantur. *Ratio*: assertio sumi posset eo sensu ut omnes communitates religiosae, verae et falsae, haberent eadem *iura*, quod Ecclesia merito damnavit, ut dictum manet in animadv. generali, 2.

Lin. 42, pag. 6: Post ultima huius numeri verba addatur: « Nec contradicere laudandae agnitioni verae religionis ex parte Status ». *Ratio*: exposita in animadv. generali, 1.

N. 4. Linn. 21-29, pag. 8: Verba: « Hisce autem nostris diebus... » usque ad: « rationi consentanea et homine digna », omittantur. *Ratio*: Ideae laude dignae huius paragraphi iam in antea dictis inveniuntur. Quod autem additur: « ... exigitur ne... quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo ordine publico », sumi potest sensu omnino falso. Etenim, quid significet moderatio libertatis religiosae propter ordinem publicum, exponitur postea, n. 5. Si igitur conscientia religiosa quosdam inducit v. g. ut pueros suos a litterarum cognitione arceat, vel ut in aegritudine a medicis et medicaminibus abstineat, cum hoc non noceat ordini publico, de quo in n. 5, potestas civilis nihil contra huiusmodi stultitias, si in aliqua religiosa opinione nituntur, agere valet.

Lin. 30, pag. 8 - lin. 10, pag. 9: Tota haec paragraphus, *e*) *Moderatio civitatis,* omittatur. *Rationes*: 1. Ex una parte, nihil utile continere videtur quod non alibi dicatur.

2. Ex altera vero parte, prout iacet, multis laborat defectibus: *a*) Dicitur: « Actus religiosi, quibus homines privatim *et publice* esse ad Deum... ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt ». Actus vero cultus publici constituunt factum aliquod sociale, quod totaliter civilem potestatem non transcendit; ob rationes enim ordinis publici potest haec, ut exponitur n. 5, eius liberas manifestationes moderari.

b) De potestate civili dicitur: « cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur ». Haec assertio, imprimis, non affert aptam rationem de praecedentibus; nam, ex eo quod potestas civilis non extendatur nisi ad actus exteriores, non sequitur nihil posse quoad cultum *publicum*. Praeterea, ipsa assertio, etsi citetur pro ea textus S. Thomae, plenissime sumpta, sine restrictione ad res *religiosas* vel ad actus *pure internos,* iuridice sustineri nequit.

c) Verba: « Libertas debet homini agnosci... », usque ad: « inquantum est necessarium », continent novam iterationem ideae iam expositae.

d) Pronomen « ipsa », quo incipit ultimum paragraphi comma, *grammatice* referri deberet ad libertatem, non ad potestatem publicam, ut intenditur.

N. 7. Animadversio: In hoc numero asseritur omnibus communitatibus religiosis, sive verae, sive falsis, paria *iura* agnoscenda esse. Hoc vero opponi doctrinae Summorum Pontificum et rationi, in animadv. generali, 2, dictum fuit. Ibi etiam dixi hanc veram doctrinam non impedire quominus, ob hodiernas vitae socialis conditiones, omnibus communitatibus religiosis regimen libertatis concedatur, salvis semper exigentiis de quibus sermo est in schemate.

Iuxta hoc criterium: linn. 4-5, pag. 11: Verba: « Hae namque a sociali natura tum hominis, tum ipsius religionis requiruntur », omittantur.

Lin. 6, pag. 11: Loco: « Illis igitur iure debetur independentia... », dicatur: « Illae igitur gaudeant independentia... ».

Linn. 14-16, pag. 11: Loco: « Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa Status impediantur in suis propriis... », dicatur: « Communitates religiosae non impediantur mediis legalibus vel actione administrativa Status in suis propriis... ».

Linn. 21-22, pag. 11: Loco: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide... », dicatur: « Nec impediantur communitates religiosae in sua fide... ».

N. 9. Lin. 21, pag. 12: Post verba: « salvis iuribus aliorum », addatur: « et exigentiis ordinis publici ». *Ratio*: additio opportuna videtur, ne libertas de qua in paragrapho agitur falso intellegatur.

N. 10. Linn. 16-28, pag. 13: Tota paragraphus: « Iamvero ubi reapse viget... ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum », omittatur. *Rationes*:

1. Supponere videtur systema ideale, maxime optandum, quoad relationes inter Ecclesiam et Statum, esse systema libertatis religiosae sine agnitione civili verae religionis; de hac enim agnitione nec mentio fit. Hoc autem pluries reprobatum fuit, ut in animadv. generali, 1, declaratum manet.

2. Ultima verba: « ut verum ius, ipsius rationis humanae lumine comprobatum », asserere videntur *paria iura* competere verae et falsis religionibus, quod pariter fuit damnatum, ut in animadv. generali, 2, et ad n. 7 exposui.

N. 11. Linn. 8-9, pag. 14: Loco: « Ideo in regimine libertatis religiosae conditiones dantur... », dicatur potius: « Ideo in recta ordinatione libertatis religiosae conditiones dantur... ». *Ratio*: Per « regimen libertatis religiosae » sumi posset regimen indifferentismi Status in re religiosa, et tunc, si assertio sumitur exclusive (*tantum* in hoc regimine dantur conditiones...), falsum diceretur, quippe qui etiam adsunt in regimine agnitionis civilis verae religionis.

N. 12. Linn. 27-36, pag. 14: Comma: « Miracula fecit ut auditores... », usque ad: « quae omnia recusavit Iesus », omittatur. *Rationes*: 1. Miracula numquam cogunt ad assentiendum, contra quod ex huius commatis verbis inferri liceret.

2. Appellatio ad miracula a diabolo proposita et reiecta a Domino, nullatenus est ad rem. Ex duobus miraculis propositis a diabolo (*Mt.* 4, 3-7), unum patrandum erat in deserto, absque testibus; alterum quidem coram populo; at non recusavit illud Iesus eo quod palam fieri deberet (tot prodigia, et quidem maxime mirabilia, fecit coram multitudine: multiplicationem panum, resurrectionem Lazari...), sed quia inanem gloriam prae se ferebat et Dominum incitabat ut sese

« tamquam regem fortem et mirabilem » a populo agnoscendum praeberet, prout optime in nota 33 dicitur.

Linn. 31-36, pag. 15: Ultima paragraphus: « Iuxta mentem ergo Christi »... usque ad « erga libertatem humanam sollicitudine », omittatur. *Ratio*: quod revera ex praecedentibus infertur est neminem posse ad fidem et religionem amplectendam cogi; at regimen libertatis religiosae alia permulta complectitur, ita ut quibuslibet communitatibus religiosis plenam socialem et civilem libertatem tribuat. Deducere autem totum ex praemissis in quibus partim continetur, est simplex sophisma.

N. 14. Lin. 6, pag. 18: Post verba: « diligenter servato », addatur: « iusto », ita ut dicatur: « diligenter servato iusto regimine libertatis religiosae in societate ». *Ratio*: oportet ut in solemni totius schematis conclusione clare appareat non optari *quodlibet* systema libertatis religiosae, sed *iustum,* illud nempe quod in schemate expositum fuit.

11

EM.MUS P. D. PAULUS M. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Ad n. 1. Prima paragraphus valet. Sed melius esset si, immediate, positio historica, de qua in n. 2, explanaretur. Unde post verba « tanquam stabile regimen » addatur: « Patet libertatem religiosam hodie non eodem modo ac olim considerari, praesertim quando absoluta autonomia individualis rationis humanae requirebatur a pluribus, vel quando immoderata libertas singulis hominibus vindicabatur sequendi et propagandi quaelibet propriae conscientiae placita, posthabitis normis moralibus et socialibus hac in re observandis. Quam indebitam humanae conscientiae et libertatis exaltationem Ecclesia non immerito reprobavit. Nam ab isto placito philosophico fluebat placitum politicum de omnipotentia Status civilis etiam in re religiosa ». *Ratio*: sic veritas historica accuratius servatur, nam damnationes prolatae in saec. XIX non fuerunt solummodo contra laicismum sed etiam contra quosdam catholicos qui quoddam indifferentismum sustinebant.

Unde deleatur tota paragraphus pag. 5 a verbis « Utraque haec damnatio » usque ad verba « colat, vindicet ».

Denique aliam emendationem valde exopto in n. 1 pag. 3, lin. 20. Deleatur verbum «mere ». *Ratio*: secus appareret quoddam ius potestatis religiosae hanc coercitionem exercendi.

Ad n. 4, par. B, pag. 7, in fine paragraphi, addatur: « servato tamen bono communi superiore ». *Ratio*: quia praecise homo natura sua est socialis, quasdam restrictiones debet accipere ratione habita aliorum, in divulgatione opinionum suarum.

Pag. 8, lin. 14, par. D. « ... secundum quod illam qua talem percipit et agnoscit in conscientia sua ». *Ratio*: non in dictamine conscientiae lex percipitur sed dictamen legis agnoscitur in conscientia.

Pag. 8, par. D. Istae propositiones mihi valde insufficientes videntur, si non clare et expresse dicatur quod conscientia erronea potest accipere opiniones erroneas quarum errorem non percipit. Tota est hodie quaestio de libertate religiosa ac philosophica. Hoc schema videtur tractare tantummodo de libertate iuri-

dica et exteriori. Prius dicendum est de libertate psychologica et morali. Sufficeret addere ad istam paragraphum de conscientia humana: « Convenit etiam conscientiae humanae quando bona fide et secundum suas proprias investigationes opinionem erroneam amplectitur, quandam errorem tenere contra quam nemo potest, nisi pro bono communi superiore, sese assurgere coactione externa ».

Denique in hoc n. 4, pag. 9, lin. 7, addatur: « ... nisi in quantum bono superiori ipsius hominis et bono communi totaliter sumpto est necessarium ». *Ratio*: secus omnis potestas civilis, plus minusve dictatorialis, posset declarare necessariam istam restrictionem.

N. 6, pag. 10, lin. 15. Addatur: « quando vis *quocum modo, etiam moralis et psychologica adhibetur* ». *Ratio*: vis potest non esse physica, sed plerumque existit per numas vel per suggestiones.

N. 7, pag. 11, lin. 12. Addatur: « ordinandam necnon in actuatione caritatis vel in formatione operibus socialibus aut culturalibus secundum eadem principia ». *Ratio*: secus libertas religiosa restringitur ad cultum et ad vitam mere religiosam.

N. 12, pag. 14, lin. 32. Deleantur haec verba: « Revera Satanas » usque ad « recusavit Iesus ». *Ratio*: hoc argumentum difficile fundatur in exegesi.

12

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Animadversiones generales. 1. Quamvis textus emendatus sit satis longus et nonnumquam mitius praecedenti, placet quoad fundamentalia, salvis animadversionibus quae postea proponentur.

2. Ad obiectionem quod haec declaratio periculosa est propter indifferentismum exinde forte exoriturum, respondemus satis in ipso textu hoc periculum caveri ad doctrinam quod attinet (cf. n. 1, pag. 4, alinea 2); quae doctrina fusius erit a Pastoribus explicata cum, de cetero, indifferentismus apud nonnullos catholicos aliquo saltem modo iam inveniatur. Ex hoc capite « Declaratio » nostra apparet maxime opportuna.

3. Cardo totius declarationis invenitur in iure personae humanae et simul in incompetentia potestatis civilis per respectum ad conditionem uniuscuiusque conscientiae relate ad fidem, ut optime notavit in aula conciliari exc.mus D. Carolus Colombo quando de hac re disceptabatur. Haec principia omnino servanda sunt et in textu emendato satis proponuntur.

4. Ex adverso, putamus non esse admittendum in textu placitum illud, secundum quod « Veritas habet ius, non error ». Circa hanc rem mentem nostram modo ampliori exposuimus in scriptis ad Secretariatum missis d. 23 septembris 1964, quae omnia nunc iterum corroboramus.

5. Experientia teste, non semel accidit in Congregationibus Generalibus ut longe maiore parte Patrum consentiente ac silente de aliquo argumento, numerus relative exiguus quamplurimas movet obiectiones. Exinde oritur in Aula impressio ac si Congregatio valde divisa sit de re proposita, quae impressio non est obiectiva. Ideoque videtur in nostro argumento necessarium ut secretariatus, obiectionibus

omnibus rite ponderatis, rationem habeat mentis maioritatis Patrum, ad quam indagandam posset proponi, vel forsan debet, quaestio utrum textus placeat in genere necne, quod proh dolor! omissum fuit post disceptationem mensis septembris elapsi, et sic via aperta remansit ulterioribus dubitationibus de mente Congregationis generalis.

6. Cardinalis archiepiscopus Sancti Iacobi in Chilia occasione harum animadversionum proponendarum, in memoriam revocat se, nomine etiam quinquaginta et octo Patrum ex America Latina, pro textu priori d. 23 septembris 1964 locutum esse, magis principia generalia quam redactionem respiciens, pro qua in scriptis emendationes proposuit. Illa vero quae de principiis edixit etiam nunc suum valorem servant.

7. Cum « Declaratio » maximi sit momenti non tantum pro Ecclesia catholica, sed etiam pro aliis communitatibus christianis nec non pro omnibus hominibus, optandum est ut vitetur stylus apologeticus. Insistendum est in argumentis omnibus bonae voluntatis hominibus perviis.

Animadversiones particulares. Ad n. 1: Pag. 3, lin. 20: Deleatur verbum « mere ». *Ratio*: ne ansa praebeatur ut quis suspicari posset Concilium docere Ecclesiam ius habere non catholicos coercendi in re religiosa.

Pag. 4, linn. 9-19: Haec alinea maximi momenti est et sufficit omnino, in ambitu doctrinali, ad vitandum periculum indifferentismi. Ergo in omni suppositione retinenda est.

Ad n. 2: pag. 5, linn. 13-26: Proponuntur plures mutationes, quarum rationes infra indicantur: « Explicantur itaque damnationes olim latae. (1) Mutantur (2) tempora et ideologiae (3): profecto revolutae sunt conditiones vitae socialis quibus innitebatur illud veluti universale principium: " unum imperium, una fides, una lex ". Immo, Ecclesia deplorat quosdam abusus temporis praeteriti ex nimis rigida huius conceptionis interpretatione exortos, gaudet vero de hodierna magis evoluta dignitatis personae consideratione (4). Insuper (5), novis problematibus insurgentibus et perspectis (6), ampliorem doctrinam de re sociali et civili continuo evolvit, de thesauro suo proferens nova et vetera. In hac doctrina, etc. ... ». *Rationes*:

(1) Sic mutatur phrasis schematis emendati « Utraque haec damnatio ... immutabilis » quae propositio est nimis severa. In connexione cum argumento in hac parte melius est loqui de explicatione veterum condemnationum, hoc melius respondet psychologiae non catholicorum.

(2) Deleta est vox « tamen », grammaticalibus ex causis, uti patet.

(3) Omittuntur duae orationes, scil. a verbo « Etenim his... » usque ad « ... praevalere coepit » (linn. 15-21). Sic vitatur iudicium historicum de conditione hodierna rationalismi et, ad totalitarismum status quod attinet, sufficit quod postea dicitur, scil. pag. 17, linn. 20-25.

(4) Haec nova commata insistunt in momento evolutionis conditionum socialium, quod maximi est momenti in explicanda mutatione praxis. Additur insuper, paucis quidem et ponderatis verbis, quoddam iudicium ex parte Ecclesiae circa praeteritos abusus nec non circa hodiernam conditionem. Hoc videtur necessarium ne Ecclesia appareat tamquam solidaria illis abusibus.

(5) Verbum « Insuper » locum tenet verborum « Praeterea Ecclesia », et requiritur ex mutationibus inductis.

(6) Deletur phrasis « e principiis, quae semper manent eadem in suo sensu et sua sententia ». Hoc fit quia non est perspicuum et sat longis explicationibus indi-

geret de tenore vel propositione principiorum hac in re, de eorum cognitione et interpretatione temporibus anteactis. Phrasis insuper quae omittitur nimis apologetice sonat. Res vel reponatur in notis vel, melius adhuc, labori theologorum enucleanda relinquatur.

Ad n. 3: pag. 6, linn. 5-28: Deleatur tota paragraphus, scil. a verbis « His positis... » usque ad verba « ... sustentat et commendat ». *Rationes*:

1. Non est locus huic textui in declaratione de libertate religiosa. Etenim sola quaestio dogmatica quae in hac materia oritur haec est: utrum scil. sub regimine libertatis religiosae, sensu hodierno intellectae (cf. n. 1, textus emend.), libertas Ecclesiae libertasque fidei et vitae christianae serventur integrae. Non apparet ratio cur de unica vera religione hic sollemnis fiat sermo. De cetero, tam in constitutione dogmatica *de Ecclesia* (sub. n. 8 et 14) quam in decreto *de Oecumenismo* (sub nn. 2 et 3), Concilium iam de unica Ecclesia sollemniter locutum est. Porro documenta eiusdem Concilii considerari debent, sicut et omnia alia acta Magisterii, sicut connexa. Posset referentiae ad loca citata illorum documentorum addi in notulis pro hoc loco.

2. Iam satis patet ex antecedentibus (pag. 4, par. 2, sub n. 1), institutum hodiernum libertatis religiosae non proclamare indifferentismum religiosum, neque eidem favere.

3. Praemissa totius « Declarationis » est munus Ecclesiae honestae libertati humanae patrocinandi. Sumat igitur declaratio exordium ab hoc munere.

4. Stylus huius paragraphi auribus hominis hodierni male quodammodo sonabit. Ceteroquin verba « Veritas enim... protulit » (pag. 6, linn. 21-24) locum aptiorem invenient in pag. 12, post verba « ... in tota activitate humana dirigenda » (lin. 2).

Pag. 6, lin. 33: Deleatur verbum « hodiernum ». *Ratio*: ne textus sic interpretetur ut eidem sic dictus « opportunismus » tribuatur.

Ad n. 4: pag. 7, linn. 9-15: Hae duae orationes sunt maximi momenti et eorum fundamentum omnino clarum: impossibilis enim est ut quis firmiter teneat aliquam veritatem, quae socialem conviventiam non destruat, et simul acceptare possit prohibitionem ad hanc veritatem communicandam: hoc esset contra ipsam naturam boni, quod percipitur ut diffusivum. Possum revera iudicare me veritatem possidere quae alios certe ditabit et acceptare vetitum has divitias spiritus communicandi? Hoc, cauto ordine sociali, merito reputari debet inintelligibile, ne dicamus abnorme.

Pag. 7, lin. 29: Deleantur verba « in dialogo ». *Ratio*: verbum « dialogus » accipitur frequenter sensu satis restricto; si hic sensus restrictus esset omnis et tota amplitudo libertatis religiosae, merito dici posset vix locus esse vel agi hic de libertate religiosa.

Pag. 8, lin. 10: Post verba « ... lex divina », addatur vel « in ipsa natura humana inscripta », vel « naturae insita ». *Ratio* huius additionis est ut vitetur impressio ac si lex divina sit aliquid extrinsecum naturae humanae.

Pag. 8, lin. 21: Post verbum « conscientiam » addatur « quam quisque sequi tenetur in omnibus », et illustrentur haec verba sequenti nota; cf. S. THOMAS AQ., *Summ. Theol.,* 1-2, 19, 5, in *c*: « Unde dicendum est simpliciter quod omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala »; *ibid.* ad 2: « Quando ratio errans proponit aliquid ut praeceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, et Dei praeceptum »; cf. etiam declarationem episcoporum

Tanganikae (*Doc. Cath.* 1961, col. 1396-1397) et episcoporum Helvetiae (*Doc. Cath.* 9 dec. 1945).

Pag. 8, lin. 21: Post additionem verborum in emendatione immediate superiori propositorum, addatur nova haec oratio: « Hoc etiam valet pro iis qui inculpabiliter ad explicitam Dei cognitionem non pervenerint ». *Ratio* est ut explicitius consideretur casus atheorum.

Pag. 9, lin. 7: Post verbum « Ipsa » addatur « potestas »; aliter enim subauditur ut subiectum huius phrasis « Libertas », ex oratione immediate praecedenti.

Ad n. 6: pag. 10, lin. 11: Post verbum « metum » addatur « directe vel indirecte ». *Ratio*: oportet rem explicitius proponere, ad vitandos abusus, in quantum fieri potest.

Ad n. 7: pag. 11, lin. 8: Corrigatur mendum: « honore*nt* ».

Ad n. 10: pag. 12, lin. 25 s.: Initium phrasis sic mutetur: « Inter ea quae ad bonum Ecclesiae spectant, quae... ». *Ratio*: ut vitetur impressio ac si textus explicite vellet bona temporalia modo nimis absoluto pro Ecclesia vindicare.

Pag. 12, lin. 30: Pro verbo « divina » legatur « sacra », quae vox videtur magis accurata.

Pag. 12, linn. 32-34: Oratio « Atque... faciunt » deleri potest nam et includitur in praecedentibus et non christianis sonaret nimis polemicam.

Pag. 13, lin. 7: Deleatur verbum « soli », ut vitetur sensus polemicus et ne ingrediamur problema de nuntio evangelico ab aliis christianis proclamato.

Pag. 13, lin. 12: Deleantur verba « divinitus convocata », non quia vera non sint, uti patet, sed quia secunda pars huius alineae fundatur in conviventia sociali; non debet ergo afferri argumentum ex revelatione.

Pag. 13, lin. 20: Deleatur verbum « soli ». Pro ratione cf. supra ad lin. 7.

Ad n. 12: Proponitur ut specialis commissio peritorum in re biblica citationes omnes recognoscat in hoc numero adhibitas (et in genere in tota declaratione) eo fine ut eae tantum remaneant simpliciter quae revera in sensu litterali usurpantur. Reliqua, aut deleantur, aut introducantur cum particula « cf. » ut mos est e. g. in constitutione dogmatica *de Ecclesia.*

Pag. 14, lin. 31: Recognoscantur duo loca citata. Constat revera ex ea posse erui quod in textu affirmatur?

Pag. 14, linn. 33 s.: Pro verbis « Iudaei pariter » scribatur « Auditores quidam Christi etiam talia... ». *Ratio*: verbum « pariter » videtur ad Satanam se referre! Vitetur insuper formulatio quae Iudaeos laederetur ex generalisatione minus accurata.

Pag. 15, linn. 17-21: Non videtur perspicua connexio organica huius orationis cum linea argumentationis textus. Forsan deleri potest a verbo « Sicuti » usque ad verbum « loqui », citationibus non exceptis.

13

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Animadversiones in genere.

1. Titulus non recte sonat et male intelligi potest.

2. Evolvitur in schemate conceptus *iuris putativi* qui in rem maximi momenti vertit.

Solummodo ubi adest veritas, habetur *ius obiectivum,* et quidem ita ut actus externus huic veritati correspondens impediri nequeat; nisi ex gravissimis rationibus de quibus hic sermo non est.

E contra, ubi habetur *ius mere putativum,* seu ius qui in veritate obiectiva non nititur, etsi oporteat hominem immunem omnino esse a coactione quoad conscientiam attinet, minime exinde sequitur actus « externos » impediri non posse. Ratio ergo cur aliquando actiones « externae » impediri possint, non tantum in bono communi et in aliorum iuribus reperitur, sed etiam, sane utpote radix, in eo quod agitur in casu *de iure mere putativo.*

Absque hac fundamentali idea non intelligamus catholicam Religionem numquam externe impediri posse.

Aliter procul dubio iudicandum, si omnia iura mere putativa essent. At hoc est simpliciter falsum.

Quapropter patet periculum textus. Quid dicendum, v. g., si bonum commune, puta sovieticum, una cum civium atheisticorum putativis iuribus, postulent religionem supprimi, praesertim catholica?

Huiusmodi argumentatio respuitur non solummodo quia agitur in casu de bono communi non vero, necnon de iure putativo atheisticorum civium cui contraponitur catholicorum quoque ius putativum, se in primis praecise ex eo quod ius catholicorum non est mere putativum, sed obiectivum.

Ex hac idea neglecta textus insufficiens videtur, immo aliquando ambiguus. Nempe, si intelligitur *de iure obiectivo,* textus bene currit; si autem *de iure putativo,* iam non paucas insinuat aequivocationes.

Tollatur ideo talis ambiguitas.

Attentis hodiernis vitae condicionibus, actio externa quae ex iure profluit mere putativo, fere nunquam impedienda est. Hoc tamen nonnisi ex bono communi superiore sequitur, eo quod aliquando minus malum tolerandum est.

3. Clarius indicetur textum, ubi de bono publico vel communi agit, semper loqui *de vero* bono publico vel communi.

Animadversiones in specie.

Pag. 3, lin. 1. Dicatur: « Libertatis religiosae apud *hodiernos populos* generalis ratio », ne videatur Ecclesia suam deserere theologicam doctrinam, tantis sui Magisterii documentis munitam.

Pag. 3, linn. 13-17. Dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana *et vera iustitia* fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut *verum* ius civile evadat ». *Ratio*: nisi textus aliquoties mentionem faciat de « iustitia », idest de elemento

necessario obiectivo, quo solo verum ius stat et constituitur, non sufficienter vitatur *positivismus iuridicus* pluries ab Ecclesia damnatus. Textus enim fere semper agit de mero iure civili, quod perperam confundit cum « iure legali ». Haec autem confusio radix est et origo totius positivismi iuridici.

Pag. 4-5 n. 2. Integre supprimatur usque ad lin. 39, quia dubitari vehementer potest utrum de quaestione « facti » et pure historica iudicare aut quidquam exponere debeat Ecclesia catholica.

Pag. 5, lin. 40. Dicatur: « Cum historiae decursu igitur exortus est *novus quidam modus proponendi* libertatem religiosam ». Etenim non proprie agitur de « nova quaestione », sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, linn. 30-43. Dicatur: « affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae *atque iustitia* fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae *possint* sibi legitime vindicari. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus... haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum *populorum huius temporis, dummodo* principiis rationis humanae *fulciatur,* esse in se honestum et vere necessarium... ». *Ratio*: dicitur « populorum huius temporis », ut stabiliatur « factum », non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est; loco « quippe quod », ponitur « dummodo », quia non evidenter apparet, immo aliquando falsum est, quod regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae sit absolute probandum necne.

Pag. 8, linn. 5-8. Dicatur: « Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in religione publice exercenda, *ab iniusta actione,* sive legali, sive sociali, immunis sit ». Transitus enim ab actibus interioribus hominis ad exteriores tantum iure fit si actus exteriores iuste poni possunt.

Pag. 8-9, littera *e*) (Moderatio civitatis) supprimatur, eo quod quaestiones aggreditur de competentia civilis potestatis, maxime implicatas et difficiles, quae praeterea necessariae non sunt pro Concilio.

Pag. 9, linn. 5-7. Dicatur: « Ea debet homini agnosci libertas quae suae dignitati, responsabilitati et iustitiae sit consentanea; ideoque restringenda non est nisi in quantum sit necessarium ». Ita explicite affirmandum, ne nimis quam par sit libertas extollatur, propendens in « individualismum ».

Pag. 9, linn. 27-30. Dicatur: « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut civium vita socialis ordinatim procedat ». Textus enim munus potestatis civilis reducit ad ordinem servandum modo tantum negativo, idest « poliziesco » ac pure poenali.

Pag. 10, linn. 7-8. Dicatur: « Itemque a potestate publica providendum est ne civium aequalitas iuridica laedatur propter *solas et iustas* rationes religiosas ». Etenim in textu nulla fit distinctio inter solas rationes religiosas et rationes simul religiosas ac civiles, neque inter rationes iustas et iniustas. Cavendum scil. ne multi plurima exigant, sub religionis specie, in ordine quoque externo et publico, quae sive legi naturali, sive aliorum iuribus adversantur (v. g. polygamia).

Pag. 11, linn. 1-4. Dicatur: « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, intra tamen normas limitativas superius positas, etiam communitatibus agnoscenda est ». Nempe, normae limitativae, in n. 5 appositae, valere dicendae sunt etiam et in primis pro communitatibus religiosis.

Pag. 12, lin. 35 usque ad lin. 3 in pag. 13. Dicatur: « Iuxta totam traditionem catholicam, libertas Ecclesiae *quidquam praecipuum perhibetur esse* in iis quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae ». Etenim,

nullus peritus in iure publico Ecclesiae unquam ausus est affirmare, uti dicitur in textu, libertatem Ecclesiae esse « principium fundamentale » de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Pag. 14, n. 12. (Doctrina evangelica) integre refundatur, quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit hac de re evangelicam doctrinam. Oportet ut fiat de christiana libertate vera theologia biblica, vestigia praesertim sectando S. Pauli et S. Ioannis, cum in subiecta materia pluria illustriaque studia extant.

14

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Cum praesertim in hodiernis adiunctis maxima cura adhiberi debet de dignitate personae humanae a Deo creatae et redemptae necnon de iuribus et officiis talis personae, schema Declarationis de libertate religiosa secundum placita Patrum Concilii nuperrime elaboratum omnino pergratum est. Tandem aliquando, non solum acatholici et infideles sed etiam ipsi fideles ideam tantum partialem vel etiam erroneam sibi efformant de mente Ecclesiae circa personam humanam eiusque ius ad libertatem religiosam. Quam ob rem, opportunius videtur ut vindicatio ab Ecclesia huius libertatis clare elaboretur et quasi systematice redigatur. Perpulchra dicta sunt de dignitate personae humanae eiusque iure in societate ad libertatem in re religiosa, de iure in materia religiosa conscientiam sequendi, de exclusione omnis externae coercitionis in materia religiosa. Similiter, optime notatur quod ius ad libertatem conscientiae externe exercendam semper et ubique valet et agnosci debet. Quae omnia verissima sunt et vero oecumenismo valde favent necnon christifideles eorumque pastores apud homines disparis cultus et diversae religionis degentes iuvabunt.

Utilissime declaratio decernit de catholicorum cooperatione cum eis qui non sunt catholici et de relationibus inter Ecclesiam et societatem civilem. Simili fere modo ac antea, multi hodierni omnino ignorant quod Ecclesia catholica approbat societates civiles modernas quando, in ordinanda vita civili, libertatem religiosam et aequalitatem politicam asseclis cuiusvis religionis tribuendam esse statuunt vel etiam quod secundum mentem Ecclesiae status civilis nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Ecclesia desiderat statum esse impartialem et benevolum erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae oboediunt. Apud nostros, huiusmodi clara declaratio mentis Ecclesiae erit sine ullo dubio omnibus pergrata.

Declaratio iam sat disceptata est. Timeo ne aliqua emendatio maior textus praesentis vel mutatio huius declarationis sit pro multis causa dubitationis (ne dicam plus), de sinceritate Ecclesiae quando loquitur de libertate religiosa. Declaratio uti nunc elaborata stare debet.

15

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Pag. 8 d, lin. 27 « secundum suam conscientiam, salvo ordine publico, qui partem essentialem totius boni communis constituit ».

a) Deleantur verba: « qui partem essentialem totius boni communis constituit ». *Ratio*: bonum commune, quod est finis societatis civilis, complectitur non tantum ordinem publicum, vi coercitiva promovendum, sed insuper et multo magis ut omnes cives participes fieri possint fructuum mutuae et communis cooperationis, valorum culturae, etc. uno verbo, omnium bonorum quae societas civilis augere tuerique valet.

b) Melius mutetur textus sequenti modo: « ... secundum suam conscientiam, salvis exigentiis iustitiae ». *Ratio*: sic bene circumscribitur ius inviolabile conscientiae ac simul melius indicatur ibi agi de limitatione quae est ordinis moralis et non tantum ordinis iuridici.

Pag. 8 e. Moderatio civitatis. Haec paragraphus tota deleatur. *Ratio*: 1. Supervacanea est haec paragraphus ad stabiliendam libertatem religiosam, quae sufficienter et melius probatur dictis sub *a*), *b*), *c*) et *d*). 2. Fundatur in doctrina de iure naturali Status quae disputationi obnoxia est. In ordine enim naturali etiam ad societatem civilem pertinet fovere vitam moralem et religiosam utpote quae ad bonum commune civium conferunt. Utique, reddenda sunt quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo. Et in ordine supernaturali realiter existentes distinctiones hae opportune faciendae et retinendae sunt. Argumentatio autem pro libertate religiosa hac in parte niti vult in iure naturae quod valet pro omnibus hominibus. Iamvero in ordine naturali religio magni momenti est pro perfectione morali hominum et propterea boni communis civium non paucum interest. 3. Videtur continere doctrinam de officio et munere societatis civilis nimis restricto, nimirum ad ordinem iuridicum tantum.

Pag. 9, n. 5 b, lin. 29. « Qui ordo publicus ... ut praesertim vi coercitiva legis protegatur ». Deleatur. *Ratio*: profecto libertas religiosa ordine publico limitatur et restringitur. Sed hic aspectus, scil. ordo publicus, non debet in textu conciliari proclamari tamquam pars essentialis boni communis, secundum dicta in animadversione circa pag. 8 d.

Pag. 9, n. 5 b. Ultima paragraphus sic legatur: « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione status immune esse debet nisi quando (exercitium religionis) graviter noceat ... et reliqua.

Quae inter parentheses ponuntur deleantur vel simpliciter ponatur: hoc. Subiectum ne repetatur in eadem phrasi.

Pag. 14, n. 11. Ultima paragraphus: « Indoli ergo fidei christianae oppositum est quodvis in re religiosa genus coercitionis ex parte humanae potestatis ». Mutetur: « ... quodvis in re religiosa genus coercitionis *et* ex parte humanae potestatis *et ex parte ipsius Ecclesiae* ». *Ratio*: si actus fidei liber est et supernaturalis, libertas religiosa agnoscenda est non tantum a societate civili sed et ab ipsa Ecclesia. Rei

veritati et spiritui Evangelico magis consonat si libertatem religiosam vindicamus non tantum erga extraneos sed etiam — ut par est — erga *omnes.*

Pag. 15. Paragraphus secunda: verba sublineata addantur: « Omnibus ergo spretis armis carnalibus exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, *veritatem facientes in caritate* (*Eph.* 4, 15) verbum Dei praedicaverunt ... et reliqua.

[*Adhaeserunt etiam*] G. Van Zuylen, ep. Leodiensis; A. Charue, ep. Namurcensis; L. Van Peteghem, ep. Gandavensis; M. De Keyzer, aux. Brugensis.

16

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis

Nomine episcoporum Poloniae.

A. *Animadversiones ad schema in genere.* 1. Schematis titulus non plene correspondet argumento. Imprimis enim sermo fit de relatione Ecclesiae ad potestatem publicam. Schema videtur autem ad libertatem religiosam catholicorum spectare, minime autem, omnium hominum.

2. Deest investigatio psychologico-philosophica notionis: libertas religiosa.

Notio « libertas religiosa » imprimis iuridice investigatur, et modo negativo: immunitas hominis a coercitione sive legali sive sociali (pag. 8). Textus ergo primarie Libertatem religiosam externam sibi proponit, quam quaelibet potestas publica suis civibus praestare debeat. Huius libertatis fundamentum dignitas est personae humanae, atque varia iura civilia, quae ex constitutionibus proveniunt.

Parum autem (pag. 7, 8) de gravitate interiorum actuum religionis tractatur. At haec res maximi est momenti. Libertas enim religiosa re vera tunc primum existere valet, cum omnes homines uti individua, id est personae civiles, cuique hominum ius tribuant credendi atque fidem manifestandi secundum propriam cuiusque voluntatem. Ex facto enim intimae, internae unionis religiosae cum Deitate (vel cum Deo personali) deducere licet, omnem religionem quodam sensu veram esse, veritatem nempe propriam significare individui hominis religiosi. Ea de causa schema declarationis exprimere debet omnem religionem — exclusa tantum pathologica eius forma — dignitate et gravitate gaudere.

Supradictum non excludit, quominus S. Synodus affirmare possit immo debeat, unicam pleno titulo veram hanc esse religionem, quam Christus Dominus revelaverat et suae Ecclesiae custodiendam tradiderat. Via autem, quae hominibus patet ad cognoscendam accipiendamque hanc christianam religionem nostris temporibus eadem proponitur, quam Apostolorum tempore: Via « docendi, arguendi, erudiendi in iustitia » (*2 Tim.* 3, 16), coniuncta cum bona hominum voluntate, Dei confirmante Gratia. Variae autem religionis formae, ubicumque terrarum existentes, secundum ipsius Christi verba sunt tractandae: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili » (*Io.* 10, 16). Id significat eas oves non in sinu electi populi iudaici, sed extra eum vixisse et evolvisse. Ergo hi homines aliter credentes oves dicuntur, iudaicis ovibus similes, quamquam sine bono Pastore errantes. Immo vero errabunt hae oves tam terribiliter, « ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo » (*Io.* 16, 2). Attamen ipsae talium persecutorum

mentes non sunt a priori damnandae, ut exempli gratia casus demonstrat S. Pauli Apostoli, olim Sauli persecutoris, qui « nesciens fecit ». Libertas errandi in fide religiosa est ergo conservanda, quia radicem in natura habet humana.

Recordari etiam licet significationem « falsum » et « verum » notiones esse abstractas, theoreticas. Subiectum autem vivens, homo, subiectivo modo eas facit esse suas, hanc sibi assimilans, quam conscientiae iudicio veram, bonam, dignam iudicet. Erronea est ergo sententia, libertatem religiosam omnibus hominibus concessam idem significare quam falsum cum vero aequiparare. Omnis enim homo gravis propriam religionem veram esse agnoscit, falsam autem — aliorum hominum. Homini autem necesse est secundum suam conscientiam — etsi erroneam — agere.

Sancta exoptat Ecclesia catholica, ut secundum Christi verba brevi tempore ipsa Ecclesia « unicum sit ovile » in mundo universo. Sibi ipsae tamen atque huic universo mundo probare debet, se « ex fide vivere ». Hoc idem est, aut se confidere, Dei adiuvante Gratia alios homines per exempla bona atque per argumentationem scientifico-religiosam ad veritatem christianae Revelationis perducere posse. Principium « vivendi ex fide », si melius ab ipsis catholicis exerceretur, optima esset indubitanter via ad Christi Ecclesiam roborandam et numero credentium augendam.

Si catholici libertatem religiosam pro omnibus hominibus sincere agnoscent, tunc demum poterunt etiam pro seipsis hanc expostulare libertatem — tam ex parte omnium aliter credentium, quam ex parte cuiuslibet potestatis publicae.

B. *Animadversiones ad schema in specie.* Ad n. 2. « Hominis ius (est), ut sit in re religiosa immunis a coercitione, praesertim ex parte potestatis publicae ». Proponitur addendum: tam ex parte potestatis publicae, quam ex parte cuiuslibet communitatis religiosae.

Ad n. 13. Post verba: « veritatem, quae Christus est », addendum: cf. *Io.* 14, 6 et 18, 37.

Ad Relationem II, 2). Auctor dicit, se de doctrina moralis tolerantiae christianorum erga non-christianos non tractare. Fortasse non recte, nam brevis locutio de hac doctrina hic valde necessaria videtur.

Ad Relationem III. Cum Ecclesia catholica in quadam civitate privilegiatur, « aliae communitates religiosae vera religiosa libertate gaudere possint ». Propositio emendationis: gaudere debeant.

Additio. Fortasse damnare oportet errores, in sinu Ecclesiae decursu annorum per quosdam catholicos (etiam religiosos) commissos erga sic dictos « haereticos confundendos »?

17

Exc.mus P. D. FRANCISUS ALDEGUNDE DORREGO
Archiepiscopus Tingitanus

Universa ferme doctrina in schemate tradita mihi perplacet, imo quid simile diebus nostris dicendum peropportunum esse considero. Nonnulla vero, praeter emendationes una simul cum exc.mo Ordinario Algeriensi iam factas, animadvertere mihi liceat.

N. 2, pag. 5, linn. 14-21. Humiliter propono modificationem qua textus sic remaneret: « Mutantur tamen tempora et problemata. Etenim his nostris diebus aspectus de libertate religiosa ethicus, qui saeculo decimo nono proprius fuit, iam

psychologico eiusdem problematis aspectui locum fere cessit. Illo tempore de effrenata individui autonomia sermo erat; hodie, totalitarismo status passim grassante, humanae libertati prorsus infenso, potius de ipsa libertatis existentia agitur. Praeterea Ecclesia, etc. *Ratio*: ut clarius et praesens et anteacta Ecclesiae positio quoad libertatem nec non harmonicus in re progressus elucescat. Insuper, vocabulum « ideologiae » minus recte hoc in loco adhiberi videtur. Enim vero, etiam Ecclesiae ideologia mutatur? Sed Concilium loquitur ut Ecclesia docens, non ut hic aut ille magister.

N. 2, pag. 5, linn. 37-38. Textus sequenti modo compleatur: « quod omnium civium naturalia iura inter se componat, tueatur, colat, vindicet ». *Ratio*: iurium conflictus componere ad Statum procul dubio spectat. Idem postulat fidelitas in transcribendo conceptum a Ioanne XXIII in allato textu propositum.

N. 4, pag. 7, linn. 11-16. Textus: « Hoc modo enim ... et ad duo simul spectat » sequenti modo mihi videtur ordinandus: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto totaliter sumpto inhaereat, et ad duos simul spectet: nempe ... etc. ». *Rationes*: *a*) prout in schemate perhibetur, principium est nimis absolutum; quo stante, nulla potestas actum ullum exteriorem in vita sociali impedire posset. *b*) Nexus indivisibilis inter libertatem interiorem et eiusdem manifestationem socialem contradicit aliis propositionibus huius schematis, videlicet: pag, 8, lin. 38 scribitur: « potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur »; pag. 9, linn. 5-7, « Libertas ... non restringenda est nisi in quantum est necessarium ». Et eadem pagina, lin. 32 asseritur: « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico ». *c*) Ex eo quod homo naturaliter tendit ad actus exteriores secundum propriam conscientiam ponendos, utique sequitur ius ad tales actus exteriores, minime vero ius ad *omnes* actus. Igitur, mundus internus hominis ab eiusdem manifestationibus separari valet. Huiusmodi separatio evidentius perspicitur in casu magistratus — iudex, magister, procurator etc. — qui, virtute principii indiscriminationis (n. 6 schem. pag. 10) Statum secundum placita religionis a personali religione diverse ordinatum serviret publicumque in eo exerceret ministerium.

N. 4, pag. 7, lin. 32. Meo humili iudicio, textus sequenti modo compleri deberet: « ... persuasionibus de re religiosa, praecisa vero quavis aliorum fidei irrisione, in dialogo exponendis ». *Ratio*: Concilii mens super re, procul dubio in se clara et evidenti, ut nitide resplendeat omnino convenit. Experientia teste, certus sum « Pastores quosdam » tam ampla Concilii declaratione se praevalere ut in nonnullos fidei articulos audacter impetant.

N. 7, pag. 11, lin. 23. Sequentem postulo modificationem: « publice docenda atque testanda *libere accedentibus.* In fide ... etc. ». *Rationes*: *a*) Ut intelligatur quod ius docendi testandique nequit exercere coactione sive physica sive morali erga alios. Exprimatur ergo limitatio quaedam contra possibiles abusus, laedentes aliorum libertatem. *b*) Ut cum aliis schematis propositionibus nunc dicta plene cohaereant.

N. 7, pag. 11, lin. 28. Vocabulum *egenis,* vel aliud simile, adiungere oporteret; quo textus ita sonaret: « ... quando de pueris, egenis vel rudioribus agitur ». *Ratio*: minus honesta iudicanda sunt munera quaevis cum iniunctione hanc vel illam fidem amplectendi alicui exhibita. Talis proselytismi forma, certe reprobanda ut personae dignitati contraria, plus una vice apud indigentes exercetur.

N. 12, pag. 14, linn. 28-35. Emendatio est sequens: Deleantur verba: « tamen consulto prodigia illa ... (*Io.* 4, 48) », et textus sic exprimatur: « Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent; sed prodigia illa respuit quae violentiam redolerent ». *Rationes*: *a*) nullo fulcitur fundamento interpretatio qua Christi recusatio talia patrandi miracula animo vel proposito suos auditores non coegendi tribuitur; eo vel magis quod *b*) similis interpretatio falso nititur supposito, videlicet: miracula fidem modo necessario extorquere.

18

REV.MUS P. D. ANGELUS ALMÁRCEGUI
Prior generalis O.R.S.A.

Pag. 3, lin. 1. Dicatur: « Libertas religiosa *apud hodiernos populos* generalis ratio ». Ita clarius apparebit Ecclesiam non deserere suam doctrinam theologicam, tantis documentis munitam.

Pag. 3, linn. 13-15. Dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana *et vera iustitia fundatum* » ... Ut ita mentio fiat de « iustitia », id est, de elemento necessario obiectivo quo solo verum ius stat et constituitur.

Pag. 5, linn. 39-40. « Cum historiae decursu igitur exortus est *novus quidem modus proponendi* libertatem religiosam ». Non agitur proprie de nova quaestione, sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, linn. 32-33. Dicatur: « in ipsa dignitate personae humanae *atque iustitia* fundatum ». Vid. supra emendat., pag. 3, linn. 13-15.

Pag. 7, linn. 16-17. Dicatur: « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem *in re religiosa* ». Dici non potest hominem obligari ad quamlibet veritatem quaerendam.

Pag. 7, linn. 31-32. Dicatur: « ... in suis *investigationibus* de re religiosa in dialogo *quaerendis* ». Ne falsa inducatur species quod homo in dialogo stabiliendo suis persuasionibus tantum duci possit.

Pag. 8, linn. 6-8. Dicatur: « ... ut in sua religione publice exercenda immunis sit ab *iniusta* coercitione sive legali sive sociali ». Quia in certis casibus actus exteriores iuste limitantur, ut in n. 5 recognoscitur.

Pag. 9, linn. 5-7. Textus sic mutetur: « Ea debet homini cognosci libertas quae suae dignitati atque responsabilitati et iustitiae sit consentanea: ideo non est restringenda nisi in quantum sit necessarium ». Ne species praebeatur quod libertas nimis quam par sit extollitur.

Pag. 9, linn. 27-30. Dicatur: « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, *ut civium vita socialis ordinatim procedat* ». In textu munus potestatis civilis reducebatur ad ordinem servandum modo tantum negativo et pure poenali.

Pag. 10, linn. 7-8. Dicatur: « Itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter *solas et iustas* rationes religiosas ». Ut debita habeatur distinctio inter solas rationes religiosas et rationes religiosas simul et civiles, atque inter orationes iustas et iniustas.

Pag. 10, lin. 11. Addatur: « ... per vim vel metum *aut alia iniusta media* ».

Ut clare appareat potestatem publicam non posse, in religiosa libertate regulanda, nisi media iusta adhibere.

Pag. 11, linn. 1-4. Dicatur: « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, *intra tamen normas limitativas superius positas,* etiam communitatibus agnoscenda est ». Quia normae limitativae in n. 5 appositae, valere dicendae sunt non tantum pro singulis personis verum etiam, et prae primis, pro communitatibus religiosis.

Pag. 12, lin. 35 ad pag. 13, linn. 1-3. Dicatur: « Iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae *quidquam praecipuum perhibetur esse* in iis quae spectant ». Quia textus modo nimis exaggerato affirmabat « principium fundamentale » de relationibus inter Ecclesiam et Statum esse libertatem Ecclesiae.

Pag. 14, n. 12. Melius erit si totus numerus restructuretur, quia, prout stat, modo inorganico, confuso et partiali doctrinam evangelicam tradit.

19

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

Cap. I. N. 1. a) Verba « In permultis civitatibus ... stabile regimen » delenda sunt, mihi videtur, quia aestimaret aliquis Concilium constitutiones liberales approbasse, quod valde periculosum est, quia multa originem ducunt ex rationalismo, liberalismo etc., erroresque habent permixtos.

b) Secunda paragraphus in genere placet. Exponitur in ea quid Concilium pro libertate religiosa intelligat.

N. 2. Potest remanere, et placet quatenus est improbatio laicismi, rationalismi, liberalismi, ideoque approbatio Magisterii Pontificii Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII etc.

N. 3. a) Prima paragraphus admittenda est iuxta modum; modus autem est hic: quando dicitur « hanc catholicam de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari *libertati* humanae », addatur « iustae et rectae libertati ». Secus haberetur contradictio cum praecedentibus.

b) Secunda paragraphus etiam placet, sed corrigenda est: imprimis tollatur adiectivum « hodiernum » quod additur in textu verbis « regimini iuridici ». Placet haec redactio, vel alia similis: « Sacra Synodus declarat regimen iuridicum libertatis religiosae, principiis rationis humanae fulcitum (non omnia rationi humanae conformantur) esse honestum et posse esse necessarium ad conviventiam in societate humana procurandam et personae humanae dignitatem, personalem et civilem, custodiendam ».

Item, in fine addantur haec verba: « legitime vindicare intra limites de quibus in n. 1 pag. 2 actum est, et postea expressius exponentur ».

Cap. II. N. 4. Doctrina sub littera *a*) prout est in textu non placet. Doctrina est enim falsa quod « nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est *omnino* indissolubilis ». Nimis absolute asseritur. Verum est in ordine philosophico, quia actus externus ab interno actu voluntatis procedit. Sed in ordine morali et iuridico nullo modo hic nexus admittendus est, quasi persona humana ius habeat manifestandi semper (inseparabiliter) quod conscientiae suae verum

videatur. Alia atque alia est ratio in utroque. Persona interne cogitat quod ipsi verum videtur, et nemo, nisi solus Deus, scit utrum illa persona vera adhibuerit media ad efformandam recte conscientiam religiosam (de hac agimus), et ideo sit in bona fide, an non. Propterea hanc libertatem nemo impedire potest.

Attamen, quando agitur de proiectione externa et sociali, homines, ignari de interiori conscientia individui, obiective iudicare debent, iuxta normas traditionales, et iuxta veritates naturales et principia moralia communiter admissa, et si casus ferat, attentis veritatibus supernaturalibus, ut in societate catholica. Si ille individuus agere intendit contra veritates, principia moralia, et modus conviventiae communiter admissos in societate, cives et auctoritates actiones damnosas et periculosas impedire possunt et fortasse debent. Unde tota doctrina huius paragraphi subiectivismum et liberalismum redolet. Consectaria etiam gravissima orirentur. Canibalismus, ut novimus esse in regionibus incultis nationis dictae *Congo,* manifestatus in postrema rebellione, est sancitus ut quid bonum a *quadam secta religiosa.* Item quomodo quis prohibere possit quod non adhibeatur euthanasia in casu gravissimo, prout adhibita fuit in Belgio anno 1962? Et sic de ceteris.

Propterea, ipse textus emendatus schematis aliquas limitationes libertatis admittit in aliis locis. Unde ut contradictio vitetur, corrigi debet vel alio modo confici, ita ut clare pateat quod de illa libertate agatur « vera et recte intellecta » (Paulus VI), vel, si de errore bona fide professo in ordine religioso, quod limites observandi sunt in ordine morali et iuridico, prout in numero ... exponentur.

b) In hac paragrapho, in fine, aliquid asseritur quod gravitate laborat. Agitur de iure ad *diffusionem erroris.* Nullo modo oblivisci oportet quod in multis nationibus stabile principium est quod nemo potest religionem propagare distinctam ab officiali, quae solet esse una ex paganis. In aliqua natione catholica hoc habetur ut norma. Sed in hac de *vera religione* agitur: ad tutandam veritatem prohibentur actus propagationis errorum, qui divisiones et inordinationes sociales inducunt. Si aequo modo tractanda est veritas et error, norma exponendi doctrinam eadem esse debet, dicunt multi. Quiescere debemus hoc modo ratiocinandi? Nullo modo. Nos sumus in possessione veritatis. Error est malum quoddam; in re religiosa, gravissimum. Si propagatur, alii malum contrahunt. Mala vero sunt vitanda sicut pestis, si possibile est. Quid ergo? Dialogus erit impossibilis? Non erit impossibilis pro his qui libere accedant ad dialogandum. Nulla obligatio dialogandi imponenda. Ecclesia autem prohibet pro suis fidelibus quod inconsiderate accedant ad loca ubi errores doceantur. Sed si accedunt, inobediendo suis auctoritatibus, magistri errores docere non impediuntur. Unde in fine paragraphi addendum est « libere accedentibus ad dialogum ». Insuper illa conditio servari debet « morali ordine communique omnium utilitate servatis » (*Pacem in terris, A.A.S.,* 55, p. 260).

c) Etiam haec verba sunt corrigenda, quia dicit idem quod in paragrapho 1 dignum correctionis existimavi. Unde, vel expungitur, quia est repetitio et quidem error, vel corrigatur necesse est, modo antea indicto, semper « intra limites ordinis moralis, boni communis, iurium aliorum, et ordinis publici ».

d) Iterum schema in eumdem errorem incidit. Tamen unam exceptionem ponit, et est haec « Salvo ordine publico ». Parum est hoc. Posset poni ita: salvo ordine publico ceterisque conditionibus quae bonum commune constituunt ».

e) Non placet quod actio potestatis publicae in re religiosa unice limitetur his verbis: « salvis tamen exigentiis *ordinis publici* ». Ne repetantur semper eadem verba, potest dici sic: « salvis exigentiis boni communis, quod iuxta conditiones

societatis existimandum est ». Non sufficit quod aliquis dicat: « Ego sum protestans ». Illi qui natus est in familia vel populo protestanticis, credendum est; datur enim praesumptio. Sed, de illo qui hodie catholicus est, et crastino asserit protestantem esse, Status suspicari potest ne alia motiva non digna sint ad talem mutationem. Hi casus dantur in Hispania: Concedendum est illis liberum exercitium cultus publici?

N. 5. a) Verbis confusis exponitur tamquam norma limitativa *norma moralitatis*. Sed de normis moralibus proprie nihil dicitur. Fiat referentia ad normas christianas vel saltem ad normas communiter admissas in nationibus civilizatis, quae in iure naturali solent esse fundatae.

b) Loco « exigentiis ordinis publici », dicatur « exigentiis boni communis ». « Quare exercitium religionis in societate, a coercitiva interventione status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat bono communi, sive per perturbationes ordinis publici, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium aliorum civium ».

Cap. III. N. 6. Prima paragraphus, admittenda.

Secundam vero admitto usque ad illa verba: « Imo vero huic Sacrae Synodo ... muniatur », quae verba instanter peto ut deleantur.

Iam saepe saepius haec recommendatio facta est, v. g. in prima paragrapho. Quare nunc urgetur libertas religiosa? Et fit quidem verbis absolutis, sine limitatione aliqua, ita ut illas nationes comprehendat in quibus unitas catholica viget. Libertates etiam ab O.N.U. stabilitae (vide notam 25) admittuntur. Unitas catholica hispanica nihil iam deest ut tollatur e medio. Nihil facilius quam probare hoc esse ideale inimicorum Ecclesiae traditionalium. Aliqui existimant catholicismum hispanum esse *crucem Ecclesiae*. Multi ex catholicis videntur assensum praebere. Si unitas catholica propter causas politicas periit, damnum Ecclesiae universalis erit minimum, si damno illato a decisione Concilii Oecumenici comparetur.

Cum mea intentio sit cooperari, non obstruere, propono ut dicatur quod « ius personae humanae ... agnoscatur et *iusta* et efficaci tutela etc. ».

N. 7. Sub hoc n. 7 in quinque paragraphis doctrina exponitur quae magnos et graves dolores Ecclesiae Iesu Christi affert in toto mundo.

In primis, exposita iam doctrina de libertate religiosa in sua proiectione sociali, quae afferuntur in hoc n. 7, superflua sunt. Sufficeret dicere quae in schemate priore habentur, quia in secunda paragrapho conceditur libertas « intra supra dictos limites a fine societatis imponendos ».

Praeterea quod descendat Concilium ad tanta et talia particularia exponenda tamquam propria iura communitatum religiosarum improprium est Concilii.

Quid relinquitur determinandum Guberniis et Sanctae Sedi in Concordatis habendis? Non in memoriam revocant huius schematis auctores verba quae bis vel ter, modo solemni, em.mus card. Bea protulit in 2 sessione, de Oecumenismo sermonem faciens. Dixit quod *principia sunt vera, universalia et perennia; sed debent circumstantiis temporum, locorum et personarum accommodari.*

Certissimum est hoc. Relinquamus ergo ad Sanctam Sedem et Gubernia determinare qualis debet esse libertas, quae singulis nationibus conveniat.

Textus prior moderatior erat. Imo approbari poterat. Quare in schemate emendato tantus liberalismus in medium ruit?

Venerabiles Patres, moderamine opus est. In manibus nostris est sors Ecclesiae. Ne in peius opus Apologistis redigamus.

Igitur, hic textus reponendus est. Fortasse textus prior admittendus.

Cap. IV. N. 10. In tertia paragrapho, periculosa etiam doctrina exponitur. Non tantum Ecclesia sibi vindicat libertatem, sed etiam eam « postulat pro omnibus hominibus et communitatibus (religiosis) ut verum ius ». Et hoc asseritur ut *concordia* inter libertatem Ecclesiae et communitatum. Ubi concordia habet fundamentum? Ecclesiam habet a Deo, per revelationem. Ceterae communitates, dicitur, « ipsius rationis lumine ». Sed hae communitates non catholicae religionem profitentur falsam. Ergo concordia datur inter veram religionem revelatam et alias falsas religiones? Concordia vera non potest existere, in ordine doctrinali. Ergo, si existit, in alio ordine debet quaeri; et ita est. Datur in ordine practico, civili, iuridico, iuxta illa quae pluries in schemate et emendationibus dictum est. Veniamus, igitur, ad solutionem.

Imprimis, non fiat sermo de *hodierno regimine libertatis.* Videretur in mentem adduci regimen norteamericanum et in O.N.U. stabilitum. Dicatur, v. g. sic: « Iam vero ubi reapse recta ordinatio civilis existat circa rem religiosam, iuxta superius exposita ... ».

Compatibilis igitur est libertas quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertas religiosa quae in praecedentibus articulis ut vera libertas ab Ecclesia recognoscitur.

N. 11. Illa verba « Unde etiam sequitur ... », supprimi debent. Haec est doctrina *Rousseau.* Quid de educatione christiana a patribus in infantia? Cavendum est a modo loquendi, qui inimicis Ecclesiae ansam praebeant ut ipsam impetant.

In 2 paragrapho, loco dicendi « in regimine libertatis religiosae conditiones *dantur* », dicatur « in regimine ... conditiones *dentur* ... ».

N. 12. Doctrina evangelica quae adducitur non probat nisi actum fidei et vocationis debere esse liberum, i. e. sine coactione. Nihil de culto publico, de diffusione libera errorum, etc. Consequentia finalis non est logica. Non deducitur ex Evangelio *regimen libertatis religiosae* prout ab asseclis huius intenditur. Si rem integre considerare velimus, alia multa in Evangelio inveniremus: imprecationes Iesu Christi contra pharisaeos, expulsionem mercatorum e templo, adversus peccatores minas, etc. Si S. Ioannem (*Epist.* 2, 10-11) consulamus, audiemus dicere: « nec *Ave* si dixeritis », ei nempe qui doctrinam Christi non profitetur.

Tandem, toto ex corde propono quod novum schema sit *breve,* logice exaratum, cum cautela confectum, ne Ecclesiae, dum protestantibus grata appareat, dolorem et fortasse defectiones intulerit in locis ubi Religio catholica adhuc praeeminet. Possibile est ita libertatis declarationem dignam in Concilio Vaticano II approbare. Faxit Deus ut ita eveniat, in bonum totius Ecclesiae, quin pereat illa « insula catholica » (*Relatio,* pag. 27), quae aliquibus videtur displicere. Insula haec parva est, sed Europam docuit per S. Isidorum, mundum christianum a mahumetanis liberavit, cum sua unitate catholica Evangelium tulit in 22 Respublicas Americae et in Insulas Philippinas; cui etiam debetur quod religionis catholicae remanet in regionibus protestanticis, etc.

Beata Virgo Maria, Mater Ecclesiae, commissionem adiuvet ad hanc declarationem parandam.

20

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

1. Loquor non tantum in nomine meo sed in nomine plurimorurm episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis. Die 17 oct. 1964 declaratio *de libertate religiosa,* uti in schemate, deliberatione diligenti habita apud episcopos fere unanimi voce *in genere* est approbata. Quasdam animadversiones autem volumus adiungere, praesertim de praerogativa divina et essentiali Ecclesiae ad libertatem et independentiam fruendam in suo munere fungendo; insuper de incompetentia potestatis civilis quoad veritates religiosas decernendas; denique de obligatione potestatis civilis media apta adhibendi ut omnes cives libere et secure suum finem ultimum secundum suam rectam conscientiam prosequi possint.

2. Loquimur non de libertate qualicumque, nec de libertate religiosa indeterminata et latiore sensu intellecta, sed praecise de iure personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni externa coactione a potestate publica vel a quacumque alia potestate inducta. Excellentissimus relator hanc distinctionem inter veram libertatem religiosam et alia genera falsae libertatis religiosae iam in sessione Concilii secunda in lucem bene posuit. Numquam nec ullo modo affirmatur ius personae humanae errorem docendi, vel malum faciendi. Ius personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni coactione externa vindicatur tantum ut ius sociale et iuridicum coram potestate civili et in ordine temporali; minime autem affirmatur ius humanae personae ad libertatem religiosam coram Deo.

Valde desiderabile nobis videtur, immo necessarium ad pacem et concordiam in societate civili promovendam, ut in Concilio Vaticano II claris verbis et sine ambiguitate de hac quaestione in schemate *de Oecumenismo* tractetur. Hoc enim fere ab omnibus expectatur, praesertim in illis regionibus ubi pluralismus in religione viget.

Apud multos tum catholicos tum non-catholicos dubia adhuc existunt, num Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem religiosam pro omnibus civibus. Quaeritur, enim, utrum libertas Deum colendi tum privatim tum publice, tum in coetibus coadunatis tum singulatim, iuxta rectam singulorum conscientiam, agnoscatur pro Catholicis tantum vel etiam pro omnibus aliis.

In memoriam redigendum est quod non desunt qui exprobant catholicos, in re religiosa, ratione quadam ambigua, et haud honorabili se gerere. Nam, aiunt, ubi catholici minoritatem politicam constituunt, ibi ius ad plenam libertatem in religione sibi vindicant; ubi vero maioritatem politicam constituunt, ibi ceteris ius non agnoscunt ad plenam libertatem in re religiosa exercendam. Quamobrem haec dubia et suspiciones ita evitari oportet ut difficultates non paucae amoveantur a publica vita catholicorum.

3. Mutationes plures et magni momenti quoad structuram et competentiam potestatis civilis cursu temporis factae sunt. Publica auctoritas hodiernis temporibus non amplius de bonis spiritualibus iudicat atque decernit. Hodie, fere ubique, cives, praesertim in re religiosa, ius iudicandi independenter a potestate publica sibi vindicant et hac in re competentiam Status denegant, et merito quidem, quia, si ratio spectetur qua Reipublicae auctoritas exercetur, clare apparet quod ipsa non

est apta ad iudicia *pro merito* ferenda in re religiosa; huiusmodi enim auctoritas exercetur principio democratico maioritatis adhibito. Omnino igitur incongruum erit si veritas et valor doctrinae divinae et disciplinae Ecclesiae subicienda sit suffragationi maioritatis civium.

4. *De libertate religiosa relate ad Ecclesiam.* I. Ecclesia, propter divinam suam institutionem atque solemne mandatum, quod ei Christus commisit ad docendos omnes populos, gaudet absoluto iure in munere suo adimplendo, i. e. circa suam divinam missionem independenter ab omni temporali auctoritate sive imperio, et insuper, per mandatum divinum, in libere agendo immunis esse debet ab omni externa vi seu coactione. Hanc libertatem Ecclesia constanter defendit iam inde a temporibus apostolicis ac sibi illam vindicavit in omnibus temporibus historiae, maximis non obstantibus difficultatibus. Haec tamen libertas, a Deo data, esset inanis si singula membra eiusdem, relate ad propriam fidem religiosam eiusque exercitium, non essent libera ab omni externa coactione. Haec libertas, ut sit efficax in praxi, includere debet eandem immunitatem pro omnibus civibus. Si haec libertas non extenditur omnibus civibus, et si principium libertatis religiosae in ordine temporali non acceptatur ut principium universaliter validum pro omnibus nationibus, frustra postulabitur ab Ecclesia; deinde etiam cives sive singulatim sive in coetibus coadunati numquam considerari possunt securi ac liberi; immo etiam libertas ipsius Ecclesiae in periculo instanti permanenter versaret.

III. Multa graviaque damna hodie Ecclesia eiusque membra patiuntur quia Status seu potestas civilis in pluribus regionibus iniuste obstat libertati religiosae et false sibi usurpat ius ordinandi fidem ac praxim religiosam. At ius determinandi fidem religiosam eiusque praxim soli Deo pertinet eiusque Ecclesiae, quam ipse pro hoc fine constituit. Hoc iure Status nullo modo gaudet. Si potestas civilis praesumit ordinare fidem et praxim religiosam, eo ipso excedit propriam iurisdictionem. Bonum commune societatis in ordine publico atque iura aliorum tuenda sunt, sed unitas nationalis in ordine temporali, quamvis sit elementum maximi momenti, tamen subici oportet maiori bono spirituali Ecclesiae universalis atque subordinari communi bono totius societatis humanae.

5. *Conclusio.* In hodiernis adiunctis quaestio de libertate religiosa, ut mihi videtur, solvenda esse oportet imprimis in ordine practico potius quam in ordine speculativo. Libertas Ecclesiae in suo munere fungendo est bonum principale, praestantissimum et, igitur, est bonum non tantum in quibusdam circumstantiis particularibus, sed etiam in ordine universali et in omnibus circumstantiis. Secundum meam opinionem, non est dubium quin, si declaratio in Synodo solemniter de plena immunitate personae humanae in re religiosa promulgata fuerit, deinde maxime proderit tum Ecclesiae tum societati, etiamque Oecumenismus valde fovebitur apud omnes fratres seiunctos.

21

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindonensis-Ferrolensis

Circa schema declarationis *de libertate religiosa,* ut continetur in textu qui Patribus datus est sub finem III sessionis Concilii Vaticani II, quae sequuntur animadvertere meum esse duxi; ex quibus animadversionibus, aliae sunt indolis generalis, aliae autem res particulares respiciunt. De singulis seorsim.

I. *Animadversiones generales.* In tota hac declaratione non sufficienter distinguuntur quaedam notiones fundamentales, quae multo accuratius adhiberi debuissent, ne graves doctrinas confusiones irriperent.

a) *Libertatis notio.* In primis, non satis prae oculis habetur distinctio fundamentalis in hac re, libertatis nempe physicae vel psychologicae a libertate morali et a libertate iuridica.

Libertas religiosa physica seu psychologica, quae est facultas hominis vere in se immunis a necessitate et qua homo fit dominus ac responsabilis suorum actuum, a nemine cordato in dubium revocata est nec revocari potest. Ideo homo habet etiam facultatem physicam peccandi, licet gravissimum habeat officium moraliter abstinendi a peccato.

Libertas moralis est eadem libertas physica, quae et quatenus praeterea immunis est a vinculo morali obligationis, praecepti, legis, honestatis, etc.

In re autem religiosa libertas moralis simpliciter non datur. Minime enim datur libertas moralis contradictionis, ad Deum nempe colendum vel non colendum, quia semper homo lege naturali aut positiva vel utraque, divinitus obligatus est ad Deum positive colendum. Ideoque haec libertas moralis contradictionis nequaquam dari potest.

Non datur libertas moralis contrarietatis vel specificationis, ad Deum scil. vel uno vel alio modo indistincte colendum, quia homo semper obligatus est ad Deum colendum modo quo ipse vult coli: Aut secundum dictamen legis naturalis a Deo cordibus impressae, iis qui unquam exstiterunt tempore Legis Naturae; aut iuxta praescripta in Vetere Testamento, iis qui unquam exstiterunt sub Lege Mosaica; aut secundum mandata Legis Novae a Christo revelatae, pro iis qui exstiterunt post Evangelium promulgatum. Propterea non datur religiosa libertas simplicis specificationis.

Libertas religiosa iuridica est libertas naturalis quam omnis homo habet relate ad alios homines in rebus religiosis, vi cuius homini nullum obstaculum, neque a persona privata neque ab auctoritate civili est interponendum, sine ratione sufficienti, quo impediatur quominus cultum privatum et publicum Deo tribuat iuxta dictamen suae conscientiae. Diximus sine ratione sufficienti, quia haec libertas iuridica limitationibus iuridicis subiecta est, quales sunt iura certa, legitime acquisita et praevalentia aliarum personarum, cum quibus componi forte non possit exercitium libertatis religiosae iuridicae alterius personae, vel etiam ac praesertim iura certo praevalentia boni communis, maxime quando agitur de publico exercitio cultus religiosi.

Haec libertas religiosa iuridica, cum supra adnotatis limitationibus, certo agnoscenda est et in praxim ubique deducenda.

Ergo in schemate aperte declarandum est in eo non agi de libertate religiosa morali simpliciter, quia non datur, prout indicavimus et prout abunde docet Leo XIII in suis litteris encyclicis quae incipiunt: *Libertas praestantissimum.*

b) *Ius verum et ius putativum.* Non satis accurate adhibetur vel prae oculis habetur distinctio magni momenti hac in re, de iure ad exercendam propriam religionem. Probe enim distinguenda sunt iura vera et propria a iuribus mere existimatis et putativis. Nam contra veritatem et contra divinam legem, sive naturalem sive positivam, iura vera et propria nulla dari possunt; etenim ius nullum verum est, nisi in veritate sit fundatum, neque ius ullum proprium hominis dici potest, nisi legi divinae sit consentaneum. Attamen in casu erroris invincibilis et in homine

bona fide decepto, admitti debet et consideratione dignum est ius eius, quod tamen mere existimatum et putativum reapse est, quodque propterea iuribus aliorum veris et propriis cedere debet.

In schemate hae distinctiones non videntur prae oculis haberi. Ex earum tamen consideratione patet schema in non paucis locis omnino accuratius corrigendum esse secundum rectam doctrinam. Bonus enim christifidelis caritate tenetur errantes, etiam bona fide, prudenter quidem, sed pro virili parte ad veritatem conducere.

c) *Ordo obiectivus et ordo subiectivus.* Neque sufficienter per totum schema servatur et attenditur distinctio, magni momenti hac in re, qua probe discriminandus est ordo obiectivus ab ordine subiectivo. Immo vero, cum constet ordinem subiectivum subordinandum esse ordini obiectivo, adeo tamen per integrum schema effertur dictamen conscientiae individualis in re religiosa, ut de facto conscientia subiectiva appareat veluti fons originarius omnium iurium omniumque officiorum hominis in re religiosa; dum e contra, iuxta veritatem omnino asserendum est dictamen conscientiae subiectivae subiici debere normae obiectivae divinitus statutae et homini sive per naturam sive per revelationem sufficienter manifestatae. Quapropter clare statui debent haec tria principia:

1. Non est in aliquo alio salus, neque aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi Dominus Iesus Christus (cf. *Act.* 4, 10-12).

2. Unica est a Christo fundata Ecclesia, cui Dominus demandavit opus suum redemptionis ac salutis perenne reddere et omnibus hominibus integrum et fideliter distribuere et applicare usque ad consummationem saeculi; et quidem ita ut « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur » (cf. *Mc.* 16, 16; *Mt.* 28, 1-20; *Lc.* 24, 47; *Io.* 20, 21-23; *Act.* 1. 8).

3. Legitimi Pastores ovium Christi, quales sumus nos, si nolunt tamquam mercenarii a Domino improbari, cum vident lupos venientes, non debent dimittere oves ut lupi rapiant et disperdant gregem, sed tenentur oves a lupis defendere usque ad mortem (cf. *Io.* 10, 12-15).

Maxime ad lucem horum principiorum a nobis doceri potest doctrina vere catholica de libertate religiosa.

II. *Animadversiones particulares.* His animadversionibus generalibus praemissis, ad ea descendimus quae particularia dici possunt, quaeque prout sequitur corrigenda esse existimamus.

1. N. 1, linn. 1-3, pag. 3. Corrigatur hoc modo: « Personae humanae vera dignitas, cuius homines nostrae aetatis magis magisque conscii fiunt ». *Ratio*: exopto praesertim ut addatur vox « vera ». Nam plures dantur de facto conceptus dignitatis humanae, quorum non pauci inadmissibiles sunt. Propterea necesse est ut Concilium, cum loquitur de dignitate personae, saltem suggerat se velle intelligi de *vera* dignitate, de illa nempe quae prosequitur verum et bonum, quae sola vera dignitas humana est.

2. N. 1, linn. 2-4, pag. 4. Potius redigatur hoc modo: « Nemo iniuste cogatur ad agendum contra suam conscientiam recte efformatam, neque impediatur quominus iuxta rectam suam conscientiam agat ». *Ratio*: determinationes quae adduntur necessariae videntur. Nam saepe homines procedere volunt iuxta conscientiam evidenter erroneam, vel perperam efformatam. In his vero casibus lex caritatis saepe iubet ut cohibeantur vel corrigantur ob eorum ipsum bonum. Quibus in casibus coactio vel impeditio non est iniusta, sed potius commendata.

3. Pag. 5, linn. 11-12 et 19, n. 2. Vox « totalitarismus », quae habet sensum specificum et significat vel fascismum vel nazismum, consultius omitti deberet. Nam hodie huiusmodi totalitarismus iam vigore caret. Contra vero communismus atheus et materialista omnino opprimit omnem libertatem religiosam et civilem hominum quamplurimorum.

Loco dicendi « totalitarismus », dicatur in utroque loco « statismus absolutus », sub hac enim denominatione aeque comprehenduntur et communismus atheus et totalitarismus cuiusvis generis.

4. Pag. 6, linn. 32-35, n. 3. Quae sequuntur: « Regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum »; hoc modo corrigantur: « Regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quod principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum ». *Ratio*: prout asseritur, doctrina falsa esse potest; varia enim exsistunt hodie iuridica regimina, quae principiis rationis humanae non fulciuntur.

5. Pag. 6, lin. 42, n. 3. Compleatur hoc modo: « ... legitime vindicare, intra iustas normas, inferius n. 5 statuendas ». *Ratio*: ne inde ab initio falso censeatur libertatem religiosam vindicari posse a singulis sive individuis sive communitatibus sine ulla morali vel iuridica limitatione aequa et iusta.

6. Pag. 7, linn. 7-8, n. 4, *a*). Quod legitur: « ... liberum in societate religionis exercitium deneget »; compleatur hoc modo: « ... liberum in societate exercitium religionis sine causa deneget ». *Ratio*: quia potest adesse iusta causa ob quam externum religionis exercitium denegetur: puta bonum commune societatis vel iura acquisita et praevalentia aliorum civium.

7. Pag. 7, linn. 9-11, n. 4, *a*). Textus compleatur hoc modo: « Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem per se est omnino indissolubilis ». *Ratio*: addendum est per se, quia per accidens saepe occurrere potest ut manifestatio socialis sola impediri debeat, prout occurrit in pluribus aliis libertatis humanae casibus.

8. Pag. 7, linn. 21-23, n. 4, *b*). Compleatur hoc modo: « ... veritas quaeritur et invenitur plerumque per magisterium... inter homines ». *Ratio*: quia aliae viae sunt ad inveniendam veritatem, neque excludi debent, ita absolute, viae quibus Deus sese hominibus saepe communicat. Praeterea in mundo hodierno saepe etiam per magisterium et communicationem inter homines, in animis hominum, maxime rudium, instillatur error et fortiter imprimitur.

9. Pag. 8, linn. 7-8, n. 4, *c*). Compleatur hoc modo: « ... immunis sit ab indebita coercitione sive legali sive sociali ». *Ratio*: quia dari possunt causae sive morales sive sociales ob quas publicum religionis exercitium coerceri debeat.

10. Pag. 9, linn. 22-25, n. 5, *b*). Compleatur hoc modo: « Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui ex cultu falsae religionis provenire possint, adducto titulo libertatis religiosae ». *Ratio*: quia non potest dici sine distinctione abusus provenire posse ex cultu etiam verae religionis.

Similiter linn. 34-35 complendae sunt hoc modo: « ... nisi quando exercitium religionis, ut plurimum falsae, ordini publico noceat... ». *Ratio*: quia nequit admitti exercitium religionis *verae* ordini publico nocere posse. Vox « graviter » superflua videtur.

11. Pag. 11, linn. 2-3, n. 7. Textus hoc modo complendus est: « Libertas religiosa... etiam communitatibus, intra limites numero 5 assignatos, agnoscenda

est ». *Ratio*: quia illae iustae normae vel maxime necessariae sunt relate ad activitates communitatum religiosarum. Adeoque hic in memoriam revocari debent.

12. Pag. 11, linn. 23-24, n. 7. Assertio hoc fere modo complenda vel restringenda est: « ... publice docenda atque testanda, dummodo doctrinas aperte falsas ne doceant, vel mores manifeste pravos ne spargat, contra civium communem sensum religiosum ». *Ratio*: Quod sine ulla restrictione asseritur, falsum et nocuum esse videtur, neque facile conciliabile cum normis statutis in eodem schemate, n. 5.

13. Pag. 13, lin. 29, n. 11. Initio n. 11 addenda est brevis paragraphus, quae desumi potest ex iis quae dicuntur in relatione, pag. 38, n. 4. Paragraphus quam propono, ita se habere posset: « Haec doctrina de libertate religiosa non contradicit conceptui historico sic dicti status confessionalis. Nihil igitur prohibet quominus religio catholica iure humano publico agnoscatur et stabiliatur tamquam religio status, dummodo aequa religiosa libertas salva maneat, prout in hac declaratione describitur ». *Ratio*: hanc paragraphum censeo omnino necessariam ad salvandam doctrinam Summorum Pontificum, et saeculares usus Sanctae Sedis in hac re tanti momenti.

14. Pag. 14-15, n. 12. Per totum n. 12 plura adducuntur testimonia ex S. Scriptura, quae vel minime probant quod intenditur, vel afferunt fallacem probationem; ipsis enim efficaciter opponi possunt alii fere innumeri textus ex S. Scriptura cum Veteris tum Novi Testamenti. Ideoque censeo ex hoc numero prorsus delenda esse saltem ea quae habentur inde a pag. 14, lin. 27: « Miracula fecit... ». *Ratio*: a vero simpliciter aberrat hoc quod dicitur, Christum mere invitasse homines ad fidem; certum est enim etiam eis fidem praecepisse, sub aeterno discrimine salutis: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Et Domini discipulus. Paulus, non mere ad invitandum restringebat suum apostolatum, sed pressius urgebat iuxta instructionem Timotheo datam: « Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Praeterea, terrores aeternae damnationis quas saepe Christus excitabat in animis auditorum, multo plus sunt quam mera invitatio, v. g., illud « compelle intrare ad nuptias » quas Paterfamilias Filio suo paraverat (*Lc.* 14, 23), aliaque sexcenta quae afferri possent.

Aliunde vero, miracula innumera, charismata extraordinaria, beneficentiae singularia opera quibus Christus et apostoli praedicationem suam commendabant, et quae prorsus extrinseca sunt subiecto, obiecto et actui fidei ad quem ordinabantur, indirectam saltem et pro simplicibus et rudibus, ut erant eorum auditores, moraliter cogentem quamdam coactionem importabant. Instructio autem catechetica et religiosa, quae etiam pueris et rudibus de mandato Ecclesiae impertienda est, multo plus secumfert quam meram et nudam invitationem ad libere et sine ulla neque morali et indirecta coactione fidem amplectendam.

Animadvertendum etiam est quod in homine *lapso* « sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua » (*Gn.* 6, 5 et 8, 21; *Mt.* 15, 19). Atque non solum ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco homines debent « induere armaturam Dei, ut possint stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis solum colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae » (*Eph.* 6, 11). Quare etiam nos monet Petrus: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret » (*1 Pt.* 5, 8).

Quae cum ita sint, potius divina paedagogia suadet ut merae et purae invitationi addatur quaedam paterna, non solum amoris sed etiam timoris, salutaris coactio, qua etiam Deus « quos amat arguit et castigat » ut suae voluntati obediant (*Apoc.* 3, 19; *Prov.* 3, 11-12). Immo in homine lapso, ad hoc ut vere et cum plena libertate se decidere possit, quodammodo necessaria est haec paterna et divina paedagogia: eatenus saltem, quatenus necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem in contrarium.

Ea demum quae dicuntur de miraculis, omnino compensari possent aliis ex ipsamet S. Scriptura deprompṭis, quibus contrarium comprobari videtur. Nunc temporis in memoriam revocare sufficiat factum historicum mortis Ananiae et Saphirae, mediante Petro patratum, quod narratum habemus apud *Act.* 5, 1-11; ex eo enim « factus est timor magnus in universa Ecclesia » (*Act.* 5, 11).

22

Exc.mus P. D. ASSUERUS THEOPHANUS BASSI

Episcopus Loiamensis

Novum schema mihi substantialiter placet quia, relicta priore visione subiectivistica in iure conscientiae rectae fundata, ius ad libertatem religiosam pro omnibus affirmat tantum a conflictu cum iuribus potioribus singulorum vel societatis in suo esse limitatum.

Tamen quae de fundamentis iuris ad libertatem dicuntur minus mihi placent, tum quia aliqua fragmentarietate laborant, tum quia pertingere ad ipsam radicem iuris non videntur, tum denique quia schema non sufficienter praebet doctrinam traditionalem de veritate ut unico fundamento iuris.

Mihi etenim videtur aliquid veri adesse in assertione Papae Pii XII: « Ciò che non corrisponde alla verità ed alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione ». Ius etenim definitur « facultas *moralis* irrefragabilis »; facultas igitur quae non fundatur in vi physica apta ad obtinendum iuris respectum, sed in morali omnium obligatione ad finem ultimum tendendi et a consecutione huius finis et ab usu mediorum ad id *vere* necessariorum neminem impediendi. Insisto in *veritate* necessitatis quia tantum exigentia vera capax erit sese irrefragabiliter intellectui et voluntati ceterorum imponendi, et sensum obligationis in ceteris efficiendi.

Ergo exigentiae verae relate ad finem ultimum sunt fundamentum iuris ut facultatis moralis. Libertas in agendo autem exigitur *vere* ad finem ultimum consequendum, et ideo adest ius obiectivum ad libertatem etiam in re religiosa. Non adest ergo ius directum ad singulas manifestationes religiosas *falsas*, quae uti tales nequeunt esse fundamentum iuris; sed adest ius magis generale ad libertatem in agendo quae, utpote exigentia vera, potest esse fundamentum iuris.

Hoc argumentum in doctrina traditionali fundatum mihi videtur posse multos patres trahere ad acceptationem schematis si efficaciter proponatur.

Etiam quae de limitibus iuris ad libertatem religiosam dicuntur minus placent, saltem prout iacent.

His generaliter notatis, ecce *emendationes textus propositae.*

4. (Fundamenta liberatis religiosae, pag. 7). *a*) (Necessitas libertatis ad finem ultimum). Homo habet officium et proinde ius consequendi proprium finem ultimum; huic iuri correspondet in ceteris hominibus officium neminem impediendi a consecutione huius finis. Officium et ius autem consequendi proprium finem exigunt officium et ius ad media vere necessaria ad finem.

Libertas in agendo autem est medium vere necessarium ut homo finem ultimum consequi possit, ergo homo habet officium et ius ad libertatem in agendo.

Haec libertas vero necessaria in omni actione ut haec apta sit ad finem ultimum attingendum, maxime necessaria est in professione religionis. Susceptio religionis etenim, et eiusdem externa manifestatio ut sint salutares, natura sua liberae esse debent.

Huic iuri directe adversatur coactio psychologica, indirecte tamen adversantur etiam coactio physica et moralis; iisdem homo proinde uti nequit sine iniustitia usque dum ius ad libertatem perdurat.

b) (Inquisitio veritatis humano modo facienda et integritas personae). Homo praeterea habent officium et ius quaerendi veritatem. Veritatem autem quaerere, eique inventae firmiter adhaerere tenetur humano modo, libera scil. inquisitione atque assensu personali; tantum hoc modo etenim adhaesio veritati salutaris est.

Ergo nullus est qui potest sese substituere intellectui personae agentis et eius liberae voluntati in assensu veritati praestando; omnes e contra hanc plenam libertatem religiosam internam hominis recognoscere ac revereri debent.

Insuper, cum homo, qui persona est, natura sua sit socialis, veritas ab ipso quaeritur et invenitur praesertim per magisterium seu institutionem et per communicationem inter homines, in qua alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel se invenisse iudicaverint. Quae omnia maxime valent de veritatibus in re religiosa. Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis.

Eadem causa iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget. Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis.

c) (Bonum humano modo faciendum). Adhuc: suprema humanae vitae norma est lex divina, quae est aeterna, absoluta, obiectiva, universalis. Hanc normam autem Deus non physice homini imposuit ut aliis animalibus, sed moraliter, relinquens ei possibilitatem erroris et libertatem physicam etiam non obtemperandi legi divinae clare cognitae. Talem enim Deus hominem fecit; et non constat alicui dedisse potestatem, qua nec ipse utitur, impediendi hominis libertatem errandi et peccandi, nisi errando vel peccando iura singulorum vel societatis laedat.

d) (Moderatio civitatis). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur, et cuius potestas legifera solummodo ad actus

exteriores extendtiur. Potestas vero publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici. Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in cura animarum sese quovis modo immisceat.

Ex hac potestatis publice incompetentia deducitur ius, saltem relativum, hominis ad libertatem internam et simul externam in re religiosa, quae debet homini agnosci quam maxima fieri potest, ac non restringenda est nisi in quantum est necessarium.

5. (Limites libertatis religiosae). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur ab homine Deo subordinato et in societate humana vivente; ideoque quibusdam normis limitantibus obnoxium est.

a) (Limes moralis). Prima harum normarum est principium responsabilitatis personalis erga Deum, vi cuius homo assensum veritati clare cognitae denegare licite nequit. Ex hoc principio exurgit limes liciti usus libertatis in re religiosa.

b) (Limes iuridicus erga alios homines). Dein attendendum est ad principium responsabilitatis personalis erga alios, et ad officium non laedendi in exercitio propriae libertatis iura aliorum. Si etenim exercitium libertatis evaderet non solum illicitum, sed et iniustum statim deficeret ius ad libertatem et ad summum loquendum esset de tolerantia ad obtinendum maius bonum vel ad vitandum maius malum.

c) (Limes iuridicus erga societatem civilem). Denique attendendum est ad principium responsabilitatis personalis erga societatem civilem et ad officium uniuscuiusque civis non laedendi ordinem publicum, sive per perturbationem pacis publicae sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum. Si ergo usus libertatis evaderet iniustus erga societatem civilem, amplius de iure ad libertatem religiosam loqui non posset. Ad summum loquendum esset de tolerantia ex parte Status ad obtinendum maius bonum vel ad vitandum maius malum.

23

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. 1. Status quaestionis, cum introductione historica, optime determinat problema quod mundi moderni quaesito respondet: Quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentit Ecclesia? Substantia declarationis ergo nobis valde placet.

2. Videtur quod declaratio alloquitur non tantum catholicis, sed aliis christianis et hominibus bonae voluntatis (ad mentem Enc. *Pacem in terris*). In hoc contextu, praesentatio hic illic nimis auctoritativa non videtur convenire. Praeferendus est stylus humilior, sicut in textu priore.

In specie. Pag. 6, n. 3. Proponimus declarationem incipere cum secunda paragrapho, praemissa tamen prima sententia primae paragraphi. Sic ergo legatur textus:

« [Declaratio]. His positis, haec Sacra Synodus hac sua declaratione expo-

nere intendit quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat. Cum Ecclesiae incumbat munus, ut... sibi legitime vindicare ».

Et post haec ultima verba addendum est: « Fatendum est tandem idem ius etiam fundari in Verbo Dei ut revelatum est et cuius ipsa Ecclesia minister est erga omnes homines ». *Ratio*: ex statu quaestionis et ex ordine quo materia tractatur (scil.: 1. fundamenta naturalia libertatis religiosae, 2. fundamentum revelatum) substantia primae paragraphi non videtur ad rem in hoc loco et apparet inintelligibilis pro aliis christianis et non-christianis. Si tamen servandae sint, hae affirmationes, utique recognitae, in IV parte locum obtinebunt, ubi agitur de « Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis ».

Pag. 7-9, n. 4. Quinque fundamenta naturalia libertatis religiosae nimis separate considerantur; ordo magis organicus videtur sequens: *a*) integritas personae; *b*) inquisitio veritatis; *c*) conscientia humana; *d*) indoles religionis; *e*) moderatio civitatis.

Pag. 8, n. 4, *d*) (Conscientia humana). Novus textus proponitur: « In inquisitione veritatis, homo invenit normam universalem suae actionis in ipsa sua natura, ubi expressio concreta voluntatis Dei Conditoris vere apparet, et secundum quod illam normam sui ipsius conscientiae dictamine percipit, legi divinae obtemperare potest. Neque finem suum... » etc. *Ratio*: sententia prima textus schematis nimis in abstracto rem considerat. Lex divina non satis apparet ut ex natura humana profluens in quantum perceptibilis pro humano intellectu.

Pag. 12, n. 8. Textus a lin. 7 usque ad finem paragraphi sic emendetur: « Parentibus, ratione inalienabilis officii filios educandi, a publicis potestatibus agnoscendum est ius educatores seu magistros asciscendi, ideoque scholas vel alia educationis media libere condendi et eligendi. Ad hanc autem electionis libertatem tuendam, eis adiumentum praebeatur et subsidia aequa provideantur ». *Rationes*:

1. Textus sic magis consonat cum schemate declarationis *de educatione christiana,* nn. 4-6.

2. In lucem ponitur ipsum fundamentum iuris parentum educationis media seligendi.

3. Ad officium suum in prolis educatione efficaciter adimplendum parentes auxilio societatis indigent. Haec tuitio verae libertatis modo positivo declaratur.

IV. *Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.*

Pag. 12-17, nn. 10-13. In tota hac IV parte, praesentationem magis inventivam optare liceat. Proponimus ergo ordinem materiae sequentem:

1. Incipere cum textus prioris paragrapho n. 30, pag. 32, linn. 25-32. *Ratio*: vinculum inter ordinem naturalem et revelatum optime manifestatur.

2. Evolvere postea, imprimis ipsam doctrinam evangelicam (cf. n. 12), deinde libertatem fidei (cf. n. 11), insuper speciale munus Ecclesiae (cf. n. 13) et tandem libertatem Ecclesiae (cf. n. 10, et ut infra emendatur).

3. Addendum est aliquod verbum quoad Ecclesiae habitudinem erga communitates christianas (ex decreto *de Oecumenismo*) et erga religiones non-christianas (ex schemate declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*) in quantum haec Ecclesiae habitudo libertatem religiosam peculiariter tangit (cf. infra novus n. 15).

Novus n. 10. Textus prior sub pag. 32, n. 30, linn. 25-32: « Homines ergo qui, iuxta dictamen conscientiae... instrumentis salutis praedita ». *Ratio*: servan-

dus est hic textus prior quia optime consonat cum materia declarationis, et modo meliori quam textus emendatus exprimit id quod homines a rei publicae moderatoribus expectare possunt et debent. Ipse autem textus emendatus (pag. 13) non videtur ad mentem constitutionis *de Ecclesia,* quia primo loquitur de hierarchia et solummodo postea de populo Dei (« societas hominum divinitus convocata »). Insuper, textus bis utitur verbo « vindicat » ac si Ecclesia aliquem colluctaret.

Novus n. 11. [Doctrina evangelica]. Substantialiter servatur textus emendatus sub n. 12. Observare licet tamen quod quattuor lineae « Revera Satanas... Iudaei pariter... recusavit Iesus » (linn. 21-25) nimis durae videntur. Nonne sufficeret affirmare ut in linea sequenti (lin. 26) « Respuit prodigia illa quae violentiam redolerent... »?

Novus n. 12. [Libertas fidei]. Textus immutatus.

Novus n. 13. [Munus Ecclesiae]. Textus sub n. 13, cum emendationibus sequentibus: *a*) In secunda paragrapho corrigendum est stylus linn. 1-8. Uti nunc stat textus « triumphalismum » sapit, et spiritu biblico caret.

b) In tertia paragrapho, lin. 2, loco « erga veritatem Christi » dicatur « erga Christum qui veritas est », ut magis manifestetur nexus inter discipulum et Christum ipsum.

Novus n. 14. [Libertas Ecclesiae]. Novus textus totaliter sumatur ex paragraphis prima et tertia olim sub n. 10, omissis linn. 6-10 « Haec enim... contra Deum faciunt » (in calce pag. 12) quae omnino superfluae videntur. Omittitur etiam secunda paragraphus, ut supra explicatur.

Novus n. 15. [Ecclesiae habitudo erga omnes in familia humana]. *Ratio*: opportunum est breviter indicare nexum declarationis nostrae cum aliis documentis Concilii ad rem pertinentibus (cf. Animadversionem in pag. 12-17, nn. 10-13, 3).

[*Subscripsit etiam*] A. Hacault, aux. S. Bonifacii.

24

Exc.mus P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZABAL
Episcopus tit. Verronensis, adm. ap. Santanderiensis

1. In pag. 4, n. 1, ubi dicitur: « per hanc iuridicam libertatem religiosam ... nullatenus hominem nulla obligatione ... », oportet ut dicatur: « per hanc iuridicam libertatem religiosam nullatenus significatur hominem aut societatem ipsam politicam nulla obligatione teneri ... ».

2. Simili modo in pag. 6, n. 3, lin. 12, ubi dicitur: « Homines vero gravi teneri officio ... », dicatur: « Homines, sive singuli, sive efformantes societatem politicam, gravi teneri officio ... ».

Et hoc quidem ut textus declarationis *concordet* cum assertis a relatore dicente in pag. 29 libertatem religiosam « non impedire quominus... Ecclesiae catholicae... *etiam officialis agnitio* tribuatur ».

Quin immo ipsa commissio seu secretariatus habens rationem obiectionum maiorum, in pag. 38, n. 4, asserit declarationem componi posse cum *confessionalismo Status,* qui ceterum non est omnino liber sed *obligatorius* in genere et in determinatis adiunctis, si attendantur multi textus Litt. Enc. v. g. *Libertas* in n. 26 et *Immortale Dei* Leonis Pp. XIII et *Quas primas* Pii Pp. XI.

Bonum foret referre in « notulis » ad calcem hos textus pontificios.

Item peto, pro quarta sessione Concilii, cum schema in aula discutiatur — data nova redactione — ut fas sit mihi Verba facere brevi expositione in congregatione generali.

25

EXC.MUS P. D. VITALIS BONIFACIUS BERTOLI

Episcopus tit. Attaeatanus, vic. ap. Tripolitanus

De libertate religiosa. Libertas scil. eligendi religionem quandam, gusto proprio, nonne...? In casu nostro, ius hominis, numquam violatum est. Est res pacifica.

Habitudo Ecclesiae catholicae. Proprium est Ecclesiae seu religioni catholicae, liberos relinquere homines in propria religionis electione.

Ecclesiae ministrorum officium. Ecclesia catholica eiusque ministri instruunt, exhortant, docent veritatem ut homines quid, iure et recte, facere debeant. Sic et cur declaratio de libertate religiosa, in electo Concilio Oecumenico Vaticano II, proposita fuit ...?

Sic stantibus rebus, prima facie, declaratio *de libertate religiosa,* ut iam tempore suo in congregatione generali aliqui de hac quaestione questi sunt, videtur ad indifferentismum ac ad materialismum, ducere. Propter declarationem in verbis, laicistarum ac rationalistarum, gaudent et gaudebunt, utpote idearum propriarum victoria. Vero autem stat enuntiatum: « Ride bene chi ride ultimo ».

Non omnes religiones sunt pares et coaequales, sed tantum vera est illa religio, quae veritatem integram, continet. Qua de causa, homines veritatem discere, studere debent, et dein consequenter ac logice, religionem eligere.

Necessitas veritatem docendi urget. Volventibus annis, ut impediatur in indifferentismum ac materialismum incidendi, necessitas urget ex parte ministrorum Dei, docendi magis de die in diem, veritatem et sensum explanandi declarationis *de libertate religiosa.* Ac revera, vita quotidiana et veritates expositas ministrorum Dei, inter se consentiant.

His praemissis, mihi videtur tota quaestio est et electa assemblea bene fecit declarationem *de libertate religiosa proponere,* ut qui de bono communi multum praestare debent, audiant.

Italice: « Si batte la sella per far capire all'asino ».

Sunt Gubernia, sunt Nationum Rectores, qui subditis non permittunt, bono proprio, religionem eligere.

Sunt alteri qui, subditorum conscientiam coartant. Quid faciendum est, ut et Ipsi vocem Ecclesiae audire possunt ...?

En de libertate religiosa declarationem!

Momentum nostrum, hora nostra est! Ne timeat igitur Ecclesia, Concilium Oecumenicum Vaticanum II, ne timeat extollere vocem: *Libertas religiosa, signum temporis est!*

Quapropter et nos, gratias agentes Deo, Ecclesiae Matri et Spiritui Sancto, ne timeamus, omnibus difficultatibus superatis, suffragium positivum dare « declarationi de libertate religiosa »! Sic verum evadebit enunciatum: « Si batte la sella per far capire all'asino ».

Non propter Ecclesiae *fideles,* sed magis, multo magis, propter Gubernantes et propter mundum religioni catholicae infensum, proposita est: declaratio *de libertate religiosa.*

Faxit nunc Deus et Mater Ecclesiae et Spiritus Sanctus quod, proposita quaestio, permultos producat salutiferos fructus!

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI

Archiepiscopus tit. Darnitanus, coad. c.i.s. Syracusanus

1. Textus emendatus longe praestat priori, praesertim si consideretur sub luce eorum quae in relatione dicuntur.

2. At non satis lucide et recte evolvuntur argumenta sive ex revelatione, sive ex ratione, cum eorum non appareat mutua connexio, sed potius quaedam iuxtapositio.

3. Desideratur vera ratio seu definitio libertatis religiosae, itemque recta notio libertatis civilis, necnon et utriusque mutua relatio. Habentur passim, nec utiliter repetitae, descriptiones practicae parum clarae, in forma negativa: v. g. pag. 4, linn. 1-5; pag. 6, linn. 1-3; pag. 8, linn. 18-21.

4. Pag. 8, n. 4, *d*) legitur incisa: « salvo ordine publico » quae ansam praebere potest incommodis non parvi momenti. Nam in aliqua societate civili « ordo publicus » sensu mere iuridico et relativistico intellectus legitime posset impedire quominus homo agat in re religiosa secundum suam conscientiam (vide U.R.S.S.).

5. Pag. 10, linn. 6-9: « Itemque etc. »: textus est nimis syntheticus, ideoque nimiis interpretationibus dubiis obnoxius. Bene quidem evolvuntur rationes in relatione pag. 29: ergo ad earum mentem emendetur.

6. Pag. 13, linn. 23-28: ad comma « Concordia igitur etc. ». Animadverto haec verba non bene distinguere inter libertatem conscientiae et libertatem religiosam, immo videntur innuere aequiparationem conscientiae verae et conscientiae falsae.

7. Pag. 14, lin. 9: conditiones *sufficientes* dantur.

27

EXC.MUS P. D. FELIX BORROMINI

Episcopus Comensis

Minus placet; nam ut mihi videtur:

1. Ecclesia catholica est unica vera religio a Deo volita, ideoque ratio exigit ut ius, etsi tantum sit civile, non unum atque idem sit cum omnibus aliis religionibus; ad falsas religiones, quando reapse hoc exigatur ad bonum commune, ad maximum concedi poterit tolerantia.

2. Quando agitur de homine, neque de integritate ontologica loqui possumus, neque de integritate morali, sed de homine historico, id est sub regimine peccati originalis, et in hac positione integritas moralis minime laeditur si, iusta de causa,

aliquis impediatur ab alio, praesertim a potestate publica, et quidem ratione boni communis, ne in exsecutionem ponat dictamina conscientiae, etsi sincerae.

3. Quod si dictamina conscientiae sunt falsa, nullum ius habent ad externam manifestationem et tanto minus ad exsecutionem, nam munus iuris etiam civilis tantum, non est mere negativum sed etiam positivum, id est fovere debet verum bonum commune: in aliqua extraordinaria circumstantia, tolerantia adhiberi poterit.

4. Dicitur in schemate: « fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis » (cf. n. 4, pag. 14).

Fides cum sit donum Dei magis quam actus hominis, non debet dici esse eo magis genuina, quo magis personalis sit et libera.

5. Cum Ecclesia catholica habeat ius verum et divinum propagandi Evangelium, posset (saltem in principio) vim (aliquo modo iusto) adhibere, ne impediatur iniuste ab hoc iure legitimo exercendo, et item potestas civilis, in certis et determinatis casibus, et semper propter bonum commune, potest (saltem quoad principia), limitare libertatem publicam religiosam: Haec limitatio iusta, dici non debet esse contra libertatem actus fidei (cf. De Broglie, p. 71, nota 1).

Principia de quibus supra, meo humili iudicio, non clare elucent in schemate prouti iacet.

28

Exc.mus P. D. FRANCISCUS BOUGON

Episcopus Molinensis

N. 1, pag. 4, ligne 19 inclus, maintenu tel quel, sauf les modi suivants:

Ad n. 1, pag. 3, lin. 20. Deleatur verbum « mere ». *Ratio*: ne ansa praebeatur ut quis suspicari posset Concilium docere Ecclesiam ius habere non catholicos coercendi in re religiosa.

Ad n. 1, pag. 4, lin. 4. Deleatur verbum « certa ». *Ratio*: ne iam ab initio quaestiones oriantur de sensu huius normae, quae ceterum postea sub n. 5 explicite effertur.

Immédiatement après le n. 1, insérer du n. 10, pag. 12, au n. 12, pag. 15 ligne 30. *Ratio*: declaratio de libertate religiosa est declaratio conciliaris, ideoque in Revelatione ipsa niti debet. Insuper ex vita primaeva Ecclesiae libertas religiosa tamquam ab ipso fonte in mundum manavit. Modus exponendi sequi debet modum ipsum inveniendi.

Ce texte inséré appellerait les modi particuliers suivants:

Ad n. 10, pag. 12, lin. 30. Pro verbo « divina » legatur « sacra ». *Ratio*: Verbum « sacra » videtur magis accuratum.

Ad n. 10, pag. 12, lin. 34. Post « libertatem », addatur « etiamsi sic dictis iuribus Dei niti contendunt, iidem contra Deum faciunt ». *Ratio*: sic melius insinuatur Ecclesiam, suam ipsius agendi rationem iudicare in memoriam revocando principia minus laudanda.

Ad n. 10, pag. 12, lin. 35. Textus allatus ab hac linea usque ad pag. 13, lin. 28 alibi transferatur. *Ratio*: Ne prius appareat exigentia Ecclesiae quoad libertatem eius, sed potius doctrina Ecclesiae de ipsa libertate.

Ad n. 11, pag. 14, lin. 18. Post (*1 Cor.* 8, 6) inseratur « qui libertate sua nos liberavit ». *Ratio*: sic clare apparet unde veniat libertas.

Ad n. 11, pag. 14, lin. 23: id est (*Act.* 2, 36) deleatur. *Ratio*: in *Act.* 2, 36, dicitur quod, Iesum ex mortuis resuscitando, « et Dominum eum, et Christum fecit Deus ». Talis affirmatio de Iesu resuscitato et glorificato ad Iesum ministerium suum peragentem in terris applicari simpliciter non potest. Affirmatio tamen est vera sub alio aspectu et servari potest, sed ad *Act.* 2, 36 ne remittatur! Si aliqua citatio opportuna videtur, dicatur v. g. « Etenim Iesus, qui Christus et Filius Dei est (*Mt.* 16, 16) ... ».

Ad pag. 14, linn. 26-27. Post « coegit » et citationes sequentes, textus sic sonet: « Pro seipso omnimodo renuit humanam potestatem sive tempore vitae publicae (*Io.* 6, 15), sive in hora suae Passionis (*Mt.* 26, 52) ». *Ratio*: sic clare appareat Christum renuisse omnem vim coercitivam in ministerio suo.

Ad pag. 14, lin. 28 ad 37. Deleantur haec verba et in locum eorum haec sequentia ponantur: Miracula fecit ut auditores fide missioni suae adhaererent (*Mt.* 11, 2-7); respuit autem prodigia seu inutilia (*Mt.* 4, 5-7) seu quae violentiam redolerent ut quando Apostoli, etc. ... » lin. 37, pag. 14. *Ratio*: lineae delendae proponuntur qua obscurae neque ad rem clare pertinentes ...

Ad pag. 15, lin. 25, post mansuetudinis, ponatur: modestiae et patientiae (cf. *Mt.* 13, 29) Christi sequentes. *Ratio*: opportunitas referendi exemplum Christi ad rem plene pertinens.

Après la pag. 15, lin. 30: supprimer les lignes 31 à 36 et les remplacer par le paragraphe ci après. *Ratio*: quia paragraphus proposita praebet conspectum historicum magis completum et aequilibratum.

« Sparsa autem Ecclesia intra limites imperii romani, per invictam fidei confessionem pretioso martyrum sanguine illustratam, civitatibus, necnon imperatoribus et praefectis romanis libertas conscientiae christianae ideoque humanae palam manifestata est.

Sic, iustificando et ampliando antiquitatis paganae praeclara libertatis testimonia, christiani omnibus hominibus verae libertatis religiosae exemplar protulerunt. In decursu autem ulterioris temporis praesertim postquam imperatores religionem christianam tamquam religionem reipublicae recognoverint, christiani non semper aliis illam libertatem tribuerunt quam pro seipsis iam primum vindicaverant. Faventibus autem peculiaribus circumstantiis in mundo occidentali, Ecclesia, boni communis causa, structuras temporales deficientes aut supplevit aut etiam, postquam instauratae fuerint, non solum imbuit sed etiam ad proprium usum adhibuit.

Crevit societas culturalis et politica quae in dies minus ac minus felicem influxum Ecclesiae recognoscere toleravit, dum e contra suum proprium finem iure explere cupiebat.

(Ex pag. 4, linn. 22 sq.). Revera saeculo decimo non pariter crevit infelix oppositio ex una parte inter societatem modernam quae in vindicanda libertate Ecclesiam respuit, et Ecclesiam ipsam quae, ex altera parte, in vindicandis iuribus Dei, Christi et hominis religiosi, aspirationes seu valores coaetaneorum respuere videbatur.

In hac contentione inter societatem modernam et Ecclesiam, quidam Christiani necessariam reconciliationem tentantes omnibus exigentiis veritatis, praesertim in ordine religioso, non satis consulentes periculo indifferentismi obnoxii fuerunt ».

Après ce texte nouveau, revenir au n. 2, pag. 4 et jusqu'au n. 9, pag. 12 avec les modi particuliers suivants:

Ad pag. 4, n. 2, linn. 20-31: deleantur et in eorum locum substituantur hae lineae: Insuper, grassante placito de absoluta autonomia individualis rationis humanae, floruit quaedam notio libertatis in qua latebat omnimodus relativismus in re religiosa. *Ratio*: nexus facilior ex praecedenti textu ad sequentem: « Hanc libertatis religiosae » etc. a pag. 4, lin. 31, ad pag. 5, lin. 12, inclusive.

Hic ultimus textus tamen cum istis duobus modis:

Ad pag. 4, lin. 39, loco cohaerebat, ponatur « coalescebat ». *Ratio*: expressio mitior videtur magis accommodata historiae factis.

Ad pag. 5, lin. 13 ad 38, deleatur. *Ratio*: nimis longus textus, non satis clarus, fortasse inutilis et exigentiis perspectivae historicae non consonans.

Deinde resumantur integre: pag. 5, lin. 39 ad pag. 6, lin. 4.

Ad pag. 6, lin. 5 ad 28, deleantur. *Ratio*: inutilis declaratio de veritate religionis quae omnino aliunde patet. Insuper hae sententiae difficile componuntur cum aliquibus eventibus historiae Ecclesiae. Retinere tamen oportebit declarationem pag. 6, lin. 18 ad 21, quae ulterius locum suum inveniet.

Deinde prosequatur pag. 6, lin. 29 ad lin. 42, cum duobus modis sequentibus: Ad pag. 6, lin. 33, « hodiernum » et linea 36 « hodierna » deleantur. *Ratio*: ne videatur declaratio opportunismo favere, quia libertas religiosa non ad tempus valet.

Ad pag. 6, lin. 37, post « personalem et civilem » dicatur: Declarat insuper haec Sacrosancta Synodus catholicam de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda (linn. ex pag. 6, 18-21).

Deinde deleantur lin. 37, pag. 6 ad lin. 42. *Ratio*: sic terminatur tota haec pars historica a declaratione explicita doctrinae traditionalis Ecclesiae de libertate religiosa. Quae declaratio in hoc loco maxime convenit per modum conclusionis.

Deinde prosequatur pag. 7, n. 4, cum modis sequentibus: ad n. 4, pag. 8, lin. 20, post verbum « conscientiam » addatur: « quam quisque sequi tenetur in omnibus ». Et in nota: cf. *Rom.* 14, 23, et S. Thom. Commentarium in hunc locum. Cf. etiam declarationem Episcoporum Tanganikae (*Doc. Cath.* 1961, col. 1396-1397) et Episcoporum Helvetiae (*Doc. Cath.* 9 déc. 1945).

Ad n. 4, pag. 9, lin. 7. Post verbum « Ipsa » addatur « potestas ». *Ratio*: claritatis causa.

Exinde n. 5. Limites libertatis religiosae, sine ulla mutatione.

Postea n. 6. Cura libertatis religiosae, cum modo sequenti: ad n. 6, pag. 10, lin. 11, post verbum « metum » addatur « directe vel indirecte ». *Ratio*: oportet rem explicitius proponere, ad vitandos abusus, in quantum fieri potest.

Deinde ponatur n. 7. Libertas communitatum religiosarum cum modis sequentibus.

Ad n. 7, pag. 11, lin. 8. Verba « Deum » ad « honoret » sic mutentur: « cultum suum agant ». *Ratio*: ut includantur etiam religiones quae Deum personalem non colunt: e. g. Buddhismus.

Ad n. 7, pag. 11, lin. 21. Post « communitates religiosas », deleatur « ius etiam habent » et lin. 23 addatur post « testanda » « legitimis exigentiis boni communis rite servatis ». *Ratio*: ius non existit sine relatione ad bonum commune in exercitio suo ...

Deinde nn. 8-9 sine ulla mutatione.

Postea: Modus ad titulum pag. 12. Titulus sic sonans IV. *Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis,* deleatur et in eius locum ponatur: *Libertas religiosa Ecclesiae ipsius. Ratio*: quia convenientior materiae tractatae.

Deinde n. 10, pag. 12, lin. 35 ad p. 13, lin. 28 ex suo loco translatae ut praecedenter dictum.

Ad n. 10, p. 12, lin. 25 ad 34, deleantur. *Ratio*: quia iam praecedenter aequivalenter dictum.

Deinde resumatur « Iuxta totam traditionem... » cum modis: ad n. 10, pag. 13, lin. 7, deleatur verbum « soli ». *Ratio*: ut vitetur sensus polemicus et ne ingrediamur problema de nuntio evangelico ab aliis christianis proclamato.

Ad n. 10, pag. 13, lin. 12. Deleantur verba « divinitus convocata ». *Ratio*: secunda pars huius alineae fundatur in conviventia sociali ergo non debet afferri argumentum ex revelatione.

N. 11 iam praecedenter adhibitum.

N. 12, pag. 14 ad pag. 15, lin. 30: iam praecedenter adhibitum.

Deinde: ad n. 12, pag. 15, linn. 31-36: deleantur hae lineae. *Ratio*: iam aequivalenter alibi dicta.

Deinde nn. 13, 14, prouti iacent.

[*Subscripserunt etiam*] P. Rougé, Ev. Nîmes; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli in Epiro.

29

Exc.mus P. D. EDUARDUS THOMAS BOZA MAZVIDAL

Episcopus tit. Vindensis, aux. S. Christophori de Habana

Meo humili iudicio, haec declaratio debet non tantum exponere principia et affirmare Ecclesiam catholicam hunc modum agendi sequi velle, sed etiam strenue petere ab omnibus ut haec religiosa libertas in toto orbe terrarum servetur.

Mihi videtur quod dum tam ingens numerus catholicorum gravissimas aerumnas et iniurias patiuntur religionis causa, schema prout iacet est nimis timidum in haec gravissima facta denuntianda et in remedium exigendum. Vere incomprehensibile esset omnibus si de hac re loquendo, in hoc puncto fere taceremus.

Propterea propono ut in conclusione, pag. 17, n. 14 emendatus sic dicatur: « Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere possint religionem private publiceque profiteri; patet etiam libertatem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari, quod laeto animo salutamus. Non desunt tamen regimina in quibus, etsi in ipsa eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem et periclitantem reddere. Propterea haec Sacra Synodus maximo cum dolore denuntiat quod in magna parte orbis haec libertas religiosa non existit, et in multis nationibus, praesertim in iis quae sub atheismo militante degunt et quae fere tertiam partem mundi constituunt, credentes multis modis persecuti et vexati sunt et a libero religionis exercitio impediti. Revera, ingens numerus Sacrorum Pastorum et sacerdotum, mortui, captivi, deportati, aut a sui ministerii exercitio separati sunt, idemque potest dicere de laicis christifidelibus.

Ecclesia catholica maxime curat de iure omnium hominum, etiam non catholicorum, in re religiosa, sed simul exigit et vindicat hoc ius pro seipsa. Ideo haec Sancta Synodus petit a coetu internationali Nationum Unitarum, qui hoc ius in declaratione Iurium Humanorum anno 1948 prolata recognoscit, ut exigat ab

omnibus supremis nationum moderatoribus ut ius ad religionem libere profitendam in tuto ponatur et in praxim deducatur ».

Sacra Synodus christifideles exhortatur et huius aetatis homines universos adprecatur ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis. Manifestum est enim cunctas gentes etc. usque in finem.

30

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Observatio generalis. Pro futuro valorem habebunt ea, quae et quo modo in decretis Concilii dicta erunt. Non est satis ergo aliquam quaestionem in relatione optime illustrare vel tempore disceptationum optimas observationes facere. Necesse est ipsum textum decreti satis amplum et clarum fieri.

Ad particularia. 1. Ad n. 1, in pag. 3-4. Quod et quo modo dictum est in fine pag. 3 et in initio pag. 4 verbis: « Quod quidem exercitium religionis agnoscitur liberum esse debere duplici sensu, ut scilicet in re religiosa nemo cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat, intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur », mihi videtur non esse satis clarum. Aliquis posset interpretare verba a me sublineata potestatem civilem absolutum ius et competentiam habere in rebus religionem spectantibus omnia, *normis iuridicis* determinare. Revera hodie in regionibus sub communismo atheo res religionem spectantes *normis iuridicis determinantur* tali modo, ut ex libertate religiosa nihil remansit. Mihi videtur hanc partem huius n. 1 alio modo exprimendam esse.

Propono loco verborum: « qui certa norma morali et iuridica determinantur » verba « in quantum hoc non offendit iura ceterorum civium et normas morales naturales » vel aliquem modum loquendi, quod excluderet competentiam auctoritatis civilis « normis iuridicis » res religiosas moderare et determinare.

2. Ad n. 3, in fine pag. 6 ad verba: « haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum » etc.

Omnia regimina, tam hodierna quam praeterita, principiis rationis humanae fulciuntur et fulciebantur. Quis tamen posset negare fuisse et esse regimina nequissima, erga religionem et libertatem religiosam inimicissima et iniustissima. Non negamus hodie dari gubernia civilia digna verborum textus schematis, esset tamen iniustum et realitati contrarius omnia gubernia et regimina iisdem verbis laudare.

3. Ad n. 4, pag. 7. Quae in hoc numero sub littera *a*) dicuntur, mihi videtur caute reexaminanda esse. Si verum esset quod et quo modo dicitur verbis: « Proinde in eius activitate aspectus socialis inseparabiliter connectitur cum aspectu interno », homo haberet absolutam et illimitatam libertatem externo modo omnia exprimere et exercere, quae intus latent. Hoc exprimitur ulterius in textu aliis verbis, nempe: « Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis ». Una et altera affirmatio non probatur et praesertim si secunda vera esset, omnes nostri conatus et consilia multa interiora domare, essent non

virtutes, sed vitium contra naturam. Quod non est clarum, paucum iuvat et ad libertatem religionis probandam et defendendam.

Mihi videtur, in nostro casu, i. e. libertatis religiosae procedendum ex eo esse, quod homo a Deo donatus capacitate suas relationes cum Deo intellectu percipere, voluntate accipere et desiderare et externo modo eas exprimere. Has suas relationes cum Deo potest et privatim et simul cum ceteris hominibus exprimere.

Essetne non satis in hoc numero retinere solummodo ea, quae sub littera *b*) dicuntur, omissis quae sub littera *a*) habentur?

4. Ad pag. 8, linn. 2-5, verba: « Actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret »... notandum est non semper esse idem actum exteriorem et actum socialem vel alio verbo, actum exteriorem non esse necessario actum socialem.

Sequitur: vel haec affirmatio in linn. 2-5 omittenda, vel non probatur, quod sequitur in linn. 6-7, quod ceterum non est consequentia dicti in linn. 2-5.

5. Ad pag. 8, sub littera *d*) loco verborum: « salvo ordine publico », propono verba « iura et securitas civium », quia « ordo publicus » est verbum ambiguum, sub cuius praetextu prohibentur omnia, quae gubernantibus non placent. Dantur mala in societate ex culpa gubernantium, quae sine aliqua perturbatione sic dicti ordinis publici aboliri nequeunt.

6. Ad pag. 9, in lin. 4 ad verba: « salvis tamen exigentiis ordinis publici », repetenda hic a me sub 5 scripta. Notandum est quasi semper et ubique, ubi fuerunt vel sunt prohibitae quaecumquae publicae manifestationes religiosae e. g. processiones, funeralia religiosa, benedictiones domorum, visitatio fidelium a sacerdotibus etc. gubernia antireligiosa usi sunt et utuntur hoc verbo « ordinis et securitatis publicae ».

7. In pag. 9, sub littera *b*) integra pericope est nimis vaga. « Normae iuridicae constitutae exigentiis ordinis publici », sine criterio seu norma superiori et hic a nobis in Decreto clare pronuntiando non possunt admitti uti fons et fundamentum illimitatae competentiae potestatis civilis. Potestas civilis est a Deo quantum a Deo, quantum cum Deo. Nonne secundum « normas iuridicas constitutas exigentiis ordinis publici » Christus crucifixus fuit, fuit edictum christianos esse non licere? Nostris temporibus destructio iudaeorum fuit, persecutio Ecclesiae fuit et continuatur semper secundum « normas iuridicas constitutas exigentiis ordinis » utique secundum iudicium auctorum normarum.

8. Quae habentur ulterius sub III (Consequentiae practicae) tunc et tantum stabunt, in quantum iuridice, logice firmum fundamentum ponetur in duabus prioribus partibus.

In genere, in textu schematis non probatur argumentis seu rationibus et principiis apodicticis, quod intendimus in hoc schemate probare.

31

Rev.mus P. D. IOSEPH BUCKLEY
Praepositus generalis Societatis Mariae

N. 1, pag. 3, lin. 20. Deleatur verbum « mere ». *Ratio*: ne ansa praebeatur ut quis suspicari posset Concilium docere Ecclesiam ius habere non catholicos coercendi in re religiosa.

N. 2, pag. 4, lin. 21. Post: considerari, *addatur novum alinea.* Profecto revoluta sunt tempora medievalia ubi lex universalis erat: « Cuius regio eius religio », non sine coactione et abusibus. Ecclesia hos abusus temporis praeteriti deplorat, et gaudet de novo aetate mundi, ubi conscientia magis personalis et adulta pro omnibus hominibus evadit (vel: promovetur). *Ratio*: 1. Ut dixit exc. Garrone, *mundus non credet nostrae sinceritati* si Ecclesia non se poenitet abusuum qui odium mundi excitaverunt, et nunc adhuc excitant. 2. Textus est valde unilateralis et partialis. Acerbe reprobat errores unius lateris, et tacet illos qui sunt ex latere Ecclesiae. Talis partialitas indigna est Concilii oecumenici et odium mundi excitaret.

N. 2, pag. 5, linn. 12 ss. Paragraphus, quae incipit « Utraque haec damnatio », de novo redigatur, his praesertim attentis considerationibus:

1. Phrasis « Utraque haec damnatio olim lata hodie manet integra et immutabilis » nimis severa est; dicatur potius: « Explicantur itaque damnationes olim latae ».

2. Post phrasim quae incipit: « Mutantur tempora et ideologiae » introducatur quaedam expressa agnitio mutationum temporis his vel similibus verbis: « Profecto revoluta sunt tempora illa quando vigebat universale principium: unum imperium, una fides, una lex. Ecclesia hos abusus temporis praeteriti deplorat, gaudet autem de novo statu rerum ».

3. Mentio de totalitarismo status hic omitti potest, quia de illo agitur postea in n. 14, pag. 17, linn. 20-25. Unde phrasis quae incipit per verba « Etenim his ... » cum phrasi sequenti quae incipit « Quod maius ... » supprimantur. Lin. 21 verbum « praeterea » consequenter omittendum esset.

4. Incisa lin. 23 seq. quae incipit per verba « e principiis » usque ad « sententia » (lin. 24) omittatur. Non enim perspicuum est et nimis apologetice sonat.

5. Est retinendum in hoc (novo) ordine « officiis teneri iuribusque gaudere ».

N. 3, pag. 6, linn. 5-28. Ista paragraphus deleatur. *Rationes*:

1. Non est hic locus in Declaratione de libertate religiosa. Etenim sola quaestio dogmatica, quae in hac materia oritur, haec est, utrum scilicet sub regimine libertatis religiosae, sensu hodierno intellectae, libertas Ecclesiae libertasque fidei et vitae christianae serventur integrae. Nulla est ratio cur de unica vera religione sermo fiat sollemnis.

2. Iam satis patet ex antecedentibus (pag. 4, par. 2), institutum hodiernum libertatis religiosae non proclamare indifferentismum religiosum neque ei favere.

3. Praemissa totius Declarationis est munus Ecclesiae honestae libertati humanae patrocinandi. Sumat igitur Declaratio exordium ab hoc munere.

4. Stylus huius paragraphi auribus hominis hodierni male quodammodo sonabit.

Ceteroquin incisum illud « Veritas enim evangelica ... per saecula protulit », locum aptiorem inveniet in pag. 12, post verba, « in tota activitate humana dirigenda ».

N. 3, pag. 6, lin. 33. Deleatur verbum « hodiernum ». *Ratio*: ne textus sic interpretetur ut eidem sic dictus « opportunismus » tribuatur.

N. 4, pag. 7, lin. 10: post « manifestationem » addatur « externam immo et socialem ». *Ratio*: ne saltetur passus — externus individualis — inter internum et externum socialem.

N. 4, pag. 8, lin. 20. Post verbum « conscientiam » addatur: « quam quisque sequi tenetur in omnibus ». Et in nota: cf. *Rom.* 14, 23, et S. Thom. Commen-

tarium in hunc locum. Cf. Etiam declarationem episcoporum Tanganikae (*Doc. Cath.* 1961, col. 1396-1397) et episcoporum Helvetiae (*Doc. Cath.,* 9 dec. 1945).

N. 4, pag. 8, lin. 20. Post verba supra proposita inseratur nova phrasis: « Hoc etiam valet pro iis qui inculpabiliter ad Dei cognitionem non perveniunt ». *Ratio*: ut explicite habeatur ratio etiam athearum.

N. 4, pag. 9, lin. 7. Post verbum « Ipsa » addatur: « potestas ». *Ratio*: claritatis causa.

N. 6, pag. 10, lin. 11. Post verbum « metum » addatur « directe vel indirecte ». *Ratio*: oportet rem explicitius proponere, ad vitandos abusus, in quantum fieri potest.

N. 10, pag. 12, lin. 30. Pro verbo « divina » legatur « sacra ». *Ratio*: verbum « sacra » videtur magis accuratum.

N. 10, pag. 13, lin. 7. Deleatur verbum « soli ». *Ratio*: ut vitetur sensus polemicus et ne ingrediamur problema de nuntio evangelico ab aliis christianis proclamato.

N. 10, pag. 13, lin. 12. Deleantur verba « divinitus convocata ». *Ratio*: Secunda pars huius alineae fundatur in conviventia sociali; ergo non debet afferri argumentum ex revelatione.

N. 12, pag. 14, lin. 33 s. Pro verbis « Iudaei pariter » scribatur « Auditores quidam Christi etiam talia ... ». *Ratio*: verbum « pariter » videtur ad Satanam se referre. Videtur formulatio quae Iudaeos laederet ex generalisatione minus accurata.

32

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS IOSEPH CABANA

Archiepiscopus tit. Caralliensis

[Misit opusculum Comitatus Episcopalis Internationalis seu coetus internationalis Patrum: *Super schema declarationis de libertate religiosa emendationes textus*].

33

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. Romanus

Schema declarationis *de libertate religiosa* in melius mutatum est; attamen non sufficienter solidis philosophiae et theologiae principiis innititur.

I. *De limite libertatis.* Ut limes libertatis religiosae ponitur in schemate ordo publicus servandus: dum ponendus est finis boni communis.

Quaestio enim agitur (in n. 1) de iure naturali, nam dicitur « verum ius in dignitate humana fundatum » et extenditur ad publicam professionem erroris. Ad quod dicendum est:

1. Verum quidem est societatem civilem non debere omnem professionem erroris impedire, ac proinde datur aliqua civilis libertas erroris. At haec libertas non oritur ex iure proprie dicto secundum naturam, quia non datur proprie ius ad aliquid malum et professio erroris numquam potest dici bona: ergo clarius

dicendum esset societatem non habere ius illud malum. Cum agatur de documento conciliari proprietas verborum servanda est.

2. In declaratione de libertate religiosa ius naturale de quo sermo est, extenditur pro individuis et etiam pro communitatibus non solum indeterminate ad professionem erroris, sed usque ad propagationem erroris, nec alius limes ponitur nisi quod servandus sit ordo publicus. Hoc autem admitti nequit, nam nihil agendum est nec a singulis nec a communitatibus quod sit contra bonum commune, saltem ex iure naturae. Ordo vero publicus servari potest etiam ubi aliquid fit contra bonum commune; nam bonum commune latius patet quam ordo publicus sicut in ipso schemate agnoscitur (n. 5 b). Repugnat autem quod habeatur ius naturale agendi contra bonum commune. Verum quidem est in eodem loco schematis dici quod ordo publicus est « illa pars boni communis quae committitur potestati publicae », sed hic est novus error, nam potestati publicae non committitur tantum pars boni communis sed totum bonum commune. Quae traditionalis doctrina docetur in Enc. *Pacem in terris* (*A.A.S.*, 55, p. 273).

Pariter Paulus VI limitem libertatis religiosae reponit in bono communi servando (*Radiomessaggio natalizio* 1964).

Unde cum aliquid fit contra bonum commune — etiam ordine publico servato — non fit ex iure naturali; et si permittatur, ut saepe permittendum est, permittitur ne maius malum sequatur vel ad maius bonum assequendum, secundum doctrinam explicite et accurate prolatam a Pio XII.

Primo: ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza né alla propaganda, né all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto (*A.A.S.*, 45, p. 799).

II. *De libertate Ecclesiae*. Bene asseritur libertas Ecclesiae etiam ex iure supernaturali (n. 10). Sed in eodem numero nihil dicitur de iure Ecclesiae sibi proprio, in quantum est vera religio et ius habet, ubi ut talis agnoscitur, ad specialem commendationem et protectionem, salvo iure super agnito, ceterarum communitatum. Non videtur Concilium Oecumenicum posse hoc praeterire silentio. Haec quidem omissio videtur causari ex alio errore quo dicitur in schemate competentia potestatis civilis restringi ad ordinem terrestrem (immo ad ordinem publicum) servandum (n. 4 e). Non ita docent RR. PP. Ioannes XXIII et Pius XII in locis supra citatis, non ita Leo XIII: Civilem igitur societatem communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates offerat. Quarum praecipua est ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt (*Immortale Dei*).

III. *De historia doctrinae*. Doctrina schematis declarationis *de libertate religiosa* non poterit — secundum supra dicta — haberi ut evolutio doctrinae Ecclesiae, sed eius eversio.

Quae dicuntur in n. 2 de quaestione historica non sunt veritati consona. Dicitur enim: 1. Libertas religiosa quam damnavit Ecclesia includebat laicismum, indifferentismum, relativismum; 2. Hodie persona facta est « totius vitae socialis fundamentum, finis, subiectum »; 3. Hodie Status debet civium iura tueri.

At dicendum: ad 1. Libertas quae damnata est v. g. in prop. 79 in *Syllabo* est libertas cuiusque cultus itemque plena potestas omnibus attributa quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi et damnatur quia *conducit* ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam. Unde non damnatur quia deducta ab indifferentismo sed quia ducit ad indifferentismum.

Ad 2. Persona humana in Ecclesia semper in honore fuit, sed veritati subiecta est, in qua est eius bonum et dignitas.

Ad 3. Status quidem iura naturalia civium tueri debet; at ius ad errorem diffundendum non est ius naturale.

Conclusio. Rogatur ut schema *de libertate religiosa* corrigatur antequam in IV sessione Concilii votis Patrum proponatur. Quatuor praecipue desiderantur.

1. Ubi invocatur ius naturae, non ponatur eius limes in solo ordine publico, sed in bono communi servando.

2. Ubi aliquid permittitur contra bonum commune, non invocetur ius naturale sed ratio maioris boni procurandi vel peioris mali vitandi.

3. Servetur legitimitas Status confessionalis et facultas specialiter iuvandi Ecclesiam.

4. Differentia quae invenitur in disciplina Ecclesiae relate ad libertatem religiosam explicetur ex prosecutione boni communis quod in quibusdam condicionibus melius obtinetur cum maiore libertate.

Condiciones indicari possunt: pluralismus opinionum, timor tyrannidis, et totalitarismi, facilior defensio veritatis per media pacifica.

34

Exc.mus P. D. IOANNES CAPOBIANCO

Episcopus Urbaniensis et S. Angeli in Vado

Schema *de libertate religiosa,* die 17 nov. 1964 in aula praesentatum, suffragationi Patrum subiectum non fuit.

Animadversiones relativae ante diem 31 ianuarii c. a. mittendae sunt. Itaque, iuxta humilem meam sententiam:

1. Schema propositum ab integro est reficiendum: *a*) quoad generalem structuram; *b*) quoad radicalem positionem quaestionis; *c*) quoad doctrinam fundamentalem eiusque argumenta; quae omnia mederi non possunt emendamentis singulis a Patribus Conciliaribus praesentatis.

2. Quoad haec singula emendamenta in textu introducenda, remitto ad ea quae Coetus internationalis Patrum (Iesus Torres, cmf, via Giacomo Medici, 3-5, Roma 856) in suis animadversionibus criticis typis impressis, notavit.

35

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

1. Adprobata et promulgata praesenti declaratione *de libertate religiosa,* quo iure urgere Ecclesia poterit suam praxim exigendi cautiones de universa prole catholice baptizandi et educandi, in matrimoniis celebrandis cum dispensatione super impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus?

Videtur enim contra ius naturale et divinum exigere ut proles baptizetur catholice et catholice educetur, si praesertim coniux acatholicus putet hoc promittere et facere non posse nisi agat contra conscientiam suam. Potest igitur Ecclesia velle ut quis contra dictamen conscientiae suae agat? Vel est damnanda Ecclesia eo quod hoc semper exegit et etiam in praesenti semper urget non tantum a parte catholica, sed etiam et praesertim a parte acatholica? Et quidem ad validitatem dispensationis sive pro mixta religione, sive pro disparitate cultus?

2. Doctrina libertatis religiosae — prout ex ista Declaratione exponitur — sub luce divinae revelationis seu iure divino positivo, videtur contradicere doctrinae L. R. ex ratione desumptae, seu iure naturali.

Nam pag. 13, linn. 4 ss. textus emendati dicitur: « Ecclesia sibi in societate humana ... *cui soli ex divino* mandato incumbit officium ut in mundum universum eat atque Evangelium praedicet omni creaturae ».

Si soli Ecclesiae incumbit officium praedicandi, soli ergo Ecclesiae ex voluntate Domini, ius libertatis agnoscendum erit; nam officio ius respondeat oportet. Ita saltem in thesi agnoscendum erit; in hypothesi autem poterit esse quaestio de tolerantia, sed tolerantia dico.

3. Eadem pagina, linn. 15-20, dicitur: « Iamvero ubi reapse ... quae *ei soli* ex mandato Christi committitur ».

Si ei soli — uti certe tenendum — ex mandato Christi committitur, ergo vestra argumentatio non concludit, seu sustineri non potest, quia tali regimini libertatis Ecclesia nullo modo potest dici obtinere condicionem iuris — quod ei soli debetur — et facti. Ius enim et officium *ei soli competit,* dum econtra in tali regimine libertatis eadem libertas agnoscitur et sectis et omnibus aliis religionibus falsis.

Concludendo: ex iure naturali non video difficultatem, sed ex iure positivo divino — saltem dico in thesi — soli verae Ecclesiae Dei competit ius libertatis. Quod si ipsa Ecclesia Dei praedicaret libertatem pro omnibus religionibus falsis et sectis, tunc, mihi videtur, se opponeret voluntati Christi et Dei: quod absit omnino.

Iterum: in thesi, seu per se, soli verae Ecclesiae Christi — Catholicae Romanae — ius libertatis competit; in hypothesi autem, seu de facto, a Statu etiam Catholico tolerantia admittenda.

Quod si quis dixerit hanc esse quaestionem tantum verborum, cogitet ille quod hic agitur de Documento tam Sollemni Concilii Oecumenici; pro quo documento nulla cautela superflua censenda est.

36

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Praenotandum. Adhaereo animadversionibus criticis contentis in opusculo, cui titulus: *Super schema declarationis de libertate religiosa animadversiones criticae* (*Patribus Conciliaribus reservatum*), cyclostylo editum cura « Coetus Internationalis Patrum », seu — quod idem est — « Comitatus Internationalis Episcopalis »: quod opusculum, commoditatis causa, adnectitur.

Hic quaedam puncta enucleantur aut ex professo adduntur.

Iudicium generale. Schema non placet, attenta eius structura: scil. attentis principiis quibus innititur nec non dispositione materiae. Plura quoad substantiam non placent; quaedam placent iuxta modum. *Ratio* huius iudicii generalis: Totum schema ita conceptum apparet ut sic dictum « hodiernum regimen libertatis religiosae » sequatur illudque *canonizet*; et, quod peius est, ita se gerit ac si velit doctrinam et praxim hucusque ab Ecclesia habitam veluti iustificare ac purgare coram moderna ratione cogitandi et agendi. Hic modus agendi schematis non potest admitti quia:

a) pragmatismum et naturalismum quemdam sapit: pragmatismum quidem, nam theoriam libertatis religiosae fundat super id quod *hodie* et *communiter* ab hominibus fit; naturalismum vero, nam caret afflatu supernaturali et pastorali. Vix differt a declaratione O.N.U.; et tamen pro Ecclesia, pro Concilio Oecumenico non potest non agi de ea tantum libertate « qua nos Christus liberavit »!

b) gratis praesupponit hodiernum « regimen libertatis religiosae » univoce sumi, quoad rem, apud omnes; tamquam immutabile concipi; fundari ubique super eadem principia, et talia principia quae possint ab Ecclesia probari;

c) ignorat actuale « regimen libertatis religiosae » fundari plus minusve in laicismo, indifferentismo religioso vel agnosticismo.

Modus quo schema procedit posset forsan tolerari in sede apologetica; non potest autem admitti in Concilio Oecumenico, cuius est enuntiare principia immutabilia et aeterna, ea desumendo e sinu divinae Revelationis et magisterii ecclesiastici, deinde — quatenus opus sit — ea corroborare argumentis ex ratione naturali desumpta, denique descendere ad applicationes practicas. Et sic, sponte sua, a posteriori facile erit iudicare utrum hodiernum regimen libertatis religiosae conforme sit necne principiis doctrinae catholicae, in quibus conveniat, in quibus vero discrepet.

Minime placet quod schema e doctrina Magisterii pontificalis ea tantum seligat quae ad thesim quandam convalidandam videantur conferre, cetera penitus ignoret aut in notis releget.

Illud quoque improbandum censetur quod in assignandis limitibus manifestationis exterioris libertatis religiosae derelinquatur traditionalis notio « Boni communis » (quae tamen habetur in laudatissima Enc. *Pacem in terris,* v. g. « morali ordine *communique omnium utilitate* servatis », *A.A.S.,* 1963, p. 260) et introducatur notio « *ordinis publici* »: quae notio est nimis vaga, cum differat apud canonistas et civilistas, immo non constans sit apud ipsos civilistas; immo valde periculosa, cum practice derelinquat auctoritatibus civilibus statuere quisnam sit in concreto ordo publicus pro hac vel illa natione, pro hoc vel illo tempore.

Iuxta opinionem meam declaratio, *quod formam* deberet: esse praecisa, completa pariterque valde concisa: prout decet naturam sollemnis declarationis supremae Auctoritatis Ecclesiasticae; omittere quae essentialia non sunt: v. g. longum excursum historicum n. 2; continere quae omnino certa sunt, et in pacifica possessione Magisterii et quidem valida pro omnibus locis et pro omnibus temporibus.

Quoad *materiae distributionem* sic mihi videtur declaratio facienda:

A) Breve prooemium, in quo exponantur rationes cur Concilium Oecumenicum suum esse censeat doctrinam catholicam exponere circa libertatem religiosam. Quae rationes ad has reduci possunt: *a*) necessitas illuminandi fideles et extraneos circa hoc problema quod tangit directe doctrinam Ecclesiae catholicae; *b*) id multum conferre potest ad pacem inter homines fovendam; *c*) id potest vires addere illis hominibus bonae voluntatis qui hodie student iustam ac rectam libertatem religiosam in toto mundo diffundere (quaedam habentur in n. 1); *d*) proh dolor hodie in non paucis locis plurimi homines per nefas privantur tali libertate (quaedam habentur in n. 14).

B) Detur genuina notio libertatis religiosae, eam desumendo non quidem ab hodierno sic dicto « regimine libertatis religiosae », sed eam desumendo a divina revelatione, per rationem corroborata. Agitur enim non de quacumque libertate religiosa, sed de ea quam Paulus VI vocat « *giusta e bene intesa* libertà religiosa » (Alloc. Natalitia 1964). Omnino ergo necessarium est declarare et statuere omnia principia quae habentur de hac re in doctrina catholica, cum omnibus distinctionibus: *a*) libertas religiosa *in foro interno* (libertas conscientiarum); *b*) libertas religiosa *in foro externo,* cum subdistinctionibus 1) exercitii privati et 2) exercitii publici, quod dispescitur tripliciter: individuale, familiare, collectivum (ecclesiale, communitarium, associativum stricte sumptum);*c*) libertas religiosa pro vera Religione, et pro falsis; *d*) pro unoquoque puncto seu typo exponatur doctrina tenenda, afferantur argumenta ex divina revelatione et ex ratione; deinde bene assignentur limites, si qui sint, exercitii horum diversorum typorum libertatis, indicentur tituli quibus legitime fundantur, et declaretur auctoritas a qua recognoscendi sint. Nam evidenter tituli et limites non possunt esse iidem pro unoquoque typo libertatis religiosae.

In particulari. Afferuntur quaedam animadversiones particulares ad singulos numeros schematis.

N. 1. Descriptio rerum status hodierni est valde imperfecta, et in pluribus discutibilis. Talis positio quaestionis non videtur admittenda praesertim quia proficiscitur ex mera situatione facti, et collocatur in mero plano iuridico, et quidem iuris positivi civilis.

Pag. 3, lin. 1. In titulo dicatur: « Libertatis religiosae *apud hodiernos* generalis ratio », quia revera subsequens tractatio non exponit quaenam sit « in se » generalis notio libertatis religiosae, sed qualis hodie communiter accipiatur. Unde quaestio praeliminaris: estne necessarium et conveniens ut Concilium exponat quid sentiant homines de libertate religiosa? Nonne melius diceret quid ipsum sentiat de hac re? Suam propriam doctrinam habet Ecclesia: non indiget mutuare ab extranea.

Pag. 3, lin. 7. Loco « potestatis publicae » dicatur « potestatis *civilis* » quia etiam Ecclesia est potestas publica.

Pag. 3, linn. 14-18. Sic emendatum legatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, *in vera iustitia* et in dignitate humana fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut *etiam verum* ius civile evadat ». *Ratio* additamentorum:

a) Nisi textus aliquoties saltem mentionem faciat de « iustitia », idest de elemento necessario obiectivo, quo solo verum ius stat et constituitur, positivismus iuridicus, pluries ab Ecclesia damnatus, non sufficienter vitatur.

b) Textus enim agit fere semper de mero « iure civili », quod perperam confundit cum « iure legali ». Haec autem confusio radix est et origo totius positivismi iuridici. Ius enim, sicut ait Leo XIII, est facultas moralis quam absurdum est existimare veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datum (*Libertas praestantissimum*).

Pag. 4, lin. 4. Loco « intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur » dicatur « intra limites qui certis ac iustis normis determinantur ». *Ratio*: non videtur bonum in hac positione quaestionis statim affirmare quae sit natura concreta harum normarum: sufficiat pro nunc dicere quod debeant esse normae certae et iustae.

Pag. 4, lin. 10. Auferantur verba « quae nostra aetate generatim agnoscitur », quia continent iudicium historicum, a quo Concilium abstinere debet, ne argui possit de errore historico.

Pag. 4, lin. 11. Loco « nullatenus significatur hominem » dicatur: « nullatenus *per se* significatur hominem ». Secus affirmatio contradiceret historiae. Nonne v. g. in URSS libertas religiosa significat hominem emancipari a Deo?

Pag. 4, lin. 13 s. Ob supradictam rationem ita legatur: « *Non enim persona* humana falsum ac verum *potest* aeque aestimare, *neque* arbitrario statuere valet utrum, *aut* in qua religione *aut* quanam ratione Deo servire velit, *sed* ipsi officium incum*bit* sibi efformandi veram de rebus religiosis sententiam ».

N. 2. Totus hic numerus mihi videtur omittendus quia: *non* est *necessarius*: non enim ad Concilia spectat texere historiam doctrinarum, quae est res facti. Immo id contradicit naturae propriae « declarationis », quae est concinnitas expositionis; *non* est *opportunus*: legenti enim videtur excusatio quaedam non petita, ergo accusatio manifesta, quasi revera adsit in Ecclesia mutatio doctrinae et aptatio eiusdem variis situationibus historicis. Relinquatur, quaeso, theologis in sua propria sede demonstrare doctrinam a Concilio Vaticano II statuendam non contradicere doctrinae praecedentium Pontificum; est *discutibilis*: estne enim completus, exactus iste excursus historicus? Ne Concilium sese exponere velit criticae virorum in re historica peritorum! Ipsis relinquatur munus conficiendi excursus historicos in suis libris! Unicuique suum.

Pag. 5, lin. 39. Loco « Cum historiae decursu igitur exorta est nova quaedam quaestio de libertate religiosa » esset melius dicendum: « Cum historiae decursu igitur exort*us* est nov*us* *qui*dam *modus proponendi quaestionem* de libertate religiosa ».

N. 3, pag. 6, linn. 5-8. Affirmatur: « Haec sacra Synodus... exponere intendit quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat ». At Concilium non vocatur praecise ad iudicandum de hodierno regimine, quasi istud regimen sit ubique idem et sit in se constans iisdemque fulciatur rationibus. Ergo dicatur: « haec sacra Synodus... exponere intendit quid *de libertate religiosa Ecclesia catholica* sentiat ».

Pag. 6, lin. 20. Loco « nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita

religiosa ducenda » dicatur: « nullatenus adversari *iustae ac rectae* libertati humanae et civili etc. ». *Ratio*: habentur quaedam formae libertatis civilis quae non sunt iustae neque rectae, proinde non possunt ab Ecclesia admitti.

Pag. 6, lin. 25. Loco « quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem... in re religiosa... » dicatur: « quatenus *ex divina revelatione et* ex *ipsa humana ratione* depromitur, *iustam ac rectam* libertatem civilem in re religiosa etc. ». *Rationes*: *a*) in primis ex divina Revelatione Ecclesiae doctrina promanat; *b*) Ecclesia non qualemcumque, sed iustam tantum ac rectam, libertatem civilem in re religiosa sustentat ac commendat.

Pag. 6, linn. 29-42. Totum hoc longum comma videtur supprimendum quia: *a*) « canonizat » actuale regimen civile libertatis religiosae, illudque declarat in se honestum ac vere necessarium ad custodiendam hodie dignitatem hominis et personalem et civilem. At quaeritur: spectatne ad Concilium promere talia iudicia, cum res de qua agitur non sit bene definita, neque eadem apud omnes, neque iisdem principiis fulcita?

b) Nimis praepropere affirmatur hodiernum regimen iuridicum libertatis religiosae principiis rationis humanae fulciri ideoque esse absolute probandum; nimis asseveranter dicitur esse vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem personalem et civilem, quasi non sit possibile aliud regimen aeque iustum ac hodiernum, quasi hucusque dignitas personalis et civilis incustodita fuerit!

c) Affirmatur denique libertatem religiosam esse verum ius « in ipsa dignitate personae humanae fundatum ». Esto. Sed quid sit in concreto ista dignitas, de qua saepe saepius fit sermo in declaratione, et quae hic commemoratur veluti unicum fundamentum libertatis religiosae, nullibi explicatur: unde remanet aliquid vagum et confusum, ad instar cuiusdam « slogan »! Si enim intelligitur « dignitas » in linea ontologica, tunc haec qualitas numquam amitti potest, nulla proinde indiget custodia ex parte hominis. Si vero ponitur in linea « morali », tunc haec dignitas resultat ex adhaesione vero et bono: et sic ius libertatis religiosae, quae in « regimine » hodierno non fundatur super hanc adhaesionem vero et bono, careret suo genuino fundamento!

Quod si comma linn. 29-42 manere debet, saltem emendetur et ordine magis logico redigatur, hunc fere in modum: « Affirmat insuper haec Sacra Synodus libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa *morali* dignitate personae humanae *atque in iustitia* fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae poss*int* sibi legitime vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus *agnoscit* regimen iuridicum libertatis religiosae, *apud permultos populos hodie vigens, in quantum* principiis *rectae* rationis fulciatur *et cum divina Revelatione concordet,* esse honestum et *aptum* ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ».

N. 4. Totus hic numerus laborat vitio fundamentali quod non distinguat religionem veram a falsis, conscientiam veram ab erronea, conscientiam sinceram (vel, ut alii dicunt, rectam) ab insincera: iamvero pro istis diversissimis casibus non potest statui unica regula.

Circa *a*), linn. 1-15, pag. 7 haec notantur: argumentatio nimis probat, quia ex se excluderet quamcumque separabilitatem inter actum internum et actum externum, quemcumque interventum, etiam legitimum, auctoritatis civilis in publico

exercitio actuum externorum. Quod praesupponit absentiam peccati originalis eiusdemque sequelarum in homine actuali, ideoque sapit optimismum rousseaunianum. Praecise ex natura sociali hominis, e contra, deducitur quod non semper singulus homo possit ac debeat actum exteriorem ponere!

Unde iam principium propositum in schemate habet suos limites intrinsecos. Proponimus ergo emendatum comma, atque ordine magis logico digestum: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis *intime* connectitur cum aspectu interiore. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaer*ens,* et *per se* ad duo simul spect*ans*: nempe, ad libertatem interiorem seu conscientiae, et *ordine morali communique bono servatis,* ad liberum exercitium *externum* religionis. Ideo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem religiosam agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium *illegitime* deneget *aut coarctet* ».

Circa *b*), pag. 7, linn. 16-30 haec notantur: *a*) affirmatur nimis generali modo esse hominis officium quaerendi veritatem: quod non facile admittitur de quacumque veritate, v. g. de veritate scientifica. Restringatur ergo affirmatio ad solam veritatem religiosam, de qua una Concilium agere debet.

b) Ex iure inquirendi veritatem logice non consequitur ius, absolute affirmatum in schemate, libere exponendi suas persuasiones de re religiosa, quaecumque demum sint, etiam falsae et malae.

Unde, ut vitentur paralogismi, comma sic emendandum censeo: « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem *in re religiosa.* Veritatem autem quaerere, eique iam inventae firmiter adhaerere tenetur humano modo, libera scilicet inquisitione atque assensu personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur *ordinarie* et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem inter homines, in qua alii aliis exponunt veritatem. Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut *illegitime* non impediantur in suis *investigationibus* de re religiosa, *etiam per* dialogum, *peragendis* ».

Circa *c*), pag. 7, lin. 31 - pag. 8, lin. 8 haec notantur: etiam hic deprehenditur illegitimus transitus ex libertate actuum internorum ad omnimodam libertatem actuum externorum. Unde negandum est quod actus religionis interiores « sua ipsorum indole » debeant prodire in actus exteriores: hoc pendet potius a natura sociali hominis, non autem ab indole propria actus religionis.

Linn. 2-8 pag. 8 sic emendatae proponuntur: « Actus autem religionis interiores, *attenta* natura sociali hominis, in *legitimos* actus exteriores prodeunt. Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in ( ) religione externe exercenda immunis *esse debeat,* ab *iniusto impedimento sive legali sive sociali* ».

Circa *d*), pag. 8, linn. 9-29 haec adnotantur: pag. 8, lin. 11: post vocabulum « universalis » addatur cum textu priore: « Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte et vere cognoscendam ut se libere ei conformare valeat ». *Ratio* additamenti: obligatio moralis sibi efformandi conscientiam veram praecedit, immo legitimat, iura conscientiae invincibiliter erroneae. Ergo de hac obligatione schema omnino silere non potest.

Pag. 8, lin. 26. Verba « salvo ordine publico qui partem essentialem totius boni communis constituit » non placent quia sunt nimis scholastica, immo insufficientia. Ergo aut comma legatur generali modo (postea in n. 5 explicando): « ... quominus legitime agat in re religiosa secundum suam conscientiam. Quae quidem exigentia est prorsus etc. ». Aut dicatur: « quominus agat in re religiosa secundum

suam conscientiam, *ordine quidem morali communique bono servatis.* Quae quidem exigentiam est prorsus etc. ».

Circa *e*), pag. 8, lin. 30 - pag. 9, lin. 10 haec notantur: cum totus n. 4 consecretur « fundamentis » libertatis religiosae, scil. radicibus ex quibus primordialiter ipsa oritur, comma *e*) quod inscribitur « moderatio civitatis » est extra locum suum. Nam ista moderatio non potest vocari radix et fundamentum ex qua oritur libertas religiosa; est potius unus ex limitibus libertatis exercitium definientibus. Unde comma *e*) expungendum est e n. 4 et collocandum sub n. 5 *b*).

Pag. 9, lin. 1. Loco « Potestas ergo publica » dicatur: « Potestas ergo *civilis* ».

Pag. 9, lin. 3. Loco « nequit pariter publicum religionis exercitium coercere » dicatur: « nequit pariter *externum* religionis exercitium coercere ». *Ratio*: « externum » latius patet quam « publicum ».

Pag. 9, lin. 4. Loco « salvis tamen exigentiis ordinis publici » dicatur: « salvis tamen exigentiis *ordinis moralis* atque *boni communis* ». *Ratio* iam est dicta: est omnino insufficiens notio ordinis publici.

Pag. 9, lin. 5. Loco « Libertas debet homini agnosci » dicatur: « Libertas *in re religiosa* debet homini agnosci ». *Rationes*: *a*) hic agimus de sola libertate religiosa, non de alia; *b*) libertas religiosa habet, natura sua, aliquid speciale, cum directe ordinetur ad Deum colendum.

Pag. 9, linn. 8-10. Haec propositio mihi videtur magis logice ponenda in lin. 1, immediate post verbum « extenditur ». Est enim consectarium logicum et immediatum illius principii, quod competentia potestatis civilis restringitur ad ordinem terrestrem ac temporalem. Ergo propositio mutet locum et sic legatur emendata: « Ipsa *civilis potestas competentiam* suam exced*eret,* si in regimen *aut curam* animarum sese quovis modo immisc*eret* ». Melior est forma hypothetica quam indicativa.

N. 5, pag. 9, linn. 12-15. Non ius ad libertatem, sed potius eius externum exercitium limitatur. Unde sic emendetur textus: « *Exercitium externum iuris* ad libertatem in re religiosa, cum in societate humana *exerceatur,* quibusdam normis limitantibus *necessario* obnoxium est ».

Pag. 9, linn. 22-38. Totum hoc comma mihi videtur penitus retractandum, postquam ei unitum fuerit comma pag. 8 sub *e*). *Ratio*: arbitrarie schema limitem normae iuridicae ponit in sola observantia ordinis publici. Qui ordo cum tandem aliquando constituatur per ipsam auctoritatem civilem, porta aperitur abusibus legalibus et subiectivismo: fieri enim potest ut alicubi vocetur « ordo publicus » quod e contra vera iniustitia sit. Auctoritas civilis debet munire normis iuridicis exigentias ordinis moralis ac boni communis: quae exigentiae sunt supra ipsam auctoritatem, cum constituant aliquid vere obiectivum.

Quae in linn. 29-39 exponuntur circa « ordinem publicum » tamquam partem essentialem boni communis, commissam potestati civili ut praecipue vi coercitiva legis protegatur, sunt omnino nova. Perperam exc.mus Relator in pag. 28 affirmat: « Hanc doctrinam exposuit Pius XII in allocutione *Ci riesce,* 6 dec. 1953, *A.A.S.,* 45 (1953), p. 797, ubi dicit exercitium religionis immune esse debere ab interventu status, nisi legibus poenalibus determinatae civitatis contradicat ». E contra, in praefata allocutione Pius XII semper loquitur de ordine morali et de bono communi, numquam de « ordine publico » et de illo triplici interventu auctoritatis civilis, quem habet schema in linn. 34-38. Pius XII hypotizat — *sed*

minime approbat — normam iuridicam, quae probabiliter statuetur a Communitate Statuum: « Secondo le probabilità e le circostanze, è prevedibile che questo regolamento di diritto positivo verrà enunciato così: Nell'interno del suo territorio e per i suoi cittadini ogni Stato regolerà gli affari religiosi e morali con una propria legge; nondimeno in tutto il territorio della Comunità degli Stati sarà permesso ai cittadini di ogni Stato-membro l'esercizio delle proprie credenze e pratiche etiche e religiose, in quanto queste non contravvengano alle leggi penali dello Stato in cui soggiornano ». Post talem statum quaestionis quaerit Pius XII: « Per il giurista, l'uomo politico e lo Stato cattolico sorge qui il quesito: possono essi dare il consenso ad un simile regolamento, quando si tratta di entrare nella Comunità dei popoli e di rimanervi? ». Et respondet: « Innanzi tutto occorre affermare chiaramente: che nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, qualunque sia il loro carattere religioso, possono dare un mandato positivo o una positiva autorizzazione d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla *verità religiosa* o al *bene morale* ». Addit tamen quod in determinatis circumstantiis potest, immo debet, « non impediri » idest « tolerari » id quod est erroneum et falsum. Et subdit formulam tolerantiae religiosae et moralis validam pro Communitate Statuum: « Primo: ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza né alla propaganda, né all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (*A.A.S.*, 1953, pp. 798-799).

Ergo doctrina schematis in hac re valde mutilat, ne dicam pervertit, doctrinam Pii XII, ad quam in relatione appellat!

N. 6. *In genere.* Ubi legitur « potestas publica » melius esset dicere « potestas *civilis* ». *Ratio* iam est allata.

Pag. 10, lin. 8. Loco « ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter rationes religiosas » dicatur: « ne civium *iura* in ordinatione iuridica *civili* laeda*n*tur *sub praetextu* religioso ». *Rationes*: *a*) dicitur « iura », quia non datur vera et stricta « aequalitas » civium: iustitia enim est « unicuique *suum* reddere », minime vero « unicuique *aequale* reddere »; *b*) additur « civili » quia praecise de hac ordinatione iuridica agitur; *c*) dicitur « sub praetextu », quia proprie non potest vocari « ratio ».

Pag. 10, lin. 11. Loco « per vim vel metum » dicatur: « per vim vel metum *aliave* iniusta media ». Nam praeter vim et metum sunt alia media iniusta.

Pag. 10, lin. 15. Loco « quando vis adhibeatur » dicatur generaliore modo « quando *medium iniustum* adhibeatur ».

Pag. 10, linn. 22-27. Totum hoc comma « Quo magis enim... Eiusque sanctam voluntatem » auferendum censeo quia ea quae continet non possunt affirmari nonnisi de una vera religione et de una Ecclesia catholica. Tali sensu loquitur Leo XIII citatus in nota 26. Ergo talis affirmatio non potest adduci in favorem libertatis pro omnibus indiscriminatim religionibus.

N. 7, pag. 11, lin. 4. Verba « tum ipsius religionis » (quae recte deerant in textu priore) sunt auferenda: religio enim ex se, natura sua, non est necessario socialis. Utique potest esse talis in religione positiva.

Pag. 11, lin. 15. Loco « actione administrativa status » dicatur generaliore modo « actione administrativa *auctoritatis civilis* ».

Pag. 11, lin. 18. Loco « cum auctoritatibus religiosis » dicatur « cum auctoritatibus *vel communitatibus* religiosis ». *Ratio* est evidens.

Pag. 11, lin. 23. Post verba « docenda atque testanda » addatur haec necessaria limitatio: « , servato tamen ordine morali atque bono communi ». Secus affirmatio non esset vera et probanda.

Nn. 8-9, pag. 12, lin. 4. Loco « utpote quae est societas proprio iure gaudens » dicatur: « utpote quae est societas proprio *ac primordiali* iure gaudens ».

Pag. 12, lin. 10. Loco « a publicis potestatibus » legatur: « a *civilibus* potestatibus ».

Pag. 12, lin. 11. Loco « vera cum libertate » dicatur: « vera *ac plena* cum libertate ».

Pag. 12, lin. 19. Auferenda censeo, ob rationem iam dictam sub n. 7, verba « atque in ipsa natura religionis ».

Pag. 12, lin. 21. Post verba « salvis iuribus aliorum » addatur: « nec non ordine morali ac bono communi servatis ».

N. 10, pag. 12, lin. 31. Loco « quantam salus hominum curanda requirat » dicatur: « quantam salus *supernaturalis* hominum curanda requirat ». *Ratio* claritatis, relate speciatim ad auctoritates civiles.

Pag. 12, lin. 36. Loco « iidem contra Deum faciunt » dicatur: « iidem contra Deum *et contra officium* faci*a*nt ». *Rationes*: *a*) additamentum « et contra officium » — quod habetur in citato textu Leonis XIII, minime est superfluum, praesertim pro illis auctoritatibus quae Deum aut negant aut neglegunt; *b*) dicitur « faciant » loco « faciunt » ratione rectae latinitatis.

Pag. 13, lin. 13. Loco « quorum omnes et singuli », ratione bonae latinitatis, dicatur « *qui* omnes et singuli », vel « *cuius* omnes et singuli *fideles* ».

Pag. 13, linn. 16-20. Totum comma: « Iamvero ubi reapse... committitur » omittendum censeo, quia continet iudicium historicum quod non respondet omnino veritati historicae.

Pag. 13, linn. 23-28. Loco « Concordia igitur datur inter libertatem, quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia postulat pro omnibus hominibus et communitatibus ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum » dicatur: « Concordia *tamen* datur, *etsi titulis et limitibus diversis,* inter libertatem quam Ecclesia sibi *ex* mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia *agnoscit* omnibus hominibus et communitatibus *esse tribuendam* ». Sine propositis additamentis et omissionibus affirmatio schematis non potest admitti: Ecclesia enim traderet seipsam si recognosceret falsis religionibus *verum* ius ad *indiscriminatam* libertatem.

N. 11, pag. 13, lin. 33. Loco « neminem tamen » dicatur « neminem *proinde* », quia ista immunitas a coactione est consequentia (« proinde ») responsabilitatis, non autem limitatio (« tamen »).

Pag. 13, lin. 34. Sermo est de fide « catholica »; in lin. 35 et in pag. 14, lin. 6 de fide « christiana »; in linn. 3 et 4 pag. 14 de fide sine addito. Adhibeatur eadem terminologia. Ego optarem « fidem » sine addito.

Pag. 14, lin. 1. Legitur: « nisi Pater traxerit eum et rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium ». Ponuntur duae condiciones, quarum prior, nisi recte explicetur, videretur auferre libertatem actus fidei. Unde dicerem potius sic: « nisi Pat*ri* trah*enti ipsum* (*Io.* 6, 44) rationabile liberumque prae*stet* fidei obsequium ».

Pag. 14, linn. 3-5. Totum comma « Unde etiam sequitur quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis » auferendum censeo. Agitur enim de consequentia quae non invenitur contenta in verbo Dei et a Patribus constanter praedicata (pag. 13, lin. 30). Affirmatio potest habere duplicem significationem: admissibilem (cum explicatione) unam, inadmissibilem alteram. Fides est actus internus, essentialiter, qui a nullo homine potest directe attingi, neque a diabulo: « coacta voluntas semper voluntas est »!

Pag. 14, linn. 8-11. Totum comma « Ideo in regimine... in hac materia observantur », supprimendum censeo quia: *a*) minime cohaeret cum praecedentibus istud iudicium historicum; *b*) canonizat vagum illud (atque arbitrarie praesuppositum ut univocum, universale et perenne) « regimen hodiernum libertatis religiosae »; *c*) non est undequaque verum quod in sic dicto « regimine libertatis religiosae » hodie observentur omnes exigentiae doctrinae catholicae!

N. 12. Est numerus infelicissime compositus. Dolendum vehementer est quod in textu Concilii proponatur exegesis biblica tam unilateralis et tam ridicula. Totus numerus est radicitus reficiendus.

Pag. 14, lin. 12. Loco « Libertas religiosa, prout hodie intelligitur » dicatur: « *Iusta et recta* libertas religiosa altas radices habet in verbo Dei ». *Ratio*: nos agimus hic de libertate religiosa « giusta e bene intesa » (ita Paulus VI), non de ea quae hodie intelligitur, in qua inveniuntur quaedam (v. g. principia) ab Ecclesia catholica minime admittenda.

Pag. 14, lin. 14. Loco « Libertas quam Christus praedicavit » dicatur: « Libertas quam Christus *eiusque apostoli* praedicav*erunt* ». *Ratio* est evidens.

Pag. 14, lin. 18. Loco « Libertas autem religiosa a societate postulata » dicatur ob rationem supra allatam: « *Iusta* autem *ac recta* libertas religiosa ( ) innititur *etiam* in dignitate personae etc. ». Dignitas enim personae humanae non est neque unicum neque primarium fundamentum libertatis religiosae.

Pag. 14, lin. 25 ss. Legitur: « discipulos allexit quidem et invitavit, numquam vero coegit (*Mt.* 4, 19; 11, 28-30; 19, 16-22; *Io.* 6, 68) ».

Quid haec ad rem nostram, quae est de libertate religiosa? Nihil prorsus! Textus allati canunt extra chorum. V. g. *Mt.* 4, 19 agit de speciali vocatione ad apostolatum; *Mt.* 11, 28-30 non agit de vocatione ad fidem; in *Mt.* 19, 16-22 habentur duo « si vis », sed primum est obligatorium (« si vis ad vitam ingredi »), alterum est facultativum (« si vis perfectus esse »); in *Io.* 6, 68 minime significatur quod sit moraliter liberum abire ab Iesu!

Ergo totum hoc comma, utpote impertinens, supprimatur.

Pag. 14, lin. 27 - pag. 15, lin. 11. Totum hoc longum comma pariter expungendum censeo quia non est ad rem de libertate religiosa. Insuper quae ibi dicuntur falso nituntur praesupposito, quod scil. miracula fidem coactam seu necessariam aliquo modo efficiant. E contra, sollemne est in Theologia motiva credibilitatis, etiam splendida, doctrinam revelatam non reddere evidenter veram, sed tantum evidenter credibilem: unde libertas actus fidei semper manet salva ex eius obiecto formali, scil. ex auctoritate Dei revelantis.

In particulari, citati loci *Mt.* 12, 38-39; *Io.* 6, 30-33 et 2, 18 minime probant Iesum consulto prodigia illa patrare iterum iterumque renuisse, quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur; id unum probant Christum noluisse patrare *ea* miracula quae Iudaei petebant, sed *ea* quae ipse volebat (« et signum

non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae », *Mt.* 12, 39; « Ego sum panis vitae... et panis quem ego dabo caro mea est », *Io.* 6, 35. 52; « solvite templum hoc et in triduo reaedificabo illud », *Io.* 2, 19).

In lin. 36 legimus: « Respuit prodigia illa quae violentiam redolerent » et citatur *Lc.* 9, 54-56. Atqui ille textus demonstrat Christum respuisse prodigia quae *vindictam* saperent, sed nihil de libertate in credendo.

In pag. 15, lin. 4 legimus: « Christus semper fuit ille perfectus Servus... traxit ad seipsum ». Sed quid haec ad libertatem religiosam demonstrandam? Prorsus nihil! Christus ille mitissimus dixit aliquando « qui non crediderit et baptizatus fuerit condemnabitur »!

Pag. 15, lin. 32. Verba « hodie aucto in hominibus sensu propriae dignitatis », supprimantur quia sunt iniuriosa, quasi Ecclesia libertatem religiosam antehac negaverit et hodie concedat solummodo quia in hominibus auctus est sensus dignitatis personalis! Legatur ergo textus sic emendatus: « Iuxta mentem ergo Christi eiusque principia agit Ecclesia quando *iustam ac rectam libertatem religiosam* tuetur, eique favet pro pastorali sua erga *homines* sollicitudine ».

N. 13, pag. 16, lin. 7. Citatio desumpta ex *1 Tim.* 2, 1-4 non videtur interrumpenda quia verba omissa (« pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate ») respiciunt relationes inter Ecclesiam et civiles potestates.

Pag. 16, lin. 25. Legimus « quibus ipse Dominus unus est ». Quid significant ista verba? Forsitan: « quarum auctor idem est Dominus »?

N. 14, pag. 17, linn. 20-25. Haec verba quae agunt de persecutionibus religiosis sunt nimis blanda et vaga. Fortior exigitur condemnatio, virilior protestatio: certe non fideliter reddunt realem situationem dimidiae fere partis mundi!

Pag. 17, lin. 31. Loco « quantopere libertas religiosa necessaria sit » legatur: « quantopere *iusta ac recta* libertas religiosa necessaria sit ».

Pag. 18, lin. 6. Loco « diligenter servato regimine libertatis religiosae in societate » dicatur: « diligenter servato *iusto ac recto* regimine libertatis religiosae in societate ».

N.B. - Misit etiam opuscula: 1. *Super schema declarationis de libertate religiosa animadversiones criticae.*

2. *Comitatus episcopalis internationalis seu Coetus internationalis Patrum. Super schema declarationis de libertate religiosa emendationes textus,* quibus se adhaerere declaravit.

Illis item se adhaerere declaravit exc.mus P. D. Albertus Castelli, arch. tit. Rhusiensis.

37

EXC.MUS P. D. IACOBUS VINCENTIUS CASEY
Episcopus Lincolnensis

Schema novum declarationis *de libertate religiosa* mihi valde placet, et enixe rogo ut methodus secundum quam declaratio nunc procedit immutata retineatur.

Similiter mihi placet structura generalis declarationis quae retinenda est, nempe

doctrina de iure hominis ad libertatem religiosam et concordia huius doctrinae cum principiis fidei.

Generatim mihi placet expositio conceptus libertatis religiosae, et laudanda est norma qua libertas religiosa limitatur. Mihi videtur quod ordo publicus, minime bonum commune, hac in declaratione retinenda est tamquam norma limitationis.

38

EXC.MUS P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Observationes generales.

1. *Doctrina schematis non est plene adhuc elaborata; sed, e contra, immatura, partialiter tantum vera.*

a) Certe, antea in hac re attentio potissimum dirigebatur ad iura Dei et Ecclesiae, et etiam ad bonum commune societatis, et minus ad hominis dignitatem. Nunc autem, fere tantum haec dignitas prae oculis habetur, et de facto in penumbra, ne dicam in obscuritate, manent Dei et Ecclesiae iura. Ecclesiae iura, prout hic exponuntur, eadem omnino sunt ac cuiuslibet coetus religiosi, perinde ac si Christus nullam specificam ei dedisset potestatem, nam quae Ecclesia facere potest, potest etiam quaelibet alia religio iam existens aut quae in posterum a quolibet visionario condatur.

Utique, humanae naturae iura vindicanda sunt, sed non ita ut Dei Ecclesiaeque iura obnubilentur.

Quidquid sit de iuribus *putativis* seu *subiectivis* hominis, scilicet fundatis tantum in conscientia invincibiliter erronea et in humana dignitate, certe certius *obiective* tantum Deus et Christus ius habent, ut religio ab Eo revelata praedicetur et propagetur ab Ecclesia.

Inde infertur Ecclesiae iura, non esse eadem ac iura cuiusvis religionis, sed Ecclesiam habere ex una parte eadem iura subiectiva ac aliae religiones; ex alia parte ipsam tantum habere verum ius obiectivum, fundatum in rei veritate.

Quomodo autem componuntur iura obiectiva societatis ad bonum commune, quod certe impeditur per propagationem erroris, et iura obiectiva Dei Ecclesiaeque ut tantum vera religio propagetur, cum iuribus subiectivis hominum? Hoc in schemate non bene videtur, sed ius putativum aut subiectivum personae humanae omnino praevalet supra iura Dei, Ecclesiae societatisque,

b) Alia adhuc remanet quaestio gravis. Illa iura putativa seu subiectiva personae humanae, suntne vera et propria iura, stricte loquendo, ad religionem externe *propagandam,* an tantum ius non stricte dictum, et indirectum, scilicet, ius ad tolerantiam, et ad hoc ut non puniantur propter illam religionem obiective falsam sed sine dolo acceptatam ex errore?

Doctrina traditionalis Ecclesiae semper docuerat agi non de vero, stricto et directo iure, sed de *tolerantia.* Et ita videtur sustinendum, nam nullum adest verum obiectivum fundamentum, sed tantum subiectivum, nempe conscientia erronea.

2. Inde fluit alia consideratio. *Videntur esse in schemate nonnullae contradictiones.* Prima haec est:

a) In n. 2, pag. 5, linn. 23-24 affirmatur principia Ecclesiae circa hanc quaestionem « semper eadem manere in suo sensu et in sua sententia ». Sed e contra, doctrina quae proponitur omnino componi non potest cum principiis traditionalibus Ecclesiae circa hanc rem, iuxta quae, persona humana in errore manens inculpabiliter, non habet ius strictum et directum, sed tantum improprie dictum et indirectum, nempe, ad tolerantiam, quibusdam conditionibus positis.

Hoc semper Pontifices docuerunt. Undecim tantum abhinc annis, Pius Papa XII in alloc. *Ci riesce* expresse hac de re loquens coram Unione Iurisperitorum Italicorum (cf. *A.A.S.,* 45, p. 794 ...) expresse et modo contundenti hanc doctrinam clare et firmiter adhuc docebat: « Nulla auctoritas potest dare (mandatum aut potestatem docendi aut agendi contra veritatem) quia est contra naturam hominis voluntatem ac spiritum cogere ad errorem aut malum ... Nec ipse Deus potest mandatum positivum aut positivam facultatem huiusmodi dare, quia hoc contradiceret Eius absolutae veracitati ac sanctitati ». Post haec loquitur de « tolerantia » aut de « non impediendo aut reprimendo » errore, proponendo eamdem doctrinam Ecclesiae traditionalem quam sui proposuerant antecessores.

Immo, nuperrime, Summus Pontifex, feliciter regnans Paulus PP. VI, in nuntio radiophonico ante diem natalem Domini, eandem doctrinam exposuit. Loquens « de iusta et bene intellecta libertate religiosa », dixit hanc in eo consistere ut aliorum religiones *tolerentur,* dummodo non sint contra bonum commune, aut non velint cogere alios ad finem libere non acceptatam, aut cives discriminationi subiicere vel iniuste vexare. (Ad litteram non affero verba, quia *A.A.S.* cum textu officiali nondum accepi.)

Haec est doctrina traditionalis et vera, in qua caritas servatur et nihil veritas patitur.

Quae dicantur in schemate contra hanc Pauli VI doctrinam, nullo modo meum suffragium obtinere poterunt.

Nec licet ad evasionem recurrere per sic dictam legem continuitatis et legem progressus. Verus progressus esse debet, ut in schemate affirmatur, talis ut doctrina semper « maneat in suo sensu et sua sententia ». Ideo, dum adsit vera et substantialis mutatio in doctrina, tantum loqui fas est de lege traditionis ... et de lege contradictionis.

Dici posset forsan, ad criteria disparia concordanda, illis in locis, ubi pluralitas religiosa datur, ad pacem et caritatem et pacificam civium coexistentiam tutandas, plenam et mutuam tolerantiam, ideoque libertatem religiosam, esse aliquid omnino necessarium, ideoque devenire posse verum et strictum ius positivum; sed semper hoc ius, coram Deo et lege aeterna erit aliquid non directe volitum et praeceptum, sed indirecte tantum permissum et « toleratum ».

b) Alia contradictio in eo est quod modo absoluto et sine ulla distinctione affirmatur libertatem religiosam esse « unam, indivisam, indivisibilem » et « ad duo simul spectare: nempe, ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis » (pag. 7, n. 4, litt. a). Sed paulo infra statuuntur limites libertatis religiosae in societate. Quomodo haec inter se componi possunt? Certe, non clare apparet in schemate.

3. Tandem, *omnino approbari non possunt quae dicuntur in cap. IV circa doctrinam de libertate religiosa sub luce revelationis.* Silentium absolutum adest circa textus non paucos *V. T.* in quibus reges populi electi qui publicum ministerium prophetarum falsorum et falsorum deorum cultum prohibebant, omnino lau-

dantur; et, e contra, ipsi boni reges nonnumquam exprobrantur eo quod tales prophetas toleraverint et idola ac « excelsa » non abstulerint. Cf. v. g. *3 Reg.* 22, 44; *4 Reg.* 12, 3; *ibid.*, 14, 4; *ibid.*, 15, 35; *2 Par.* 20, 33; *ibid.*, 31, 1; etc. Immo, laudatur Elias eo quod prophetas Baal occidi iusserit, post obtentum ignem a Deo pro sacrificio.

Si libertas religiosa esset ius strictum et verum ex rei natura, nonne potius in sacris paginis laudandi essent reges qui libere cultum a Deo prohibitum permittebant, et vituperandi qui reprimebant? De his omnibus nec verbum dicitur in schemate.

Non ignorandum est, profecto, nos esse nunc, non sub lege timoris, sed amoris et pacis; attamen, non licet praeterire Vetus Testamentum et dicere ea quae certe cum eo componi nequeunt.

Relate ad *Novum Testamentum,* textus qui citantur, tantum probant spiritum Novae Legis non esse spiritum violentiae sed amoris et pacis. Sed, num inde infertur ius *propagandi* falsam religionem esse verum et strictum ius naturale?

Quod dicitur Christum « consulto prodigia illa patrare iterum iterumque renuisse quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur » ineptum omnino est. Talis interpretatio est sine fundamento theologico, inconsistens in traditione patristica et puerilis.

a) *Sine fundamento theologico,* quia signa seu miracula non tollunt libertatem actus fidei, nam rem non faciunt intrinsece evidentem, sed evidenter credibilem.

b) *Sine consistentia in traditione patristica.* Quis unquam Sanctus Pater talem interpretationem proposuit?

c) *Puerilis.* Nonne multa alia fecit Iesus miracula quae omnino Christi missionem probabant, quorum vim adversarii evertere non potuerunt, ut sanatio caeci nati, Lazari resurrectio etc.? Nonne in uno ex textibus in schemate allegatis (*Mt.* 12-39) quando Iesus renuit facere signum quod petebant scribae et pharisei, nuntiavit eis signum maximum, nempe suam resurrectionem?

Unde concludo: necessarium omnino est ut hic textus omnino reficiatur et ita exaretur ut cum traditionali Ecclesiae doctrina componi possit.

Etiam ego diligo libertatem quam maximam; sed libertatem quae cum veritate, scilicet, cum verbo Dei revelato et cum Ecclesiae doctrina traditionali componi possit.

In praxi, cum doctrina de tolerantia, maxime si interpretetur iuxta spiritum oecumenismi et verae caritatis christianae, amplissima libertas obtineri potest pro omnibus. Nulla adest necessitas *gravissimum vulnus infringendi magisterio RR. Pontificum,* qui uno ore tolerantiam permittunt in quibusdam adiunctis, sed verum et strictum ius naturale absolutum propagandi errores religiosos non admittunt. Si vera est doctrina Pauli VI in textu supra allegato, doctrina schematis circa libertatem religiosam, non est nec « iusta » nec « bene intellecta ».

Animadversiones particulares.

1. In omnibus paginis: ubi dicit « textus emendatus », dicatur « textus novus ». Nam: *a*) Textus prior 271 lineas habebat; ille autem qui dicitur emendatus, 556. *b*) De priore textu tantum 35 lineae remanserunt. *c*) Structura argumenti, fundamenta quaedam allata, omnino nova sunt.

2. In pag. 10, lin. 22 s. usque ad finem, deleantur. Argumentum quod affe-

runt pro libertate religiosa est contradictorium ... « Quo magis societas civilis suppeditat conditiones ad *veritatem* divulgandam ... ». Sed libertas religiosa omnimoda, cum omnibus religionibus inter se oppositis concedatur, non suppeditat conditiones ad veritatem, sed ad *errorem* divulgandum.

3. De cetero, adhaereo emendationibus particularibus propositis in fasciculo adnexo, quatenus componi possint cum iis quae hucusque dixi.

* * *

Misit etiam opusculum Comitatus episcopalis internationalis: *Super schema declarationis de libertate religiosa emendationes textus.*

39

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CIFUENTES GÓMEZ
Archiepiscopus Serenensis

I - *Libertatis religiosae generalis ratio.*

1. Rerum status hodiernus. Cum agatur de descriptione, ut ita dicamus, historica circa libertatem civilem et religiosam hodierno tempore habitam, nihil maioris momenti in hac prima schematis parte observandum ducimus.

Declaratio, quae in pag. 6 apparet, nobis videtur cum vera Ecclesiae doctrina consonans, quatenus « affirmat et docet, iuxta constantem Ecclesiae doctrinam, non liberum esse unicuique hominum quam quisque maluerit sequi in vita religiosa sententiam, sed unam religionem veram esse ... ».

Sed tamen schema sententiam sustinere videtur omnino Ecclesiae doctrinae oppositam, si « Fundamenta libertatis religiosae » perpendimus iuxta textum emendatum, in pag. 7 (*supra*) insertum:

a) *Integritas personae.* « Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget. Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae ... Libertas religiosa est una, indivisibilis ... et ad duo simul spectat: nempe ad libertatem interiorem seu conscientiae, et ad liberum exercitium religionis ». Ut ex terminis transcriptis patet, in eodem iuridico ordine constituuntur veritas atque error in re religiosa, cultus externus verus et cultus falsus. Quod quidem tamquam aperte absurdum et doctrinae catholicae tam philosophicae quam theologicae contrarium habendum est. Error enim ius non habet ut diffundatur atque exterius in vulgum proferatur. Aliud est falsitatem vel errorem in foro conscientiae intimae concludere, et aliud in lucem pandere, cum periculo vel damno veritatis vel boni communis. Plane concedere non licet personae quae falsae religioni adhaeret, ius ut illam publice profiteatur. Tolerari quidem potest, iuxta normam a Pio XII statutam, decem abhinc annis (Allocutio ad iurisperitos). Quae tolerantia omnino differt a libertate proprie dicta, cuius restrictionem affert intra limites ad veritatis et communitatis tutamen convenientes. Libertas ut religio falsa in publico profiteatur, idem est ac si libertas concederetur ad damnum inferendum iis qui in possessione veritatis inveniuntur, propter imminentia pericula contra fidem ex « proselytismo » praeconiorum seu oratorum provenientis.

Prae oculis habenda est damnatio a Pio IX facta in *Syllabo* (8 dec. 1869) doctrinae quae tenet: « Liberum cuique hominum esse eam amplecti et profiteri religionem quae rationis lumine quis ductus veram putaverit ». Etiam Leo XIII sententiam improbat, utpote virtuti religionis contrariam, eorum qui asserunt: « Integrum cuique aut quam libuerit aut omnino nullam profiteri religionem » (ut illam libertatem tueantur) « uti loquuntur, cultus » (*Libertas,* 20 iun. 1888, *A.S.S.,* 20, p. 603). Ad rem Ioannes XXIII: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut Deum ad rectam conscientiae suae normam venerari possit, et religionem privatim (et) publice profiteri » (Litt. Enc. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963, *A.A.S.,* 55, p. 279). Recta autem conscientia ea est quae obiectum sicut in se est repraesentat, atque aeternae Dei rationi conformatur, quae summa regula est omnium humanarum actionum (S. Lig., *Lib. I,* n. 3).

b) *Inquisitio veritatis,* p. 7. Tanquam idoneum medium ad veritatem, etiam religiosam inquirendam, ab schemate recursus suadetur hic, non ad verum et authenticum Ecclesiae magisterium, sed ad magisterium in genere, id est quodlibet, etiamsi errori sit obnoxium; quod certe non congruit cum recta norma de hac re, ab eodem schemate prius statuta, quando, scilicet « Munus Ecclesiae describit » (pag. 16, *in medio*).

Ad « dialogum » quod attinet, qui etiam a schemate commendatur, curandum est ne laudabile propositum dissidentes fratres ad veram fidem adducendi, in attenuationem aut imminutionem veritatis deflectant. Ea ratione « dialogus » adhibendus est, ut fidei catholicae doctrina ita abunde et nitide exponatur, ut dubia, ambiguitates atque errantium mentes, veritatis splendore illustrentur.

7. *Libertas communitatum religiosarum,* pag. 11. « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda ... ». Quod tantum valet pro religiosis communitatibus veram religionem sectantibus, salva tamen praescripto canonis 1385-1, n. 2, de censura praevia pro « scriptis in quibus aliquid sit quod religionis ... particulariter intersit ». Necnon et praescripto canonis 1386 circa Ordinariorum consensum quem petere tenentur clerici saeculares et religiosi, ut possint libros « edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere ... ».

Ad religiosas communitates quod attinet falsam religionem sectantes, Ecclesia prohibet ut edantur « libri quorumvis auctorum haeresim vel schisma propugnantes » can. 1399, n. 2.

8. *Libertas religiosa familiae,* pag. 12. « Parentibus autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae liberis tradendae ». Cui declarationi opportunum ducimus ac necessarium addere: « salvo praescripto canonis 1374 pro pueris catholicis educandis, qui prohibentur « scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent », frequentare.

12. *Doctrina Evangelica,* pag. 14 et 15. Multa praeclare et pulchre dicuntur de Christi Iesu humilitate et mansuetudine; cuius exemplum sequentes Apostoli, « omnibus spretis armis carnalibus », verbum Dei praedicaverunt ... Commissio tamen prae oculis non habuit severas Divini Magistri sententias adversus eos qui fidem veritatibus Evangelii praestare renuerint: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit ... salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). « Qui non est mecum contra me est » (*Mt.* 13, 30). « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus »

(*Mt.* 18, 17). Et Paulus Ap.: « Ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem » (*2 Tim.* 3, 8).

Quam severitatem erga eos qui verae fidei obsistunt vel ab illa defecerunt, Ecclesia merito exercet, graves adversus eos poenas statuens. Ita, e. g., vi canonis 2314-1,n. 1. « Omnes a christiana fide apostatae et singuli haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem ». Aliis etiam congruis poenis a Codice Iuris Canonici plectuntur qui quomodolibet deliquerint contra fidem et Ecclesiae unitatem (cf. canns. 2315, 2316, 2317, 2318). Numquid praefatae poenae vi carent hodierna nostra aetate, in qua magis magisque in dies crescit socialis conscientiae de dignitate, integritate atque immunitate humanae personae, sicut in schemate magna cum emphasi proclamatur?

Quoad cap. 14. Conclusio, pag. 17, id tantum suadere opportunum putamus ut omne periculum confusionis aut erroris arceatur in definitivo textu, et clare appareat non quamlibet sed tantum legitimam religionis libertatem a Sacra Synodo patrocinari.

Schema *de libertate religiosa,* in suo generali aspectu perpensum, nimis benignum videtur atque « indifferentismo » religioso et liberalismi philosophici principiis favens, quatenus non raro in textu ius postulatur ad religiosam libertatem indiscriminatim sumptam, quasi talis libertas absoluta conditio esset aut praerogativa a personae humanae dignitate hodiernis temporibus efflagitata.

Schema, praeterea, defectu confusionis atque incohaerentiae laborat: aliquando enim, praecipue in prima « Declarationis » parte, veram de libertate religiosa doctrinam profert; aliquoties tamen, velut in suis locis notavimus, a recta sententia aberrat, quando, scilicet, religiosam libertatem, prout in litterali textu apparet, pro omnibus religionibus indiscriminatim vindicat.

Fortasse huius schematis moderatores arbitrati sunt hoc benigno modo dissidentes fratres facilius allici posse ad veram fidem quaerendam et amplectendam. Vanum quidem et fallax propositum. Regressus enim aut ingressus ad solam et veram Ecclesiam fieri debet ianuis apertis, ante nitidam et integram catholicae fidei veritatem, absque ulla cum errore concomitantia aut conventione. Ita, et non aliter optatus finis obtinebitur, quia veritatis splendor per se valet erroris tenebras dissipare atque obumbratas mentes illuminare. E contra, si eo consilio ut acatholici ad veram fidem convertantur, Ecclesia videatur in propria sua doctrina haesitans aut imminuta, aut cum errore conveniens, non quidem aestimationem sed potius dissidentium fratrum despectum sibi concitabit.

Ut melius atque efficacius ad veram fidem prosequendam dissidentes excitentur, ante omnia opus est orare atque indesinenter pro hac intentione orare, quatenus sine divino iuvamine, nihil fructuose facere dabitur (*Io.* 15, 15). Etiam B.mae Virginis Mariae mediationem deprecare oportet, Cui Ecclesia in sua Sacra Liturgia cum laetitia et fiducia decantat: « Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo ». Deinde, expedit veram doctrinam accurate atque integro modo exponere, atque errantes firmiter ac suaviter redarguere. (Quoad publicas cum acatholicis disputationes, cf. can. 1325-3). Ad quod multum « dialogus » valebit, iuxta normas a Pont. Paulo VI statutas in Litt. Enc. *Ecclesiam Suam* (6 aug. 1964) Ita, ad veram fidem amplectendam dissidentes efficaciter allicientur, atque errantes oves ad ovile adducentur, iuxta Divini et Supremi Pastoris optatum: « Unum ovile et unus pastor » (*Io.* 10, 16).

Ex iis quae de hoc schemate succincte exposuimus, logice inferimus « Schema

de liberate religiosa » breviari atque ad id tantum reduci posse, quod sit opus ad veram atque authenticam doctrinam declarandam, scilicet, uni et soli verae Ecclesiae Christi competere religiosam libertatem absolute sumptam, semper et ubique terrarum, quatenus ipsi tantum ius et officium et Divini Fundatoris mandatum commissum est: « Docete omnes gentes ... » (*Mt.* 28, 19); « Praedicate Evangelium omni creaturae ... » (*Mc.* 16, 15).

Ad ceteras religiones quod attinet, Ecclesia, pro locorum et personarum adiunctis, censet eas tolerari vel permitti posse, remoto periculo damni suaeipsius et boni communis.

Ergo remanere in schemate oportet « Declaratio », (3), pag. 6, in sua prima parte. Item, quae in pag. 12 exponuntur in n. 10, in cap. cui titulus « Libertas Ecclesiae ». Etiam cap. 13, pag. 15, 16 et 17, ubi « Munus Ecclesiae » describitur. Atque alia etiam pauca ad rem pertinentia vel utilia, eo emendato modo prout significavimus, cf. pag. 11 (*in fine*), et 12 (*supra*).

Cetera aut redundant, aut catholicae Ecclesiae doctrinae adversantur, praecipue ea quae liberalismi principiis, aut « indifferentismo » religioso aut falsis religionibus quomodolibet favent; quapropter omittenda esse arbitramur.

Quod in Statuum iuridico civili regimine libertas fulciatur diversarum religionum, ob rationes obvias, explicatur quidem, quamvis id omnimode laudabile non videatur. Sed nullo pacto expedit ut vera Christi Ecclesia, magistra, depositum, nuncia et tutamen veritatis, in conciliari declaratione stabiliat eamdem pro omnibus religionibus libertatem, contra ipsius Ecclesiae naturam, atque eiusdem authenticam et constantem de hac re tanti momenti doctrinam.

[*Subscripserunt etiam*] P. A. Fariña, ep. tit. Citharizo; A. Mery B., arch. tit. Fasi.

40

Exc.mus P. D. IOSEPH CIRARDA LACHIONDO

Episcopus tit. Drusilianensis, aux. Hispalensis

1. N. 1, lin. 14. Dicitur: « ... in *dignitate* humana fundatum... ». Dicatur: « ... in *persona* humana *eiusque* dignitate fundatum... ». *Ratio*: dignitas est qualitas. Fundamentum vero radicale libertatis religiosae est libertas ipsa personae, seu in eo quod persona sit sui iuris. Quod personalitatem ipsam constituit, et non est tantum qualitas. Qualitas dignitatis, praesertim supernaturalis, auget valorem personae indeque valorem eiusdem libertatis. Libertas tribuit personae humanae specialem dignitatem (cf. Leo XIII, *Libertas,* in initio).

2. N. 1, linn. 15-16. Dicitur: « ... in iuridica et politica *compositione* societatis... ». Dicatur: « ... in iuridica et politica *ordinatione* societatis... ». *Ratio*: « Compositio » societatis est expressio inusitata, et magis sapit aspectui physico, quam aspectui indolis moralis de eo quod debet fieri per actus humanos in ordinanda vel structuranda societate.

3. N. 1, linn. 1-5, pag. 4. Dicitur: « ... duplici sensu, ut scil. ... determinantur ». Addatur: « ... determinantur; et ut persona humana gaudeat illis conditionibus vel mediis in quibus hanc immunitatem seu libertatem religiosam in actum redigi possit ». *Ratio*: Textus schematis enim offert tantummodo notionem

mere negativam, ita ut appareat tum in textu tum in relatione (pag. 37) tantum exclusionem omnis coercitionis.

Libertas autem, etiam religiosa, sicut et omnes aliae libertates in societate civili, aliquid etiam positivum exigit, scil. libertatem positivam seu libertatem in actum redigendi id ad quod libertas negativa recognoscitur. A. v.: non tantum quod persona sit immunis a coercitione vel prohibitione, sed etiam quod *effective* possit agere, indeque quod dentur *conditiones et media* positiva in quibus possibile sit attingere illud bonum ad quod ius immunitatis statuitur in iure.

Exemplum: v. g. ordinatio iuridica recognoscit quod omnis cives libertatem habet in automobile vias percurrendi. Hoc tamen nihil est si, insimul, ipse machinam automobilisticam obtinere non potest, quia nec in natione fabricantur, nec licentiam ipsam importandi ei recognoscitur.

Eodem modo: libertas religiosa (immunitas) nihil esset, si insimul ordinatio iuridica societatis, quatenus ex se est, non tribuit conditiones sociales-iuridicas ut positive cives possit vitam religiosam exercere.

4. N. 1, pag. 4, lin. 9. Dicitur: « ... Per *hanc* igitur *iuridicam* libertatis religiosae notionem... ». Dicatur: « Per *hoc* igitur *ius* libertatis religiosae, *quod* nostra aetate ». *Ratio*: schema stat in plano philosophiae iuris, i. e. in notione quae ingredi debet in ordinatione iuridica; non autem in plano ordinationis iuridicae. Unde notio philosophica iuris, *non notio iuridica,* danda est.

Notio in philosophia iuris est valorativa et statuit id quod in ordinatione iuridica debet esse; notio autem iuridica est illa quae iam ingressa est in ordinatione iuridica, indeque est notio scientifica, avalorativa nisi in alteriorem planum philosophiae ascendatur. Ita saltem est modus habitualis loquendi.

5. N. 2 (Quaestio historica). Id quod in hoc numero dicitur verum est. At ut iudicium et ut explicatio historica est insufficiens.

Recte ut dicatur quod dicitur de placito philosophico rationalistico. At, stat etiam placitum theologicum-philosophicum ab auctore Lamennais saec. XIX sustentatum et a Magisterio Ecclesiae sancitum in enc. *Mirari vos,* 15 augusti 1832 a Gregorio XVI.

Unde, ita proponimus textum:

Dicitur: « Nitebatur in placito rationalistico... subiicitur. Ex hoc placito philosophico derivata est quaedam notio libertatis religiosae, in qua omni modo relativismus atque indifferentismus in re religiosa latebat. Hanc libertatis religiosae notionem eiusque praemissam philosophicam Ecclesia reprobavit. Componi enim non potest notio haec cum dignitate humana, quae maxime consistit in eo, quod homo, ad imaginem Dei factus, Deum vivum et verum cognoscat eique soli serviat ». Dicatur: « Nitebatur vel in placito rationalistico... subiicitur vel in alio placito philosophico theologico. Ex his placitis derivata est... Hanc libertatis religiosae notionem eiusque praemissas Ecclesia reprobavit. Componi enim... soli serviat, vel cum providenti consilio Dei de vita et historia hominum ».

Addimus « vel cum providenti consilio Dei de vita et historia hominum », quia traditionalismus rigidus abstracte non repugnat et esse potuit, sed non fuit in historia.

6. N. 2, pag. 5, par. 2, lin. 30. Dicitur: « Itemque in luce ponitur hominem, prout est persona, officiis teneri iuribusque gaudere... ». Dicatur: « Itemque in luce ponitur hominem prout est persona, libertate praedita, officiis teneri iuribusque gaudere... ». *Ratio*: addimus « libertate praedita » ut expresse appareat ratio

specifica propria. Etenim ratio propria libertatis religiosae est in libertate physica (seu ut alii hodie malunt appellare « psychologica »), vi cuius unusquisque homo propriam decisionem religiosam personaliter seu a seipso sumere debet, quin valeat decisio coacta vel ab aliis facta.

Est natura sua inalienabilis et indelegabilis (in adultis). Non decet ergo ut haec ratio omnino in toto schemate sileatur.

7. N. 2, pag. 5, par. 3, lin. 40. Dicitur: « Cum historiae decursu igitur exorta est *nova quaedam quaestio* de libertate religiosa ». Dicatur: « ... novus quidam status quaestionis de libertate religiosa ». *Ratio*: ita accuratius res exprimitur. Est enim novus modus proponendi veterem quaestionem.

8. N. 3, pag. 6, linn. 20-21. Dicitur: « ... nullatenus adversari libertati *humanae* et civili... ». Dicatur: « nullatenus adversari libertati personali et civili... ». *Ratio*: etiam libertas civilis est humana. Quod schema intendit dicere est de non incompatibilitate inter doctrinam catholicam de unica religione revelata et vera et libertatem qua persona gaudet personaliter et gaudere debet civiliter.

9. N. 3, pag. 6, par. 2, linn. 32-33 et 36. Dicitur: « ... declarat regimen iuridicum *hodiernum* libertatis religiosae... in societate hodierna... »: ... hodiernum... ... hodierna... *supprimantur*. *Ratio*: bene est quod in lin. 7 dixit « de hodierno libertatis regimine » quia immediate initium huius numeri 3 venit post quaestionem historicam. Attamen hic non bene est ut loquatur de « hodierno », etenim agitur de iudicio doctrinali, post argumentationes philosophico-theologicas, indeque de iudicio quod valet pro omnibus hominibus omnibusque communitatibus religiosis (linn. 40-41, *ibid.*). Nec ullum argumentum datur in schemate, ex quo deduci possit quod regimen libertatis sit « vere necessarium... in societate *hodierna* ». Omnia argumenta allata sunt pro societate simpliciter, i. e. pro omni societate quia « in ipsa dignitate personae humanae fundatum » (*ibid.*), et non in aliqua « *hodierna* dignitate » personae.

10. N. 4, pag. 7, *a*). Dicitur: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde... ». Dicatur: « Homo, qui persona est *libertate praedita,* natura sua est socialis. Proinde... ». *Ratio*: *a*) quia libertas personalis est totum fundamentum primum et specificum insimul cum natura sociali. Quod tamen etsi implicite libertas in personalitate contineatur, bene est ut exprimatur.

b) Ut in principio ex quo deducuntur conclusiones (« Proinde », « Ergo »), appareat expresse fundamentum conclusionum. Postea enim loquitur de « interiorem... libertatem » et de « libero in societate exercitio ». Parallelismum ergo servetur: libertas interior = *libertas personae*; libertas in societate = quia libertas personae *socialis*.

11. N. 4, pag. 7, *a*), lin. 8 s. Dicitur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat... » etc. Dicatur: « Hoc modo violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectat... ». *Ratio*: doctrina quae intenditur vera est. At nimis rigide et absolute exponitur. Principium enim ita exponi debet, ut eiusdem formulatio iam praevideat limites, quae postea sub n. 5 exponuntur.

Iamvero, postquam iam sufficienter in lineis praecedentibus locutum fuit de nexu inseparabili inter aspectum socialem et aspectum interiorem, indeque de

libertate interna religiosa deque exercitio in societate, iterum et adhuc fortius dicitur et quidem terminis inversis de nexu inter interioritatem et manifestationem socialem quod est « omnino indissolubilis », indeque libertas religiosa esse « una indivisa et indivisibilis ».

a) Ex quo sequeretur quod auctoritas numquam posset dissolvi vel dividere manifestationem socialem (i. e. prohibere), etsi perniciosam, etenim nexus est « omnino indissolubilis », est « indivisibilis ».

b) Principium hoc de indivisione et indivisibilitate et indissolubilitate inter libertatem interiorem et eiusdem manifestationem socialem contradicit principio posteriori ipsius schematis asserentis: 1. « potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » (pag. 8, sub *e*); 2. « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, nisi quando... noceat ordini publico » (pag. 9, sub *b*) et etiam « salvis tamen exigentiis ordinis publici » (pag. 9, sub *e*).

c) Ex eo quod natura ipsa socialis hominis exigat ponere actus exteriores et sociales sequitur quod homini recognoscendum est ius ad actus exteriores, non autem ad *omnes* actus exteriores sociales. Ergo separari potest mundus internus ab eiusdem manifestationibus socialibus concretis.

12. N. 4, *b*), pag. 7, lin. 24. Dicitur: « ... per communicationem inter homines, in qua *alii aliis exponunt* veritatem quam invenerunt... ». Dicatur: « ... in qua exponitur veritas ab illis qui eam invenerunt... ». *Ratio*: ut servetur clarius progressus logicus: homo habet ius quaerendi, inde libera inquisitio, inde accessus ad dialogum, inde ei exponitur in dialogo veritas. Ipse ergo subiectum totius orationis servetur.

13. *Ibid.*, lin. ultimis in par. *b*). Dicitur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis ». Dicatur: « ... ut non impediatur in libero de re religiosa dialogo stabiliendo ». *Ratio*: *a*) Additur « liber » dialogus ut appareat quod nemo potest coacte imponere dialogum. Sub hoc praesupposito, libertas religiosa exigit ut dialogus libere initus vel ineundus non impediatur a tertiis (Statu vel privatis).

b) Dicimus ut non impediatur « in libero de re religiosa dialogo stabiliendo » ut retineatur linea logica (cf. modum priorem) incipiens a subiecto inquirente. Implicite iam continetur quod persuasiones propriae exponuntur in dialogo, etenim agitur de dialogo.

c) De essentia dialogi est ut alter libere acceptet dialogum.

14. N. 4, pag. 8, lin. 6: ad *e*). Dicitur: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda... ». Dicatur: « Exinde sequitur quod homo, ordinem socialem servans, ius habet ut... ». *Ratio*: quia si ex ipsa natura sociali hominis exurgit ius ad actus sociales exercendos in re religiosa, *etiam ex ipsa sua natura sociali hominis exurgit* necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum in suas manifestationes sociales.

Unde et ius et limites huius iuris ex eadem fonte proveniunt.

15. N. 4, pag. 8, ad *d*), lin. 26. Dicitur: « ... in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo ordine publico... ». Dicatur: « ... in re religiosa, secundum suam rectam conscientiam salvo ordine publico... ». *Ratio*: ut aptius respondeat notionibus prioribus in eodem paragrapho expositis, in quibus loquitur de rectitudine conscientiae (etiamsi nomen non adhibeatur), et quae hic resumuntur.

Etiamque ut verba Ioannis XXIII (*Pacem in terris*) rememorentur consonantius: « ad *rectam* conscientiae suae normam ».

16. N. 4, *e*), pag. 8-9 (Moderatio civitatis). Dicitur: « Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt.

Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur, et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur.

Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici.

Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum necessarium. Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat ». Dicatur: « Actus religiosi... Ideo in his... temporalem restringitur.

In hac vero competentia, potestas publica solummodo ad actus exteriores extenditur et de actibus internis iudicare nequit.

Cum autem manifestationes sociales actuum humanorum religiosorum sint actus exteriores, potestas publica, etsi limites proprios excederet si in regimen animorum sese quovis modo immisceret vel publicum religionis exercitium coerceret aut impediret, potest tamen et debet hoc exercitium intra exigentias ordinis publici definire.

Libertas ergo religiosa homini quam maxima agnoscenda est et nonnisi inquantum necessarium restringenda ». *Ratio*: confuse et aliquantulum contradictoria exponitur doctrina de incompetentia et competentia Status. Etenim:

a) affirmatur potestas legifera tantummodo ad actus exteriores extendi, et insimul negatur quod possit actus exteriores seu publicum exercitium coercere, quin detur ratio compositionis horum extremorum;

b) statuitur principium non plene verum. Etenim affirmatur quod actus religiosi ordinem temporalem transcendunt, simul ac recognoscitur quod ordinem publicum servandum est, i. e. quod ordinem temporalem insimul attingunt; quin tamen offeratur ratio compositionis amborum terminorum;

c) non adaequate exprimitur principium de competentia Status. Potestas enim publica ad actus exteriores extenditur (et ad interiores quatenus ex suis manifestationibus exterioribus cognoscibiles); et actus religiosi sociales sunt actus externi, ergo cadunt sub potestate civili, non tamen ut religiosi, sed ut externi et sociales.

Indeque corrigitur textus, servando doctrinam quae in schemate intenditur quae vera est, et distinguendo inter actus internos, qui non sunt de competentia potestatis publicae civilis, et manifestationes sociales seu actus externos, qui, etsi tangunt ordinem socialem, illum tamen transcendunt, indeque cadunt sub potestate publica civili non quatenus illos prohibere aut coercere possit (suum enim ordinem proprium transcendunt), sed quatenus ipsos intra ordinem publicum definire tenetur. (Definire, i. e. fixare limites intra quos exercitium habendum est).

17. N. 6, post totum numerum, addere, ante ultimam phrasim (lin. 22):

a) Hoc tamen libertatis religiosae regimen non impedit quominus alicui religioni officialis agnitio in ordinatione iuridica recognoscatur.

Haec vero religionis conditio nemini civium vel coetuum religiosorum libertatem religiosam vel aequalitatem iurium civilium minuit, nec ipsos obiectum coercitionis facit.

b) Prorsus, cum vita religiosa sit omnium summum et universale bonum personae humanae, auctoritas civilis, quatenus ex se est, tenetur summam earum vitae socialis conditionum, in quibus homines suam ipsorum perfectionem religiosam possunt plenius atque expeditius consequi, promovere. Et quo magis societas civilis propitias suppeditat conditiones ad veritatem...

Ratio: addimus duos gressus: *a*) paragraphum de Statu confessionali, de quo Relator locutus est in pag. 29 et 38, ex quibus verba desumuntur;

b) positive loquitur de promotione conditionum socialium pro vita religiosa ex parte auctoritatis publicae. Sumimus verba ex *Pacem in terris,* n. 58, in quibus offert Ioannes XXIII notionem boni communis: « Summam earum vitae socialis conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi ».

De his duobus punctis schema omnino silebat. Quod non decet.

18. N. 7, pag. 11, par. 4. Dicitur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore, etc... ». Dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, *morali ordine communique omnium utilitate servatis,* ne impediantur... ». *Ratio*: consonum non est ut hac in re (de libertate propagandae) qua maxima est, omnino sileatur ordinem publicum ut limitem, cum ipse nominetur aliis in casibus minoris momenti.

Verba quae adducuntur sumuntur ex *Pacem in terris,* ex paragrapho quae loquitur praecise de libertate divulgationis, in genere.

19. N. 10, pag. 13, par. 3, lin. 16. Dicitur: « Iamvero ubi reapse viget *hodiernum* regimen libertatis religiosae... ». Tollatur: « hodiernum ». *Ratio*: elegantius est, ne appareat iudicium de factis, sed principium ex quo derivantur bona.

20. N. 12 (Doctrina evangelica). Inde a lin. 26 (« Miracula fecit... ») in pag. 14, usque ad lin. 6 (« ... fumigans extringuit »). Supprimatur.

Etenim: *a*) in schemate non agitur de libertate intellectus seu libertate *theologica* actus fidei, in qua intellectus non cogitur ex evidentia interna motivorum vel veritatum. De qua tamen agitur in his lineis in quibus loquitur de miraculis Christi ad assentiendum non cogentibus.

b) Nec agitur de *vindicta divina,* ab Apostolis Christo postulata pro Samaritanis. Adhuc et magis, cum, et si adducitur argumentum de denegatione ignis de caelo, opponi posset argumentum de vindicta divina desolationis Hierusalem a Christo prophetizatae et a Tito adimpletae. Unde, ne quid nimis.

De structura declarationis de libertate religiosa

Schematis	*Nostra*
I. *Generalis ratio*	I. *Generalis ratio*
1. Status hodiernus	Idem
2. Quaestio historica	Idem
3. Declaratio	Idem

Schematis	*Nostra*
II. *Doctrina... ex ratione*	II. *Doctrina*:
4. Fundamenta:	A) *Fundamenta*:
a) integritas personae	*a*) integritas
b) inquisitio veritatis	*b*) inquisitio
c) indoles religionis	*c*) conscientia
d) conscientia	*d*) libertas actus fidei
e) moderatio civitatis	*e*) indoles religionis
	f) libertas Ecclesiae
	g) munus Ecclesiae
5. Limites:	B) *Limites*:
a) norma moralis	*a*) norma moralis
b) norma iuridica	*b*) norma iuridica
III. *Consequentiae practicae*	C) *Libertates communitatum*
6. Cura libertatis	*a*) familiae
7. Libertas communitatum	*b*) associationis
8. Libertas familiae	*c*) interna coetuum
9. Associationis libertas	*d*) externa coetuum: i. e. propagandae.
IV. *Doctrina... ex revelatione*	D) *Functio Status*
10. Libertas Ecclesiae	*a*) moderatio civitatis
11. Libertas fidei	*b*) cura libertatis
12. Doctrina evangelica	*c*) Status confessionalis
13. Munus Ecclesiae	*d*) promotio conditionum
Conclusio.	*Conclusio.*

In structura a nobis oblata addimus tantum duo puncta: 1° punctum de *statu confessionali* de quo silet schema, Relator autem bis locutus est (pag. 29 et pag. 38); et 2° de promotione conditionum in quibus vita religiosa facilius et expeditius consequi possit in societate. De his duobus offerimus redactionem.

Sufficit ut diversae paragraphi ponantur in novo ordine. Tantum haec notanda: quoad *libertates communitatum,* ita:

Libertates communitatum: Libertas religiosa, quae singulis personis competit, *servato ordine publico,* etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur: Unde (haec verba sunt ex n. 7):

a) (Libertas religiosa familiae) (ut in n. 8 schematis);

b) (Libertas associationis religiosae) (ut in n. 9);

c) (Libertas associationum vel coetuum pro vita propria) (ut in n. 7, pag. 11, par. 2 et 3);

d) (Libertas associationum vel coetuum pro vita ad extra seu ad propagandam) (ut in n. 7, pag. 11, par. 4 et 5).

41

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

1. In genere locutio deberet esse magis sobria et concisa. Ita esset dignior magisterio conciliari. Etiam lingua latina saepe redolet litteralem versionem cuiusdam linguae modernae.

2. Fundamentum libertatis religiosae non ita est « dignitas personae humanae » acsi persona creata sit quid simpliciter absolutum; sed persona humana quatenus et quia *unice ad Deum refertur.*

Hoc est dicendum inde ab initio, ad modum principii, ut postea semper subintelligatur tamquam ratio et mensura eorum quae dicentur.

Potest autem satis exprimi, ut reor, parva additione in n. 1, secunda alinea (pag. 3), hoc modo: « Libertas religiosa hodie *agnoscitur* esse verum ius *in ipsa personae humanae dignitate, quae ex eius ad Deum ordinatione oritur,* fundatum, quod debet... ».

3. Ad hoc ius determinandum necessarium puto ut his quae dicuntur in pag. 4, alinea « Per hanc igitur iuridicam... » statim subiungantur, apto nexu ut patet, ea quae dicuntur in pag. 8, alinea *d*).

In pag. enim 4 exponitur *obiectiva* hominis obligatio; in pag. vero 8 exponitur obligatio qua quis tenetur *subiective* et *proxime* in agendo.

Ex utraque autem consideratione integre determinatur obligatio et consequens ius, religionem libere profitendi.

4. Ad n. 4. Non placet quod Concilium afferat rationes suae doctrinae, praesertim mutuatas ex mera ethica rationali. Quaedam ex his rationibus possunt in discrimen adduci, saltem quoad formulationem acceptatam in textu.

5. Quae *in initio* pag. 9 dicuntur de potestate « publica » non valent de potestate *publica* in Ecclesia. In tota hac paragrapho agitur de potestate publica *civili*; ergo conservetur haec terminologia ad vitandam falsam interpretationem.

Ceterum in actibus religiosis *publice* ponendis singuli homines et communitates religiosae non subsunt potestati civili *directe et per se,* subsunt autem *indirecte et per accidens,* ut in n. 5 exponitur. Dicatur igitur in hac paragrapho: « Ideo in his actibus ponendis homo non subest *directe* potestati civili... ».

6. Ad n. 12, pag. 14, alinea secunda, « Miracula fecit... ». Quo fundamento affirmatur Christus « consulto » prodigia illa patrare iterum iterumque renuisse, « quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur »? (Inepte citantur *Mt.* 12, 38-39 et *Io.* 6, 30-33. Adduntur pariter aliae citationes quae et ipsae nullum praebent fundamentum illi gravissimae assertioni).

E contra ipse Iesus aliam expresse innuit causam recusationis novorum miraculorum (cf. *Lc.* 16, 31). Et sua miracula iam *sufficientia* iudicat ad sui manifestationem et ad *peccatum* non credentibus attribuendum (cf. *Io.* 15, 24).

Illa igitur affirmatio, utpote gratuita et tam gravis, est expungenda.

42

REV.MUS P. D. HERIBERTUS CORREA YEPES
Praefectus apostolicus Mituensis

[*Cf. n. 43*].

43

EXC.MUS P. D. ANGELUS CUNIBERTI
Episcopus tit. Arsinoensis in Cypro, vic. ap. Florentiae

Schema, ita ut invenitur, *non placet.*

Adnotationes in genere. 1. In schemate sub unico conspectu, in linea aequalitatis, agitur de libertate religiosa et de Status relationibus tum erga Ecclesiam catholicam, tum erga ceteras ecclesias vel religiosas communitates.

Hoc autem non placet. Nam, ad religiosam libertatem quod attinet, fieri potest ut concreta affirmatio universim valida obtineatur; sed ad relationes quod attinet, cum agatur de doctrina discutibili, sub adiunctis valde diversis, universalis norma statui nequit, etsi hoc in aliquibus nationibus conveniens appareat. Etenim: in schemate haec sub aspectu pragmatico-regionali aguntur, prae oculis habitis adiunctis historicis, socio-religiosis et politico-iuridicis huius vel illius nationis.

Progressus historicus, religiosus, iuridicus ac politicus universarum nationum mutari et in unum redigi nequit, sub aliquarum nationum exemplo, per conciliare schema. Neque huiusmodi formas meliores esse in praxi, vel solas esse veras hucusque probatum fuit. « In dubiis libertas ».

Unde: primum, considerari debet; aliud autem, si placet, ad aliud schema deferatur, ne doctrina et principia, ex quibus confusio et falsae applicationes oriantur, passim commisceantur.

2. Specialis sensus quo vox « ius » accipitur in finali tantummodo schematis relatione exponitur, et hoc confusionis periculum gignit. Sensus ergo, quo vox « ius » accipienda est, in textu conciliari aperiatur.

3. *Proselytismus* modo vago consideratur; tractari debet strictis et certis normis, ne valde generica habeantur principia, quibus innixae, aberrationes pessimae legitime propagari posse arbitrentur.

4. Generaliores et non satis certae statuuntur praemissae, ex quibus absurdae conclusiones deduci possunt. Ita n. 4, sub *a*) et *b*).

5. In nova huius schematis scripta praesentatione, observationes a magnis catholicis coetibus remissae omnino parvipenduntur.

Speciales adnotationes. Ad n. 1. Deest gravium rationum relatio, quibus huius thematis tractandi necessitas patescat.

Cum enim specifica ratio agendi SS. PP. Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII, testante em.mo card. Bea (cf. *Aggiornamenti Sociali,* Milano 1964), semper fuerit necessitas libertatis religiosae contra totalitarismos materialistas consolidandae et vindicandae, talis necessitas in schemate alleganda est in concreto.

In paragrapho 2, si eius momentum attendatur, multa desiderantur: Nec statuitur nec satis sustentatur ipsa religiosae libertatis natura. Libertas agendi secundum propriam conscientiam certis limitibus non circumscribitur; quae a bono communi postulantur, clare et distincte percontari debent.

Ad verba « intra limites qui certa norma morali et iuridica determinatur », haec alia addantur: « ut in n. 5 *b*) clare explicantur... ».

Ut melius religiosae libertatis conceptus patefiat, addantur in fine huius numeri exc.mi relatoris verba, quae pag. 37 leguntur: « Exinde constat quod affirmando libertatem esse verum ius hominis, nullatenus affirmatur omnes religiones eamdem aequalem auctoritatem positivam habere, a Deo receptam, ut exsistant seseque propagent. Neque affirmatur, potestati publicae licere omnibus religionibus positivam auctoritatem dare, ut aequo iure in societate gaudeant. Declaratio enim agit de personis humanis sive singillatim sive collective sumptis ».

Ad n. 2. Si relatio historica sustentatur, referendum simul est quomodo Ecclesia humanam dignitatem, Dei inalienabilia iura, obiectivam veritatem, veram religionem, bonum societatis commune, aliaque strenue vindicaverit, ut omnia logice cohaereant.

Ad n. 3, par. 2. Cum Concilium ad universam Ecclesiam respiciat, non est statuendum ab ipso, circa religiosam libertatem, « regimen iuridicum hodiernum », quod datur et expedit pluribus nationibus pluralitate praeditis, sed ceteris nec potest nec debet imponi. Unde: vel revertendum est ad priorem textum, sub n. 29, vel delendum inde a verbis « regimen iuridicum hodiernum » usque ad verba « haec sacra Synodus declarat libertatem religiosam esse verum ius »...: nam affirmatio, quae ita suppressa venit, liberalismum approbatum (hispanice « canonizado ») sapit.

Nota 17 omittatur, nam novos et non probatos auctores in textu conciliari invocare inconveniens est.

Ad n. 4. Aliud est principium personalis libertatis, quo quis propriae conscientiae dictamen, dummodo recta sit, sequi potest, quodque unicuique hominum in materia religiosa tribui potest; et aliud est principium socialis libertatis, seu publicum earum convictionum exercitium; et hoc aliud principium ipso societatis fine, bono communi (certis uniuscuiusque nationis adiunctis aestimandum) et aliorum iuribus limitari debet.

Ex praemissis universalissimis, nimia extensione ditatis, conclusiones educuntur valde universales, discussioni obnoxiae, hoc in absurdum devenientes: quaevis humana aberratio, licet pessima, ius sese propagandi et honoris sibi vindicare potest; et eiusmodi ius, primigenium et naturale cum sit, logice limitari nequit, etsi levissimae restrictiones ibidem insinuentur. Hoc modo proselytismus sectarum omnium et errorum in materia religiosa admissus habetur.

Neque admitti potest quod sub ordinali *a*) dicitur: « Nam non omnes internae hominis volitiones externum et sociale ius generant.

In ordinali *c*), eadem nimia conceptuum generalis acceptio, ab antecedentibus principiis derivata, apparet.

In ordinali *d*), limitatio statuta verbis « salvo ordine publico » non sufficit; dici debet: « salvis iuribus aliorum, fine et bono communi societatis ».

In ordinali *e*), apparet propensio iam in adnotationibus generalibus signata, qua universae Ecclesiae, schemate mediante, intenditur imponi opinio quaedam inter mere probabiles circa modum concipiendi Statum, necnon et relationes inter

civilem potestatem et religiosum factum. Rerum nostrarum veritate perpensa, eiusmodi opinio inacceptabilis evadit. Quae ex Leone XIII et ex Pio XII adducuntur, habenda sunt tamquam voces supremae in altum sublatae contra civilis Status superbam ambitionem recludendi et subiiciendi sub temporali regimine sanctam Ecclesiam.

Nec desunt qui e contrario Statum desiderent cuius munus omnino sit materiale; unde consequitur politicum ordinem a lege morali et a revelatione dissociari.

Si Status finis est bonum temporale assequi, attamen cum Deum etiam habeat auctorem, ipse Status Deum debet agnoscere eique cultum praebere (Leo XIII, *Libertas*).

Status boni communis defensor constitutus, bona (Hispanice « Valores »), quibus civitas et patrius affectus sustentantur, spernere non potest. Quamvis ipsius non sit haec creare bona, neque sese Ecclesiam cogitare, religiosa tamen bona ad vitam nationalem alendam utilia promovere debet, eaque, si iam inveniuntur, protegere et conservare, etiam privilegia Ecclesiae concedendo.

Status erga veram religionem positivas obligationes habet.

Ad n. 5, in ordinali *b*). Limitatio, quae ex ordine publico derivatur, satis vaga et insufficiens apparet.

Ad n. 6. Quod hoc numero continetur est consequentia ex positis praemissis, discussioni obnoxiis, deducta, nam Statum quodam Laicismi moderati sensu concipit. Ob haec verba: « itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter ordinationes religiosas », iuste inquiritur: An reicienda sint auxilia catholicis institutionibus sive educationis sive beneficentiae a Statu, catholicis in nationibus concessa, nisi aequalia similibus institutionibus aliarum religionum concedantur? Etiamsi hoc absurdum attenuari videtur in n. 4 pag. 38, talis attenuatio nec vim nec sensum textus conciliaris habet, immo et deletur statim verbis, quae n. 5, pag. 39 leguntur, quibus indicantur veluti obsoletos fines concordatorum: « Prosequi privilegia legalia varii ordinis ».

Haec est implicatio doctrinae discussae relationum inter Ecclesiam et Statum, quae recte hoc schemate tractanda non venit, prout in observationibus generalibus dictum fuit.

Hic n. 6 acceptabilis evaderet verba clarissimi Relatoris addendo, quae pag. 39 leguntur: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate, ubi catholici numero praevalent... » usque ad « ... ducere vitam ».

Ad n. 7. In commentario ad num. 4 demonstratum est quomodo principium quo, ex libertate personali, nulla praehabita distinctione, ad socialem libertatem transitus fit, esse valde aequivocum.

Et hoc aliud principium: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda », eadem gravi observatione oneratur. Eiusmodi doctrina haberi non potest uti Ecclesiae communis et certa; documentis pontificiis ullo modo innititur; nec eadem doctrina tantarum sectarum infensum proselytismum continere valet; quod pro catholicismo verum publici ordinis negotium constituit. Omnino repugnat, ob convenientes pro aliquibus nationibus affirmationes, religiosam unitatem scindere etiam in vastis catholicitatis regionibus, et multorum fidelium religiosa ignorantia laborantium apostasiam acceptare uti lacrimabile pretium pro convenientia dictorum.

Statim ac catholici Europae ad solidandam nostrarum gentium fidem, quod Evangelii operariorum carentia impeditur, efficaciter adiuverint, alia omnino profutura adiuncta novas institutiones excogitandas permittent.

Ad n. 8. Status, ulli religioni favere intendens, si tantum scholas constituat, ex quibus omnis religiosa educatio penitus excludatur, verum patrumfamilias ius violat. Hoc connotare valde conveniens est, nam hoc agendi modo puerorum libertas non custoditur, sed atheismus ipsis vere traditur.

Circa familiae ius in educandis filiis, notandum est matrem, hac in re, non esse patre inferiorem; si ergo mater prolis postulat educationem in vera religione, haec matris voluntas despici non potest. Si dicatur: Quando vir et mulier non eamdem habent religionem, viri opinio praeferenda est, eo quod Status discrimen solvere non valet, in agnosticismum inciditur, nam agnosticismus veram religionem non posse cognosci contendit.

Ad n. 10. Saltem in initio, de qua agatur Ecclesia indicetur. Ceterum, nullius momenti est affirmare pro catholica Ecclesia solum ius ne impediatur; nam summo cognito momento evangelici nuntii, quod hominibus in eorum propriam utilitatem Ecclesia offert, iam elucet ipsam Ecclesiam iuvandam esse legibus, quibus, ad vitam instituendam sub veri praeceptis, difficultates non parentur. Nec sufficit dicere: Status leges ad normam iuris naturae ferat; nam naturale ius multa habet non facilia intellectu, et in eius interpretatione errorem non fugit quisquis Ecclesiae catholicae magisterium non admittit; nam Deus Ecclesiam suam assistit, ut ius naturae interpretari recte queat. Omnes acatholicae nationes, v. g. divortium, etiam gravi cum detrimento pro bono sociali, admittunt; Suecia et Iaponia leges contra ius vivendi, quod homini etiam antequam nascatur competit, habent; in Puerto Rico humana sterilizatio favetur; olim in Germania, sub regimine vulgo « nazi », incurabilibus ius vivendi denegatum fuit, et alia multa vere criminosa, sub specie nationalis progressus, perpetrata sunt; in Germania Foederata abortus legitimare intenditur, si conceptio per actum violatorium habita est; etc. etc. Hoc principium: « Religio est supra competentiam Reipublicae » fieri potest causa cur Status sola humanistarum et naturalistarum luce in agendo deducatur, ita ut talibus regulis sacrum personae humanae ius etiam naturale violetur aut denegetur.

Ad n. 11. Affirmatio statuitur de veritatis sufficientia ut ipsa per se sola et cognoscatur et admittatur. Hoc autem nimio spiritualismo et optimismo indulget, veluti classicus liberalismus (« Homo bonus est, et sponte in veritatem et bonum inclinatus »).

Ad n. 12. « Excursus » momento gaudet, sed alibi locandus est.

Adnotationes circa relationem qua schema proponitur. In fine pag. 27 legitur: « Non est ius Status ut personam humanam dirigat in re religiosa »... « Religio supra competentiam reipublicae ». Attamen Statui competit vitam socialem ita ordinare, ut secundum moralitatis regulas verae religionis vitam instituere et possibile et facile eveniat. Si Status veram religionem cognoscere nequiverit, leges condet secundum suam naturalem cognitionem, quae, actuali experientia teste, ipsum ius naturale primarium violat, uti iam supra dictum est.

Iuxta dictum in pag. 38 in fine, Status confessionalis admitti potest; sed « cavendum est ne ex instituto religionis statalis deriventur consequentiae, quae aequalitati omnium civium in iure publico damnum inferrent ». His positis, institutiones catholicae in natione catholica iuvari non possent, nisi pari modo insti-

tutiones protestantes adiuventur. Et haec quomodo conciliari poterunt cum dictis in pag. 29 in fine: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate, ubi catholici numero praevalent, Ecclesiae catholicae quaedam privilegia aut etiam officialis agnitio tribuatur »? Cum in pag. 38 Status confessionalis admittatur, talis admissio eo venit ut catholica religio tanquam civium maioritatis propria, non autem tanquam statalis, recognoscatur; Status ergo religionem habere non debet; et nulla in rebus religiosis obligatione teneretur (cf. pag. 28: « Religio supra competentiam reipublicae »).

Aliud, immo contrarium, deducitur tam ex Litteris Encyclicis *Libertas* Leonis XIII, tum *Mediator Dei* Pii XII, cuius sunt sequentia verba: « Illud proculdubio hominibus praecipuum officium est: ut se quisque vitamque suam ad Deum dirigat. Homo autem recto ad Deum dirigitur cum supremam eius maiestatem supremumque magisterium agnoscit... cum denique cultum atque obsequium per religionis virtutem Deo uni et vero praestat. Quod quidem officium, si homines singillatim primo loco obligat, at humanam quoque communitatem universam, socialibus mutuis nexibus conformatam obstringit, cum et ipsa a summa Dei auctoritate pendeat » (*A.A.S.,* 1947, pp. 525, 526). Litteris vero Encyclicis *Summi Pontificatus* affirmatur Statum veram ignoscendo religionem sibi ipsi tribuere illam, quae soli Deo competit, obsolutam autonomiam, et hoc modo sese totius iuris arbitrum constituere. Iuris gentium et iuris naturalis efficientia uni arbitrariae Status potestati immolatur, quin ipsius Status abusus in iuribus interpretandis cohibeatur (cf. *A.A.S.,* 1939, pp. 423, 431, 437 et 438).

44

Exc.mus P. D. DAVID CUNNINGHAM
Episcopus tit. Lampsacenus, aux. Syracusensis

1. Schema uti nunc stat *valde mihi placet* tum in materia tum in modo quo Declaratio procedit.

2. Ad pag. 4, n. 2 Quaestio Historica melius remitteretur ad notam. Totus hic numerus quasi quandam apologiam sonat pro Ecclesia saeculi decimi noni et quidem inter condiciones polemicas tunc temporis in quibusdam nationibus in Europa. Tota quaestio nimis complexa est ut tam breviter absolvi possit.

3. Ad pag. 6, n. 3 omittatur paragraphus prima quia nulla est ratio doctrinalis nec ratio pastoralis cur de unica vera religione fiat hic sermo. Sumat declaratio ex verbis « Cum igitur Ecclesiae ... ».

45

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Attenta humana fragilitate (loquor propter casus quos ipse constatavi), diligentissime videtur cavendum:

1. ne quis deducat: « Iuxta meam conscientiam, non est Deus; mihi satis; ad nihil aliud teneor »; dum e contra *Sap.* 13, 1-9, et praesertim *Rom.* 1, 18 ss.;

2. ne quis deducat: « iuxta meam conscientiam, talis vel talis lex mere eccle-

siastica caret fundamento; ergo ego catholicus talibus legibus Ecclesiae non teneor »; dum e contra, etiam lumine rationis mere naturalis, cognosci potest hominem creatum esse a Deo talem qui egeat et valeat vivere in societate hierarchica, unde « qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit » (*Rom.* 13, 2); unde is qui iuxta suam conscientiam ingreditur Ecclesiam, debet Ecclesiae oboedire; iuxta conscientiam, non tantum oboedire tenemur iis quorum fundamentum proprium videmus, sed etiam iis quorum fundamentum proprium non videmus sed imperata sunt a societate cui iuxta conscientiam adhaeremus.

46

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

In genere. In textu emendato schematis declarationis *de libertate religiosa,* haec, inter alia, animadvertere liceat:

1. Textus quaestionem de libertate religiosa ad limites restringit ordinis mere iuridici civilis, prout nunc hic ordo penes populos, generaliter statuitur.

2. Inde, non undique fugit vitium positivismi iuridici, quo laborat generatim ius civile hodiernum.

3. Etenim, ad sola facta intentus, veri iuris civilis negligit considerationem fundamenti, seu normae obiectivae moralitatis, a qua omne ius, ut verum sit ius, dependet, et quae vitat ut verum ius aequo modo verum et falsum, bonum et malum respiciat.

4. Reiicit traditionalem doctrinam de Bono Communi ut est ratio qua ducantur oportet potestates civiles in regulandis relationibus civium et communitatum in conviventia sociali.

5. Exinde, ad fallaces consequentias devenit, nempe, ad iuridicam aequiparationem inter veram et falsas religiones (n. 3: « Affirmat ... libertatem religiosam ... esse verum ius ... quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare »); ad mancam notionem dignitatis humanae (quae, sc. negligit, melius, nullam rationem habet adhaesionis bono obiectivo); favet etiam indifferentismum et laicismum Status (cum nimis restringat competentiam potestatis civilis in re religiosa, quae unice de exigentiis ordinis publici, in hac re, curare deberet. Cf. 4 e).

6. Videtur, ergo, textus recognoscendus secundum traditionalem doctrinam Ecclesiae quae, pariter considerans verum ius nonnisi vero et bono competere, et naturam humanam labilem esse propter originale peccatum, distinguit inter ius ad veram libertatem quod unice ad verum et bonum datur, et meram tolerantiam quae errori et malo concedi potest ratione Boni Communis.

Haec omnia in documentis sat multis Magisterii Ecclesiae inveniuntur. Data opera de hac quaestione egit Leo XIII in Litt. Enc. *Libertas praestantissimum,* sicut etiam in aliis *Immortale Dei* inscriptis. Eodem modo, Pius XII, nostris temporibus, et quidem ut doctrinam Ecclesiae hodiernae aetati aptaret, in allocutione *Ci riesce,* octobris 1953 (*A.A.S.,* 45, p. 796).

Optarem ut textus recognosceretur secundum illa documenta pontificia, nempe Litt. Enc. *Libertas praestantissimum* Leonis XIII, et All. *Ci riesce* Pii XII.

Quaedam particularia. 1. Inscriptio, ne ansam falsae interpretationi praebeat, paululum mutetur. Dicatur, v. g. *Declaratio de libertate personae et communitatum in re religiosa.*

2. N. 1 pro fundamento libertatis religiosae unum ponit, scil., dignitatem humanam. Mihi videtur tota quaestio clarior apparere si exordium sumatur a vera et catholica libertatis moralis notione. Hoc posito fundamento, eius applicatio ad ordinem religiosum in conviventia sociali commode introducit, dico, introducit doctrinae totius hanc rem respicientis expositionem, quae firmior etiam appareret. Libertas, enim, Dei donum ad verum et bonum hominibus datum est. Attamen, propter deficientiam naturae humanae, nec omnia bona possibilia praecipi possunt, nec omnia mala prohiberi (cf. *Ci riesce*). Inde aliquoties mala permitti debent ob bonum commune (*ibid.*). Ad ordinem religiosum applicando: Sola vera religio ius ad libertatem proprie habet; ceterae, autem, quia verae non sunt, possunt, et fere semper debent permitti ut sint, scil. propter Bonum Commune.

3. N. 3. *a*) In hoc numero declaratur « doctrinam de unica vera religione nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda ». Est expressio minimalista. Addendum videtur quod huiusmodi doctrina perfecte componitur cum vera libertate.

b) Ubi dicit « regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae esse in se honestum et vere necessarium ... quippe quod principiis rationis humanae fulcitur », schema optimismo fallacioso laborat. Regimen iuridicum hodiernum generatim positivismo iuridico vitiatur, ita ut dici nequeat « principiis rationis humanae fulciri ». Praeterea, schema videtur damnare traditionalem doctrinam Ecclesiae, quae verum ius nonnisi vero tribuit. Propterea,

c) ultima verba huius n. 3, inde a verbis « Affirmat insuper » auferenda sunt. Nullum verum ius positivum, scil. in iure naturali fundatum, omnimodam indifferentiam in re religiosa ut principium statuere potest.

4. N. 4. Argumenta quae hoc numero pro libertate religiosa proferuntur fallaciosa sunt:

a) Integritas personae non postulat omnino indissolubilem nexum inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem. Ipsum schema illam indissolubilitatem solvit cum, agens de « moderatione civitatis » statuit « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico (pag. 9 b) », et etiam « salvis tamen exigentiis ordinis publici (pag. 9 e) ». Adest ergo ratio que limitationem imponit exercitio externo liberi hominis arbitrii, quae potius est bonum commune quam ordo iuridicus tantum.

b) Ex iure veritatem inquirendi, et si agitur de veritate religiosa, ex officio in eam investigandam, illogice deducitur ius ad quamcumque persuasionem religiosam communicandam. Persuasio enim non semper verum in se continet.

c) Eodem modo indoles religiosa non iustificat omnimodam immunitatem a coactione in manifestatione externa persuasionis religiosae, sicut iam vidimus supra sub lit. *a*).

d) Verum quidem est neminem cogi posse ut contra conscientiam agat; ratio autem cur non semper secundum suam conscientiam externe sese ostendat non est tantum Ordo publicus, sed praesertim bonum commune. Praeterea non potest esse sermo de dignitate humana cum quaestio est de errore qua tali.

e) Nimis restringitur competentia auctoritatis civilis, quae positive bono communi duci debet, et non tantum negative laesionem ordinis publici vitare. In toto schemate experitur aversio ad auctoritates civiles. Forte id procedit ex abusibus quarumdam auctoritatum in re religiosa. Abusus autem non est ratio cur recta de dignitate, responsabilitate et competentia auctoritatis civilis doctrina quam semper tenuit Ecclesia non agnoscatur.

5. Ad IV « Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis ». Ad haec, sequentes animadversiones praecipuas esse censeo:

1) Concilium, utpote Magisterium Ecclesiae extraordinarium, quaestiones tractare deberet sub luce Revelationis. Hoc, autem, schema doctrinam revelatam proponit velut confirmationem eorum quae ex principiis naturalibus eruisse putavit.

2) Praeterea, argumenta a schemate proposita deficientia sunt:

a) Non videtur affirmandum libertatem Ecclesiae esse principium fundamentale in iis quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae (n. 10, 1).

b) Schema nimis extollit hodiernum regimen libertatis religiosae quasi regimen ideale, contra id quod docetur in pluribus Romanorum Pontificum documentis damnantibus thesim propugnantem separationem Ecclesiae et Status.

c) Schema falso supponit omnia Ecclesiae et fidelium bene se habere in huiusmodi regimine, ignorans persecutiones sic dictas albas non raras quibus tale regimen ansam praebet.

d) Item, schema falso affirmat ius supernaturale postulare indiscriminatam libertatem religiosam pro omnibus, sive civibus, sive communitatibus (« Concordia igitur datur inter libertatem, quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia postulat pro omnibus hominibus et communitatibus ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum: n. 10, 3 »). Aliter docuit Pius XII: « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto, né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione » (*Ci riesce, A.A.S.*, 45, p. 798).

e) Ex vero principio, « neminem invitum esse cogendum ad amplexandam fidem catholicam », falsam deducit conclusionem, nempe « oppositum esse quodvis in re religiosa genus coercitionis ex parte humanae potestatis » (n. 11, 1 et 2). Potest enim adesse coercitio iusta mediis honestis adhibitis quae reprobari nequit. Homo enim lapsus ex variis causis impeditur in legitimo usu suae libertatis. Libertas revera datur ad verum et bonum. Homo autem lapsus obscuritate mentis, proclivitate ad malum sibi derelictus, difficulter ad convenientem dignitatem personae humanae advenit. Potest ergo et debet iuvari ut huiusmodi perfectionem attingat. Hoc munus — quod parentum est et Ecclesiae, et etiam potestatis civilis — quamdam coercitionem secumfert in bonum ipsius personae. Insuper, propter bonum commune, interdum potestas civilis limitare potest libertatem religiosam publice exercendam. Ipsa Ecclesia, in principio, et ipsa potest vim adhibere ne impediatur a legitimo iure quod a Domino accepit, ad Evangelium propagandum. Nulla ex his coercitionibus libertatem actus fidei laedit.

3) N. 12 quae doctrinam evangelicam exponere intendit, reficiendus videtur a peritis in hac re, ita ut nitida habeatur theologia biblica de libertate religiosa.

47

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Hunc textum laudo et adprobo quoad principia essentialia; tamen nonnullas emendationes propono.

Pag. 3, lin. 20: verbum « mere » deleatur. *Ratio*: ne ansa praebeatur ut quis suspicari posset Concilium docere Ecclesiam ius habere non catholicos coercendi in re religiosa.

Pag. 4, lin. 12: legere: « nulla *morali* obligatione... ». *Ratio*: claritatis causa.

N. 2, linn. 21-23: legere: « Patet igitur libertatem religiosam hodie novo modo considerari, quia novi aspectus decursu historiae apparuerunt ». *Ratio*: ne Ecclesia videatur sententiam mutasse.

Lin. 23: addere: « Nam hodie magis magisque populationes diversarum religionum permiscentur et in ambitu eiusdem societatis convivunt. Ex alia parte, democratia, qua cuique civi plenitudo iurium et officiorum aequalium agnoscitur, melius affirmatur. Insuper revera... ». *Ratio*: nova consideratio oritur non tantum ex mutatione ideologica, sed ex *factis* historicis novis, quorum consequentiae et valores melius percipiuntur, ut sunt *pluralismus* et *democratia.*

Lin. 37, post: « serviat », addere: « Ad hanc damnatam opinionem accedebat etiam illa falsa nonnullorum catholicorum, secundum quam " solam cuique suam esse conscientiam iudicem " (Denz. 1817) ». *Ratio*: ita ut etiam mentio fiat damnationis erga liberalismum La Mennais. Textus sumitur ex *Mirari vos,* citata in *Immortali Dei.*

Addere etiam: « Tamen simul ac hi errores irrumpebant, sensus genuinus libertatis crescebat, quem, saepius modo infausto expressum, tardius a christianis agnitum esse fatendum est ». *Ratio*: quia carentia christianorum in legendo « signa temporum » sic agnoscitur.

Pag. 5, lin. 2: « ... moderatores reipublicae, distinctionem evangelicam inter res Dei et res Caesaris respuentes et quasi ad vetus paganismum redeuntes legale... ». *Ratio*: sicut explicite in *Contrat social* affirmatur. Quae doctrina constitutiones inspiravit.

Lin. 9, addere: « componi cum vera personae indole et hominis libertate... ». *Ratio*: claritatis causa. Quia agitur de transcendentia personae relate ad societatem politicam et statum.

Linn. 13-14, sic legantur: « Quas errores etiam hodie Ecclesia damnat. Mutantur... ». *Ratio*: textus temperari debet, quia quaedam differentia adest inter modum affirmandi temporis Pii IX et temporis hodierni.

Lin. 15, post: « tempore » legere: « novaeque ideologiae surrexerunt. Etenim his nostris diebus huic rationalismo, quod saeculo decimo nono floruit, iam adhuc graviores errores sese addiderunt, vel etiam eum quandoque supplantaverunt ». *Ratio*: errores moderni adhuc rudiores sunt. Insuper hic rudis rationalismus quandoque, saltem quoad aliquos aspectus, adhuc remanet. Eadem autonomia pro individuo olim vindicata hodie homini collectivo attribuitur, ita ut error de omnipotentia status aggravetur.

Lin. 24, verba: « in suo sensu et sua sententia », deleantur. *Ratio*: haec formula adhibetur quando agitur de re proprie dogmatica.

Lin. 34, pro: « praecipue », legere: « eminenter ». *Ratio*: rectius dicitur.

Lin. 41, legere: « Hodie enim agitur prae primis de... ». *Ratio*: quia vetus error non totaliter abolitur.

Pag. 6, linn. 1-2: pro « quorum primum », potius legere: « quorum praecipuum », vel: « inter quos eminet ». *Ratio*: quia primum, in ordine naturae, potest significare quod est fundamentalius, ut v. g. ius ad vitam.

N. 3, lin. 22, pro « enim », legere: « etiam ». *Ratio*: quia libertas civilis religionis non derivatur directe a veritate evangelica.

Lin. 24: legere: « .. beneficia iam protulit et in dies afferre potest ». *Ratio*: textus impressus temperari debet.

Lin. 30, pro « ut honestae... patrocinetur », legere: « ut honesta hominis in civitate libertas promoveatur ». *Ratio*: verbum « patrocinetur » sapit paternalismum.

Lin. 38, pro « descripto », legere « definito ». *Ratio*: sensus non describitur.

Pag. 7, linn. 1-4, n. 4 *a*): legere: « Homo ut persona, quatenus subiectum intelligens et liber, capacitate pollet in communione cum Deo personali intrandi seseque ad eum dirigendi. At totus homo eiusque omnes activitates ad personam pertinent atque referuntur. Unde etiam expressio exterior cogitationum interiorum earumdemque communicatio cum aliis ex hominis natura sociali derivans suo modo praerogativas et iura ipsius personae participant. Nam iura sunt personae, sed ad huiusmodi iura diversae partes humanae naturae quasi titulos constituunt.

Ex hoc praesertim ius habetur pro unoquoque libere in societate religionem exercendi. Attamen huiusmodi iuris usus, sicut et omnium aliorum iurium a iustitia legali (vel: moralitate) mensurari debet ad hoc ut rectus evadat. Sic ex natura personae sequitur in activitate hominis aspectum socialem cum aspectu interiore inseparabiliter connecti. Ergo... ».

Ratio: argumentum non sat enucleatur. Nam: 1. Persona qua talis non est radix, saltem unica, sociabilitatis in homine.

2. At omnes partes et actiones hominis attribuuntur personae quae non sine integritate concipi potest.

3. Distinguendum est inter *iura* et eorundem *usus* (cf. v. g. S. THOMAE, *Summ. Th.,* II^{a}-II^{ae}, qu. 66, quoad possessionem rerum). Ius qua tale datur vel non datur. Usus autem semper *regulatur,* virtute scil. iustitiae legalis, cui proprium est ad bonum commune respicere. Insuper nonnulli actus ad iustitiam legalem pertinentes a lege determinari et moderari possunt.[1]

Hac formulatione, obiectiones timentium ne ius « absolutum » quidquid proferendi ponatur, evanescunt.

b) Lin. 26, pro « maxime », legere « etiam ». *Ratio*: quia, proprie loquendo, veritates ordinis supernaturalis modo auctoritativo, sc. per Revelationem a Magisterio Ecclesiae propositam, communicatur. Diversi tamen remanent aspectus, etiam in religione revelata, ubi dialogus postulatur.

Linn. 27-28, legere: « Quare ad inquisitionem veritatis eique adhaesionem

---

[1] Loco: « iustitia legali », potest dici « moralitate », si prima formula magis scholastica videtur.

personae humanae dignam pertinet ut non impediatur... ». *Ratio*: quia libertas religiosa hic non debet finis poni, sed conditio ad hoc ut homo modo digno veritati adhaereat. Agitur de *fundamento* libertatis religiosae.

Pag. 8, linn. 2-5, legere: « ... Actibus autem interioribus... actus exteriores correspondent ». *Ratio*: quia, v. g., in educatione puerorum via est ab exteriore ad interiorem.

Lin. 20, post « conscientiam » addatur « quam quisque sequi tenetur in omnibus. Hoc etiam valet pro iis qui inculpabiliter ad Dei cognitionem non perveniunt. Hisce autem... ». *Ratio*: sic res explicitius proponitur, et ratio habetur atheorum et agnosticorum.

d) Lin. 26, legere: « recto ordine publico ». *Ratio*: saepius persecutores ad ordinem publicum appellant. Sic indicatur hunc ordinem normis obiectivis subdi.

Pag. 9, *e*), lin. 5: « recti ordinis publici ». *Ratio* eadem.

Lin. 7, legere: « nisi in quantum genuino bono hominis et societatis est necessarium ». *Ratio*: persecutores facile restrictionem necessariam esse affirmant; oportet normam obiectivam poni.

Lin. 7, legere: « Ipsa potestas publica... ». *Ratio*: claritatis causa.

N. 5, *a*) lin. 13, pro « limitantibus », legere: « mensurantibus », vel: « regulantibus », vel « moderantibus ». *Ratio*: ne textus sic interpretetur quasi ius ex se esset sine limite, a societate tamen quasi ab extrinseco limitatum. Norma mensurat ad rectitudinem usus.

Linn. 14-15, pro « principium morale responsabilitatis personalis », legere melius: « *debitum iustitiae* erga alios ». *Ratio*: quia agitur de sic dicta iustitia legali.

b) Lin. 27, legere: « recti ordinis publici ».

Lin. 34, legere: « recto ordini publico ». *Ratio* supra allata, cf. pag. 8, lin. 26.

Lin. 33, legere: « quando exercitium depravatum religionis... ». *Ratio*: quia obiective agitur tantum de exercitio non recto.

Pag. 10, n. 6, linn. 2-3, legere: « ad praecipua cuiusvis potestatis publicae officia pertinet ». *Ratio*: quia etiam essentialiter ad hanc potestatem pertinet favere officiorum exercitio.

Lin. 15, legere: « quando vis quocumque modo (vel: etiam moralis aut psychologica) adhibetur ». *Ratio*: expresse dicendum est.

Pag. 11, n. 7, linn. 4-5, legere: « Hae namque a sociali natura hominis requiruntur ». *Ratio*: si ad omnes religiones respiciatur, nimia varietas invenitur in rationibus et formis quibus sunt sociales. Structura socialis Ecclesiae abusive aliis religionibus extenditur. Alia ex parte, principium subsidiaritatis fundamentum sufficiens praebet pro iuribus communitatum.

Lin. 8, loco « Deum » legere « numina superna ». *Ratio*: sunt communitates religiosae quae non verum Deum honorant, et etiam monotheistae non sunt.

Lin. 20, addere: « in bonis honeste acquirendis... ». *Ratio*: propter accusationes contra divitias currentes.

Lin. 31, legere: « singularem valorem doctrinae suae religiosae ». *Ratio*: quia non semper agitur de veritate obiectiva.

Pag. 12, n. 8. Hoc valet de familia ut habetur in Occidente. Cavendum est ne in aliis regionibus hic textus abusive adhibeatur. Nam quandoque nomine pa-

triarchalis familiae iura personae negantur, etiam filiis in maioritate constitutis et praesertim mulieribus.

Pag. 12, n. 9, lin. 30, pro « divina », legere « sacra ». *Ratio*: verbum « divina » videtur magis accuratum.

Pag. 13, n. 10, lin. 7, verbum « soli » deleatur. *Ratio*: inutiliter provocans.

Linn. 11-12, legere: « prout est etiam societas hominum libere ex conscientia convocationi divinae respondentium ». *Ratio*: quia in societate hodierna pluralistica, titulus de facto adhibitus est libera associatio credentium.

Lin. 19, verbum « soli » deleatur. *Ratio* supra allata.

N. 11, lin. 34, pro « liber », legere « voluntarius ».

Pag. 14, lin. 5, pro « libera », legere « voluntaria ». *Ratio*: verbum « liber » male intellegi posset relate ad quaestiones de necessitate credibilitatis. « Non-evidentia » obiecti fidei non significat quod fides sit ad libitum. Insuper « voluntarius » melius dicit spontaneitatem adhaesionis personalis.

Linn. 6-8: Hoc non est proprium fidei. Valet pro omni activitate spirituali: adhaesio propositioni philosophicae, in arte, etc.

N. 12, linn. 27-35 deleantur. *Ratio*: interrogentur exegetae. Interpretatio mihi non videtur ad rem. Agebatur in his casibus de gustu immoderato prodigiorum pro seipsis consideratorum, non in quantum sunt signa, vel de tentatione Dei.

Pag. 15, lin. 3, addere: « Discipulum increpavit qui ad gladium recurrebat, attestans se non rogasse Patrem ut sibi plusquam duodecim legiones angelorum exhiberet (*Mt.* 26, 51-53). Nam Christus... ». *Ratio* patet.

In hac paragrapho addantur textus *Mt.* 5, 45 et 13, 29, qui ad rem optime pertinent.

Pag. 16, n. 13, lin. 26, legatur: « usus ».

Lin. 28, addere forsan *1 Pt.* 2, 12.

Pag. 17, lin. 1, legere: « qui in errore vel ignorantia circa fidem... ».

Lin. 5, addere: « Ipse modus diffundendi veritatis divinae spiritualis esse debet, utpote huic veritati plene cohaerens atque conformis ». *Ratio*: homines hodierni melius percipiunt conformitatem quae debet dari inter finem et media.

Lin. 9, pro « libere », legere: « voluntarie ». *Ratione* allata.

48

Exc.mus P. D. LEO DE URIARTE BENGOA

Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Placet iuxta modum. Modus est: Licet propugnanda et acceptanda sit absoluta *libertas religiosa vel conscientaie* quae a solo Deo pendet; sed haec libertas religiosa et haec libertas conscientiae debent esse ordinatae quia absque ordine non potest dari libertatem. Itaque libertas religiosa et libertas conscientiae circumscribendae sunt limitibus rationabilibus, ordinatis et iustis, ita ut extendi non possint ultra iura aliorum; quia si unusquisque habet ius libertatis, habet etiam et alius. Auctoritas Civilis non potest immiscui in rebus conscientiae quae a solo Deo pendet; distinguenda tamen, libertas conscientiae interna, quae est intangibilis et in qua nemo potest immiscui, ab ea libertate quae est externa seu socialis, vel manifestatio externa conscientiae, et in hac potest Auctoritas Civilis ac debet,

tueri atque defendere libertatem conscientiae civium atque etiam impedire ne iura alicuius civium laedantur, ut ita omnes in pace quae est, tranquillitas in ordine, vivant et Deo servire possint, prout volunt.

Non est libertas religiosa, neque libertas conscientiae impugnare, offendere vel dimicare contra religionem alicuius; potest quis exponere suam doctrinam religiosam sed quin contra aliorum doctrinam vel religionem loquantur. Potest unusquisque suam exponere libere doctrinam vel religionem, sed absque conatu impugnandi, vel offendendi vel dimicandi contra aliquam aliam religionem, quamvis ipse credat non esse veram, quia et alius potest etiam credere suam religionem esse veram et non alteram. Expositio doctrinae et dialogus nulli offendit, sed lucem affert, calorem et amorem.

Dicitur de S. Francisco Salesio quod numquam loquutus est contra doctrinam fratrum separatorum, cum esset in medio eorum, sed sese circumscribebat ad expositionem doctrinae christianae, nitide, vere et sincere atque sic convertisse multa millia millium fratrum separatorum.

49

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

Pag. 29, n. 25. 1. Necessitas libertatis religiosae ab omnibus admittitur et in schemate rationes seu argumenta ad persuadendum apta data sunt. Liceat tamen pauca addere ad confusionem vitandam, quae magna revera adesse videtur, uti ex Patrum animadversionibus in aula conciliari erui potest.

Confusio primario habetur quia non omnes Patres eundem sensum iisdem verbis tribuunt. Ideoque ordinatim procedendum est seu per gradus, i. e. primo explicando quod in singulis gradibus per libertatem intelligi debet.

2. Deus hominem creavit cum libera voluntate ita ut ipse libere ageret, immo meritum ac demeritum hominis, actuum ab eius libera voluntate in agendo, unice dependet.

3. S. Paulus, de fide agens, clare dicit rationabile obsequium nostrum esse debere. Nos nempe liberi sumus ac, rationibus seu argumentis quibus Revelatio Divina credenda nobis proponitur bene perpensis seu cognitis, libere credere vel obsequium nostrum praestare debemus.

4. Ideoque homo *primo* inquirere tenetur ubinam sit veritas, quaenam inter diversas sit vera religio et tunc, sub suae conscientiae impulsu, licet libere, necessario tamen sui intellectus assensum verae religioni praestare debet.

5. Homo dum de veritate *libere inquirit, ab extra totaliter liber esse debet tum in suo studio* tum in sua adhaesione vel non veritati de qua in casu.

6. Eo quod Christus Apostolos in universum mundum misit ut omnes gentes docerent et simili modo omnibus hominibus mandavit ut nuntium evangelicum acceptarent, Sacrosancta Synodus clare ac sine ulla verborum ambiguitate, vel timore aut humana consideratione omnibus hominibus, iis qui civilem societatem regunt non exclusis, annuntiare debet Christum Ecclesiae suae munus evangelium praedicandi dedisse, ideoque omnes homines praeceptum accepisse nuntium evangelicum audiendi, licet liberi tamen permaneant in suo assensu.

7. Eo quod omnes homines in sua inquisitione de vera religione totaliter liberi esse debent, sequitur quod illi qui civilem societatem regunt omnibus suis subditis plenam libertatem relinquere debent ut ipsi, maturo ac libero examine peracto, liberi evadant inquirendi, acceptandi ac profitendi religionem quam veram esse putant.

8. Eadem quippe ratione omnes cuiuscumque religionis rectores suis asseclis libertatem relinquere debent ut inquirant, acceptent et profiteant religionem quam ipsi veram esse putant.

9. Ideoque Concilium libertatem religiosam docens seu declarans, nullo modo indifferentismum religiosum agnoscit seu docet, asserendo omnes religiones aequo modo bonas esse, sed tantum declarat hominem in sua inquisitione veritatis a nulla externa coactione turbari deberi.

Nisi hoc modo doctrina de libertate religiosa exposita fuerit, multae ambiguitates locum habebunt, uti de facto iam accidit in aula conciliari quando de hac materia actum est. A fortiori ambiguitates exurgent inter homines pro quibus haec declaratio fit. Hac declaratione peculiari modo perverse utentur qui prava voluntate in Ecclesiam pollent, simpliciores homines decipientes sub speciosa argumentatione quod Ecclesia tandem aliquando praeteritos errores agnoscit cum unam tantum religionem catholicam imponebat.

Conclusionem faciens votum facio ut doctrina de libertate religiosa clariori modo exponatur iuxta animadversiones supra datas.

50

Exc.mus P. D. VIRGINIUS DONDEO
Episcopus Urbevetanus

Pag. 3. linn. 13-17: *cf. pag. 877.*
Pag. 5, lin. 40: *cf. pag. 877.*
Pag. 6, linn. 30-43: *cf. pag. 877.*
Pag. 7, linn. 16-17: *cf. pag. 878.*
Pag. 7, linn. 30-31: *cf. pag. 878.*
Pag. 8, linn. 5-8: *cf. pag. 878.*
Pag. 9, linn. 5-7: *cf. pag. 878.*
Pag. 9, linn. 27-30: *cf. pag. 878.*
Pag. 10, linn. 7-8: *cf. pag. 878.*
Cf. etiam pag. 881.

51

Exc.mus P. D. HUGO ALOISIUS DONOHOE
Episcopus Stocktoniensis

In accord with the general instructions given to the Counciliar Fathers in November to submit their recommendations before January 31, 1965, I wish to voice my opinion on the document on religious liberty.

My suggestion is this: before debate is reopened on religious liberty, the Counciliar Fathers should vote on the acceptance or rejection of the present text on religious liberty. Through interventions they would have every opportunity to make whatever modifications are called for.

52

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS
Archiepiscopus Bisuntinus

I. Quidam sentiunt hanc declarationem *tantum* in *iure naturali* ponendam esse: hoc modo, haec declaratio omnes homines attinget.

Meo iudicio, haec declaratio erit multo firmior si etiam in *religiosis* rationibus firmatur (quae immo positio, ceteroquin, maxime apologetica est). Hae rationes, omnibus credentibus, et a fortiori omnibus christianis lucem acceptissimam dabunt, quae lux ad honorem Dei et Iesu Christi fulget.

II. Nostrum concilium, iis qui animadversiones mittunt, aliquoties aliquas deceptiones affert.

V. g. 1) In animadversionibus quas, die 28-8-1964, de primo schemate *de libertate religiosa* (pag. 36, lin. 5) misi, scripsi (pag. 5 et 6):

« De S. Augustino, tantum commemoratur opus *Contra litteras Petiliani* (*PL* 43/315), scriptum 401/403, sed eamdem sententiam illustris doctor exprimit

1. in *Ep.* 23, missa ad Maximinum, episcopum donatistam, *ante annum 396* (*PL* 33/98). Ei proponit discussiones contradictorias, sed pacificas, militibus absentibus, " ut omnes qui nos audiant intelligant *non* hoc esse propositi mei ut *inviti* homines ad cuiusquam communionem *cogantur,* sed ut quietissime quaerentibus veritas innotescat... *Re* agamus, *ratione* agamus, *divinarum Scripturarum auctoritatibus* agamus ". Mirabile iter ad veritatem! [1]

2. In *Ep.* 34 (*PL* 33/132), scripta *anno 396* ad Eusebium: " Scit Deus... *neque* me id agere ut ad communionem catholicam *quisquam cogatur invitus,* sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, et per nostrum ministerium, Deo iuvante, manifestata se amplectandam atque sectandam satis *ipsa* persuadeat ".

3. Idem, quoad sensum, in *Ep.* 35 (*PL* 33/135). Donatistae filiam catechumenam catholicam, " invitis parentibus ", baptizaverant. Pater eius eam revocare severitate ad communionem catholicam volebat. " Ego [Augustinus] feminam... *nisi volentem,* et *libero arbitrio* meliora deligentem suscipi noluissem; ille rusticus [pater] etiam plagis instare coepit, ut sibi filia consentiret; quod statim omnimodo fieri prohibui " ».

V. g. 2) In interventione in aula de hac re, die 24 sept. 1964, has paginas revocavi.

Attamen, de his omnibus, nulla mentio facta est in novo schemate pag. 23, lin. 15 s.

Itaque iterum dico: Utinam...!

---

[1] Quisque scit variationes auctoris in hac re (v. g. *Ep.* 93, § 17) sed, semper amori oboediens, plus minusve in spiritu nostri schematis est! (pag. 30, lin. 13: « amanter »).

53

EXC.MUS P. D. LEO FERDINANDUS DWORSCHAK
Episcopus Fargensis

Liceat mihi graviter commendare ut textus schematis declarationis *de libertate religiosa seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa,* de quo in sessione III Concilii Oecumenici disceptabatur, retineatur substantialiter prouti emendatus fuit, et ut Patribus eiusdem Concilii opportunitas praebeatur de eodem schemate in hac forma in initio sessionis quartae suffragari.

Ratio huius petitionis haec est: textus emendatus schematis funditus exprimit mentem meam necnon maioris partis Concilii Patrum, prouti in aula Concilii per disceptationes et alia documenta in III sessione demonstratum est.

54

EXC.MUS P. D. ROBERTUS IOSEPH DWYER
Episcopus Renensis

Velim et in eam mentem te, em.me, impellam, ut de religionis libertate tractatum, quem, perpaucis ante diebus sessionem tertiam Concilium hodiernum Oecumenicum posterum in annum protulit, Patres consiliarii acceperunt, secretariatus vester ad eos iterum referre debeat, ut, sessione quarta convocata, res statim disseratur et quam primum controversia, si quae sit, de ea disceptetur.

Concedatur profecto verum esse, ut in locis nonnullis instrumentum melius fieri possit. Superbiae et intolerantiae religiosae ortum, v. g., pertractat (Introd. n. 2), et, quamquam hoc difficile probatu esset, potestatem civilem unice vituperat. Pars IV, n. 13, ut mihi quidem videtur, rem controversam theologicam de ecclesiae provincia in rebus ad legem naturalem pertinentibus supervacanea et inutilis complectitur.

Sententia firmissima et de religionis libertate stabilissima a Concilio promulgata, mihi persuadetur, plurimum valebit. In laude et in gratia cum bonae voluntatis omnibus hominibus semper, haud dubie, erit.

55

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER
Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

Simple suggestion pour un plan d'ensemble. Il n'est pas tenu compte dans ce projet de l'argument tiré de la Sainte Ecriture.

I. *La Doctrine chrétienne de la Liberté.* 1. L'Eglise catholique n'a cessé d'affirmer que la liberté personnelle était à la fois la prérogative de l'individu humain et la condition indispensable de sa vie morale et religieuse.

Dans le prologue de la I-II, c'est-à-dire, de la première partie du traité moral de la somme théologique, S. Thomas affirme: « Homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundum quod per imaginem significatur intellectuale et arbitrio liberum et per se potestativum », et un peu plus loin: « Secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens et suorum operum potestatem ». Cette interprétation de *Gn.* 1, 26 et 27 remonte à S. Jean Damascène, *De Fide Orthodoxa,* l. II, c. 12 (*MG* 94, 920) et, au delà, aux Pères Cappadociens.

2. Cette liberté personnelle, appelée aussi dans ce sens, le libre arbitre, exige que toute personne physique et normale ait la faculté de se décider en vue du bien tel qu'il lui apparaît, sans avoir à subir de violence ni physique ni morale de quelque autorité humaine que ce soit, de quelque personne aussi que ce soit.

Seul le bon usage du libre arbitre peut en effet permettre à une personne de s'élever jusqu'à la liberté morale et à la liberté religieuse qui est la « vocation » du chrétien (*Gal.* 5, 13).

Au contraire, tout acte d'homme (= *actus hominis*), suscité per la violence physique ou par une violence morale grave, est dépourvu de valeur morale. L'Eglise Catholique n'a cessé de l'enseigner soit en décrivant le péché mortel (I-II, qu. 75, art. 2), soit en définissant les effets produits par la violence physique et la peur (I-II, qu. 6, art. 4, 5 et 6, puis *C.D.C.,* can. 103, § 1 et § 2, et les différents cas d'application que le *C.D.C.* en envisage).

3. Il ressort de cette doctrine, commune à l'Eglise et aux institutions inspirées d'un ordre d'essence morale et non du jeu des seules forces irrationnelles (Jean XXIII, *Pacem in terris, A.A.S.,* 55 [1963], pp. 258 et 265), que les actes les plus élevés qu'une personne humaine soit appelée à poser, ceux de foi, d'espérance et de charité, doivent être des actes éminemment libres, c'est-à-dire, préservés de toute contrainte physique et morale. Voilà pourquoi S. Thomas a pu dire: « Quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus » (I-II, qu. 114, art. 4). Sans libre arbitre au départ de la vie morale, l'homme ne pourrait s'élever à la liberté chrétienne qui se réalise au fur et à mesure que « Gratia Spiritus Sancti... facit nos libere operari ea quae conveniunt gratiae et vitare ea quae gratiae repugnant » (I-II, qu. 108, art. 1, ad 2 et tout le contexte). Sans libre arbitre, toute vie chrétienne personnelle serait donc empêchée de s'épanouir et de croître dans l'homme.

4. Il ressort de là, toujours par voie de conséquence, que dans la mesure où elle ne lèse aucun tiers et ne nuit pas au Bien Commun, toute personne, de n'importe quelle race et de n'importe quelle religion, exige que ses convictions morales et religieuses soient respectées et ceci d'autant plus, que nul, en dehors du Seigneur, ne peut apprécier la bonne volonté qu'elle déploie pour s'approcher de la Vérité, qui, selon la foi fondamentale de l'Eglise, « est en Jésus » (*Eph.* 4, 21).

II. *Les Conséquences juridiques de la Doctrine Chrétienne de la Liberté.*

5. Cette doctrine traditionnelle et fondamentale à la fois, demeurerait entièrement inefficace dans la pratique, si les pouvoirs constitués, tant ceux de l'Etat que ceux des communautés religieuses, ne protégeaient et ne favorisaient pas l'exercice de la liberté personnelle à la fois dans leur législation et dans leur jurisprudence. Il est indispensable que le respect de cette liberté figure en bonne place dans les Lois Fondamentales de l'Etat, pour qu'elle possède ainsi la garantie juridique la plus solide.

6. Tout Etat qui entend, en effet, sauver la dignité de la personne humaine, doit octroyer à tous les individus protégés par ses lois, sous la réserve toujours que nul tiers ne soit lésé et que le Bien Commun ne soit perturbé, une double liberté juridique: la liberté personnelle d'opinion et de conscience et la liberté personnelle de libre exercice des cultes.

7. La liberté personnelle de libre exercice des cultes serait toutefois de mince importance, là où l'Etat n'accorderait pas aux communautés religieuses la liberté collective de libre exercice des cultes et de prédication religieuse, la liberté collective d'éduquer leurs membres selon leurs convictions morales et religieuses, la liberté collective d'information en matière religieuse, et, quant aux communautés catholiques, le droit de communiquer librement et sous le sceau du secret avec le Siège Romain. Ces libertés collectives, l'Eglise chrétienne les revendique depuis que Pierre l'a fait devant les autorités constituées de son époque (*Act.* 5, 29) et que les martyrs l'ont fait au prix de leur sang.

8. L'Eglise catholique, à son tour, s'engage à respecter, dans les limites déjà indiquées d'un Droit Fondamental, les convictions religieuses et morales des hommes et des associations religieuses qui n'ont pu parvenir à la même foi qu'elle-même. Fidèle à la doctrine qui vient d'être exposée, elle condamne donc tout emploi de violence, tant physique que morale, soit pour détacher une personne des convictions morales et religieuses qu'elle possède, soit pour amener quelqu'un à la foi et au culte d'une autre obédience.

9. Toutefois l'Eglise Catholique affirme qu'en revendiquant pour les parents chrétiens le droit d'élever leurs enfants dans les écoles chrétiennes (can. 1374) et selon leurs convictions, elle n'entend exercer effectivement aucune contrainte injuste sur la personne de ces enfants: une éducation chrétienne authentique place en effet les enfants, tôt au tard, dans un état de liberté morale, qui, seul, leur permettra de faire de vérités transmises par la famille et par l'école, la matière d'une conviction personnelle et libre.

10. Enfin fidèle à la pratique des Apôtres, l'Eglise Catholique affirme agir conformément à la mission qu'elle a reçue de Jésus-Christ, en préservant ses fidèles des abus de la liberté (*1 Cor.* 4, 21; *Gal.* 5, 13 et *1 Pt.* 2, 16): il lui répugnerait de toute évidence de le faire « en forçant la main » (I-II, qu. 107, art. 1, ad 2: « cohibere manum ») à une époque et dans une société où l'individu, de plus en plus, doit et peut trouver en lui-même les convictions et la force pour résister à l'erreur et à la déchéance.

* * *

P. 3, I. Libertatis religiosae generalis ratio. 1. Rerum status hodiernus. Le développement 1. du début de ce schème comprend 3 alinéas.

1er alinéa: il y est question d'une prise de conscience des hommes d'aujourd'hui. L'objet de cette prise de conscience est désigné par les termes dignitas, libertates civiles, limitatio, et le texte passe de suite à libertas in re religiosa.

Cf. la source citée, note 1, *Pacem in terris,* qui est plus explicite, car dignitas personae y est franchement définie « ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur ».

En restreignant dès le début la liberté de la personne à un droit civil, le schème se prive d'une base solide. Une définition à la fois philosophique et théologique

du libre arbitre, puis de la liberté morale, accompagnée de justifications, auraient dû être placées dès le début du schème.

2e alinéa: nous demeurons dans le domaine exclusivement juridique, nous n'entendons parler que de liberté religieuse, dont le fondement serait le seul terme de dignitas humana placé au début de l'alinéa.

3e alinéa: ce développement est d'une tout autre facture que les deux précédents, puisque les erreurs de l'indifférentisme y sont dénoncées, conformément aux propositions 15 et 16 du *Syllabus,* D. 1715 et 1716.

Cet alinéa porte donc des condamnations sans s'appuyer sur une doctrine préalablement exposée; le schème en effet n'exposera la doctrine que p. 12, sous le n. IV, Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.

Nous touchons du doigt l'une des faiblesses du schème, sa structure. Il paraît indispensable de rester fidèle à la méthode classique des conciles, en partant d'un large exposé doctrinal.

P. 4, 2. Quaestio historica. Une fresque historique est difficile à faire, parce que la hiérarchie de l'Eglise s'est toujours trouvée dans un conflit de conscience que l'on pourrait décrire ainsi: respecter les convictions subjectives, c'est-à-dire, la liberté de conscience, d'une part, et, d'autre part, défendre le dépôt de la Révélation, dont le sens est objectivement fixé.

La hiérarchie a appuyé son action défensive sur *1 Cor.* 5, le cas de l'inceste, puis sur *1 Tim.* 6, 20 et *2 Tim.* 1, 4, le dépôt à garder et à défendre.

Dans le fait, la pratique de l'Eglise envisage 2 situations, exposées dans II-II, 10, 8:

1. Celle des infidèles qui n'ont jamais reçu le don de la foi: « Et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi ut ipsi credant, quia credere voluntatis est ».

Toutefois « sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant... ».

La conversion des Saxons sous Charlemagne est donc à rejeter, comme l'affirmait d'ailleurs Alcuin.

Au contraire, selon les exigences des époques, l'Eglise revendique le droit et le pouvoir de défendre la foi de ses fidèles. Les exigences varient, il appartient au jugement prudentiel de ceux qui gouvernent de choisir les moyens de la défense.

Ainsi s'expliquent, par l'époque: Léon X, Erreurs de M. Luther tirées de la bulle *Exsurge Domine,* n. 33, D. 773; et Pie IX, *Syllabus,* propositions 77-79, D. 1777-1779.

2. Celle des hérétiques et des apostats, dit S. Thomas, *ibid.,* qui avaient reçu et accepté le don de la foi: « sunt etiam corporaliter compellendi ». Ce principe d'action n'est plus admissible: parce que la foi ne s'impose plus avec évidence dans les institutions et que l'Eglise, par conséquent, ignore le degré de mauvaise volonté dans les consciences de ses fidèles. Quant aux hérétiques d'aujourd'hui, ils ne sont plus formels.

P. 7, II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta. L'exposé est scolaire, les déductions sont visiblement orientées vers l'affirmation d'une liberté religieuse de nature juridique. Le texte est une dissertation de droit, qui manque de souffle.

Il aurait fallu montrer que sans liberté intérieure, l'agir de l'homme est dépourvu de toute valeur morale, et passer de là, au nom de la réalisation morale et religieuse de l'homme, à la revendication de libertés de nature juridique; dont la liberté religieuse est un cas privilégié aux yeux de l'Eglise.

Léon XIII et Jean XXIII avaient parlé avec plus de clarté, voir notes 1 et 14.

P. 8, *d*), Conscientia humana. Dans cet alinéa nous relevons:

1. Une énumération d'épithètes, ligne 3, peu conforme au langage de la théologie que S. Thomas a fixé.

Lex aeterna désigne le projet de gouvernement du monde tel qu'il est en Dieu: il n'est connu de l'homme que par impressio, irradiatio ou participatio, donc d'une façon plus ou moins fragmentaire. Cf. I-II, 91, 1 et 93. Cette distinction aurait permis d'établir le principe qui force au respect des consciences: « Quidam, dit S. Thomas, plus et quidam minus participant de cognitione veritatis » (I-II, 93, 2).

2. Un langage inadapté à la mentalité actuelle, qui serait plus sensible au thème de la conscience sollicitée par Dieu; encore faudrait-il dire comment elle est sollicitée et que tous ne le sont pas avec évidence; il y a des degrés dans les sollicitations de Dieu.

P. 9, 5. Limites libertatis religiosae. On souhaiterait plus de précision, p. ex., en englobant ici ce qui est dit p. 11, 7, 4e alinéa et p. 13, 2e alinéa in fine.

P. 12, IV. Doctrinae libertatis religiosae sub luce revelationis.

10. Libertas Ecclesiae. Nous acquérons de plus en plus la conviction que le schème se préoccupe de la liberté juridique attachée à l'Eglise en tant que société; la liberté religieuse, droit inaliénable de la personne, passe toujours au second plan. Ceci est nettement exprimé p. 13, alinéa 2: la liberté des fidèles est placée dans la dépendance de la liberté juridique dont doit jouir l'Eglise en tant que corps.

11. Libertas fidei. Il est inopportun de restreindre la liberté au domaine des activités de la foi. L'acte parfait du chrétien, qu'est l'acte de charité, exige la liberté intérieure et extérieure la plus grande: « Quod ex amore facimus, maxima voluntarie facimus » (I-II, 114, 4).

P. 14, 12. Doctrina evangelica. L'argument scripturaire paraît insuffisant. Des ouvrages comme ceux de W. Eichrodt, Berlin, ou G. von Rad, München, sur la Théologie de l'A. T., auraient permis de montrer que tout au long de son Histoire, Israël a expérimenté la tension entre les impératifs d'une religion collective et les exigences d'une conscience personnelle. Il aurait fallu mettre en relief, p. ex., le début de *Gn.*, l'histoire de David, l'action de Jérémie et d'Ezéchiel.

Les thèmes du N. T. que retient le schème ne sont pas toujours les plus faciles à comprendre: il aurait été indispensable de se servir du thème du cœur et de l'intérieur de l'homme, selon *Mc.* 7, 21 et textes parallèles, puis du thème voisin de l'impur et du pur, selon l'enseignement que donne Paul au sujet des idolothytes, *1 Cor.* 8, 1; cf. *1 Cor.* 10, 14 et *Rom.* 14, 13 etc.

Les deux passages essentiels du N. T., où la véritable liberté est distinguée de la fausse, ne sont pas mentionnés; ils auraient cependant permis de fonder le droit que s'attribue l'Eglise de défendre ses enfants contre les illusions d'une liberté vaine: *Gal.* 5, 13 et *1 Pt.* 2, 16; on pourrait ajouter *Rom.* 6, 15.

Bibliographie supplémentaire: R. HOFMANN, *Gewissensfreiheit in theologischer Sicht,* dans *Festgabe für Th. Müncker,* Düsseldorf, Patmos (1958), pp. 13-31; et article *Gewissensfreiheit,* dans *LThK.*; K. RAHNER, *Die Freiheit in der Kirche* et *Würde u. Freiheit des Menschen,* dans *Schriften zur Theologie,* Einsiedeln, Benzinger, vol. II, pp. 95-114 et 347-378.

Au nom de 7 évêques de la Région Apostolique de l'Est de la France.

56

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
1. *Rerum status hodiernus.*	1. *Rerum status hodiernus.*
... Quae libertatis postulatio maxime ea respicit, quae ad religionem spectant ...	... Quam libertatis postulationem Ecclesia nunc considerare statuit in iis, quae ad religionem spectant. (1)
Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut ius civile evadat ...	Libertas religiosa sive facultas ducendi vitam religiosam, communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana et eius officio erga Deum fundatum, quod debet in iuridica et politica ...
... non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam in religionis libero exercitio ...	... non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam in debitae religionis libero exercitio ...
... neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat, ...	... neque impediatur quominus iuxta suam rectam conscientiam agat, ... (2)

(1) *Ratio correctionis*: *a*) Non videtur verum, universe loquendo, quod sollicitudo hominis hodierni, sibi libertatem vindicantis, ea respiciat vel maxime quae ad religionem spectant, cum ingens hominum multitudo religionem omnino negligat; *b*) illi, qui religionem colunt, non raro maiorem sollicitudinem, saltem practicam, de quamplurimis aliis habent rebus; *c*) Ecclesia revera libertatem sub lumine Dei contemplatur, et, proinde, in ipsa libertate primo respicit donum Dei atque medium vitam ducendi divinae voluntati congruentem, i. e., rectam vitam religiosam; *d*) dicitur *nunc,* quia declaratio est *de libertate religiosa,* et quia libertates circa res alias alibi tanguntur.

Postulatur simul deletio totius commatis (n. 1, p. 3, linn. 9-12), quia libertas religiosa sancita Constitutionis Civitatum haud semper principiis innititur, quae Ecclesia probare possit: ut asseritur hic, et postea sub n. 11.

(2) *Ratio correctionis*: « Libertas religiosa » est locutio aequivoca rite determinanda: non est quaestio de libertate « a religione », sed « ad religionem ». Fundamentum est dignitas humana, non quomodocumque concepta, sed ex eius

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
... Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur, nullatenus significatur...	... Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, nullatenus significatur ... (3)
2. *Quaestio historica.*	2. *Quaestio historica.*
... de omnipotentia status etiam in re religiosa ... ut esset omnipotenti status potestati subiecta ...	... de ... status etiam in re religiosa ... ut esset potestati subiecta ... (4)
In hac doctrina firmius in dies persona humana asseritur esse et esse debere totius vitae socialis fundamentum, finis, subiectum.	In hac doctrina firmius in dies persona humana asseritur esse et esse debere subiectum totius vitae moralis, eiusdemque, sub Deo, fundamentum et finis. (5)
... quae ad religionem spectant.[14]	... quae ad religionem spectant. (6)
... immunis a coercitione.	... immunis ab indebita coercitione. (7)

officio erga Deum. Item, non potest agnosci verum ius cuicumque formae religionis, sed religioni debitae iuxta rectam conscientiam, sicut edixit Ioannes XXIII in litt. enc. *Pacem in terris,* et iterum atque fusius Paulus VI, cuius sunt verba: « ... quanto è in essi (= in hominibus) sacro e insopprimibile: l'aspirazione fondamentale a Dio e il diritto di manifestarla all'esterno nelle forme *dovute* del culto... La *giusta* e bene intesa libertà religiosa ». In Nuntio radiophonico *La ricorrenza,* 22 dec. 1964: *L'Osservatore Romano,* 24-XII-1964, p. 2.

(3) *Ratio correctionis*: Videtur illa verba « quae nostra aetate generatim agnoscitur » delenda esse, quia Concilium notionem libertatis religiosae proponere debet, quae non pendeat a temporum aut aetatum adiunctis, sed potius notionem quae, a revelatione et hominis natura emanans, tempora quaelibet transcendat. Hoc congruit praesertim cum iis quae in *declaratione* dicuntur sub n. 2, pag. 5, linn. 22-26.

(4) *Ratio correctionis*: Vocabula *omnipotentia* et *omnipotenti,* quae in textu declarationis inseruntur (n. 2, pag. 4, lin. pen. et pag. 5, lin. 5), expedire non videntur ad statum applicata; ideo aut simpliciter illa delere aut saltem mutare oportet.

(5) *Ratio correctionis*: Sententia ita enuntiata multo melius congruit cum universo complexu doctrinae Ecclesiae, de qua in textu agitur.

(6) Documenta qua allegantur sub notula 14 (n. 2, pag. 5, lin. 34) ad confirmandam sententiam in textu propositam non pertinent ad rem, si excipiantur litt. enc. *Pacem in terris.* Leo XIII et Pius XI loquuntur de libertate quam filii Ecclesiae habent ubique et palam fidem suam profitendi, uti patebit cuiquam contextum perlegenti. Ipsa vero Pii XII verba ab eodem Pontifice alibi explanata inveniuntur, i. e., in Allocutione diei 6 dec. anni 1953, quando exposuit notam suam doctrinam de tolerantia (cf. *A.A.S.,* 45 [1953], pp. 797-799).

(7) *Ratio correctionis*: Additur « ab indebita », quia aliquando merito coerceri negative potest, ne abusive vita religiosa publice geratur.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
3. *Declaratio.* His positis, haec Sacra Synodus hac sua Declaratione exponere intendit quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat.	3. *Declaratio.* His positis, haec Sacra Synodus hac sua Declaratione exponere intendit doctrinam de debita libertate religiosa. (8)
... praeterea Ecclesia doctrina de hominis dignitate, quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem in re religiosa firmiter sustentat et commendat.	... praeterea Ecclesia doctrina de hominis vera dignitate, quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem in vita religiosa debite gerenda sustentat. (9)
... haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae ... esse in se honestum et vere necessarium ...	... haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum libertatis religiosae ... esse debitum et vere necessarium ...(10)
... in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare.	... in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines, et singillatim et in communitate religiosa adunati, possunt sibi legitime vindicare. (11)
4. *Fundamentum libertatis religiosae.*	4. *Fundamentum libertatis religiosae.*
a) (*Integritas personae*). Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis inseparabiliter connectitur cum aspectu interiore. Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate	*a*) (*Integritas personae*). Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis naturaliter connectitur cum aspectu interiori. Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa iure agnoscat, simulque ei liberum in so-

(8) *Ratio emendationis*: Non videtur verum quod finis *declarationis* sit enuntiare quid Ecclesia cogitet « de hodierno libertatis religiosae regimine » (n. 3, pag. 6, linn. 6-8). *Declaratio* ideo editur a Concilio ut omnibus innotescat doctrina quam circa libertatem religiosam Ecclesia de thesauro profert suo.

(9) *Ratio correctionis*: Quia non omnes recte sentiunt de vera germanaque dignitate hominis; neque quaelibet vitae religiosae forma digna est libertate, ut patet de idololatria, praxi superstitiosa, etc.

(10) *Ratio correctionis*: Non licet ita universaliter approbare regimen « hodiernum » (n. 3, pag. 6, linn. 32-35) ut prototypum, cum non omnia regimina eodem modo agnoscant libertatem, salva honestate de facto, neque probatum est regimen quodcumque libertatis religiosae esse absolute honestum ac necessarium.

(11) *Ratio correctionis*: Non enim bene dictum videtur « omnes communitates religiosae » (n. 3, pag. 6, linn. 39-42), ubi facile praefata verba extenduntur ad aequivalentia: « pluralitatem religionum legitimam seu naturaliter debitam ». Revera ius naturale non competit nisi uni veraeque communitati religiosae.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
religionis exercitium deneget. Hoc enim modo violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis.	cietate religionis exercitium sine causa extrinseca proportionata deneget. Hoc enim modo violaretur integritas vitae personalis. Nexus inter libertatem interiorem debitam et eius manifestationem socialem aptam solvi nequit salva integritate debita vitae religiosae hominis. (12)
b) (*Inquisitio veritatis*).	*b*) (*Inquisitio veritatis*).
... Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis.	... Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus, honesto dialogo exponendis coram aliis veritatem de re religiosa conquirentibus. (13)
c) (*Indoles religionis*).	*c*) (*Indoles religionis*).
... Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali.	... Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in sua religione Deo debita publice riteque exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali. (14)
d) (*Conscientia humana*).	*d*) (*Conscientia humana*).
... Hisce autem nostris diebus, aucto sensu dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigitur, ne scilicet quis in societate humana impe-	... Immo hodie et semper, vera aestimatio dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigit, ne scilicet quis in societate humana impe-

(12) *Ratio correctionis*: Melius quam « inseparabiliter » (n. 4, pag. 7, linn. 3-15) dicitur *naturaliter,* quia revera, debite vel indebite, actus exteriores sunt separabiles ab actu interiori. Aliquando, supposito actu interiori, merito impeditur actus exterior, ut patet, verbigratia, de non consummatione furti intenti; et aliquando, reddito impossibili actu exteriori, urget ponere saltem actum interiorem.

Simulque addere oportet verba illa *sine causa...,* quia aliquando absque iniuria moderatur exterius vita religiosa, etiam legitima, ob bonum commune civitatis.

Denique, loco « integritas personae » ponitur *integritas vitae personalis,* nam, proprie loquendo, actus exteriores hominis, licet a persona dimanent, non pertinent ad personae integritatem.

Postrema verba aptius determinantur vocabulo *debita,* quia non quaecumque religiositas, sive interna sive externa, est iusta et libertate digna, ac proinde veri iuris fundamentum exstat.

(13) *Ratio correctionis*: Sic vitatur fictum illud ius evulgandi aberrantes opiniones inter fideles incautos aut ignorantes.

(14) *Ratio correctionis*: Ex supra dictis patet.

Textus emendatus

diatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo...

e) (*Moderatio civitatis*). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur, et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur. Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici. Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum est necessarium. Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat.

Textus noviter correctus

diatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum rectam suam conscientiam, salvo ... (15)

e) (*Moderatio civitatis*). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem pervadunt et transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia propria et immediata ordinem terrestrem et temporalem primario attingit, intuitu tamen finis transcendentis civium, et cuius potestas legifera directe actus exteriores ordinat. Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religionis nequit iudicare, nisi prout exterius innotescunt, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis veritatis religionis et boni communis. (16)

---

(15) *Ratio correctionis*: Hoc etenim ius haud tantum « hodiernum » est, verum etiam permanens seu pro semper valorem habens. Nihilominus, debetur dignitati humanae *recte aestimatae,* et iuxta *rectam* conscientiam, ut constat ex doctrina catholica satis expressa in Litt. Enc. *Pacem in terris.*

(16) *Ratio correctionis*: Clausula « cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » multiplici displicet ratione. *Primo,* quia non refert doctrinam documentorum, quae allegantur sub n. 22. Divus Thomas loquitur de *iudicio* legis humanae analogo sensu ac moralistae et canonistae faciunt cum asserunt: de interioribus non iudicat Ecclesia. Inde tamen, minime sequitur Ecclesiam non habere potestatem in conscientiam. S. Thomas explicite docet legem humanam posse praecipere actus virtutum (I-II, 96, 3), qui non sunt mera executio externa, atque ideo obligare in foro conscientiae (*ibid.,* a. 4).

Verba Ioannis XXIII ad rem non spectant, quia agit de habitudine singulorum civium ad invicem, non vero de rationibus inter publicam potestatem et subditos adstantibus. De hoc tantum nunc tractatur; sed littera *declarationis* loquitur de alia re, *de potestate legifera status* videlicet (n. 3, pag. 8, linn. 37-38). *Secundo,* verba illa non solum carent quovis auctoritatis patrocinio, sed insuper sunt falsa. Nonne vero Ecclesia semper verbum S. Pauli praedicavit, scil.: auctoritati civili obtem-

perandum esse « propter conscientiam »? (*Rom.* 13, 5). Item, Ioannes XXIII, statim post verba, quae inutiliter allegantur in n. 22, ait omnino ad rem: « qui igitur personam Civitatis gerunt, tunc tantum homines *ex animi conscientia obligare possunt,* si eorum auctoritas cum Dei auctoritate coniungitur eiusque est particeps » (*Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55, p. 270). Et pergit Summus Pontifex docens quod illi qui obediunt civilibus magistratibus, obediunt et serviunt Deo, cui servire regnare est (*ibid.,* p. 271). Nunc iam quaeritur: quomodo civium conscientia ligari potest lege civili, nisi eadem lex, nudam exterioritatem transcendens, conscientiam attingat? *Tertio,* verba illa non cohaerent cum textu ipsius *declarationis.* Iuxta ipsam, libertas religionem publice profitendi habet duplex fundamentum, quod ita enuntiatur: *a*) « nexus inter libertatem interiorem eiusque manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis... » (n. 4, *a*], pag. 7); *b*) actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret, in actus exteriores prodeunt... » (n. 4, *e*], pag. 8). Age iam: si actus interior et exterior seiungi nequeunt, cum sermo est de personis singulis, cur non seiungi possunt, sed *de facto* seiunguntur in *declaratione* ad restringendam competentiam Status? Dicemusne Statum esse tantum centrum coordinandi ea officia, quae curant publicam vigilantiam et externam securitatem ordinis constituti? Bonum commune, quod civili potestati committitur, nihil aliud continet nisi officium vigilantiae? *Quarto,* intrinseca contradictio textus propositi magis adhuc effertur si attendantur ea quae dicuntur postea in *Relatione* sub titulo *Ratio habetur obiectionum maiorum* (2, pp. 37-38): de indistinctione inter ius obiectivum et ius subiectivum. Cum agitur de quaerendo fundamento libertatis personalis, aufertur distinctio; cum vero quaestio est de competentia Status, eadem distinctio exaggeratur. Individualismum haec sapiunt.

Praeterea, verba allata n. 4, *e*), pag. 9, linn. 5-7 regulam continent nimis concretam, quae pendet a prudentia et non debet enuntiari in documento Concilii. Optimum erit concordare iura civium singulorum cum iuribus Status atque exigentiis boni communis; et non videtur rationabile praesupponere quod concordia statuenda erit semper ampliando ad maximum usum iurium singulorum et restringendo ad minimum iura Status et exigentias boni communis. Aliquando et alicubi res ita componi poterunt, sed non semper et ubique. Ideoque regula universalis non, uti fit, proponenda est. Adde etiam: si verba illa intelligantur sub lumine principii enuntiati in notula 23, displicent omnino. Licetne respicere Statum eiusque iura uti rem civibus odiosam? Nonne iura illius emanant a natura atque ab eadem natura ordinantur ad tuenda iura civium? Si iura Status sunt odiosa, propterea quod nonnumquam coarctent iura civium, cur non iura uniuscuiusque erunt etiam odiosa ceteris, quandoquidem eos similiter coarctent vel coarctare possint (cf. *textum decl.* n. 5, a], pag. 9). Nemo non videt hinc facillime fieri transitum ad conflictationes sive civium adversum Statum, vel viceversa, sive civium ad invicem.

Itemque, verba quae leguntur n. 4, *e*), pag. 9, linn. 7-10 non referunt « doctrinam de libertate religiosa ex ratione desumptam » (n. 4, pag. 7, initio), sed solum doctrinam de incompetentia Status ad regimen vitae religiosae, quae est propria Ecclesiae catholicae. Quod evidenter patet legenti verba Leonis XIII, quae citantur in notula 24.

Denique, etiam quae allegantur sub notula 20 non cohaerent cum textu *declarationis*: nemo capere poterit quae sit connexio verborum Ioannis XXIII cum

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
5. *Limites libertatis religiosae.*	5. *Limites libertatis religiosae.*
... quae constituuntur exigentiis ordinis publici. Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae ...	... quae constituuntur exigentiis boni communis, quod committitur potestati publicae ...
... nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum.	... nisi quando exercitium religionis graviter noceat bono communi sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem quorumcumque iurium aliorum. (17)
6. *Cura libertatis religiosae.*	6. *Cura libertatis religiosae.*
... tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter rationes religiosas.	... tutelam curamque iustae aut debitae libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica cavendum est ne vi aut metu civibus verae religionis professio imponatur, aut civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter religionis rationem.
... ad religionem ipsam delendam	... ad religionem ipsam delendam

---

textu cui eadem respondere volunt. Idem dicendum est de documentis quae citantur sub notula 21. Nam Leo XIII et Pius XI loquuntur de habitudine Status non ad religionem simpliciter, sed ad Ecclesiam catholicam; et tunc patet quod competentia Status coarctatur ad temporalia, quamvis semper servato ordine ad aeterna. Aliunde, haec pars *declarationis* inscribitur « doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta » (n. 4, pag. 7, initio). Sed documenta allata ipsorum Pontificum doctrinam hauriunt ex revelatione, eaque proponunt prout emanat ab eadem revelatione. Ergo hic extra locum afferuntur. Evidens enim est rationes intercedentes inter Statum et Ecclesiam catholicam non posse extendi ad definiendam habitudinem Status ad religionem quamlibet. Nemo ignorat Status habere iura et competentiam in educationem civium, quae non potest esse vere humana absque religione seu recta hominum ordinatione ad Deum; religio autem, suapte natura, tempus transcendit. Competentia Status proinde non restringitur ad temporalia.

Omnibus igitur perpensis, ex praedictis duae conclusiones iure meritoque eruuntur: *Prima*: redigere textum prout noviter proponitur. *Secunda*: delere verba quae in pag. 9, *e*) linn. 5-10 leguntur.

(17) *Ratio correctionis*: Melius quam de « ordine publico » (n. 5, *b*], pag. 9, linn. 27-37), qui hodie habet sensum nimis extrinsecum, dicendum est de *bono communi,* quae locutio est frequenter in Magisterio Ecclesiae, et aliunde etiam magis ethica et theologica censenda. Inter iura aliorum includitur ius ad veritatem religiosam.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.	vel cohibendam in individuo vel in societate. (18)
7. *Libertas communitatum religiosarum.*	7. *Libertas communitatum religiosarum.*
Libertas religiosa, quae singulis personis competit ...	Vera germanaque libertas religiosa, quae singulis personis competit ... (19)
10.	10. *Dignitas ac libertas filiorum Dei.*
	Praeter dignitatem naturalem, adest alia multo excellentior, dignitas nempe supernaturalis, qua homo est filius Dei ex gratia et caritate (*Rom.* 5, 5; *1 Io.* 3, 1), cui dignitati debetur libertas religiosa quam nobis attulit Christus, quaeque ideo appellatur libertas filiorum Dei: libertas a servitute diaboli et a servitute peccati. Libertas igitur non quidem errandi vel profitendi quamcumque religionem, sed illam tantum quae est unice vera, quam praedicavit ipse Christus, extra quem nemo salvatur (*Act.* 4, 12). Et consequenter libertas eam praedicandi in universo mundo, ex mandato Ipsius, cui data est omnis potestas in caelo et in terra (*Mc.* 16, 15-16).
	Neque illi, qui catholicam fidem iam susceperunt, libertatem habent de ea dubitandi vel ab ea recedendi quocumque praetextu vel quacumque ratione, sed e contra officio adstringuntur in ea perseverandi, quin tamen huius-

(18) *Ratio correctionis*: In *declaratione,* religio quae tutela et cura digna est, non alia quam religio iuste Deo debita, ideoque adiectivatio *debita* omitti non deberet, sed apponenda esset in n. 6, pag. 10, lin. 5, sicut fecit Paulus VI in Allocutione iam relata diei 22 dec. 1964.

Praeterea, ea quae dicuntur in linn. 11-13 atque in linn. 19-28 sunt iterationes praecedentis numeri, ideoque valedicantur.

(19) *Ratio correctionis*: Oportet distinguere, una cum Ecclesiae Magisterio, religionem veram seu Deo debitam et alias religionis formas, quibus non adest verum ius sociale, nec individuale proprie dictum. Falsum, utpote malum, non fundat verum ius et officium, sicut etiam atque etiam docent Leo XIII et Pius XII.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
	modi captivatio intellectus in obsequium Christi minuat veram libertatem, sed potius eam servat et tuetur, sublata falsa libertate errandi. Cum quo tamen stat quod homo fidelis, vera libertate psychologica veraque libertate morali ab omni coactione, verum liberae voluntatis obsequium praestet Deo revelanti (DENZ. 3010, 3014). Qui vero hanc fidem et religionem agnoverunt et susceperunt, nullum habent ius eam submittendi dictamini personali propriae conscientiae per modum dubitantis vel ipsam anxie quaerentis, sed tantum per modum ipsae firmissime adhaerentis. In iis qui veritatem invenerunt vel in veritate nati sunt atque educati, non est fides submittenda et regulanda libera eorum conscientia, sed potius eorum conscientia submitti debet ac regulari ex fide. Qui autem nondum eam invenerunt fidem, ius et officium habent ipsam inquirendi, eamque amplectendi et profitendi ex quo invenerint. Quod dicitur de singulis hominibus, proportionaliter dicendum est de iure et officio societatis civilis ac Status, qui pariter a Deo sunt et Deo obsequi debent. (20)
Libertas Ecclesiae.	*Libertas Ecclesiae.*
In bonis Ecclesiae quae ubique semperque ...	In bonis Ecclesiae quae ubique semperque ...

(20) *Ratio correctionis*: Textus *declarationis* silet de hac libertate, quae vel maxime biblica exstat, idcirco ab Ecclesia quam maxime proclamanda. Additio opportuna ac necessaria censetur. Oportet etiam distinguere inter veram dignitatem et libertatem filiorum Dei (ab errore et licentia peccandi) et pseudo-dignitatem et libertatem hominis recedendi a veritate fidei et salute Christi. Hae omnes libertates indistincte proclamatae inveniuntur in illa professione Universali Iurium Humanorum, die 10 decembris 1949 ab O.N.U. prolata, quae sane hac ex parte stare non potest cum catholica doctrina. Haec eademque libertas ad officia et iura adimplenda, vindicanda est civili Societati et Statui, iuxta notam Romanorum Pontificum doctrinam, praesertim vero Leonis XIII in Epist. Enc. *Libertas* et *Immortale Dei.*

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
Iam vero ubi reapse viget hodiernum regimen libertatis religiosae, ipsa ... Ecclesia stabilem obtinet condicionem et iuris et facti ... ipsius rationis lumine comprobatum.	Iam vero ubi reapse viget hodiernum regimen libertatis religiosae, ipsa Ecclesia stabilem obtinet condicionem et iuris et facti ... ipsius rationis lumine comprobatum. (21)
11. *Libertas fidei.*	11. *Libertas fidei.*
Doctrina fundamentalis catholica est ... Ideo in regimine libertatis reli-	Doctrina fundamentalis catholica est ... Ideo in regimine libertatis reli-

---

(21) *Ratio correctionis*: Quae inseruntur in textu emendato, n. 10, pag. 13, linn. 16-28 melius omitterentur. En ratio: agitur ibi de facti particularis hodierni declaratione, quae quidem extra quaestionem remanet. Praeterea, illud factum non semper cum pleno Ecclesiae iure ex voluntate Christi atque ex iure fundato in veritate religionis componitur. *Theoretice* dici nequit omnes religiones a veritate aberrantes eodem gaudere iure ac Ecclesia catholica. *Practice* autem, etsi in determinatis circumstantiis tale « regimen libertatis religiosae » faveat verae religioni, hoc non demonstrat verum statum iustitiae in illis regionibus, et minus adhuc si hoc fiat indistincte pro omnibus, uti monebat Leo XIII in Epist. *Longinqua Oceani.*

Praeterea, verba Pii XII, quae allegantur sub notula 30, non habent illum sensum quem hic eius *declaratio* indit. Ait vero Pius XII paululum ante verba inlata: « essa (=Ecclesia) per principio, ossia in *tesi*, non può approvare la completa separazione dei due Poteri » (*A.A.S.*, 45, 1953, pag. 802). Ergo ubi « hodiernum regimen libertatis religiosae » fundatur in separatione Potestatum, non viget libertas religiosa, quae sit ad mentem allegati documenti Pii XII, et propterea invalide eiusmodi verba ad confirmandum « hodiernum regimen libertatis religiosae » inducuntur.

Demum, ibi doctrina contraria innuitur, immediate post verba citata in notula *declarationis*; addit ibi Summus Pontifex: « quando la Chiesa ha apposto la sua firma ad un Concordato, questo vale per tutto il suo contenuto. Ma il suo senso intimo può essere, con mutua cognizione di ambedue le alte Parti contraenti, graduato; può significare una espressa approvazione, ma può anche dire una semplice tolleranza, secondo quei due principi che sono la norma per la convivenza della Chiesa e dei suoi fedeli con le Potenze e gli uomini di altra credenza » (*ibid.*). De illis duobus principiis, cf. *ibid.*, pp. 797-799.

Manifestum igitur est ea, quae Ecclesia tolerat tantum, non directe iuvare et ex se ad missionem suam divinam omni qua par est independentia exsequendam. Quam ob rem omne Concordatum Ecclesiae praebet instrumentum aliquod, vi cuius libertate iuris et facti gaudet in Civitate quacum illud init. Sed haec iuris et facti libertas non semper est libertas quae adaequat postulata divini iuris, ut infert *declaratio* contra apertam sententiam Pii XII; quandoque agitur de libertate tantummodo iuris humani, quam ipsamet Ecclesia acceptat ad vitanda maiora mala, et hoc secundum regulas tolerantiae facit, prout idem Pius XII ibidem edicit.

Textus emendatus	*Textus noviter correctus*
giosae condiciones dantur, in quibus exigentiae doctrinae catholicae in hac materia observantur.	giosae condiciones dantur, in quibus exigentiae doctrinae catholicae in hac materia observantur.
12. *Doctrina evangelica.*	12. *Doctrina evangelica.*
Libertas religiosa ..., eique fovet pro pastorali sua erga libertatem humanam sollicitudine.	Libertas religiosa ..., eique fovet pro pastorali sua erga libertatem humanam sollicitudine. (22)
14. *Conclusio.*	14. *Conclusio.*
Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere pos-	Sacra ergo Synodus christifideles omnesque homines bonae voluntatis adhortatur ut libertatem filiorum Dei

(22) *Ratio correctionis*: Quae in nn. 11 et 12 in textu emendato inseruntur, haud paucas et parvas difficultates suscitant. Quoad numerum 11, textus prior melior videtur, ideoque ad ipsum redire arbitramur opportunum. Quoad numerum 12, ibi, in textu emendato videlicet, non considerantur nisi aspectus superficiales libertatis fidei.

Si Patres deputati malint retinere textum emendatum utriusque numeri, sequentia notantur: a) *Relate ad numerum 11*:

1. Ultima sententia incidit in animadversiones de quibus usque nunc sermo fuit.

2. Textus emendatus protrahitur sine causa, nam de natura libera actus fidei nemo est qui in Concilio dubitet: ad quid igitur tot testimonia? Insuper, testimonia Sacrae Scripturae inducta non apparent directe connexa cum quaestione de libertate religiosa, prout saltem in *declaratione* consideratur.

3. In toto emendato textu potius quam curare *de bono usu libertatis* eiusdemque iure in homine et in societate erga Deum colendum, videtur prae oculis habere unice *ipsam libertatem* simpliciter sumptam, sub quacumque forma vel modo exerceatur (etiam ad malum vel ad errorem). Et tunc haec doctrina haud differt a « liberalismo ». Nec sufficit extollere *libertatem personalem* contra Status totalitarios antipersonalistas, sed opus etiam est extollere *rectum et dignum usum libertatis* contra autonomiam absolutam conscientiae ad libitum.

b) *Relate ad numerum 12*:

1. In pag. 14, linn. 28-41 sermo est de miraculis Christi. Sed quaeritur: potest revera dici quod Christus non fecit miracula ea scil. determinata ratione quod « violentiam redolerent »? (lin. 37). Cur ergo aliquod eorum patratum est ab Elia? (cf. linn. 40-41). Est verum quod miracula inferunt violentiam fidei? Nonne maximum omnium miraculorum Resurrectio Christi? Nonne Apostoli eam continuo cordi habent, et non utique ad fidem extorquendam, verum enim ad eam confirmandam?

2. In pag. 15, linn. 32-34, si textus emendatus servatur, addere oportet: regimen *debitae* libertatis religiosae... Et ratio ex supra dictis iam iterum patet.

Textus emendatus

sint religionem privatim publiceque profiteri; patet etiam libertatem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari.

Non desunt tamen regimina in quibus ... in societate ducendam observentur.

Faxit igitur Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servato regimine libertatis religiosae in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimiorem illam ac perennem libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

Textus noviter correctus

internam magis magisque adsequantur, iustumque exercitium cultus Deo debiti privatim publiceque curent vel concedant. Item exoptat ut Civitates et regimina hanc iustam libertatem, quam ius naturae et gratia postulant, rite agnoscant et in ius civile mandent. Denique, cum manifestum sit cunctas gentes magis magisque in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri relationibus, ut pacifica concordia pacificusque profectus humanitatis foveantur atque firmentur, ipsa Sacra Synodus adprecatur ut illi qui gratiam verae ac indubitabilis fidei catholicae acceperunt, omni cum humanitate ac reverentia personae debitis, alios alloquantur et eorum propriam professionem religiosam ne incongrue obstruant, sed fideliter servent traditam Ecclesiae doctrinam.

Faxit igitur Pater luminum ut familia humana per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad illam libertatem Christi in veritate (*Gal.* 5, 1; *1 Tim.* 2, 4; *Io.* 8, 32) unumque cultum Deo debitum. (23)

(23) *Ratio correctionis*: Conclusio noviter proposita est veluti corollarium inductum ex supra relatis animadversionibus in textum emendatum. Est aliunde magis cohaerens cum doctrina Ecclesiae, magisque succincta et, ni fallimur, magis cum Concilii Vaticani II pastorali indole adaequata.

57

Exc.mus P. D. ANTONIUS FERREIRA GOMES

Episcopus Portugallensis

Dilatio temporalis in hoc schemate suffragando potest atque debet ad meliorem frugem, Deo favente, perducere. Declaratio enim de libertate religiosa, die 11 novembris 1964 in actuali forma prolata, debilior quidem, enervior incohaerentiorque quam antea apparet.

Emendatio in melius nunc rursus fidenter et alacri animo partim redintegranda partim autem de novo aggredienda mihi videtur. Eo magis universali expectationi nunc apprime respondere debet quo maius scandalum commotionesque de extranea quidem procrastinatione, negato cuiuscumque generis voto, exorta atque late diffusa sunt.

Quoad praesentem formam schematis, praeter ipsam intentionem, procul dubio multa alia bona admittenda erunt; quae tamen minime prohibent quominus plurimae iure admoveantur obiectiones circa quaedam alia, quarum potiores ad sequentia capita reduci possunt:

a) Schema declarationis, potius quam documenti conciliaris (quod utique ab homine hodierno maxime, inter omnia alia et prae illis, considerabitur atque scrutabitur) imaginem praesefert cuiusdam catechesis ad pueros erudiendos sensimque sine sensu ad amarum remedium glutiendum manuducentis;

b) adhuc hoc « rationale lac » quasi ad meram agnitionem atque timidam proclamationem exigentiarum conscientiae hodiernae reductum apparet, ex quo non unus suspicabitur Ecclesiam, post plura colluctationis contra libertatem saecula, se tandem aliquando victam agnovisse;

c) immo vero, cum schema quasi apologetice (ad renuentibus calcitrantibusque suadendum, ni fallor, de ipsius ecclesiastica utilitate) procedat, verendum ne in eo mundus denuo videre velit specimen opportunismi et ignobilis accommodationis, sc. quod nunc Ecclesia maius emolumentum profectumque ex libertate generali quam ex privilegio suo expectet, quando nempe plura Gubernia profitentur atheismum, islamismum etc. et iam paucissimi « Status catholici » inveniuntur;

d) cum in tribus prioribus capitibus declaratio omittat rationes et fundamenta theologica doctrinae, non poterit fugere quandam speciem pragmatismi, evolutionismi coacti atque « modernismi » accommodatitii;

e) conspectus, a saeculo XIX tantum ductus, est omnino inadaequatus, in partes contrarias potius ducit nec revera paucis verbis expediri potest; cum verus et utilis perspectus quaestionis sit reapse ille millennarius aevi seu « rhythmi constantiniani », iam pessumdati aut tandem pessum euntis (qui forte non expresse describendus sed semper prae mente in perspectandis tum ideis tum motibus habendus erit).

Ad haec et alia huiusmodi incommoda vitanda mihi videntur in reficiendo schemate tria praecipue attendenda, quae debita reverentia subdo:

I. Universa declaratio principiis et doctrinis S. Thomae est innitenda. Hoc, quod iam ab initio sentiebam, cuius vero omissio quasi quiddam extraneum et inintelligibile autumabam, nunc a consequenti, post circumventiones de declaratione, maxime autem mentem divisione circa S. Thomam praehabita et bene perspecta (quae mihi neutiquam irreductibilis videtur), mihi sole clarior utile et necessarium apparet. Re quidem vera qui S. Thomam *magistrum* volunt non possunt auctoritatem sancti Doctoris in hac re contemnere: qui autem Aquinatem ut *stimulum* et *speculum* studiosorum praeferunt rem ipsam rationesque admittent, immo vero iamiam ut plurimum admittunt.

Doctrina de *conscientia* apud S. Thomam fundamentalis omnino est latissimeque in universum magisterium suum patet. De conscientia autem *erronea,* quae propius ad quaestionem nostram accedit, multa bona atque inter se cohaerentia,

maxime autem in illo praeclaro art. 5, q. XIX, I-II^{ae}, S. Th. quem utique articulum optimam declarationem de libertate conscientiae ipsissimis verbis, adhuc pro mundo hodierno, proclamare possemus: et quidem non tantum ut *ius* sed etiam ut *officium* sequendae propriae conscientiae, etiam errantis.

« Conscientia nihil aliud est quam applicatio scientiae ad aliquem actum. Scientia autem in ratione est. Voluntas ergo discordans a ratione errante, est contra conscientiam. Sed omnis talis voluntas est mala: dicitur enim *Rom.* 14, 23: " Omne quod non est ex fide peccatum est ", idest omne quod est contra conscientiam. Ergo voluntas discordans a ratione errante est mala ». Et in corpore articuli hanc perpetuam doctrinam evolvit et explanat solari claritate atque collucentibus exemplis, minime celans *pathos* controversiae, sc. controversiae illae adversus scholam franciscanam sive contra augustinismum sui temporis (quae fuit colluctatio totius vitae suae et adhuc... post mortem, at non contra franciscanos, tantum).

« Cum conscientia sit quodammodo dictamen rationis, idem est quaerere utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala, quod quaerere utrum conscientia errans obliget...

Quia obiectum voluntatis est id quod proponitur a ratione ut malum, voluntas, dum in illud fertur, accipit rationem mali. Hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis. Non solum enim illud quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens; sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis. Puta, abstinere a fornicatione bonum quoddam est; tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod a ratione proponitur. Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, feretur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala, quia vult malum: non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum, et necessarium ad salutem: sed voluntas non fertur in hoc, nisi secundum quod a ratione proponitur. Unde si a ratione proponatur ut malum voluntas feretur in hoc ut malum: non quia sit malum secundum se, sed quia est per accidens ex apprehensione rationis. Et ideo Philosophus dicit, in VII *Ethic.* quod " per se loquendo, incontinens est qui non sequitur rationem rectam: per accidens autem, qui non sequitur etiam rationem falsam ". Unde dicendum est simpliciter quod omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala ».

Ideo voluntas concordans rationi, idest secundum conscientiam, est bona, etiamsi ratio erret inculpabiliter, quia « manifestum est quod illa ignorantia quae causat involuntarium, tollit rationem boni et mali moralis » ut prosequitur in art. sequenti (6); seu, ut concludit in art. 7 (cum Augustino dicente « quod intentio remuneratur a Deo ») « bonitas voluntatis ex intentione finis dependet ».

Haec doctrina, praeprimis moralis ac religiosa, absque dubio cohaeret cum principiis generalioribus et proxime metaphysicis, in quibus ipsa obiectivitas et stabilitas moralitatis innititur. Ita omnem rationem boni et mali ad transcendentem rationem *veri* atque ad ipsam *naturam* actuum humanorum iuxta propria obiecta reducit. « Verum intellectus practici aliter accipitur quam verum intellectus speculativi, ut dicitur in 6 *Ethic.* Nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem... Verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum (seu, ut dicit in corpore articuli, ad voluntatem in finem debitum ordinatam per habitum rationis). Quae quidem conformitas in

necessariis locum non habet, quae voluntate humana non fiunt; sed solum in contingentibus quae possunt a nobis fieri, sive sint agibilia interiora (de quibus est prudentia) sive factibilia exteriora (de quibus, ars) (I-II^{ae}, q. 57, 5 ad 3). Rectitudo autem appetitus hic rursus definitur per finem seu intentionem, quia, sicut perfectio et rectitudo rationis in speculativis dependet ex principiis, « in humanis actibus se habent fines sicut principia in speculativis, ut dicitur in 7 *Ethic.* Et ideo ad prudentiam, quae est recta ratio agibilium, requiritur quod homo sit bene dispositus circa fines: quod quidem est per appetitum rectum » (*ibid.,* a. 4).

Haec et similia quae in *Summa Theologica* profitetur prorsus cohaerent cum eis quae ubique semperque docuit. Ita in *Commentariis Sententiarum* (II, 39, 3 ad 1) et *De Veritate* (17, 4) asserit illud *per accidens* fieri secundum legem Dei quod a ratione praesentatur quasi conforme legi Dei, cum revera non sit; qui autem talem conscientiam habet *per se* obligatur a conscientia recta, per accidens autem ab erronea (quam habet ut rectam). « Dicitur enim conscientia secundum quod aliquis sibi conscius est. Quamvis autem scientia sit semper verorum, non tamen quidquid aliquis aestimat se scire, verum est; et ita non oportet quod semper sit conscientia vera » (*II Sent.* 39, 3, 2 ad 4).

Haec est doctrina *thetica* Doctoris Universalis, quod, ni fallor, omnes admittunt. Nunc autem si aliquis, contra hanc theticam et absolutam positionem, effata plurima eiusdem Doctoris de haeresi et apostasia adducere vellit, agnoscere debet se nihil intelligere aut considerare nolle de structura civico-religiosa Medii Aevi: de « republica christiana », de « sacro imperio », de communitate *fidelium* (fidelis ultimatim insimulque erga Imperatorem et Papam), de professione catholica quasi parte essentiali conceptus ipsius tum civis tum principis etc. Si hoc « rhythmo constantiniano » adhuc nostratibus congredimur, tunc etiam « duplex gladius » a Pontifice nostro assumendus est, non tantum ut *fideles,* mediante principe, coerceat sed magis ut principes et imperatores ad fidem profitendam, fovendam tuendamque ducat, cum illo necessario consectario quod, si ipsi a fide deficiant, eos excommunicatione ac depositione plectat, iuxta Decretum « Nos Sanctorum » Gregorii VII, et *fideles* a « fidelitate et sacramento » erga eos absolvat, immo vero « ne sibi fidelitatem observent omnibus modis » prohibeat, ut videre fuit, luctuose quidem, adhuc saeculo XVI exeunte! Attamen, quoad ipsam mentem Doctoris Angelici, notandum est eum conscium fuisse ius et praxim repressionis haereticorum esse aliquid temporale, « hypotheticum » scil. « reipublicae christianae »; nec ideo habere rationem naturalis iuris absoluti, immo nec essentialis praxis Ecclesiae a Christo provenientis, sed potius praeseferre rationem *poenae* vi iuris Ecclesiae *temporaliter* acquisiti. Ita v. g. in II-II, q. 12, a. 2, dicit: « Infidelitas secundum seipsam non repugnat dominio, eo quod dominium introductum est de iure gentium, quod est ius humanum; distinctio autem fidelium et infidelium est secundum ius divinum, *per quod non tollitur ius humanum.* Sed aliquis per infidelitatem *peccans* potest *sententialiter* ius dominii ammittere, sicut quandoque per *alias* culpas ». Et quod hoc ius poenale adhuc ut *temporale* ab ipso habeatur patet ex responsione ad obiectionem ex Ambrosio probante obedientiam militum erga Iulianum « Apostatam » sumptam, cum dicit: « *illo tempore* Ecclesia, in sui novitate, nondum habebat potestatem principes compescendi ».

In intolerantia erga haereticos et apostatas (contra « tolerantiam » iudaeorum et aliorum infidelium) semper apparet rationem *infidelitatis* seu transfugii relate ad

societatem illam civico-religiosam sem *sacram.* Infideles nihil *promiserant,* ideo non sunt compellendi, qui autem fidem aliquando acceperunt et libere confessi sunt « sunt etiam corporaliter compellendi *ut impleant quod promiserant* et teneant quod semel susceperunt » (II-II^{ae} q. 10, a. 8). « Gravius peccat *qui non impleat quod promisit* (haereticus) quam si non impleat quod numquam promisit » (*ibid.,* a. 6). Haereticus meretur privari societate *humana,* quasi hostis ipsius. Haec positio historico-doctrinalis luculenter etiam resultat ex ipsa notione « brachii saecularis », ad quam Aquinas provocat (et quam « sancta Inquisitio » numquam oblita est) fictio iuris utique, et lugenda quidem fictio; attamen ius est in figura et formalitate. Decretalis dicit, quod « si aliqui, post abiurationem erroris, deprehensi fuerint in abiuratam haeresim recidisse, *saeculari iudicio* sunt relinquendi (II-II^{ae}, q. 11, a. 4). Et antea (*ibid.,* a. 3): Ecclesia « ulterius relinquit eum iudicio saeculari a mundo exterminandum per mortem ». Et adhuc notandum in hac re Aquinatem non doctrinam ullo modo suam efferre sed tantum praxim Ecclesiae iustificare. Alioquin addendum adhuc est habitudinem penitus diversam Doctoris Universalis ad duplicem infidelitatem retentam esse a Schola, ita ut, dum ad intra, ope « sanctae Inquisitionis », « Malleorum Beneficarum » et huiusmodi lugendis mediis *politiam* civico-sacram procuravit et exercuit — adhuc nunc Inquisitio a quibusdam iustificatur ut « tribunal defensionis socialis »; sed num est Ecclesiae? — ad extra nihilominus scil. ad infidelitatem negativam quod attinet, praeprimis *Schola salmanticensis* veram theticam doctrinam renovat ac tuetur atque hac navitate, ope praecipue Fr. de Victoria et discipulorum suorum ius gentium modernum et hodiernum « Statum iuris » creavit (ut etiam graphice seu pictorice in ipsa sede Societatis Nationum agnoscitur) atque, coram nova realitate colonialismi et imperialismi, ius naturale a divino-positivo non abolito nec abolendo semper asseruit, et practice, ope maxime Bartholomaei de las Casas coram « novo mundo » convertendo, in rem adducere sategit, qui etiam sancto Pontifici Pio V proposuit et exoravit ut Sancta Sedes assumeret supremum munus « fidei impositae » abhorrendae atque prohibendae, unde ortae sunt prius specialis Commissio Cardinalitia ac dein Congregatio de Propaganda Fide, quae certo certius numquam nec hodie libertatem conscientiae compescuit aut compescit.

Haec sufficient, et forsitan abundabunt (attamen quod abundat non nocet) ut elucescat *thesis* S. Thomae, quae est etiam *thesis* Ecclesiae, heri et hodie et in saeculum. Conditio autem historica, seu « hypothesis », erat omnino alia, non tantum diversa verum etiam contradictoria immo summe contraria conditioni societatis et mentis hodiernae. Si ergo, spreta *thesi perenni,* nunc temporis adhaeremus « hypothesi » praegressae atque devexae, peccamus (sit venia verbo!) contra Aquinatem, contra rationem, contra historiam atque ... contra Ecclesiam.

II. Cap. IV declarationis, meo sensu, est simpliciter omittendum; quae ibi nova et propria inveniuntur, signate « doctrina evangelica » sub n. 12 posita, erunt in fundamentationem theoretico-historicam transferenda.

Mirum tamen mihi prorsus videtur, cum Evangelium adducitur, alto silentio premi ipsissimam historiam salutis, in quantum est affirmatio factiva et factrix conscientiae religiosae, immo etiam, ut asserunt auctores de cetero profani, « creatio » nova conscientiae personalis. Quae enim Christus « coepit facere et docere » (optime commemorata in n. 12) complentur eis quae pertulit pro nostra omnium salute. Passio autem et mors in Cruce non sunt nec a divino Magisterio nec a realitate historica simpliciter separanda, et quasi per saltum in ordine tantum transcen-

dentali et mystico perspectanda: sunt etiam in re *factum* quoddam humanum et maxime humanum, sub luce etiam phaenomenico-historica perspectandum. Nec supernaturale quid sine natura (in casu, sine historia) intelligitur. Nunc autem historice Christus mortuus est pro affirmanda et affirmata libertate religiosa, seu responsabilitate conscientiae humanae erga Deum prae hominibus et iure humano. Ipse autem definivit hoc facinus contra conscientiam humanam ut *auctoritatis peccatum* « maius peccatum » theocratiae Iudaicae, ideo etiam peccatum, peccatum certo *minus* at verum peccatum, Romani imperii. Peccatum autem est semper offensa Dei; et, in casu, specialiter offensa Dei et blasphemia subsignantur ut abusus publicae auctoritatis, inquantum respondit Iesus: Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset *desuper* (*Io.* 19, 11). Certo certius numquam satis conscii erimus, numquam ideo satis in historiam hominum aget, illud supremum, historice transcendens at vere historicum, quod adoramus, ut Fons totius salutis, Victimam facinoris dupliciter scelesti « rationis Status »! ...

Cum Christus decrevit Caesari danda quae sunt Caesaris, Deo autem quae Dei sunt, non agitur tantum de distinguenda re politica a religiosa sed de creando novo et proprio (id est atheocratico) spatio seu sphaera rei religiosae. Scimus enim in civitate antiqua nullum Dei spatium dari quin esset ipsum etiam Caesaris: Caesar est simul Pontifex Maximus (apotheotice ipse deus et salvator, sicut vicissim dea Roma et reges), religio seu cultus est negotium civitatis, Philosophia debet ad cultum civitatis educare (ut Socrates expertus est), Politica, minime Theologia, est maxima et summa scientiarum. Cum ergo Christus se Pastorem bonum proclamavit (reges dicebantur communiter « pastores populorum »), cum admisit et dixit se Magistrum, Dominum et Iudicem, cum Petro et ceteris apostolis potestates confert eos monens contra exemplum et praxim regum gentium, cum tandem in iudicium mortis vocatus regnum Veritatis edixit et se Regem Veritatis agnovit, agitur de nova creatione, de Ecclesia ut regno conscientiae et libertatis, de novo spatio libertatis humanae scil. de persona humana ad Deum et coram Deo, et ideo extra et praeter Statum, tandem aliquando de homine ut hodie iure concipitur, qui ad extra iam colit ideam humanitatis supra ideas etiam iustas illam limitantes, atque ad intra hoc plus minusve sentit et iam expressit: « De Deo loqui est de homine loqui, de homine funditus loqui est de Deo loqui » (neutiquam de Statu illo « divino » hegeliano). Hoc est, ni fallor, in declaratione nostra clare manifestandum; atque confirmandum historia trisaeculari Ecclesiae coram imperio Romano, quae non aliud est quam colluctatio pro libertate conscientiae religiosae, sive pro ipso spatio libertatis regni Dei, aut populi Dei, aut hominis simpliciter scil. hominis ad Deum aut ad se (nempe ad suum autonomum et personalem finem), contra « Statum religiosum » aut, quod ultimatim in idem recidit, contra « religionem » Status (nihil inde mirum quod christiani, sicut olim Socrates, de *atheismo* damnarentur, ut « secta athea et sine legibus »).

Hoc postea, sub « rhythmo constantiniano » ultra modum obscuratum est: et a quibusdam illud millennium hodie adhuc pro aeternitate et dogmate perenni habetur (quod, ut vidimus, philosophia ipsa perennis, etiam in ipsissimis incunabulis mentis historice conformandae, non postulavit). Sed tandem aliquando ad lucem ingenuam properamus: et nihil prohibet quominus « primos christianorum » habeamus (etiamsi essemus ultimi, sicut primigenii christiani de se ipsis censebant) ...

III. Doctrina libertatis religiosae prorsus a quaestionibus de tolerantia distinguenda est. Tolerantia enim est circa malum aut minus bonum; efformare autem et sequi propriam conscientiam est non tantum ius sed etiam officium cuiuscumque personae sui compotis, ideo simpliciter bonum.

Nihilominus censeo in declaratione non omittenda principia generaliora tolerantiae, ob plures rationes quae ad sequentes plus minusve reduci possunt:

a) Homines, cum non sint perfecti nec simplices, in sua vita ducenda generatim moventur appetitorum complexu tam vario et colorato ut nec ipse agens multoties sibimetipsi plenam rationem reddere valeat, ceterorum autem semper suspicioni perversae aut impurae intentionis subiciatur. Hoc generatim et fere iure meritoque viget ubi « Status catholicus » libertatem civico-politicam coercet. Ibi omnes suspicantur dissidentiam religiosam, aliquo saltem gradu, esse assertionem alicuius possibilis libertatis, quam solidarietate externa plus minusve tueri confiditur. In Hispania clarissimus Archiepiscopus Ovetensis nuperrime agnovit « res religiosas semper simul fuisse politicas atque religiosas ... Utque modo qui confessiones acatholicas profitebant habebantur in Hispania ut « inimici ». Non admodum constat utrum inimici fidei an patriae ».

b) Qui hodie talem libertatem suspicari et de perfida intentione damnare intendant non carent textibus ecclesiasticorum scriptorum, et quidem maximorum Patrum et Doctorum, qui haeresim et apostasiam sub luce axiologice valde negativa despiciunt quique si absque distinctione temporum summantur possunt ad intolerantiam quin ad semper accodatam « sanctam Inquisitionem » ducere. Recolantur, e. g. Augustinus: « Haereticus est qui alicuius temporalis commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur »; aut Gregorius: « ex inani gloria oriuntur novitatum praesumptiones ». Ipse S. Thomas, salva principaliter infidelitate « secundum puram negationem » quae « non est peccatum », admodum proclivis ad ius sui temporis tutandum pro republica christiana defendenda, propendendo ad supponendam potius infidelitatem « secundum contrarietatem ad fidem » secundum quod erit peccatum iure ecclesiastico-civili punibile.

c) In comperto est colluctationem plurisaecularem ad hodiernam libertatem religiosam capessendam sub vocabulo *tolerantiae,* sive bene sive male, ductam esse. Ut omnes ideo rem intelligant, immo ut Ecclesia demonstret se non timere quodlibet veritatis signum ubiquaque inveniatur et iustitiam praestare eis qui eam tuentur, aliquid de tolerantia eiusque habitudine ad libertatem dicendum erit.

d) Tandem Pontifices ipsi saeculi XIX et XX doctrinam Ecclesiae quoad tolerantiam, ad mentem S. Thomae evolverunt; et adhuc Pius XII habitudinem ad conditiones nostri temporis, respectu inprimis habito ad exceptionem Status catholici in mundo aconfessionali hodierno, iuxta vocabulum et conceptum tolerantiae adamussim cooptavit. De hoc magisterio, saltem theoretice, nemo dissentit: re autem bene perspecta, huiusmodi magisterium, quod reapse ad libertatem religiosam ducit (et ad hoc intendebat), verbotenus nihil aliud est quam discessus seu *expoliatio* « rhythmi constantiniani ». Ideo doctrina libertatis conscientiae videtur complenda atque firmanda psychologice, adhuc autem paedagogice et historice quasi manuducenda per doctrinam alias evangelicam tolerantiae positivae, scil. caritatis christianae ad consuetudinem civilem humaniter agendam et ad convictum pacificum et amicum in gentibus ac inter gentes adparandum dicentis.

58

Exc.mus P. D. IOANNES FERRO
Archiepiscopus Rheginensis

Schema laudabiliter clariorem doctrinam de libertate religiosa proponendam intendit, ut dialogus oecumenicus haberi possit.

Sed ad hunc finem assequendum, fideliori ac diligentiori ratione adhaereat oportet Ecclesiae doctrinae, quae potissimum elucet in Romanorum Pontificum documentis.

Textus schematis quemdam hirenismum sapit, cum detrimento verae doctrinae Ecclesiae.

Deest in textu concinnitas sermonis.

59

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Iam tamquam principium debet statui necessitas declarationis de libertate religiosa in mundo hodierno. Ne tamen fiat in detrimentum animarum et contra Dei voluntatem, debemus agnoscere limitationes quasdam quae vitent proselytismum, ne contra ac debemus vitare, foveamus religiosas luctas inter cives qui pacifice convivere debent.

Concrete loquentes de schemate nostro exhibito habet plura bona, immo et optima e. g. nn. 1 et 2. Nisi quod pag. 5 lin. 15, debet poni post immutabilis, dein alia linea diversa: Mutantur tamen.

N. 3, pag. 6, lin. 32... regimen iuridicum libertatis religiosae, nempe quod statuit... Cum enim multa et diversa sint regimina libertatis in multis locis expedit ut statuatur quale regimen libertatis scil. quod viget in Hispania, quod viget in America, in Anglia, vel in aliis locis.

Videtur melius poni iam hic: Quod scil. neminem obligat, neminem prohibet a faciendo tali...

N. 4. Omnino videtur retractandus et verus reddendus, est enim falsus omnino et multa continet quae defendi non possunt.

a) Homo qui persona est natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis inseparabiliter connectitur cum aspectu interiori: Hoc tamen non videtur verum. Multa enim interiora non manifestantur, immo saepissime non debent manifestari, non expedit manifestare, ergo non sunt inseparabiles. Est utique connaturaliter connexum, est ordinarie connexum, at non inseparabiliter.

Quod sequitur etiam falsum videtur: Non fit iniuria si quis personalem libertatem religiosam interiorem agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget: Agitur de rebus omnino diversis, cum sequelis et antecedentibus diversis: 1. quidem libertas interior, libertas ad religionem interiorem profitendam, sentiendam etc. est omnino ius connexum cum essentiali libertate interiore qua homo gaudet, cum propria conscientia et ius inviolabile internum; ast

in exercitio externo, in manifestatione externa omnino debet considerari influxus externos, iura aliorum, mandata aliorum. Quoties repugnabunt iuribus aliorum in defensione propriae religionis, religionis filiorum, etc. bene alibi dicitur. Nullo modo laeditur integritas personae, sicut non laeditur quando imponitur censura pro scriptis quae agitationem, revolutionem, immoralitatem, perversiones producere possunt in mundo. Falsissimum est quod dicitur lin. 10: nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem exteriorem est indissolubilis. Datur enim saepissime non solum possibilitas sed etiam realitas separationis. Exercitium enim interius potest haberi singulis momentis, domi, in templo, in cubiculo et de facto saepissime datur.

Libertas religiosa interior cum exteriori, non est una, indivisa et indivisibilis, sed multiplex, varia, diversa et divisibilis. Immo iura externa non sunt semper eadem, eodem modo et ratione. Non potest aequaliter tractari quae diversa sunt: sicut non debet gestiri eodem vestimento qui grandis est, ac qui parvulus; qui adiposus est et qui subtilis. Ita etiam in modo tractandi omnes alios debent considerari proportiones, si revera aequitatem volumus servare, in scholis, in manifestationibus etc., ut vitetur proselytismus perniciosus omnino pro pace.

Veritas religiosa ordinarie invenitur per dialogum. Attamen potuit Deus statuere alium modum; praedicatione et doctrina speciali, scil., revelata. Nec potest dici quemque posse docere per plateas et vicos, sine ullo titulo, vel mandato et singulariter si alii nolunt recipere; tunc ad favendam libertatem novorum, novatorum iniuria fiet aliis qui sunt in possessione, quod omnino vitandum est.

Ullo modo videtur agnoscendum ius exponendi aliis, quae ipsi credunt se invenisse, licet falsum sit. Et si ageretur de vita religiosa quae existimatur a Deo imposita et iussa nemo potest talia iubere, talia propagare contra illam, cum periculo perversionis, sicut venenum non potest propinari, licet aliquis credat se invenisse optimum quid.

Cetera quae hoc numero dicuntur admitti possunt, et sufficiunt si bona fide agatur. Non tamen ita fit, sed multoties actum est, et agunt non hac bona fide sed, proselytismus omnino inhonestus promovetur contra libertatem aliorum, bonam fidem aliorum, ingenuitatem, parvam scientiam, vel potius ignorantiam profitentes. Non omnia enim quae protestantes speciatim sectae aliquae agunt honesta, et nobiliter fiunt.

In n. 12: curandum est ne etiam textus adducti et interpretati suo vigore genuino destituantur ita ut virtus evangelii et vim obligandi amittant: quod enim et Christus fecit et damnationem cum qua minas paenarum nuntiavit sua vi destituantur: Qui non crediderit condemnabitur et apostolorum ratio agendi demonstrat se esse certos, et certam obligationem aliorum esse.

N. 14. Certissime ab omnibus exigitur ut libertas detur pro sua professione; non adeo clara videtur libertas proselytismi, libertas propagandae quae aliorum fidem offendere, debilitare, vel ruere potest. Nec semper, etiam qui propriam vitam dare parati sunt, et dederunt, ut plus quam 20.000 in Hispania fecerunt sunt capaces defensionis logicae, nec respondere possunt rationibus, licet et ipsi dixerint: nescimus quomodo respondeamus sed parati sumus pro Christo et pro Ecclesia catholica mori et de facto ita mortui sunt, tot sacerdotes, tot seminaristae, tot iuvenes de Actione catholica.

Deo gratias pro Christo sanguinem suum fuderunt et ideo cum Christo regnant sine fine.

Iterum dico omnino certum est debere vitari coactio ad credendum, sed debet imponi coactio ne aliis qui in bona fide sunt fidem amittant, ex iniusto proselytismo.

Quid ergo de missionibus? Non sumus nos qui Missiones volumus vel imponimus est Deus, et obedire oportet Deo magis quam hominibus: Euntes docete omnes gentes. Ego mitto vos sicut agnos in medio luporum..., et occident vos... sed nolite timere ego vici mundum. Et de facto semper verum fuit et erit: Noli vinci a malo sed vince in bono malum.

60

EXC.MUS P. D. GUALTERUS ANDREAS FOERY
Episcopus Syracusensis

In genere schema declarationis in praesenti forma *mihi placet.* Tamen, quaestio historica (ad pag. 4, n. 2) nimis complexa est. Exinde non includeretur hoc in textu sed remitteretur ad notam.

Non datur ratio doctrinalis nec ratio pastoralis pro prima paragrapho ad pag. 6, n. 3 (declaratio) ubi sermo fit de unica vera religione. Iam satis tractatur alio in loco et in aliis Concilii documentis.

61

EXC.MUS P. D. MARIUS FRANCISCUS FORST
Episcopus Dodgepolitanus

In view of the Council's inability to express by vote its opinion of the declaration on Religious Liberty during session three, may I intervene with a request that the text Religious Liberty presented to the Council Fathers on November 17, 1964 be retained, and presented immediately in session four as the basis for a complete vote.

There may be minor improvements needed in the text, and these, I am confident, can be made as a result of the « modi » that will result.

However, the Council Fathers have expressed their opinions first on the need for a conciliar statement on Religious Liberty; and as a result of the discussion enjoyed during the third session they have made clear the direction this statement should take. The present text surely is a reflection of the wish of the majority of the Council Fathers, and as such should not be arbitrarily rejected.

62

EXC.MUS P. D. IOANNES B. FRANZ
Episcopus Peoriensis

Valde agitati sunt permulti episcopi et alii per decisionem qua Praesidentia Concilii suffragium promissum supra schema *de libertate religiosa* revocavit. Haec decisio, deliberationibus tres per annos non obstantibus iacta, apud multos videtur

violatio bonae fiduciae et quasi infausta diffidentia facultatis iudicii patrum conciliarium.

Quapropter, ardenter imploramus textum huius schematis in declarationibus essentialibus omnibus conservatum esse et iterum quam citius coram quartam Concilii sessionem positurum esse.

63

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

I. Actualis aliquarum societatum situatio, in quibus nempe sic dicta moderna libertas religiosa viget, nimis optimistice praesentatur. Estne revera aliquid optimum, quo melius nihil sperandum sit? Sed quid de futuris hominum experientiis scimus?

II. Iudicium historicum de tota hac quaestione, prout in schemate datur et exponitur, non rectum videtur: a nostra moderna conceptione nimis pendet, alia tempora cum aliis opinionibus forsitan alia iudicia historica dabunt. Ideoque tale iudicium, quod in documento conciliari et iniustum esse potest, omittamus.

III. Duo principia, magna cum vi, affirmanda videntur: 1. nullus homo, quacumque de causa a nemine, neque a publica auctoritate civili vel religiosa, externe in re religiosa cogi vel impediri potest; 2. Ecclesia ipsa, etsi in re religiosa se verum possidere sciat, ab una parte quos sui non sunt ad catholicam religionem quocumque modo ingrediendam cogere non potest, neque eos in eorum religione exercenda impedire, ab alia autem parte quos sui iam fuerant, externe atque violenter, e. g. cum poenis temporalibus etiam a sic dicto brachio temporali praestitis, quocumque modo afficere vel affligere non potest.

Quae principia, bene intellecta et in praxim honeste deducta, quominus tristis atque iniusta ambiguitas oriatur impediunt: ne quando catholici in aliqua societate multi, ideoque fortes, sunt sibi ipsis tantum libertatem religiosam quaerant, eamque aliis omnibus denegando vel iniuste limitando; quando e contra in alia societate pauci, ideoque debiles et ut non raro istis in circumstantiis vexati, sunt magno cum clamore sibi et aliis libertatem religiosam ut maximum bonum petant.

Denique duo ipsa principia essentialia, sufficientia, revera catholica omnibusque Patribus accepta videntur: ideo Concilium ea ita asserat suaque faciat ut nemo ipsa in discrimen adhuc legitime vocare vel ab eis Ecclesia amplius discedere possit. Quorum lucida atque fortis confirmatio Concilium, magna cum utilitate et spe omnium Patrum consensus, multis atque salebrosis quaestionibus historicis et practicis, quae ceteroquin si tantum indirecte tanguntur, prouti in nostro schemate fit, non bene solvuntur et in diversis temporibus diversas solutiones habuerunt et sine dubio habebunt, manifeste exonerare potest.

* * *

Pag. 17, linn. 20-33 « non desunt... vitae humanae adiuncta » et pag. 20, linn. 24-26 « quo magis... religiosam fovendam ».

Utique maxima culpa est quando societas cum legibus impedit liberum exercitium religionis (utpote apud atheistas); sed nonne videtur optimismus, saltem

exaggeratus, si de nationibus ubi viget « libertas religiosa » de iure et de facto in vita ordinanda, nihil omnino dicatur in tota declaratione, de magnis difficultatibus, quae ordinarie religionis exercitio fiunt ex nimia libertate in vita morali? Utque est atheismus apud communistas, sed magna immoralitas apud nationes vulgo democraticas, de facto est magnum periculum pro libertate religiosa uniuscuiusque. Ideo dicatur aliquid etiam de isto magno periculo contra practicam libertatem in re religiosa, quod adest apud nationes ubi viget libertas iuridica religionis.

Pag. 11, linn. 26-28: « quoad exercitionem... vel rudioribus agitur » et pag. 15, linn. 15-16: « non... inhonesta, sed »: secunda supprimatur, prima saltem mutetur. *Ratio*: affirmatio satis gravis contra praesentem praxim: insinuatur nempe suspicio quod de facto sic agatur in non paucis... quod non constat! ne dicatur quod agitur de animadversione pro futuro: et hoc etiam est satis durum!

Pag. 13, linn. 23-28: « concordia igitur... rationis lumine comprobatum » et pag. 14, linn. 8-11: « ideo in regimine... in hac materia observantur » et pag. 15, linn. 31-36: « iuxta mentem... sollicitudine ». Est insistentia exaggerata: agiturne de « aliqua exercitatione scholari »? Est revera necessarium quod cum tot repetitionibus eadem res dicatur? Ne obliviscamur pluries in hac declaratione affirmare ne nimia coercitio « libertati » detur... Ergo: saltem aliqua istarum expressionum supprimatur vel minuatur.

Pag. 14. Totum n. 12 placet iuxta modum. Totus hic numerus ab integro retractandus est; quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam. Igitur petimus ut hic numerus iterum tradatur peritis in hac re, ut compendiosa atque numeris perfecta fiat theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis; de qua re illustria exstant studia sive catholica sive protestantica.

64

Exc.mus P. D. IOANNES MARCUS GANNON
Episcopus Eriensis

Novum schema quod *de libertate religiosa* dicitur, quodque circa conclusionem III sessionis Concilii Vaticani Secundi prolatum est, mihi plerumque acceptabile esse videtur. Favore ergo meo praecipue gaudet, si, ut videtur, pro disputatione in IV sessione eiusdem Concilii deferri debet.

Bonum vero esset si textus sequeretur normas a Litteris Encyclicis *Pacem in terris* datas, vitatis tamen theologicis controversiis.

Volo itaque animadversionibus em.mi D. card. Alberti Meyer obsequi.

Magna mihi spes est ut schema ipsum initio ipsius sessionis proferatur atque Patrum omnium assensum recipiat.

65

EXC.MUS P. D. RAPHAEL GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

1. Enixe rogatur Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam ut clarius Concilio exponat utrum praesens textus declarationis *de libertate religiosa* a commissione de doctrina fidei et morum fuerit revera approbatus necne. Etenim, iuxta relatoris declarationem, textus « plus quam duabus tertiis partibus membrorum huius commissionis placuit, nonnullis tamen ex parte maioritatis observationibus factis » (Schema ..., *Relatio,* pag. 30) (a. v., maioritas sufficiens obtenta est computando simul suffragia affirmativa simpliciter — « placet » — et affirmativa conditionate — « placet iuxta modum » —); Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam, fatente eodem relatore, de ipsis rationem habuit « in quantum non contradicebant textui quem secretariatus unanimiter confecit iuxta emendationes in aula petitas a Patribus conciliaribus » (Schema ..., *Relatio,* pag. 30) (a. v., Secretariatus rationem non habuit earum emendationum commissionis theologicae, quae menti Secretariatus non correspondebant). Potest tunc quaeri utrum vota affirmativa conditionate (*placet iuxta modum*), conditionibus non attentis, possint adhuc affirmativa considerari. Et in tali hypothesi Secretariatus enixe rogandus est ut Concilio manifestet utrum textus adhuc habeat pro se maioritatem suffragiorum commissionis theologicae necne.

Implicita excusatio Secretariatus (textus nempe confectus erat « iuxta emendationes in aula petitas a Patribus conciliaribus ») non bene intelligitur; omnes enim optime sciunt petitiones Patrum habuisse in hac re directiones prorsus oppositas. Dicat ergo potius Secretariatus textum confectum esse iuxta criterium ipsius Secretariatus taleque criterium fuisse normam absolutam ad iudicandas emendationes commissionis theologicae.

2. *Problema de magisterio pontificio praecedenti.* Omnes norunt magisterium pontificium praecedens in hac re haberi. Omnes optime cognoscunt tale magisterium maximam difficultatem offerre doctrinae schematis. Illam schema solvere vult appellando ad circumstantias historicas saeculi decimi noni, et sic textus, attentis illis circumstantiis, illud magisterium interpretatur tamquam duplicem damnationem: damnationem talis notionis « libertatis religiosae, in qua omnimodus relativismus atque indifferentismus in re religiosa latebat » et damnationem « totalis autonomiae potestatis publicae sine modo sine lege, cum quo (sic; qua?) totalitarismus hodiernus intime connectitur » (Schema n. 2, pag. 4 s.).

Ad haec animadvertere oportet Pium XII eiusque magisterium ad saeculum decimum nonum non pertinere.

Praeterea aliud est quaenam fuerit occasio alicuius interventus magisterii ecclesiastici et aliud quid illa occasione Ecclesia docuerit. Iam vero evidens est doctrinam Ecclesiae de hac re, id est, principia theoretica in documentis illa occasione datis prolata non posse reduci ad has duas simplices damnationes.

Petendum ergo est: ut sincere examini subiiciantur magisterium praecedens atque principia ab Ecclesia de hac re prolata, quin recursus fiat ad tam faciles solutiones sicut illa a schemate excogitata. Post illum laborem sincere et scientifice

peractum apparebit utrum possit dici doctrinam schematis procedere « e principiis, quae semper eadem manent in suo sensu et sua sententia » (Schema n. 2, pag. 5).

3. *Positio centralis schematis.* Quaestio, quam sibi schema proponit haec est: « quid censet Ecclesia de modo quo libertas religiosa in vita sociali et civili hodie plerumque ordinatur et stabilitur » (Schema ..., *Relatio,* pag. 26). Responsio est sequens: « haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem. Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare » (Schema n. 3, pag. 6).

In hac ultima assertione maxima difficultas habetur, quae evidentius apparebit, si consideretur id quod in Relatione dicitur de tolerantia, quando « Ratio habetur obiectionum maiorum »: « Contra declarationem obiicitur, Ecclesiam posse tolerantiam approbare, non tamen libertatem religiosam. Quodsi accurate intelligitur status quaestionis hodiernus, haec opinio non iam potest sustineri » (Schema ..., *Relatio,* pag. 40). Sed haec, sic dicta, opinio est expressa doctrina Pii XII: « Con questo sono chiariti i due principi, dai quali bisogna ricavare nei casi concreti la risposta alla gravissima questione circa l'atteggiamento del giurista, dell'uomo politico e dello Stato sovrano cattolico riguardo ad una formula di tolleranza religiosa e morale del contenuto sopra indicato, da prendersi in considerazione per la Comunità degli Stati. Primo: ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza né alla propaganda, né all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (All. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 20 [1953], p. 799; ex hac Allocutione plura alia de nostro argumento colligi possent). « (L'Eglise) estime que leurs convictions (des non-catholiques) constituent un motif, mais non toutefois le principal, de tolérance » (All. *Vous avez voulu,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 22 [1955], p. 679).

Haec omnia ostendunt, serio et scientifice in tam gravi materia procedendum esse. Et si revera, ut affirmat schema, principia servanda sunt, principia Pii XII investigare oportebit.

Assertio schematis non potest tuto fundari in notissimis verbis Ioannis XXIII in Enc. *Pacem in terris*: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.,* 55 [1963], p. 260). Cf. quae de sensu illius verbi « rectam » scripserunt inter alios G. DE BROGLIE, *Le Droit naturel à la Liberté religieuse,* Paris 1964, pp. 183-188 et V. RODRÍGUEZ, *Sobre la libertad religiosa: La Ciencia Tomista* 91 (1964), pp. 414-418.

66

EXC.MUS P. D. SECUNDUS GARCÍA DE SIERRA Y MENDEZ
Archiepiscopus Burgensis

Post tertiam redactionem huius schematis, sperare licet quandam perfectionem in textu, sereno animo quaerendam. Doctrinam revelatam, traditionem Ecclesiae et rerum statum hodiernum attendere oportet lucide, alte, harmonice, prout decet Concilium. Vitentur igitur pericula obscuritatis, demagogiae levitatis in determinandis principiis, exaggeratae pressionis vulgatae litteraturae et ambientis, ut veritas obiectiva quaeratur, custodientes depositum et devitantes profanas vocum novitates (cf. *1 Tim.* 6, 20). Necessarium aequilibrium non aderit dummodo methodus et criteria adhibita vel maxime intendant desideriis, potius quam veris rationibus, quorumdam satisfacere.

Haec volvens, quasdam mutationes in textu propono necessarias:

1. *Vitetur positivismus iuridicus.* Ius de quo agitur pag. 3, linn. 13-17, confundi videtur cum iure legali. Iam vero, ius in dignitate humana fundatum non identificari potest cum iure legali, est enim ius involvens necessario iustitiam. Proinde dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana *et vera iustitia fundatum,* quod ... ».

Pro pag. 6, linn. 30-43, quid simile videtur dicendum. Redactio sit: « Haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum *populorum huius temporis, dummodo* principiis rationis humanae *fulciatur,* esse in se honestum ... affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae *atque iustitia* fundatum... ».

Hic modus procedendi continuo prae oculis habeatur, ut vitetur canonizatio factorum, quorum convenientia saepe a circumstantiis pendet, nec possunt elevari in legem universalem; insuper, ita vitatur identificatio veri iuris cum iure legali, quod potest acceptari aliquando ut convenientius pro determinata situatione, semper vero perfectibile est.

2. *Vitentur concretae interpretationes historiae.* Licet quae n. 2 leguntur (pag. 4-6) in genere sustineri possint, Concilii non esse videtur ingredi quaestiones quae potius philosophis historiae essent amandandae. Doctrinae iudicatae nobis valde proximae sunt in tempore, ut debita moderatione et sufficienti perspectiva appareant in complexu totius humanae historiae; aliunde agitur de problematibus quae fere exclusive mundum Occidentis tangunt; denique, nimio optimismo modum cogitandi hodiernum tamquam culmen perfectionis in subiecta materia quis poterit cogitare. Ideo convenientius abstineret Concilium ab his iudiciis concretis in rebus historicis.

Conclusio huius n. 2. (pag. 5, lin. 40) teneri non potest. Dicatur: « *Novus quidam modus proponendi quaestionem* de libertate religiosa ... ». Quaestio enim antiquissima est, ut historice de facili comprobatur.

3. *Limites obiectivi personae humanae ne transgrediantur.* Quod non raro fit in textu: *a*) quando, pag. 7, linn. 1-15, exaggeratam unionem inter actum interiorem hominis et exteriorem proponit schema. Dicatur: « ... in eius activitate aspectus socialis *intime* connectitur cum aspectu interiore ». Falsum enim est adesse

unionem *inseparabilem* in unoquoque actu, nam actus quidam externe poni non possunt propter laesionem alicuius boni aut veri;

b) quando transitus fit illegitimus ab actibus internis in exteriores, qui transitus tantummodo licet quando actus exteriores boni sunt. Ita pag. 8, linn. 5-8, dici debet: « Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in religione publice exercenda, *ab iniusta actione,* sive legali ... ». Non autem esset iniusta actio impedire, saltem aliquando, malum. Ita doctrina concordabit cum his quae prius n. 5 schema dixerat;

c) quando negatur potestati civili potestas moderandi *quovis modo* actus externos religionis, ut expresse dicitur pag. 8-9, lit. e. Utpote incongrua et non undequaque vera nec necessaria, melius supprimerentur;

d) quando ansa praebetur individualismo in modo extollendi libertatem (pag. 9, linn. 5-7). Dicatur: « Ea debet homini agnosci libertas quae *legi divinae, dignitati humanae et exigentiis iustitiae sit consentanea* ac non restringenda ... ». Sunt enim limitationes obviae ac omnino necessariae.

4. *Ordo publicus recte intelligatur.* Quod non fit, si modo mere negativo concipiatur, ut videtur erui ex pag. 9, linn. 27-30. Dicatur: « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, *ut aptis mediis foveatur et protegatur* ». Ordo enim publicus non modo protegi sed etiam foveri debet, quod non tantum nec semper vi coercitiva legis obtinetur.

5. *Consequentiae practicae concordent cum principiis.* Inveniuntur enim aliquando latius patere, ut in pag. 10, linn. 7-8, quae redigi debent: « ... providendum est ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter *solas et iustas* rationes religiosas ». Cum rationes religiosae non raro aliis admisceantur, sub praetextu religionis aliqui plura non religiosa exigunt; requiritur insuper rationes religiosas esse iustas; iuxta limitationes n. 5 appositas.

Item, pag. 11, linn. 1-4 dici debet: « Libertas religiosa ... competit, *intra supradictos limites a fine societatis imponendos,* etiam communitatibus agnoscenda est ». Verba superaddita desumuntur ex textu priori, et quidem merito, nam homo, socialiter agens, finem societatis attendere tenetur, ne in anarchiam incidat.

Item pag. 11, linn. 21-23, dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, *vitato proselytismo,* publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ». Formula enim, sine additionibus propositis, quarum prima ex textu priori depromitur, occasionem plurium abusuum praeberet; implicaret insuper coactionem saltem moralem pro renuentibus accedere, de facili perturbaretur ordo publicus.

6. *Maturius extruatur corpus doctrinae ad lucem revelationis.* Nam praeter non immodicas laudes erga disciplinam vigentem in populis in quibus adest omnimoda libertas religiosa, contra constantem doctrinam Ecclesiae de ideali regimine status confessionalis catholici, quaestiones proponuntur quae ad rem non pertinent, ut est notissima doctrina de libertate actus fidei.

Doctrina biblica non consistit in quadam selectione textuum, ut thesis praeconcepta roboretur. Integra debet dari. De facili posset alia diversa selectio textuum fieri e diametro opposita. Corpus doctrinae necessarium est, potius quam multiplicatio textuum sine sufficienti cohaesione.

Res maximi momenti est, siquidem declarationes de libertate religiosa, in plano mere naturali, variae iam adsunt et fortasse meliores quam haec declaratio Concilii, etiam emendata. Proprium Concilii est synthesim doctrinae revelatae in

subiecta materia clare et complete exponere. Theologis rerum biblicarum peritis commendetur labor, ut integram doctrinam tradant praescindendo a quolibet « opportunismo ». Intentio enim Concilii debet esse non mundo consentire aut placere sed veram doctrinam vivificantis verbi Dei alto suo magisterio tradere.

67

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanus, aux. Valentinus

Pag. 4, linn. 39-40 loco « omnipotentia » dicatur « competentia ».

Pag. 5, lin. 5 loco « omnipotenti » supprimatur hoc verbum. *Ratio*: quia verum non est placitum philosophicum laicismi vel liberalismi, nec placitum eius politicum defendere omnipotentiam status in nulla re.

Pag. 6, linn. 29-37: « Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ». *Ratio*: *a*) Ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica; *b*) dicitur autem « populorum », ut stabiliatur « factum » non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est; *c*) loco « quippe quod » ponitur « dummodo » quia non evidenter apparet, immo aliquoties falsum est quod regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae sit absolute probandum necne.

Pag. 7, n. 4, sub *a*): *cf. pag. 879.*

Pag. 7, n. 4, sub *b*): *cf. pag. 880.*

Pag. 8, n. 4, sub *c*): *cf. pag. 880.* Ex altera parte, in tota hac quaestione oportet non oblivisci atheismum esse etiam positio religiosa, quamvis negativa, quae non solum exprimitur vel consistit in actibus exterioribus, sed etiam tendit ad exteriorem et publicam propagationem. Sed videtur non esse eodem modo tractandum atheismum quo hic postulatur pro religionibus.

Pag. 8, n. 4, sub *d*), lin. 10: loco dicendi « lex divina » dicatur « lex naturalis » vel saltem « lex naturalis quae utpote reflexus legis divinae in humana natura... ». *Ratio*: quia hic exponuntur argumenta ex ratione desumpta. Sed lex divina negatur ab agnosticis, atheis et similibus.

Pag. 9, linn. 5-7: « Ea debet homini agnosci libertas quae suae dignitati atque responsabilitati et iustitiae sit consentanea; ideo non est restringenda nisi in quantum est necessarium ». *Ratio*: ne nimis quam par sit extollatur libertas, propendens in individualismum. Ut etiam doctrina sit conformis cum n. 5, in quo normae limitativae rectissime statutae sunt.

Pag. 11, linn. 1-4: « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, intra tamen normas limitativas supra expositas, etiam communitatibus agnoscenda est ». *Ratio*: quia normae limitativae in n. 5 appositae, valere dicendae sunt non tantum pro singulis personis, verum etiam, et prae primis, pro communitatibus religiosis. Ceteroquin, textus prior recte aiebat: « intra supradictos limites a fine societatis imponendos ».

Pag. 14, ad totum n. 12. Totus hic numerus ab integro retractandus est;

quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam. Igitur petimus ut hic numerus iterum tradatur peritis in hac re, ut compendiosa atque numeris perfecta fiat theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis; de qua re illustria exstant studia sive catholica sive etiam protestantica.

Caute perpendatur paragraphus ultima huius n. 12 qui sic incipit: « Iuxta mentem ergo Christi... » ne forse appareat contradictio quaedam inter modum agendi Ecclesiae hodie — aucto in hominibus sensu propriae dignitatis — et eum quo in praeterito usa est Ecclesia, quando homines forsitan non habebant sufficientem conscientiam eorum dignitatis.

68

Exc.mus P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c.i.s. Lemovicensis

Remarques générales. La difficulté la plus grave, qui demeure, me semble être dans les Droits des « Pouvoirs Publics ». On utilise à plusieurs reprises l'expression « salvis exigentiis ordinis publici », n. 4, pag. 8, lin. 26; pag. 9, linn. 4. 7; n. 5, pag. 9, linn. 21. 37.

Il faudrait exactement préciser les limites des exigences de l'ordre public. Car c'est presque toujours au nom de l'ordre public qu'on a persécuté les religions.

Il faudrait, si cette expression est inévitable, redire chaque fois que l'ordre public lui-même reste toujours au service des droits inaliénables de la personne humaine, et ne peut les supprimer; au contraire, il leur reste toujours soumis.

Par conséquent l'ordre publique ne légitime une intervention contre les manifestations extérieures de la liberté religieuse, que si celles-ci portent atteinte à des droits inaliénables d'autres personnes ou de la communauté, uniquement dans les limites necessaires pour empêcher ce dommage; en respectant dans la répression toutes les garanties juridiques de la défense; en manifestant positivement que c'est contre ces excès que l'on agit, et non pas pour empêcher des personnes de pratiquer une religion du moment qu'elles ne lèsent pas les droits des autres.

Il demeure, néanmoins, un dilemme: ordre public et « droit des communautés religieuses de montrer la valeur particulière de la vérité religieuse pour l'organisation de la société et diriger toute l'activité humaine » (n. 7, pag. 12, lin. 12).

Il ne s'agit pas de le contester, mais d'en manifester les conséquences.

En effet, les communautés religieuses ayant le droit de propager leur doctrine, possèdent ce droit également à l'égard des problèmes sociaux et politiques.

Si leur doctrine va contre le bien commun, les pouvoirs publics, dont c'est le rôle premier de veiller au bien commun, n'ont-ils pas le droit, en vertu même de cette charge, d'interdire et d'empêcher la propagation de cette doctrine?

De plus les pouvoirs publics sont compétents pour juger de ce qui est conforme ou non au bien commun.

Or, il faut remarquer que les pouvoirs publics n'ont pas seulement à porter un jugement de valeur absolu sur la vérité objective de la doctrine sociale, mais

aussi et surtout un jugement d'ordre très relatif tenant compte de tous les éléments de la situation politique et sociale. Il peuvent juger que telle doctrine vraie et bonne en elle-même, est néfaste, en fait, actuellement, parce que les citoyens ou au moins la plus grande partie d'entre eux n'est pas capable de la mettre en pratique; « le mieux est souvent l'ennemi du bien ».

C'est une raison de plus pour que les pouvoirs publics soient compétents pour empêcher la diffusion de telle ou telle doctrine sociale ou politique, impliquée dans telle doctrine religieuse, et jugée par eux en opposition avec le bien commun. Qui sera l'arbitre?

Dans cette perspective, le marxiste, convaincu, peut très légitimement et en conscience empêcher l'Eglise catholique de propager sa doctrine sociale. Pour lui, en effet, il est évident qu'elle va contre le bien commun de la société civile, dont il est le garant et le juge, et le premier responsable.

N'aboutit-on pas à la nécessité d'un organisme international, au-dessus des états, qui soit garant des droits inaliénables de la personne humaine contre les abus possibles du pouvoir, et vice-versa.

Sans cela, à quel titre pourrait-on empêcher les pouvoirs publics d'user de coërcition, s'il n'y a pas pour eux d'autres moyens d'empêcher les abus. On pourrait dire:

1. Les pouvoirs publics n'ont le droit d'empêcher dans la doctrine sociale que ce qui va contre le bien commun, étant entendu qu'ils respectent totalement la liberté en matière proprement religieuse.

Mais n'y a-t-il pas des conceptions religieuses qui *en elles-mêmes* incluent la destruction de la société civile?

2. Les limites de la coërcition sont toujours marquées par les exigences des droits inaliénables de la personne humaine. Le bien commun ne peut en aucune façon être atteint si les pouvoirs publics ne garantissent ni ne respectent la dignité de la personne humaine.

3. Faut-il en arriver à dire que *toute* communauté religieuse est supérieure aux pouvoirs publics? dans les jugements à porter sur les implications sociales et politiques de la doctrine proprement religieuse?

C'est évidemment inacceptable, dans la mesure où une communauté religieuse peut être d'origine purement humaine, puisque, de par sa nature même, la relation religieuse à Dieu est de l'ordre naturel.

N. 1, pag. 3, linn. 19-20: « cuiusvis potestatis mere humanae »: que signifie ce « mere »?

N. 5. La difficulté naît de ce qu'on présente la règle morale, lorsqu'il s'agit des personnes; la règle juridique, lorsqu'il s'agit de la société civile et de l'état.

Or, les personnes sont soumises à l'ordre juridique et défendues par lui. La société civile est aussi soumise à l'ordre moral.

D'autre part, dans le *b*) la distinction n'est pas assez bien marquée entre la société civile, qui représente l'ensemble des citoyens en tant qu'organisés et liés entre eux, et l'Etat qui représente l'organisme que les citoyens se sont donnés pour la direction à prendre dans la poursuite du bien commun de la société civile.

N. 6, linn. 18-19: « Huic Sacrae Synodo in votis est ». Cette expression ne me paraît pas assez forte.

N. 7. Dans l'ensemble il est bon. Ne serait-il pas opportun de noter *explicitement* le rapport entre les droits des communautés religieuses et les droits reconnus

par les démocraties: liberté d'association et tous droits afférents, liberté de presse et d'information.

Le dernier paragraphe (pag. 11-12) « Tandem ad » me paraît mal rédigé, et par suite maladroit. Au lieu de « in tota activitate humana *dirigenda* » mettre plutôt « animanda » ou « principia proponenda ».

N. 8. « ... quae est societas proprio iure gaudens »; pas assez précis. Mettre p. e.: « quae est societas vi legis naturalis proprio iure gaudens ».

N. 9. Il semble mal placé. Il faudrait l'insérer dans le n. 7, p. e. après le premier paragraphe.

D'autre part, si l'on veut y défendre les Institutions chrétiennes, qu'on le dise franchement.

N. 11. L'explication de la liberté de l'acte de foi paraît insuffisante.

Il faudrait insister sur le fait que la vérité ne contraint notre intelligence que si son évidence intrinsèque lui apparaît.

Or, il est de la nature des vérités de foi que leur évidence intrinsèque ne *peut* apparaître à l'intelligence humaine.

Elles font nécessairement intervenir le témoignage d'une Personne, Dieu. Or, fût-il celui de Dieu, ce témoignage laisse toujours notre intelligence libre par rapport à la vérité elle-même.

N. 12, pag. 14, linn. 40-41: « quemadmodum tempore Eliae prophetae factum est ». Le rapprochement ne vaut pas.

En effet, lorsqu'Elie a fait descendre le feu du ciel sur les soldats du roi, c'est parceque ceux-ci avaient ordre de le tuer. C'était un cas de légitime défense, où Elie a usé de la Puissance de Dieu; absolument pas un cas de coërcition en matière de foi.

De plus, ce rapprochement me paraît dangereux. Car l'Ancien Testament est Parole de Dieu. Il serait contradictoire que Dieu y approuve et y utilise des moyens qu'il réprouve positivement dans le Nouveau. Ou alors il faudrait l'expliquer par la différence de situations, ce qui entraînerait de longs développements.

69

EXC.MUS P. D. PAULUS GURPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

Pag. 3, n. 1, linn. 1-3. Corrigatur hoc modo: « Personae humanae vera dignitas cuius homines nostrae aetatis magis magisque conscii fiunt ». *Ratio*: opto praesertim ut addatur vox « vera ». Nam plures dantur de facto conceptus dignitatis humanae quorum non pauci inadmissibiles sunt. Propterea necesse est ut Concilium cum loquitur de dignitate personae, saltem suggerat se velle intelligi de vera dignitate, nempe de illa quae prosequitur verum et bonum, quae sola vera dignitas humana est.

Pag. 4, linn. 2-4, n. 1. Potius redigantur hoc modo: « nemo iniuste cogatur ad agendum contra suam conscientiam recte efformatam, neque impediatur quominus iuxta rectam suam conscientiam agat ». *Ratio*: determinationes quae adduntur necessariae videntur. Nam saepe homines procedere volunt iuxta conscientiam evidenter erroneam, vel perperam efformatam. In his vero casibus lex caritatis saepe

iubet ut cohibeantur vel corrigantur ob eorum ipsum bonum. Quibus in casibus coactio vel impeditio non est iniusta, sed potius commendata.

Pag. 5, linn. 11 et 19. Vox « totalitarismus » quae habet sensum specificum et significat vel « fascismum » vel « nazismum » consultius omitti deberet. Nam hodie iam huiusmodi « totalitarismi » iam vigore carent. Contra vero « communismus atheus et materialista » omnino opprimit omnem libertatem religiosam et civilem hominum quamplurimorum. Loco dicendi « totalitarismus » dicatur in utroque loco « statismus absolutus », sub hac enim denominatione aeque comprehenduntur et communismus atheus et totalitarismus cuiusvis generis.

Pag. 6, n. 3, linn. 33-34, legitur « regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum ». Corrigatur hoc modo: « regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum ». *Ratio*: prout asseritur, doctrina falsa esse potest: varia enim exsistunt hodie iuridica regimina, quae principiis rationis humanae non fulciuntur.

Pag. 6, n. 3, lin. 42. Compleatur hoc modo: « ... legitime vindicare; intra iustas normas, inferius, n. 5, statuendis ». *Ratio*: ne inde ab initio falso censeatur libertatem religiosam vindicari posse a singulis sive individuis sive communitatibus sine ulla morali vel iuridica limitatione aequa et iusta.

Pag. 7, n. 4, linn. 7-8: legitur « ... liberum in societate religionis exercitium deneget ». Compleatur hoc modo: « ...liberum in societate exercitium religionis sine causa deneget ». *Ratio*: quia potest esse iusta causa ob quam externum religionis exercitium denegetur; puta bonum commune societatis vel iura acquisita et praevalentia aliorum civium.

Pag. 7, n. 4, linn. 9-11: Textus compleatur hoc modo: « Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem per se est omnino indissolubilis ». *Ratio*: addendum est « per se », quia per accidens saepe occurrere potest in pluribus aliis libertatis humanae casibus.

Pag. 7, n. 4, *b*), linn. 22. Compleatur hoc modo: « ... veritas quaeritur et invenitur plerumque per magisterium... inter homines ». *Ratio*: quia aliae viae sunt ad inveniendam veritatem, neque excludi debent ita absolute viae quibus Deus sese hominibus saepe communicat. Praeterea in mundo hodierno saepe etiam « per magisterium et communicationem inter homines », in animis hominum maxime rudium, instillatur error et fortiter imprimitur.

Pag. 8, lin. 7. Compleatur hoc modo: « ... immunis sit ab indebita coercitione sive legali sive sociali ». *Ratio*: quia possunt dari causae sive morales sive sociales ob quas publicum religionis exercitium coerceri debeat.

Pag. 9, n. 5 *b*), linn. 23-24: Compleatur hoc modo: « Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus qui ex cultu falsae religionis provenire possint, adducto titulo libertatis religiosae ». *Ratio*: quia non potest dici sine distinctione abusus provenire posse ex cultu etiam verae religionis.

Similiter linn. 34-35 complendae sunt hoc modo: « nisi quando exercitium religionis ut plurimum falsae ordini publico noceat... ». *Ratio*: quia nequit admitti exercitium religionis verae ordini publico nocere posse. Vox « graviter » superflua videtur.

Pag. 11, n. 7, lin. 3: complendus est textus hoc modo: « etiam communitatibus, intra limites n. 5 assignatos, agnoscenda est ». *Ratio*: quia illae iustae nor-

mae vel maxime necessariae sunt relate ad activitates communitatum religiosarum. Adeoque hic in memoriam revocari debent.

Pag. 11, lin. 23, n. 7. Complenda est vel restringenda assertio hoc fere modo: « ... publice docenda atque testanda, dummodo doctrinas aperte falsas ne doceant vel mores manifeste pravos ne spargant, contra communem religiosum sensum civium ». *Ratio*: quod asseritur sine ulla limitatione falsum et nocuum esse videtur, neque facile conciliabile cum normis statutis in eodem schemate n. 5.

Pag. 13, ante n. 11 addenda est brevis paragraphus quae desumi posset ex iis quae dicuntur in relatione pag. 38, n. 4. Paragraphus quam propono poterat esse haec: « Haec doctrina de libertate religiosa non contradicit conceptui historico sic dicti status confessionalis. Nihil igitur prohibet quominus religio catholica iure humano publico agnoscatur et stabiliatur tanquam religio status, dummodo aequa religiosa libertas salva maneat, prout in hac declaratione describitur ». *Ratio*: hanc paragraphum censeo omnino necessariam ad salvandam doctrinam Summorum Pontificum, et saeculares usus Sanctae Sedis in hac re tanti momenti.

Pag. 14-15, n. 12. In hoc n. 12 plura adducuntur testimonia ex Scriptura, quae vel non probant quod intenditur, vel afferunt fallacem probationem, cui omnino contradici poterat aliis innumeris testibus ex Scriptura Veteris et Novi Testamenti.

Ideo censeo omnino ex hoc numero delenda esse saltem ea quae habentur inde a pag. 14, lin. 27: « miracula fecit... » usque ad pag. 15, lin. 3 (*Lc.* 9, 54-56). *Ratio*: non est unice verum quod dicitur, Christum mere *invitasse* homines ad fidem, sed etiam eis fidem praecepisse, sub aeterno discrimine salutis: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Et Domini discipulus S. Paulus non mere ad invitandum restringebat suum apostolatum, sed pressius urgebat iuxta instructionem quam dedit Timotheo: « Praedica verbum insta opportune, importune, argue, obsecra increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Praeterea, terrores aeternae damnationis, quos Christus saepe in animis auditorum excitabat: illud « compelle intrare ad nuptias », quas Paterfamilias paraverat Filio suo (*Lc.* 14, 23), aliaque plura quae afferri possent, multo plus sunt quam mera invitatio.

Aliunde vero, miracula innumera, charismata extraordinaria, beneficentiae singularia opera, quibus Christus et apostoli praedicationem commendabant, et quae prorsus extrinseca sunt subiecto, obiecto et actui fidei, ad quem ordinabantur, indirectam saltem et pro simplicibus et rudibus, ut erant eorum auditores, moraliter cogentem quandam coactionem importabant. Instructio vero catechetica et religiosa, quae etiam pueris et rudibus ex Ecclesiae mandato impertienda est, aliquid multo plus secum ferunt quam meram et nudam invitationem ad libere et sine ulla neque morali et indirecta coactione fidem amplectendam.

Animadvertendum etiam est, quod in homine *lapso,* « sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua » (*Gn.* 6, 5; 8, 21; *Mt.* 15, 19): atque non solum ab intrinseco sed etiam ab extrinseco homines debent « induere armaturam Dei, ut possint stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis solum colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae » (*Eph.* 6, 11). Quare etiam nos monet Petrus: « Sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret » (*1 Pt.* 5, 8).

Quae cum ita sint, potius divina paedagogia suadet ut mere et purae invitationi addatur quaedam paterna non solum amoris sed etiam timoris salutaris coactio, qua etiam ipse Deus « quos amat arguit et castigat » ut suae voluntati obediant (*Apoc.* 3, 19; *Prov.* 3, 11-12). Immo in homine lapso, ad hoc quod vere cum plena libertate se decidere possit, quodammodo necessaria est haec paterna et divina paedagogia: eatenus saltem quatenus necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem in contrarium.

Ea quae dicuntur de miraculis omnino compensari possent aliis ex ipsa Scriptura deprompti, quibus contrarium comprobari videtur. Sufficiat pro nunc in memoriam revocare factum mortis Ananiae et Saphirae mediante Petro patratum, quod narratum habemus in *Act.* 5, 1-11, ex quo « factus est timor magnus in universa Ecclesia » (*Act.* 5, 11).

[*Subscripsit etiam*] F. Melendro, arch. Anking.

* * *

N. 1. Concilium non debet ita loqui de libertate religiosa. Non enim in his quae de libertate religiosa ab hominibus — et fortasse irreligiosis — affirmantur vel non affirmantur Concilium niti debet, sed in his quae de libertate religiosa Ecclesia docet. Proinde primum definiendum seu exponendum est: 1) quid nomine libertatis religiosae intelligatur; 2) deinde quid Ecclesia in re religiosa de officiis ac iuribus hominis et societatis semper docuerit.

Ecclesia, cum mundo loquatur, certe ante oculos habere debet quid mundus cogitet, quid dicat, quid faciat; attamen Ecclesiae doctrina non est, credo, ea quam mundus tenet, sed ea quae aut in fide uno vel alio modo continetur: in S. Scripturis, in Traditione, in Magisterio ecclesiastico, aut ex hac fide derivatur.

Proinde ex hoc n. 1 omnia omittenda esse videntur, praeter ea quae a versu 17 usque ad finem affirmantur, i. e. « Homines debent liberi seu immunes esse ... servire velit ». His enim versibus aliquo modo describitur quid nomine libertatis religiosae Concilium intelligat. Cetera superflua sunt.

N. 2, pag. 4. Totus numerus in quadam historica ac philosophica divagatione sub una luce rationis humanae consistit, a qua fides omnino abest. Hac igitur de causa et quia nullo modo est necessarius, omittendus est.

Evidens est Ecclesiam et reiecisse et reicere eam libertatem religiosam quae aut in autonomia aut in independentia aut in indifferentia hominis erga Deum consistat, iuxta placita rationalismi vel laicismi; et etiam eam quae tantum consistat in iure, ab omnipotenti et totalitario Statu consesso, in re religiosa hoc vel illo modo agendi, et quidem intra certos limites a Statu determinatos, ut totalitarismus nazista et comunismus volunt. Ideo autem Ecclesia has libertatis conceptiones reicit quia pugnant cum illa vera atque legitima libertate quam Deus per naturam et gratiam homini tribuit. Proinde primum definienda est et velut fundamentum totius decreti seu schematis ponenda vera et christiana libertatis conceptio, dum ceterae omnes conceptiones reiciuntur.

N. 3. Prout iacet multis de causis admitti non potest. 1) Dicitur catholicam religionem esse veram et unicam religionem a Deo probatam et omnes homines ad eam amplectendam sub gravi teneri; at additur hanc Ecclesiae doctrinam non contradicere libertati humanae et civili « in vita religiosa ducenda ». Quomodo

fieri potest ut non contradicat cum secum ferat prohibitionem reiciendi et obligationem amplectendi catholicam fidem, et in populo catholico obligationem praeterea Ecclesiae et Status defendendi eam adversus hostiles impetus qui bono communi et honori Dei et Ecclesiae noceant? 2) Deinde dicitur civilem in re religiosa libertatem niti et commendari in Ecclesiae doctrina de dignitate personae humanae seu hominis, et quidem prout haec doctrina ex ipsa humana ratione derivatur.

Quod non facile intelligitur cum nondum aperte explicatum sit in quo haec *civilis libertas* consistat et quae sit haec personae humanae *dignitas*. Et alia ex parte Ecclesiae doctrina de dignitate personae humanae non ex *ratione,* sed ex ratione simul et ex revelatione derivatur. 3) Loquuntur praeterea de quodam « regimine hodierno iuridico libertatis religiosae », de quo, in fine paragraphi, affirmatur « principiis rationis humanae fulciri » et proinde, additur, esse in se « honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem personalem et civilem », et hanc libertatem religiosam esse « verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum ». Attamen non explicatum est in quo hoc *regimen hodiernum* consistat, cum regimina hodierna tam varia sint; neque in quo consistat haec dignitas personae humanae, et multo minus sub lumine catholicae fidei; neque quomodo hoc regimen principiis rationis humanae fulciatur, etc. Omnes sunt affirmationes gratuitae, incertae, nullo argumento philosophico aut theologico innixae.

N. 4. Textus emendati. Nihil aliud est quam quaedam *lectio* philosophica quae Concilio minime decet, falsis insuper affirmationibus conspersa, saltem prout in se ipsae sonant.

Minime decet Concilio, quia Concilii munus est fidei doctrinam proponere et confirmare aut illustrare argumentis seu rationibus theologicis, et tandem, sobrie quidem ac caute, argumentis nudae rationis *omnino certis*. Nunc vero, hic n. 4 nihil aliud est quam defensio *rationalis* cuiusdam propositionis progressistae a Concilio facta.

Conspersa est praeterea affirmationibus excutiendis, aut falsis aut incertis, et proinde non admittendis; v. g. in paragrapho *a*), in versibus 4-7. « Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget », et etiam in toto paragrapho, quia in omnibus eius affirmationibus dicitur *inseparabilitatem* inveniri inter internam religionis conceptionem et eius externam manifestationem, et immoralitatem prohibendi seu impediendi hanc externam manifestationem. Sed nec datur inseparabilitas nec immoralitas. Nam saepe dantur causae ad eam prohibendam, et prohiberi potest et etiam debet, ut patet ex doctrina theoretica et practica S. Pontificum, praesertim in saeculis XIX et XX.

Sed praeterea hae affirmationes generatim sumptae pugnant cum his quae deinde in eodem n. 4, paragrapho d et in n. 5 dicuntur cum statuitur Statum posse et etiam debere in determinatis adiunctis eam prohibere.

Itaque universus paragraphus *a*) in n. 4 vel omittendus vel saltem emendandus est, eius affirmationes sensu dicto corrigendo.

In paragrapho *b*) circa finem, amplissima et illimitata libertas eis conceditur qui suas conceptiones religiosas ceteris exponere velint. Quae tamen libertas limitanda est bono communi societatis et ceterorum obiectivo iure, quod etiam publica auctoritas — tam ecclesiastica in iis quae ad eam pertinent quam civilis — tueri debet.

In paragrapho *c*) iterum in eundem errorem inciditur, cum *omnis* legalis et

socialis interventio ad eorum religionis publicum exercitium impediendum excludatur.

In paragrapho *d*) exponitur causa ad eorum religionis externam manifestationem impediendam, quae est ordo publicus. Sed ea non est unica causa, quia, etiam incolumi ordine publico, bonum commune, moralitas, ceterorum iura, etc. periclitari possunt.

Paragraphus *e*) iterum incidit in errorem statuendi ordinem publicum velut unicam causam cur Status potestatem habeat limitandi aut prohibendi religionis uniuscuiusque externam et publicam manifestationem.

N. 5. De limitationibus libertatis religiosae. Universus numerus reiciendus est. Nam 1) Totus numerus eo tendit ut statuatur *Ordinem publicum* esse unicam causam qua innixus Status iure possit limitare aut prohibere quosdam actus publicos religionis (cultum, propagationem), cum plane constet hanc limitationem et prohibitionem iustificari ex iis quae vero bono communi exiguntur (v. g. in populo unius religionis catholicae), quamvis ordo publicus non periclitetur. 2) Norma moralis a norma iuridica distinguitur cum, ut videtur, de actibus externis publicis agatur, quasi videlicet *veram obligationem moralem* has limitationes imponendi Status non habeat.

Hoc saltem sensu emendandus est.

N. 6. (De tutela libertatis religiosae). In prima paragrapho nonnulla emendanda sunt. Primum enim officium auctoritatis civilis iuxta perfectum Dei consilium, quod invenitur ubi unitas catholica datur, est Dei et Ecclesiae ius tueri; et deinde secundo loco — salvo iure Dei — etiam ius hominum.

Praeterea, quoad cives, Status tueri debet non *eorum libertatem* sed eorum iustam libertatem. Haec autem tutela non exigit, ubi unitas catholica datur, *aequalitatem iuridicam* omnium religionum.

Et fortasse neque in populis plurium religionum posset eam exigere.

Praeterea in populis catholicis iustum est non omnes cives habere plenam iurium civilium aequalitatem, v. g. ut doceant et educent in scholis pueros et iuvenes, ut fiant duces Status, etc.

In paragrapho secunda, praeter tres primos versus, ceteri omnes emendandi sunt, ne probari videatur et prohibitio *in populis unius religionis catholicae* impediendi publica vi *propagationem* et *cultum publicum* protestantismi, et commendatio concedendi protestantibus ubique, ideoque etiam in populis unius religionis catholicae, hanc libertatem cultus publici et propagationis. Quae prohibitio et commendatio doctrinis S. Pontificum, Ecclesiae usui et ipsi humanae rationi aperte adversantur.

Postremis sex versibus n. 6, ut probari possint, haec verba addenda sunt: « in veritate fundatam », inter verba « vitamque religiosam » et « fovendam ».

N. 7. (De libertate coetuum religiosorum). Quod hic numerus continet nullo modo admitti potest in populo unius religionis catholicae. Hoc enim in populo propagatio et cultus publicus religionum falsarum proscribendi sunt: 1) propter honorem Dei et Ecclesiae catholicae; 2) propter periculum laedendi conceptiones et vitam christianam omnium catholicorum, eorum praesertim qui opibus carent quibus sese defendant. Ecclesia vero et Status graviter obligantur in hoc populo ad hos indefensos homines tuendos; hi autem homines plenum ius habent eam tutelam exigendi.

Praeterea, etiam in populis plurium religionum, Ecclesia non verum ius acatholicis, sed tantum tolerantiam ex necessitate concedere potest.

Praeterea, cum iam supra dictum sit de externa manifestatione conceptionis religiosae quod dictum est, non apparet ratio cur de hac re in specie agatur.

Recte perspectis quae a *vero bono communi exiguntur,* iis coetibus religiosis quorum conceptiones legi naturali non repugnant, tutela iuridica concedenda est ad eorum religionem privatim et publice exercendam. Nihil amplius doctrina catholica permittit.

2) Concedamus hoc regimen, etsi non ideale, esse bonum et nonnunquam optimum regionibus seu populis plurium religionum. At populis catholicis ne bonum quidem est; qua de causa semper a S. Pontificibus in populis catholicis, v. g. in Hispania, prohibitum est, salva necessaria seu convenienti tolerantia.

N. 11. De libertate Actus fidei. Dicitur fidem (actum fidei), etsi coram Deo obligatorium, debere tamen liberum esse, ita ut nulla potestate humana cogente eliciatur. Quod verum est.

Sed additur regimen libertatis religiosae — ut saepe et quidem pro cultu et propagatione in populis etiam catholicis propugnatum est — optatissimas exhibere conditiones ut actus fidei liber oriatur. Quod in populis unius religionis falsum est. Nam haec propagatio et hic cultus publicus in his populis catholicis, *a*) est aliquid contrarium bono communi, qui mente catholica concipiendus est; *b*) est fidelibus catholicis permolestum; *c*) est perniciosum conceptioni et vitae christianae eorum hominum catholicorum qui minus instructi inveniuntur ad sophismatibus resistendum. Ergo hoc regimen non est regimen libertatis in his populis, sed licentiae et effrenationis.

N. 12. (De libertate religiosa prout in Evangelio et in genere in N. T. fundatur). Vix credi potest schematis redactores ita potuisse S. Scripturis abuti!

Textus hi omnes *nihil* probant eorum quae redactor seu redactores probare conantur.

Aperte quidam etiam textus falso et ridicule interpretantur, et praeterea nullus eorum probat Ecclesiam et Statum in populo catholico ad defendendam subditorum fidem prohibendo propagationem haereseos non teneri; sed ad summum eos teneri ad servandam libertatem actus fidei ita ut nulla vis aut coactio adhibeatur.

Ultima pars, sex postremi versus, nihil aliud est quam quoddam sophisma. Nam *haec libertas progressista* non secum fert certe in se coactionem in conscientias; at *alia gravia mala* affert, ut seductionem et fraudem hominum infirmorum, indifferentismum, etc. Et ex alia parte Ecclesia et Status in populis catholicis gravissima munia obeunt cum hos infirmos homines tuentur, divinum honorem defendunt, etc. et non ideo homines ad credendum cogunt.

Multi textus adduci possunt quibus Christi bonitas et mansuetudo ostendantur, sed nonne alii adduci possunt quibus ostendatur eius indignatio et sanctus rigor et firmitas adversus superbos et hypocritas et fratrum corruptores? Illae in pharisaeos imprecationes, mercatores flagelli ictibus e templo expulsi, fortissimae in peccatores comminationes ... rem maxima claritate illustrant.

N. 13. Totus numerus admitti potest cum nullam difficultatem doctrinalem afferat nec quaestiones discutiendas de libertate religiosa contineant. Hortatur tantum ad apostolatum, praedicationis praesertim et orationis et testimonii, semper cum caritate et humanitate erga acatholicos.

N. 14. Est conclusio omnis doctrinae supra expositae. In eo dicitur: Hodie

homines hodierni libertatem desiderant ad suam religionem privatim et publice profitendam.

In multis populis haec libertas agnoscitur et legibus defenditur.

In aliis vero populis, quamvis aliquo modo verbis admittatur, de facto haec libertas conculcatur. In quamcumque religionem persecutiones moventur ad eam destruendam.

Cum hodie mundus ad unificationem tendat et communicatio inter omnes maior in dies sit, haberi non potest pacifica conviventia sine illa libertate religiosa quam schema exhibet.

Haec autem conclusio falsa est. Ut haec conviventia obtineatur aequalitas inter omnes coetus religiosos (non loquamur de libertate) est fortasse necessaria; sed in populis unius religionis catholicae satis est quod acatholicis dissidentibus Conventio Hispana concedit: nempe cultus privati libertatem et agnitionem ac tutelam iurium civilium omnibus communium, cum quibusdam limitationibus non magni momenti cum tam pauci sint protestantes, iudaei, etc., sine coactione aliqua ut catholici fiant, et omnia cum caritate.

70

Exc.mus P. D. PHILIPPUS MATTHIAS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

1. Servetur atque immutata retineatur methodus secundum quam declaratio procedit, scil. *a*) ut exordium sumatur e statu rerum hodierno, in quo libertas religiosa et limitatio correspondens potestatis publicae de facto postulantur fere universim ab hominibus, propterea quod propriae dignitatis et personalis et civilis magis magisque conscii sunt facti; *b*) ut dein exponatur conceptus libertatis religiosae, quid sit et quid non sit, prout hodie communiter intelligitur et iure constitutionali vindicatur; *c*) ut posthac afferantur argumenta, cur libertas religiosa sit affirmanda tamquam verum hominis ius. *Rationes*:

a) Haec methodus, quae conscientiam historicam (historical consciousness) exhibet, a sana philosophia (et, mutatis mutandis, a sana theologia) hodie quam maxime probatur; estque in praesenti materia omnino necessaria et unice valida, cum quaestio agatur, in qua evolutio doctrinae peracta est.

b) Sic declaratio aggreditur problema ubi de facto exsurgit, scil., non in ordine abstracto seu speculativo sed in ordine practico seu politico et iuridico.

c) Sic ab initio patet, quod libertas religiosa sensu hodierno non est notio theologica vel quasi-theologica vel ideologica sed potius notio formaliter iuridica.

d) Sic via optime sternitur ad doctrinalem solutionem problematis practici. Etenim ius hominis ad libertatem in re religiosa non est quaedam « veritas aeterna », quae demonstrari potest a priori, modo abstracto, arguendo deductive ex aliis « veritatibus aeternis ». E contra, nonnisi recentius pervenerunt homines in possessionem huius veritatis. Solummodo decurrente experientia historica, et aucta exinde inter homines gradatim conscientia dignitatis personae, rationi humanae innotescere coepit, quod libertas religiosa est vera exigentia naturae hominis, quatenus persona est, ac proinde verum hominis ius.

Optima igitur est declarationis methodologia. Ac proinde ipsa quaestio recte

ab initio ponitur. Quaestio enim est, utrum homines nostrae aetatis iure et rationabiliter, seu secundum naturales exigentias dignitatis humanae, sibi vindicent libertatem religiosam. Non sunt igitur ii audiendi, qui dicunt, quod declaratio « positivismo indulget », vel « opinioni publicae hodiernae cedit ». Obiectiones exhibent et ignorantiam elenchi et sensum methodologiae mancum.

71

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Schema mihi valde placet. Propono simpliciter sequentia:

1. Pag. 3, n. 1, lin. 19. « Potestatis *mere* humanae ». Vox *mere* omittatur, ne ansam praebeamus adversariis Ecclesiae qui dicunt Ecclesiam his verbis velle excludere suam potestatem in hac re.

2. Pag. 4, n. 2. Videtur melius inserere totam hanc quaestionem historicam et magis amplificatam in nota in qua etiam confitendum est catholicos non semper servasse libertatem conscientiae et libertatem religiosam erga alios.

3. Pag. 7, n. 4 c, lin. 34. In clausula « quibus homo sese ad Deum directe ordinat » propono inserere « sub influxu divinae gratiae » vel « Deo auxiliante » post vocem « homo » ad vitandam apparentiam Pelagianismi.

72

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Ad totius schematis compositionem. Numerentur lineae textus, sicut mos est in omnibus schematibus Concilii. *Ratio*: patet, ad commoditatem omnium Patrum et peritorum, immo et ipsius secretariatus vota et emendationes excipientis.

Ad titulum. Reformetur titulus generalis schematis hoc modo: « Declaratio de libertate civili religionis seu de iure civium et communitatum ad libertatem in re religiosa ». *Ratio*: *a*) Necessarium est invenire titulum qui doctrinam et ambitum schematis exactis verbis referat, nec plus nec minus, absque ambiguitate et confusione.

b) Sed titulus actualis his qualitatibus non ornatur, et quandam confusionem populo generavit.

c) Verba enim « libertas religiosa » latius patent quam doctrina sub tali titulo in schemate exposita. Sunt verba generica, quae aliis immo et falsis libertatibus applicari possunt, de quibus non est sermo vel quae in ipso schemate reiciuntur. Unde schema damnat *absolutam libertatem* seu autonomiam a lege divina quam proclamabat Rationalismus, et illam *libertatem moralem* Relativismi et indifferentismi.

d) *Nova quaestio* proponitur (cf. pag. 5, lin. 40), eaque concreta et praecisis terminis delimitata: scilicet libertas personae humanae ab externa coactione et praesertim a coercitione legis et potestatis civilis in re religiosa.

Conclusio: Quaestioni particulari et concretae titulus generalis non apte respondet. Reformetur ergo titulus in sensu supra dicto.

Ad pag. 3, lin. 14. Ubi textus dicit: « ... in dignitate humana fundatum », dicatur: « in persona humana eiusque dignitate fundatum ... ». *Ratio*: dignitas est qualitas. Fundamentum autem radicale libertatis religiosae est libertas ipsa personae, seu esse sui iuris, quod « personalitatem » constituit, en non meram qualitatem.

Libertas vero specialem dignitatem personae humanae tribuit.

Ad pag. 4, linn. 1-5. Compleatur textus hoc modo: Dicit: « debere duplici sensu, ut scilicet ... determinantur ». Dicat: « ... determinantur; et ut persona humana gaudeat illis conditionibus vel mediis, in quibus hanc immunitatem a coactione seu libertatem religiosam in actum redigi possit ». *Ratio*: schema offert notionem tantummodo negativam libertatis, quam considerat quasi immunitatem ab omni coactione.

Libertas autem religiosa, sicut omnes aliae libertates in societate civili, aliquid positivum secum fert: non tantum immunitatem a coercitione, sed etiam facultatem effective agendi, unde libertas exigit conditiones et media positiva in quibus possibile sit attingere illud bonum propter quod immunitas a coercitione statuitur in iure.

Ad pag. 4, linn. 24 ss. Compleatur recensio quaestionis historicae sic: Dicitur: Lin. 24: « Nitebatur in placito rationalistico ... secundum quod ... Deo nullatenus subicitur. Ex hoc placito ... ». Dicatur: « Nitebatur *vel* in placito rationalistico ... subicitur, vel *in alio placito philosophico theologico.* Ex *his* placitis derivata est ... »; Lin. 31: « Hanc libertatem religiosam eiusque praemissam philosophicam Ecclesia reprobavit ... ». Dicatur: « Hanc libertatem religiosam eiusque *praemissas* Ecclesia reprobavit ... »; Lin. 36: « Deum vivum et verum cognoscat Eique soli serviat ». Dicatur: « ... Deum vivum et verum cognoscat Eique soli serviat; nec cum providenti consilio Dei de vita et historia hominum ». *Ratio*: explicatio historica, quam praebet, vera est sed insufficiens.

Laicismus de quo agimus, non nitebatur tantum principiis rationalismi de quo supra. Prae oculis etiam habendum est placitum theologicum philosophicum ab auctore Lamennais saec. XIX sustentatum, et a Magisterio Ecclesiae damnatum (cf. GREGORIUS XVI, Enc. *Mirari vos,* 15 aug. 1832).

Additur in fine « vel cum providenti Dei consilio de vita et historia hominum », quia traditionalismus rigidus abstracte non repugnat et dari potuit, sed de facto non fuit in historia.

Ad pag. 5, linn. 14-15 (paragr. 2, linn. 2-3). Leviter immutetur textus, ita ut ubi legitur: « Mutantur tempora et ideologiae », dicatur: « Mutantur tempora et ideologiae populorum ». *Rationes*: 1. Ut vitetur omnis sapor *relativismi,* quem num », quia traditionalismus rigidus abstracte non repugnat et dari potuit, sed de haberet vel habere posset affirmatio in abstracto. 2. Ut modo clariori determinetur sensus in schemate intentus absque ullo falsae interpretationis periculo.

Pag. 5, linn. 29 ss. Compleatur textus hoc modo: Ubi dicit: « Itemque in luce ponitur hominem, prout est persona, officiis teneri iuribusque gaudere ... ». Dicat: « Itemque in luce ponitur hominem, prout est persona *libertate praedita,* officiis teneri iuribusque gaudere ... ». *Ratio*: his verbis additur ratio specifica. Etenim ratio specifica propria libertatis religiosae est in libertate physica vel psycho-

logica, vi cuius unusquisque propriam decisionem personaliter a seipso sumere debet, quin valeat decisio coacta vel ab aliis imperata.

Non decet ergo ut haec ratio in toto schemate sileatur.

Ad pag. 5, in fine, lin. 40. Leviter reformetur textus, ita ut ubi dicit: « Cum historiae decursu igitur nova quaedam quaestio de libertate religiosa ... » dicat: « Cum historiae decursu *novus quidam* status quaestionis de libertate religiosa ... ». *Ratio*: ita accuratius res exprimitur. Erat enim novus modus proponendi veterem quaestionem.

Ad pag. 6, par. 3. Auferantur verba « hodiernum » et « hodierna », ita ut ubi legitur: Lin. 7: « Quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat ». Dicatur: « Quid de libertatis religiosae *quaestionibus* sentiat ». Lin. 32: « Sancta Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae ... ». Dicatur: Sancta Synodus daclarat regimen iuridicum libertatis religiosae ... ». Lin. 35: « Necessarium ad custodiendam in societate hodierna ». Dicatur: « Necessarium ad custodiendam in societate ». *Rationes*: 1. Iudicium Concilii (praesertim quod asseritur linn. 32 et 35) est iudicium doctrinale, quod innititur argumentis philosophico-theologicis. Argumenta vero non respiciunt societatem hodiernam, sed societatem humanam in genere; fundantur enim, uti legitur in textu, « in ipsa dignitate personae humanae », non in aliqua *hodierna* novitate. Iudicium ergo valet pro hominibus omnibus cuiusque temporis.

2. Devitare oportet declarationem conciliarem ita intelligi et accipi posse, ut credatur de hoc vel illo regimine concreto sententiam ferre, immo et ab uno vel altero regimine hodierno influxum accepisse.

Ecclesia enim, licet in tempore hodierno vivat et hominibus hodiernis loquatur, nonnisi principia generalia statuere vult, quando de his rebus loquitur.

Ad pag. 6, linn. 20-21. Leviter reformetur textus, ita ut ubi dicit: « ... nullatenus adversari libertati humanae et civili ». Dicat: « nullatenus adversari libertati *personali* et civili ». *Ratio*: etiam libertas civilis est humana. Quod revera schema intendit dicere est de non-incompatibilitate inter doctrinam catholicam de unica religione vera et libertatem qua homo gaudet personaliter et gaudere debet civiliter.

Ad pag. 6, n. 3 (alteram partem), lin. 33. Leviter reformetur textus, ita ut ubi dicit: « Sacra Synodus declarat regimen *hodiernum* libertatis religiosae ». Dicat: « Sacra Synodus declarat regimen honestae libertatis religiosae ». *Rationes*: 1. Verbum « hodiernum » omittendum est, ut in alio scripto postulavimus.

2. In contextu affirmatur munus Ecclesiae esse honestae hominis libertati patrocinari. Sed in lineis sequentibus solemnis et fundamentalis assertio continetur, quae magni momenti erit pro omni societate humana. Necessarium ergo est verba accurate ponderare.

Propono hanc additionem verbi « honestae », ut clarius libertatem, quae a Concilio in hoc textu capitali vindicatur, non qualemcumque esse, sed illam honestam et naturae humanae consentaneam, quam spiritus Evangelii et documenta Ecclesiae commendant.

Ad pag. 7, linn. 8 ss. Omittantur quaedam verba nimis absoluta, quae videntur excludere etiam illas exceptiones quas schema admittit. En textus:

Dicitur: « Hoc modo violaretur integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et

ad duo simul spectat: nempe ... ». Dicatur: « Hoc modo violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spec*tet*: nempe ... ». *Rationes*: 1. Doctrina quae intenditur, vera est. Sed nimis rigide et absolute proponitur. Res enim ita debet exponi, ut in formulatione eius iam praevideantur limites, qui de facto postea agnoscuntur, in par. 5 « Limites libertatis religiosae ».

2. Si libertas religiosa, prouti asseritur, *nexum omnino indissolubilem* inter eius interioritatem et manifestationem habet, si est « una, indivisa et indivisibilis », quonam modo vel quo iure auctoritas poterit prohibere eius manifestationem socialem perniciosam?

3. Si libertas est una, indivisa et indivisibilis, quo iure postea distinguitur inter actus internos et externos libertatis, exempli gratia quando schema affirmat (pag. 8 sub fine, paragr. e): « potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur ». Sed iuxta principium indivisibilitatis, si potestas actus externos prohibet, etiam ius naturae prohiberet.

4. Nexus indissolubilis, et libertas indivisibilis non admittunt exceptiones, secus non essent indivisibiles. Sed textus affirmat: « Exercitium religionis a coercitiva interventione Status immune esse debet, *nisi quando ... noceat ordini publico* » (pag. 9, linn. 31 ss.), « salvis tamen exigentiis ordinis publici » (*ibid.,* lin. 4).

5. Non idem est ius ad ponendos actus exteriores, et ius ad ponendos *omnes* actus exteriores. Valet distinctio inter libertatem personalem internam et eius manifestationem externam et socialem. Primum naturae absolute convenit, alterum limites habet.

Ad pag. 7, paragr. b, in fine. Reformetur textus 4 ultimis lineis paragr. b) comprehensus, ita ut ubi dicitur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis ». Dicatur: « Quare ad debitam hominis libertatem pertinet ut non impediatur *in libero* de *religione dialogo stabiliendo* ». *Rationes*: 1. Dialogum dicimus *liberum.* Libertas enim religiosa exigit: *a*) ut dialogus non coacte imponatur; et ab altero admittatur; *b*) ut dialogus libere initus non impediatur a tertio.

2. Omittimus verba « in suis persuasionibus », quia inutilia. Unusquisque enim in dialogo persuasiones proprias exponit. Sic textus clarior evadit.

3. Dicimus « de religione », quia « de re religiosa » ingrate sonat.

4. Dicimus « in dialogo stabiliendo » ut clarius retineatur linea logica incipiens a subiecto inquirente.

Ad pag. 8, lin. 25. Textus compleatur hoc modo: Ubi dicitur: « in re religiosa, secundum suam conscientiam ... ». Dicatur: « in re religiosa, secundum suam *rectam* conscientiam ». *Rationes*: 1. In priori parte eiusdem paragraphi loquitur de rectitudine conscientiae (« *idoneis* mediis adhibitis, sibi *prudenter* efformet et his dictaminibus *fideliter* oboediat »). Quae notiones aptissime resumi possunt verbo « rectam ».

2. Verba Ioannis XXIII accuratius colligi iuvabit, quando de hac ipsa quaestione strenue affirmavit: « Ad *rectam* conscientiae suae normam » (*Pacem in terris*).

Ad pag. 8-9, paragr. e) (Moderatio civitatis). Reficiatur paragraphus hoc modo: Dicitur: « Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur, et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur.

Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici.

Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi inquantum est necessarium. Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat ». Dicatur: « ... restringitur. In hac vero competentia, potestas publica solummodo ad actus exteriores extenditur et de actibus internis iudicare nequit.

Cum autem manifestationes sociales actuum humanorum religiosorum sint actus exteriores, potestas publica, etsi limites proprios excederet si in regimen animorum sese quovis modo immisceret vel publicum religionis exercitium coerceret aut impediret, potest tamen et debet hoc exercitium intra exigentias boni communis definire.

Libertas ergo *religiosa* homini quam maxima agnoscenda est et nonnisi inquantum necessarium restringenda ». *Rationes*: Doctrina de competentia et incompetentia Status modo confuso et aliquantulum contradictorio proponitur.

a) Affirmatur potestas legifera ad actus exteriores restricta, et simul negatur quod talis potestas publica possit coercere publicum exercitium religionis, id est, actus exteriores. Sed nulla datur ratio qua componi possint haec duo quae opposita videntur.

b) Statuitur principium imperfectum, seu non plene verum. Etenim affirmatur quod actus religiosi ordinem temporalem transcendunt, et simul quod iidem actus ordinem publicum, i. e. temporalem attingunt; sed nulla datur ratio compositionis amborum terminorum.

c) Imperfecte etiam exprimitur principium de competentia Status. Certe « potestas publica ad actus exteriores extenditur », sed etiam ad interiores, quatenus cognoscibiles ex suis manifestationibus exterioribus. Praeterea actus religiosi sociales sunt actus externi, cadunt ergo sub potestate civili, non tamen ut religiosi, sed ut externi et sociales.

Sub luce harum distinctionum corrigitur textus, servando doctrinam quae in schemate intenditur et vera est.

Ad pag. 9, linn. 4-5 et 26-28, 31-34. Reformetur textus his lineis comprehensus, ita ut ubi dicitur: « ... salvis tamen exigentiis *ordinis publici* », dicatur: « salvis tamen exigentiis *boni communis,* sicut Ecclesia docet »; et ubi legitur: « sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis *ordinis publici* », sic emendetur: « secundum normas iuridicas quae postulantur exigentiis *boni communis* societatis, et praecipue *ordinis publici,* qui est pars essentialis ipsius ... ». Tandem, linn. 33 ss.: « ... nisi quando exercitium religionis graviter noceat *ordini publico* », sic redigatur: « nisi quando exercitium religionis graviter noceat *bono communi,* sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum ».

Explicatur: *Prooemium*. Omnes Patres conciliares evidenter *libertatem, et non coactionem volumus.* Omnes quidem iuris consulto romano Paulo assentimur dicenti: « Libertas inaestimabilis res est » (1.106 D., *De Reg. Iuris,* 50, 17).

Certum etiam est omnes nos cum Ioanne XXIII firmiter tenere: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*Pacem in*

terris). Hanc libertatem cupimus, et una cum Apostolis, apologetis et martyribus, parati sumus ad eam constanter vindicare, scriptis sancire ac sanguine nostro consecrare (cf. *ibid.*).

Libenter fatemur, attentis hodiernis historiae humanae adiunctis, *opportunum ac forsan necessarium esse* ut Concilium Declarationem de libertate in rebus religiosis pronuntiet.

Non enim qualemcumque effrenatam defendimus libertatem, contra quam iure ac merito Ecclesia sententiam reprobationis saepe tulit, sed illam vindicamus libertatem, de qua Leo XIII egregie dixit: « Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara » (IOANNES XXIII, *Pacem in terris*).

Ecclesia semper accurate distinxit inter *iura fundamentalia personae* et *libertates civicas,* quae etiam publicae vocantur. Hae enim libertates hominibus tribuuntur et agnoscuntur, ex eo quod sunt cives seu membra communitatis civilis; et quamvis originem ducunt ex humanae personae iuribus, non semper cum his aequiperari possunt nec eandem naturam habent. Libertates civicae nunquam esse possunt absolutae, sed intra certos limites moderantur et temperantur, eo ipso quod cum aliorum iuribus et libertatibus coexistere debent atque ex bono communi societatis promanant.

His rationibus permotus has emendationes Commissioni propono, ut in re suapte natura complexa et ardua *formulam exactam* veramque inveniamus, quae nec ambiguitati nec errori viam aperiat, sed doctrinam catholicam de vera libertate civica in rebus religiosis authentice statuat et decernat.

Unde a Concilio humiliter postulare audeo ut emendationes de quibus supra, benigne accipiat.

Rationes: non sunt validae, mea quidem opinione, rationes quas clarissimus Relator adduxit ut tolleret de schemate « bonum commune », quod prius veluti normam et limitem in exercitio libertatis constitutum fuerat. En eius verba: « In redactione nostrae declarationis anno elapso propositae, affirmavimus exercitium libertatis religiosae limitari bono communi. Sed iure merito permulti Patres ostenderunt quod haec norma nimis late patet et viam aperiret ad multiplices abusus » (pag. 28).

Sed hanc mentem non probamus sequentibus rationibus:

I. Etiam permulti Patres aliter sentimus et probare possumus contrarium, scil. quod *ordo publicus est norma nimis patens et viam aperiens ad multiplices abusus.*

Plurimi conceptus, quos firmiter tenere debemus, ex natura sua nimis patent, et in decursu historiae abusibus et erroribus saepe labefactari videbantur. Sic, exempli gratia, notio Dei Uni et Trini. Nonne etiam notiones *iuris* et ipsius *libertatis* longe patent? Nonne errorum iniuria saepissime vitiantur?

Attamen ex abusu non arguitur legitime contra usum, iuxta veterem et universalem regulam iuris. Non licet tollere quod est rectum, ut deviatio praecludatur. Abusus enim non tollit usum.

Nullum revera est verbum, nulla optima sententia, quae vitiari non possit, quando intervenit malitia humana. Ipsamet *notio ordinis publici,* quae in textu emendato schematis pro norma statuitur, nonne adhibetur hodie ab omni regimine

tyrannico ad iustificandam oppressionem suosque abusus contra veram civium libertatem?

II. Facile praeterea ostendi potest *notionem boni communis non ita nimis patere,* cum saepe definita et accurate descripta sit in Magisterio ordinario Ecclesiae, praesertim nostris temporibus a Summo Pontifice Ioanne XXIII in Encyclica *Pacem in terris.*

Non probamus ergo rationes quibus notio ordinis publici supponitur loco « boni communis » in documento Magisterii solemnis et universalis Ecclesiae, quod ita concipi et exarari debet, ut conveniat menti et doctrinae a Summo Pontifice Ioanne XXIII traditae.

III. Qua de causa norma « ordinis publici » loco « boni communis » proponitur in schemate ad libertates civium moderandas?

Haec substitutio facta videtur, mea quidem opinione, ut Concilium imitetur doctrinas et declarationes civiles seu profanas. Hunc agendi modum reputamus minus rectum et dolendum. Placet quaedam afferre testimonia:

a) Declaratio de Iuribus Humanis a Conventione Revolutionaria Gallica, anno 1789 facta, sic se habet: « Nemo ob proprias opiniones, etiam religiosas, molestiam patiatur, dummodo harum opinionum manifestatio *ordinem publicum lege sancitum non laedat* » (art. 10).

b) Constitutio Regni Hollandiae decernit: « Permittitur quilibet cultus publicus, apud aedes vel intra saepta societatis religiosae, sed cultus submittitur illis normis quae necessariae sint ad ordinem et pacem publicam tuendam » (art. 177).

c) In Professione Universali Iurium Humanorum, statuta die 10 dec. 1948, a Conventione Nationum Foederatarum, dicitur: « In iuribus et libertatibus propriis exercendis, unusquisque submittitur solis limitibus qui lege determinantur, eo unico fine ut agnoscantur et tueantur iura et libertates aliorum, iustae bonorum morum exigentiae, ordo publicus et commodum generale in societate democratica » (art. 29, 2).

Quae cum ita sint, dolendum sane videtur schema ignorare vel oblivioni tradere ea omnia quae Ecclesiae Magisterium aptissime docuit de norma boni communis in societate civili et de iuribus et officiis auctoritatis et civium libertatibus, ut documentum caperet ex alienis fontibus, qui et minus probati sunt, et sensum politicum sapiunt.

His accedit quod textus emendatus schematis non habet illam perspicuitatem et determinationem, quibus Conventio Europaea pro tuendis Iuribus Humanis et Libertatibus Fundamentalibus, die 4 nov. 1950 declaraverat: « Exercitium harum libertatum, eo quod officia pariat et propriorum actuum rationem exigat, potest quibusdam normis et regulis, conditionibus, exemptionibus limitari, a lege sancitis, quia in societate democratica necessarium videtur ad tuendam rem publicam, ad securitatem et ordinem protegendum, ad facinora vitanda, ad defendendam famam et iura aliorum, ad impediendam evulgationem secretorum atque ad vindicandam auctoritatem civilem et potestatem iudiciariam » (art. 10, 2).

His ergo omnibus rite perspectis, iure meritoque interrogare liceat:

Qua de causa, qua ratione redactores textus ita alacriter doctrinam traditionalem in probatissimis documentis Magisterii ecclesiastici promulgatam, ubi de

bono communi veluti norma relationis inter auctoritatem et cives edocemur, ut ad aliena placita, minus probata, et ad documenta politica recurrant?

Non conficimus documentum politicum, sed doctrinam catholicam investigamus, pro omnibus temporibus atque civilibus societatibus validam.

Praeterea, quomodo in locum notionis « boni communis », ita accurate descriptae et propositae a Magisterio Ecclesiae, substituemus hanc « ordinis publici » normam, incertam, inexpertam, facilem ad abusus et falsas interpretationes multo magis quam « bonum commune »?

Conclusio. Ex dictis humiliter a Concilio postulo ut in paragraphis quae *de moderatione civitatis* et de *limitibus libertatis religiosae* (pag. 8 et 9 schematis) non proponatur ordo publicus quasi unica ratio, qua liceat auctoritati moderare libertatem civium; nec quasi unicus limes libertatis religiosae; cum vera norma ultima huius libertatis, qualiter a traditione ecclesiastica proponitur et documentis Magisterii solemnis Ecclesiae sancitur est « bonum commune » ipsius societatis.

Ad pag. 10, lin. 7 (n. 6). Textus reformetur ita ut ubi dicit: « ne civium aequalitas ... », dicat: « ne civium rationabilis aequalitas ... ». *Ratio*: additur adiectivum « rationabilis », ut documentum conciliare aequalitatem civicam vindicet, quae sit dignitati personae humanae consentaneam (iuxta Evangelii et Ecclesiae doctrinam), non vero demagogicam illam aequalitatem, quae verae libertatis eversio est.

Ad pag. 10, par. 6: Consequentiae practicae. Inseratur schemati, lin. 22, post verba « ... tutela iuridica muniatur », doctrina de Statu confessionali, de qua Relator locutus est, scil.: « Hoc tamen libertatis religiosae regimen non impedit quominus alicui religioni officialis agnitio in ordinatione iuridica recognoscatur. Haec vero religionis conditio nemini civium vel coetuum religiosorum libertatem religiosam vel aequalitatem iurium civilium minuit, nec ipsos obiectum coercitionis facit.

Cum vita religiosa sit omnium summum et universale bonum personae humanae, auctoritas civilis, quatenus ex se est, tenetur summam earum vitae socialis conditionum, in quibus homines suam ipsorum perfectionem religiosam possunt plenius atque expeditius consequi, promovere », et quo magis societas civilis propitias suppeditat condiciones ... (etc. usque ad finem par. 6, pag. 10).

Rationes: 1. Verba proposita inveniuntur in oratione a Relatore habita et schemati annexa (pag. 29 et 38), et referuntur ad duas quaestiones magni momenti, de quibus schema omnino silet: Status confessionalis et promotio conditionum socialium pro vita religiosa ex parte auctoritatis publicae.

2. Cum Status confessionales, sive catholici sive acatholici de facto dentur, valde necessarium est explicite definire quo modo confessionalitas Status componi possit cum vera libertate religiosa.

Praeterea, cum Ecclesia catholica publicis documentis iuridicis confessionalitatem Status non raro agnoverit, non sufficit explicatio relatoris, sed Concilium ipsum debet authenticam doctrinam definire.

3. Sed dicendum est item de promotione socialium conditionum pro vita religiosa ex parte auctoritatis publicae. Cum enim vita religiosa sit omnium summum et universale bonum personae humanae, etiam auctoritas civilis qua talis, aliquam collaborationem praestare debet. Verba quae proponuntur in altera parte huius voti, desumpta sunt ex Encyclica *Pacem in terris,* in quibus Ioannes XXIII hanc dabat

notionem boni communis: « Summam earum vitae socialis conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi ».

Ad pag. 14-15, par. 12 (Doctrina evangelica). Explicatio miraculorum Christi quae habetur a lin. 26, pag. 14: « Miracula fecit... » ad lin. 6, pag. 15: « ... linum fumigans extinguit », nimis probat et omittenda est. *Rationes*: 1. Applicatio est impropia. In schemate enim non agitur de *libertate intellectus* seu de libertate theologica actus fidei, in qua intellectus non cogitur ad assentiendum ex evidentia interna motivorum, sed potius de *libertate civili,* id est, de libertate hominis ante leges societatis et coercitiones externas, ut vitam religiosam instituere possit iuxta propriae conscientiae testimonium.

Sed tota schematis explicatio nihil aliud demonstrat nisi quod Christus non coegit intellectum ad assentiendum, ita ut actus fidei liber remaneret.

2. Minus etiam probant ea quae allegantur de vindicta divina ab Apostolis postulata pro Samaritanis reluctantibus. Si valeret hoc argumentum de denegatione vindictae, pari iure opponi posset argumentum de vindicta divina, quam Christus praenuntiavit et Titus adimplevit contra Hierusalem desolatam.

Unde, ne quid nimis. Melius est haec omnia omittere. Vita et exemplum Christi satis probant quod schema intendit probare. Quae ad miracula spectant, omittantur.

Ad pag. 17, n. 14 (Conclusio), linn. 17-28. Omittantur verba quae incipiunt « patet enim libertatem religiosam in plerisque Constitutionibus ... » etc. usque ad « ... haec vero deploranda facta cum moerore denuntians ». *Rationes*: 1. Laus quarundam Constitutionum civilium et damnatio regiminum libertatem opprimentium, clare et aperte desumitur ex argumento et principiis totius declarationis praesentis.

Non est ergo necessarium haec iterum repetere.

2. Supradicta verba stylo conciliari carent et ad conciliationem non invitant. Non est conveniens, mea opinione, ut documentum Concilii condemnatione concludatur. Ipse enim Secretariatus Unionis tales damnationes his temporibus minus consentaneas iudicat.

3. In his continetur applicatio doctrinalis, quae ex una parte est obvia (ergo minus necessaria) et ex altera parte admittit interpretationem sapore politico intinctam, quae Concilii impropria est.

4. Sensus declarationis, immo et conclusionis eiusdem, idem permanet si hae applicationes omittuntur. Tunc tota libertatis declaratio elevationem doctrinalem, independentiam Ecclesiae a rebus politicis, ac theologicam argumenti visionem multo melius ostendet.

Conclusio decreti sic ergo se haberet: « Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri. Sacra Synodus christifideles adhortatur et huius aetatis homines universos adprecatur ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis ».

73

Exc.mus P. D. ANGELUS HIDALGO IBÁÑEZ

Episcopus Iacensis

Cum in schema declarationis *de libertate religiosa,* agatur de re magni momenti in munere pastorali, curanda est in eo nitida et accurata expositio in conceptibus et locutionibus. Ideo circa schema haec manifestanda censeo.

In genere. 1. Placent quae in schema dicuntur de ordinatione iuridica libertatis religiosae.

2. Placet tantum iuxta modum expositio doctrinalis, in qua fundamenta iaciuntur huius libertatis, et ex qua iura eius propria deducuntur.

3. Non intelligo quempiam hominum posse verum ius in errore fundare, in societate validum. Hoc in nullo rerum ordine admittitur. Unde nec admittendum in ordine religioso.

4. Schema exponit in par. II doctrinam de libertate religiosa ex ratione desumptam, et in par. IV doctrinam de libertate religiosa sub luce revelationis, quin inter utramque doctrinam necessaria relatio definiatur.

Doctrina, enim, de libertate religiosa, alia est in ordine naturali, alia in ordine supernaturali. In ordine naturali, qui ordo ignorat revelationem, quaevis religio, mediis licitis et honestis expressa, est vera, et fundamentum praebet ad verum ius in eius activitate interna et externa. In ordine supernaturali una tantum est vera religio in revelatione fundata, et ex Dei voluntate ius habet praevalens relate ad religiones falsas.

Unde status quaestionis est omnino diversus in ordinibus supernaturali et naturali, doctrina omnino diversa et diversae conclusiones.

In specie. Ad n. 1, linn. 1-3, dicitur: « Dignitatis personae humanae hac nostra aetate homines magis magisque conscii fiunt ». Dicendum esset hoc vel simili modo: « Dignitatis personae humanae, *qualis ex ratione et revelatione deducitur,* hac nostra... ». *Ratio est*: persona humana, eiusdem dignitas et iura quae in tali dignitate fundantur, non ab omnibus eodem modo intelliguntur. Ideo horum notio vera est enucleanda, ut vitiosae interpretationes excludantur doctrinae in nn. 1, 2, et 3 expositae.

Ad n. 4, sub *a*) dicitur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uno subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat... etc. ». Dicatur: « Hoc modo violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectat... etc. ». *Rationes*: 1. Quod est unum, indivisum et indivisibile, aut totum datur, aut nullatenus datur. Unde libertas religiosa dari deberet tota semper et ubique. Si ponitur principium tam absolutum in schema, nunquam auctoritas ulla posset prohibere ullum actum exteriorem in vita sociali, etsi perniciosum esset, attentaret enim in integritatem ipsam personae.

2. Principium schematis de indivisibilitate et indivisione, et de nexu omnino indivisibili inter libertatem internam et externam manifestationem socialem, contradicit principio posteriori ipsius schematis asserentis:

a) « Potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » (cf. pag. 8, sub *e*], *Moderatio civitatis*).

b) « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, *nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico...* » (pag. 9, sub *b*], *Norma iuridica*), et etiam « Salvis tamen exigentiis ordinis publici » (pag. 9, sub *e*], *Moderatio civitatis*).

3. Ex eo quod homo ex natura sua tendat ad actus exteriores ponendos secundum conscientiam propriam, sequitur homini concedendum esse ius ad actus exteriores, sed non tamen *ad omnes* actus exteriores.

Ad n. 4, sub *b*) « Inquisitio veritatis », dicitur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis ». Dicatur: « Quare ad debitam hominis libertatem religionis pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». *Ratio*: in textu illogice fit saltus ex officio et iure *quaerendi veritatem* ad ius exponendi *quascumque persuasiones* de re religiosa ac proinde etiam falsas.

Quocirca ius exponendi falsum oriretur ex officio quaerendi veritatem.

Haec, praeterea, illogica consequentia directe opponitur definitioni Concilii Vaticani I, circa obligationem catholicorum perseverandi in fide eorumque disparem conditionem cum acatholicis (cf. DENZ.SCHÖN. 3036). Catholici siquidem, utpote veritate gaudentes, nullam obligationem habent adhuc quaerendi veritatem, immo nec ius aliam doctrinam quaerendi; quapropter praedicationi aliarum persuasionum religiosarum subesse nequeunt.

Allusio vero, in nota 18, ad Enc. *Ecclesiam suam,* non est ad rem. In Encyclicis litteris enim sermo est non de quibuslibet persuasionibus religiosis exponendis, sed de dialogo ipsius Ecclesiae, qui sic definitur a Summo Pontifice: « Itaque colloquium quasi ratio quaedam est putandum apostolici obeundi muneris atque animorum iungendorum veluti instrumentum » (*Ecclesiam suam,* pag. 40).

In pag. 8, n. 4, sub *c*), *Indoles religionis*. Dicitur: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali ». Dicatur: « Exinde sequitur quod homo, *ordinem socialem servans,* ius habet, ut in sua religione... etc. ». *Ratio*: quia si ex ipsa natura sociali hominis exurgit ius ad actus sociales exercendos, etiam ex ipsa natura sociali hominis exurgit necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum.

In pag. 11, n. 7, *Libertas communitatum religiosarum,* dicitur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda ». Dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ». *Rationes*: 1. Ut ex una parte intelligatur quod ius « docendi et testandi » exerceri nequit coactione sive physica sive morali erga alios, et ex alia parte ut exprimatur principium limitationis contra abusus, qui possunt exsurgere laedentes ipsam libertatem religiosam personarum.

2. In ipso schema mentio fit limitationis iuris libertatis religiosae his verbis: « servato ordine publico », « servatis exigentiis ordinis publici ».

Tamen, hic, ubi de re magni momenti agitur, non exprimitur ulla limitatio. Quod non decet.

3. Posset admitti et enuntiari quod « communitates religiosae ius legale etiam habent... etc. », quia ius legale includit iudicium *prudentiale*, non autem

iudicium *doctrinale,* i. e. non exprimit intrinsecam veritatem rei. Iudicium vero prudentiale attingit ordinationem iuridicam, quae adaptari debet crcumstantiis concretis locorum, temporum et personarum.

In pag. 14, n. 12, *Doctrina evangelica*: Expungantur sequentia verba: a lin. 26, pag. 14: « Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent... etc. » usque ad lin. 11 in pag. 15, quae dicit: « Exaltatus a terra omnes vi amoris traxit ad seipsum ». *Ratio*: quae ibi dicuntur falso nituntur supposito; ac si unquam miracula fidem vere coactam seu necessariam efficerent.

E contra, solemne est in theologia motiva credibilitatis, etiam splendida, doctrinam revelatam non reddere evidenter veram, sed tantum evidenter credibilem.

Libertas actus fidei semper in tuto est, nimirum ex eius obiecto formali, scil. auctoritate Dei loquentis.

74

EXC.MUS P. D. RAIMUNDUS HILLINGER

Episcopus tit. Derbeus, aux. Chicagiensis

I write to second the recommandations of card. Ritter:

1. That the historical position of the Introduction (n. 2) should be revised and corrected.

2. That part II (n. 4 c) omit the phrase "man ordaining himself directly to God".

3. That part IV (n. 13) of the text be revised to avoid theological controversy over the precise extent of the Churches authority in teaching the natural law.

4. That the present text be retained as the basis of the conciliar declaration.

75

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Pag. 4 et 5. Explicatio historica non omnino placet. Etenim non videtur recta. Non est societas moderna quae evolutionem passa est dum melius detegeret iura personae in materia religiosa, sed potius Ecclesia. Ex alia parte, cum accentus ponitur in progressu « personalismi » ad proclamationem libertatis religiosae iustificandam periculum est ne hic modus agendi vim minuat transcendentiam ipsius doctrinae.

Non est « nova quaestio » quae exsurgit in ipsa doctrina sed tantum circumstantiarum contextus qui ducit Ecclesiam ad proclamationem explicitam alicuius veritatis quam substantialiter semper professa est vel profiteri debuisset.

Pag. 8, *d*). Declaratur ut principium morale absolutum quod nemo in re religiosa contra suam conscientiam cogi possit.

Nullibi autem in declaratione clare definitur id quod significat « in re religiosa ». Haec expressio « in re religiosa » comprehenditne cultum tantum aut etiam ethicam?

Si etiam de ethica agitur, principium ibi allatum sancit etiam et quidem absolute et universaliter legitimitatem obiectionis conscientiae: in omni campo dummodo obiectio affertur nomine conscientiae moralis (v. g. negatio servitii militaris, negatio solvendi tributa [impôts] ut iniusta reputata, etc.).

Pag. 10, n. 6, in fine. Societas civilis invitatur suppeditare « conditiones ad *veritatem* divulgandam vitamque religiosam fovendam ».

Supponitur agi ibi de diffusione *verae* religionis.

Hoc videtur aequivocatione quadam laborare. Nonne melius esset scribere: « Quo magis enim societas civilis *praedictam* suppeditat *libertatem* eo magis ipsa fruetur bonis, ... ».

Praeterea nonne esset ibi locus fortiter insistendi in hac idea: nedum religio civitati noceat (ut marxistae et athei hodie fortiter declarant) e contrario religio civitati quam maxime inservit.

Pag. 12, n. 7 in fine. Loco « in tota activitate humana *dirigenda* » scribatur: « in tota activitate humana inspiranda » seu (si magis placet) « animanda ». *Ratio*: verba « tota dirigenda » totalitarismum sapiunt.

76

Exc.mus P. D. EDUARDUS HOWARD
Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

Con dovuta reverenza, insisto che lo schema *de libertate religiosa* sia mantenuto come base per discussione alla quarta sessione del Concilio Ecumenico Vaticano II.

Però colgo l'occasione per sottomettere a Vostra Eminenza Reverendissima i seguenti suggerimenti per emendazioni:

1. La sezione istorica del proemio dovrebbe essere rifatta. Nello schema l'onere della mancanza religiosa è stato attribuito soltanto alle autorità civili, mentre dobbiamo ammettere che le comunità cristiane sono state frequentemente responsabili per le azioni dello stato confessionale.

2. Nella seconda parte, la descrizione della natura di religione dovrebbe essere corretta.

3. Nella quarta parte il testo dello schema entra gratuitamente in una controversia teologica circa la natura dell'autorità della Chiesa nell'insegnare la legge naturale.

77

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS IGLESIAS NAVARRI
Episcopus Urgellensis

Has tres quae sequuntur animadversiones ad schema *de libertate religiosa* afferre humiliter audeo:

1. Declaratio huius libertatis, prouti iacet, videtur exclusive elaborata intuitu earum nationum in quibus pluralismus religiosus in dies magis magisque vigere videtur.

Fortasse melius esset statuere (vel saltem a schema non excludere) principium de vera religione unice profitenda ab omnibus qui eamdem ut talem agnoscunt: salva tamen libertate eorum e contra sentientium, dummodo bono communi et publicae tranquillitati ne laedant.

2. Minime ratione naturali probatur munus et officium moderatorum societatis civilis ita restringi posse aut debere ut ratio publica agendi subditorum in re religiosa ab ipsorum moderamine sit prorsus aliena, propterea quod cultus publicus religiosus ad bonum commune civilis societatis quam maxime conferre potest.

Immo: Revelatione supposita eaque ab universa Natione seu populo admissa, ibidem Potestas civilis potest et debet eamdem amplecti et profiteri eidemque favere, salva semper libertate pro singulis in foro interno atque in sinu familiari aliter sentiendi et agendi.

In foro autem externo seu publico talis agendi libertas bono communi pacique publicae erit suppeditanda; etsi enim nemo cogi possit ad agendum contra suam conscientiam, ad bonum tamen commune Societatis ius praedictum moderari vel limitari licebit et debebit.

3. Quia proselytismus religionis falsae ordini publico saepe saepiusque nocumentum affere potest, facilius delimitari idem poterit.

Infrascriptus opportunum videtur ut hae tres animadversiones prae oculis habeantur in definitiva schematis elaboratione.

78

Exc.mus P. D. VINCENTIUS M. JACONO
Episcopus tit. Patarensis

1. Admissa opportunitate declarationis a Conc. Vaticano II edicendae, pro rei gravitate documentum ita est accurate redigendum ut omnes simul mundi regiones respiciantur ac in *tuto ponatur ius veritatis,* una cum *permissione* seu tolerantia erroris, iusta ac gravi de causa, cum « ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione » (Pius XII).

In universum dicendum ad textum: positio quaestionis *in ordine mere iuridico* non videtur apta quia insufficiens est ad doctrinam catholicam clare et rite exponendam.

2. *Circa titulum* videtur potius dicendum: « Declaratio Conciliaris Vaticani II de humana dignitate ac de personae et communitatis libertate in re, praesertim religiosa », ut fundamentum libertatis statim indicetur et praeterea vindicetur tota libertas ita ut libertas religiosa facilius possit ac debeat admitti.

3. Textus nn. 3 et 4 et 5 ameliorari debet, forte sequenti modo:

a) « Libertas religiosa, ut hodie communiter accipitur in sua intrinseca ratione, est *verum ius naturale et civile,* in dignitate humana fundatum, atque legi et ordini divinae Providentiae in hac vita adaequate respondens, quod omni homini agnoscendum est ac nulli denegari potest, immo quod, ut fieri iam solet in legibus fundamentalibus Status, ceu ius primarium cuique in Religionis professione expresse recognoscendum et sanciendum est.

b) *Limites intrinseci verae libertatis in re religiosa.* Per hanc iuridicam libertatis religiosae veram notionem, in hac nostra aetate defensam, nullatenus significatur homines nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Deo emancipari, ita ut atheismo privato vel Status quoquo modo faveatur. Non enim libertas religiosa eo sensu concipitur ac si persona posset falsum et verum aeque aestimare, vel ac si ipsi officium non incumbat veram sibi, privatim et publice, de rebus religiosis efformandi conscientiam, vel arbitrio suo statuere valeat utrum et in qua religione et qua ratione Deo servire velit...

c) *Limites in exercitio iuris libertatis in re religiosa.* Omne ius, ut sustineri valeat, sibi ipsi fidele esse debeat et suum fundamentum non excedere, utputa in casu humanae naturae dignitatis...

Certos aeternae et rationalis legis terminos praetergredi non potest, ac proinde libertas religiosa intra recognitam moralitatem contineri debet. Commune bonum intactum servare debet etc.

4. *Quoad conscientiam humanam* notandum: « *Status* etsi numquam absolute possit ullo modo quemvis cogere ad agendum in re religiosa contra propriam conscientiam, et praeterea etsi competens non sit agnoscendus ad iudicandum, in ordine interno ac obiectivo, de veritate religiosa, tamen in ordine externo et sociali, quin obstet conscientia indubie recta, ratione boni communis etc. ... ipsius conscientiae manifestationem moderari prudenter potest.

Ecclesia vero, magistra veritatis, etsi ut principium illa probare non possit quae in re religiosa erronea certe sunt, tamen, ut bona mater, erga eos qui " ignorant et errant " benevolentia ac materna pietate afficitur ut mente et corde in oratione illos amplectatur et nullam molestiam illis infert. Praecipuum semper est ius veritatis, dum error, ob bonam fidem, toleratur ».

79

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ
Episcopus tit. Cerasenus

Pour plus de clarté, les remarques suivantes sur ce sujet délicat resteront rédigées en français.

1. *Deux remarques préalables* au sujet du texte actuel.

a) Le texte actuel manque d'unité. Le lecteur non averti ne sait pas si finalement il s'agit d'un exposé sur *le droit à la liberté religieuse* (ce qui est théoriquement l'objet de ce texte) ou s'il s'agit surtout d'un exposé sur *la liberté de l'Eglise* (Ecclesia ius habet...).

b) Le texte manifeste que les rédacteurs ont hésité, sans choisir, entre deux points de vue différents: soit parler du droit à la liberté religieuse dans *une ligne de « droit naturel »* afin de répondre à l'attente de tous les hommes et d'être éventuellement compris par eux (un peu comme dans l'Encyclique *Pacem in terris*); soit en parler *en fonction de la Révélation biblique,* en particulier en fonction du Nouveau Testament, où le message du Christ est proposé aux hommes sans s'imposer à eux par la violence, mais au contraire dans le respect de leur liberté. Dans cette ligne, on répondrait mieux aux désirs des frères séparés.

2. *Sur le fond de la question,* nos remarques porteront essentiellement sur la *limite du droit à la liberté religieuse* et sur *la compétence de la cité temporelle* (*de l'Etat*) *dans le domaine religieux.*

a) Les convictions religieuses des hommes ont des conséquences inévitables dans le domaine social et public, domaine dans lequel les pouvoirs publics ont mission et droit d'intervenir. Les convictions religieuses impliquent un ensemble de relations entre les hommes qui n'échappe pas totalement à la cité temporelle.

S'il est vrai que les pouvoirs publics n'ont pas compétence dans la détermination de la vérité religieuse, objet d'une conviction religieuse, il est vrai aussi que les pouvoirs publics ne peuvent ignorer les conséquences concrètes, sociales, publiques des convictions religieuses.

Il sera toujours nécessaire d'établir un certain arrangement, un certain « modus vivendi » entre les autorités religieuses reconnues par la conscience de certains hommes comme autorités légitimes pour eux, et les autorités publiques et politiques.

b) Par ailleurs, il n'est pas très satisfaisant de prendre comme principe de limitation du droit à la liberté religieuse des réalités ou des normes étrangères à ce droit lui-même. Sinon la limitation apparaît comme purement extérieure, étrangère et finalement arbitraire.

Il faudrait au contraire que le droit à la liberté religieuse soit limité par le fondement même reconnu à ce droit, qui est la dignité de l'homme.

Ainsi ce qui, dans une religion ou dans une idéologie, compromet la dignité de l'homme ne peut être accepté par la société civile et par l'autorité chargée dans cette société de garantir la dignité de l'homme, sur laquelle elle est elle-même fondée. Dans un tel cas, l'autorité publique devra donc limiter le droit de cette religion ou de cette idéologie pour autant précisement qu'elle compromet la dignité de l'homme.

Autrement dit, on ne peut concevoir les choses de manière trop simpliste et comme coupée au couteau: d'une part, l'autorité religieuse et la conscience, pouvant reconnaître, chacune suivant son rôle, l'objet religieux, et d'autre part, la société civile, n'ayant aucunement pour objet la réalité religieuse, sous aucun de ses aspects. Deux points de vue distincts justifient un certain *rôle de l'autorité civile* dans le domaine religieux: 1) d'une part, dans les conséquences publiques et sociales des convictions religieuses; 2) d'autre part, dans le cas où des convictions religieuses compromettent la dignité de l'homme.

Par ailleurs, du point de vue de l'*autorité religieuse,* l'affirmation du droit à la liberté religieuse signifie pour elle le refus d'appuyer par des moyens de puissance, notamment politiques, ses convictions religieuses, pour les faire partager aux hommes. Tout moyen qui mettrait en péril la liberté de la conscience et par conséquent la dignité de l'homme doit être exclu de la proclamation des convictions religieuses.

En vertu des considérations précédentes, il me semble que le texte conciliaire sur la liberté religieuse pourrait:

a) *Etre beaucoup plus bref.* Est-il nécessaire de souligner que le texte proposé est terriblement alourdi par toute la partie historique sur le Syllabus, qui n'est guère à sa place dans un texte conciliaire. Sans doute était-il nécessaire de complèter et de préciser la doctrine du premier texte qui pouvait prêter à ambiguité, et aussi de marquer la continuité de la doctrine par rapport aux ensei-

gnements précédents. Mais ce long rappel d'un exposé rédigé dans une problématique différente paraît en grande partie superflu.

b) *Comporter essentiellement les quatre prises de position suivantes*:

1. L'homme est appelé à obéir à Dieu et à lui faire hommage de sa soumission selon la voix de sa conscience (dictamen). Cette affirmation n'est aucunement à comprendre dans un sens indifférentiste, comme si toutes les affirmations religieuses avaient même et égale valeur objective ou si toutes les religions étaient également vraies. En outre, cette affirmation implique la reconnaissance de la pleine dimension humaine de la conscience, qui est celle d'une personne vivant en société et capable de se lier avec d'autres personnes dans des communautés. Ce point est explicitement déclaré dans les textes successifs soumis aux évêques.

2. Les pouvoirs publics n'ont pas compétence quant à la définition de la vérité religieuse. Ils ne peuvent donc choisir en fonction de normes religieuses parmi les différentes affirmations idéologiques des citoyens dont ils sont chargés.

3. Les autorités religieuses, en particulier l'Eglise catholique, doivent reconnaître qu'aucun moyen de coërcition ne peut être légitimement apporté pour imposer telle ou telle conviction religieuse. Il faudrait ici une déclaration solennelle de l'Eglise catholique renonçant pour sa part à tout moyen de coercition pour la diffusion de l'Evangile.

4. Parce que les pouvoirs publics ont compétence sur les hommes qui font partie de groupements religieux, l'Eglise catholique, pour sa part, se reconnaît prête à envisager avec les autorités compétentes l'établissement d'accords, variables suivant les situations locales, nécessaires au développement harmonieux de la vie religieuse de ses fidèles et à la paix civile.

80

Exc.mus P. D. ROBERTUS JOYCE
Episcopus Burlingtonensis

In genere. Schema novum declarationis *de libertate religiosa,* recognitum et adauctum, placet. Haec, quae sequuntur, animadversiones offeruntur, ut Secretariatui in opere emendationis subsidio sint.

1. Servetur atque immutata retineatur methodus secundum quam declaratio procedit, scil. *a*) ut exordium sumatur e statu rerum hodierno, in quo libertas religiosa et limitatio correspondens potestatis publicae de facto postulantur fere universim ab hominibus, propterea quod propriae dignitatis et personalis et civilis magis magisque conscii sunt facti; *b*) ut dein exponatur conceptus libertatis religiosae, quid sit et quid non sit, prout hodie communiter intelligitur et iure constitutionali vindicatur; *c*) ut posthac afferantur argumenta, cur libertas religiosa sit affirmanda tamquam verum hominis ius. *Rationes*:

a) Haec methodus, quae conscientiam historicam (historical consciousness) exhibet, a sana philosophia (et, mutatis mutandis, a sana theologia) hodie quam maxime probatur; estque in praesenti materia omnino necessaria et unice valida, cum quaestio agatur, in qua evolutio doctrinae peracta est.

b) Sic declaratio aggreditur problema ubi de facto exsurgit, scil. non in ordine abstracto seu speculativo sed in ordine practico seu politico et iuridico.

c) Sic ab initio patet, quod libertas religiosa sensu hodierno non est notio theologica vel quasi-theologica vel ideologica sed potius notio formaliter iuridica.

d) Sic via optime sternitur ad doctrinalem solutionem problematis practici. Etenim ius hominis ad libertatem in re religiosa non est quaedam « veritas aeterna », quae demonstrari potest a priori, modo abstracto, arguendo deductive ex aliis « veritatibus aeternis ». E contra, nonnisi recentius pervenerunt homines in possessionem huius veritatis. Solummodo decurrente experientia historica, et aucta exinde inter homines gradatim conscientia dignitatis personae, rationi humanae innotescere coepit, quod libertas religiosa est vera exigentia naturae hominis, quatenus persona est, ac proinde verum hominis ius.

Optima igitur est declarationis methodologia. Ac proinde ipsa quaestio recte ab initio ponitur. Quaestio enim est, utrum homines nostrae aetatis iure et rationabiliter, seu secundum naturales exigentias dignitatis humanae, sibi vindicent libertatem religiosam. Non sunt igitur audiendi, qui dicunt, quod declaratio « positivismo indulget », vel « opinioni publicae hodiernae cedit ». Obiectiones exhibent et ignorantiam elenchi et sensum methodologiae mancum.

2. Pariter retinenda est structura generalis declarationis, scil., ut primo doctrina de iure hominis ad libertatem in re religiosa stabiliatur argumentis e ratione desumptis, atque ut dein ostendatur concordia huius doctrinae cum principiis fidei. Principia autem, quae ad rem pertinent, apte seliguntur, libertas nimirum Ecclesiae, libertas fidei supernaturalis, doctrina evangelica.

3. Placet expositio conceptus libertatis religiosae tum in genere, quatenus importat duplicem immunitatem (n. 1, pag. 3-4), tum in suis applicationibus socialibus (nn. 7-9, pag. 11-12).

4. Satis caute notat declaratio, quod ius ad libertatem in re religiosa, sive personale sive sociale, non est quoad suum exercitium quid absolutum. Exercetur enim in societate, ac proinde, sicut in re aliorum iurium civilium, est quibusdam limitibus obnoxium. Exacte porro et secundum sententiam saniorem satis hodie communem statuuntur normae limitationis (n. 5, pag. 9).

Laudanda omnino est declaratio, quia non recurrit ad bonum commune tamquam ad normam limitationis sed ad ordinem publicum. Cum autem in hac re dentur et controversia et confusio, rem expendere forsan iuvabit.

Etenim in nostro casu non agitur de qualicumque interventione potestatis publicae in campo qualicumque activitatis socialis. Agitur vero de coercitiva interventione in speciali ordine iurium seu libertatum civilium, quarum prima est libertas religiosa. Iamvero bonum commune societatis maxime consistit in his humanae personae iuribus servatis, ac proinde officium praecipuum potestatis publicae erga bonum commune consistit in his iuribus servandis (cf. nota 15, pag. 20), ut societas ad normam libertatis regatur (*Pacem in terris*; cf. nota 20, pag. 21). Valet igitur in hac materia regula traditionalis iurisprudentiae, quae in ipsa declaratione rite laudatur: « Libertas debet homini agnosci quam maxime fieri potest ac non restringenda nisi in quantum est necessarium » (n. 4 *e*, pag. 9). Restrictio enim libertatis est per se odiosa.

Actio igitur potestatis publicae, qua exercitium libertatis religiosae coercitive restringitur vel impeditur, est actio odiosa. Norma proinde secundum quam iustificari potest eiusmodi actio non est eius utilitas ad bonum commune promovendum. Per se enim, ut dictum est, promovetur bonum commune per tutelam libertatum civilium, religiosa libertate inclusa, et non per eorum restrictionem. Ergo

norma quae iustificat actionem restrictivam libertatis civilis non potest esse nisi necessitas huiusmodi actionis ad ea mala reprimenda, quae necessario reprimenda sunt. Ultra limites huiusmodi necessitatis illicite sese extenderet actio odiosa.

Ita igitur ad notionem ordinis publici pervenitur, quae inadaequate distinguitur a notione boni communis. Notio enim boni communis « summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possint plenius atque expeditius consequi » (*Mater et Magistra*). Intra ambitum huius notionis largioris, notio ordinis publici eas tantum vitae socialis condiciones complectitur, quae ita sunt essentiales, ut actione coercitiva potestatis publicae necessario sunt vindicandae ac protegendae contra mala, quae graviter sint iis contraria.

Eadem igitur viget distinctio inadaequata inter bonum commune et ordinem publicum, quae viget inter societatem et statum.

Fundamentum societatis est ipsa persona humana (cf. nota 12, pag. 20). Ergo bonum commune societatis ea fere omnia bona complectitur, quae ad perfectionem hominis in terris spectant. Fundamentum vero status est disciplina cogens metu poenae, quae est lex humana. Ergo bonum status non complectitur nisi ea bona, quae vis coercitiva legis et administrationis publicae consequi potest, et quidem debet, ut ipse status ut ordo quidam consistere possit.

Est autem status ordo quidam politicus, cuius bonum est pax publica seu externa. Est porro status ordo quidam moralis, cuius bonum est illa mensura moralitatis publicae, quae vi legis stabiliri potest. Est denique status ordo quidam iuridicus, cuius bonum in eo est, quod homini secure vindicatur id quod ei primario ex iustita debetur, scil., eius iura et libertates ut persona humana. Hoc igitur triplici bono — politico, morali, iuridico — constituitur ordo publicus ut pars fundamentalis boni communis. Qui quidem ordo committitur potestati publicae, ut protegatur contra mala opposita, adhibita, si necesse est, vi coercitiva.

Quae cum ita sint, in bene ordinata civitate, quae ad normas iustitiae et libertatis regitur, recte statuitur principium, quod laudat declaratio: « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium aliorum » (n. 5 *b*, pag. 9). Agitur enim de odiosa restrictione iuris civilis, quod quidem privilegiatum est.

Ergo non licet arguere, quod eiusmodi restrictio utilis sit ad bonum commune promovendum. Oportet vero arguere, quod necessaria est ad ordinem publicum servandum.

Emendationes proponendae. His de meritis declarationis dictis, ceterisque omissis, quae dici possent, progredimur ad quasdam emendationes proponendas, eo quidem animo ut declaratio fortior in suo sensu evadat. Videat Secretariatus, si, collatis opinionibus aliorum Patrum, accipi possint.

1. Ad pag. 4, n. 2 (*Quaestio historica*). Melius remitteretur ad notam quaestio historica. *Rationes*:

a) Quae hic dicuntur, vera sunt. Non autem omnia, quae in historia quaestionis vera sunt, dicuntur. Exinde est, quod totus hic numerus quasi quamdam apologiam sonat pro Ecclesia saeculi decimi noni et quidem inter condiciones polemicas tum temporis obtinentibus in quibusdam nationibus in Europa. Est tractatio saltem trunca. Immo si de historia volumus loqui honeste, Ecclesia hodierna

debet apertis verbis declarare se multorum paenitere delictorum, quae saeculis peractis patrata sunt contra libertatem religiosam ab hominibus Ecclesiae vel in nomine Ecclesiae (e. g., Inquisitio et Romana et Hispanica, bella religiosa, plura facta durante aetate absolutismi confessionalis, qui dicitur; etc.).

b) Tota quaestio nimis est complexa quam ut breviter absolvi possit. Importat enim quaestionem spinosam de evolutione doctrinae. Satis nobis sit, ut in nostra declaratione clare affirmetur terminus evolutionis, qui est doctrina de libertate religiosa, ut quae est verum ius hominis. Theologis autem relinquatur, ut libere disceptent de ratione evolutionis, de eius causis et occasionibus, stadiis, etc. In hunc igitur sensum conficiatur nota, quae ad ipsum factum evolutionis animadvertere debet et ad eius validitatem. Utilia erunt ea, quae pag. 5 habentur, inde a « Praeterea Ecclesia... » usque ad pag. 6: « ... ex parte potestatis publicae ».

2. Ad pag. 6, n. 3 (*Declaratio*). Omittatur paragraphus prima, linn. 5-28. *Rationes*:

a) Nulla est ratio doctrinalis cur de unica vera religione fiat hic sermo. Sola enim quaestio dogmatica tractanda, quando de libertate religiosa agitur, est de libertate Ecclesiae, utrum scil. libertas ecclesiastica, quam ex mandato Christi sibi vindicat Ecclesia, vere componi possit cum libertate religiosa, quam homines nostrae aetatis sibi vindicant ex aucta conscientia dignitatis humanae.

b) Neque datur ratio pastoralis. Satis enim patet ex antecedentibus (pag. 4, par. 2), quod institutum libertatis religiosae non praedicat indifferentismum religiosum. Ceteroquin, ad pastores Ecclesiae pertinet, ut verum sensum declarationis ita fidelibus explicent, ut eorum fides atque obedientiam erga Ecclesiae auctoritatem nullum damnum capiat, sed potius maius robur.

c) Ideo fit haec declaratio, ut Ecclesia munus suum expleat erga affirmationem et tutelam honestae libertatis in societate. Sumat igitur declaratio initium ex hoc munere, ut in par. 3, pag. 6.

3. Ad pag. 7, n. 4 (*Fundamenta libertatis religiosae*). De conceptu libertatis religiosae, quid sit, vix est hodie disputatio substantialis inter peritos, sive catholicos sive Protestantes. Incipit autem disputatio, quando ventum est ad quaestionem, an sit libertas religiosa affirmanda tamquam verum ius hominis. Omnes fere consentiunt, quod validum argumentum confici potest. At, ut saepius fit, disputatur de ratione et modo, quo argumentum confici debet. Iamvero, nostra declaratio nec potest nec debet finem ponere huic disputationi. Theologis relinquatur, ut tandem ad consensum perveniant, libere inter se disputando. Patribus conciliaribus satis erit, si in declaratione lineamenta quaedam essentialia indicent ad argumentum conficiendum. Haec intentio declarationis debet a relatore clare exponi, ne ineantur disputationes inutiles.

Duo autem sunt maioris momenti, primo, ut argumentum declarationis maneat intra statum quaestionis iam in initio positum (cf. n. 1, pag. 3-4), secundo et consequenter, ut argumentum exhibeat eamdem conscientiam historicam (historical consciousness), quae elucet in modo quo status quaestionis ponitur.

Iamvero sapienti consilio schema declarationis suum fecit statum quaestionis, conscientia historica informatum, quam exposuit Ioannes XXIII in Litt. Enc. *Pacem in terris*. Duplex est eius elementum. Primo, ex aucta conscientia dignitatis personalis homines hodierni sibi postulant libertatem personalem: « Illud praeterea humana dignitas personae exigit, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur » (*A.A.S.,* 55 [1963], p. 265; cf. seq.). Secundo, aucta conscientia di-

gnitas personalis secumfert novam conscientiam dignitatis politicae seu civilis. Exinde fit, quod homines, ex una parte, sibi postulant libertates civiles, de quibus *Pacem in terris* longius tractat (*ibid.*, pp. 259-65), atque ex altera parte, postulant limitationes potestatis publicae (cf. *ibid.*, pp. 273-79), ut libertates civiles inviolabiles evadant.

Postulant itaque homines nostrae aetatis, ut sint immunes a coercitione sive legali sive sociali, nisi in quantum eiusmodi coercitio sit prorsus necessaria. Societas utique regenda est, sed « libertate integra » (pag. 266), ita ut « libertatis consuetudinem teneat » (pag. 297). Libertatem autem postulant homines duplici sensu, ne scil. quis constringatur ad agendum contra suum proprium consilium, neve quis restringatur, quominus agat iuxta suum proprium consilium. In utroque utique casu agitur de vi arbitraria. Iamvero hae generales « animorum appetitiones » (pag. 279) sese manifestant speciali ratione in iis, quae ad religionis exercitium spectant.

In hoc statu quaestionis, quem schema declarationis brevius exponit, ipsissima quaestio est, utrum homines hodie rationabiliter postulent libertatem religiosam. Quaeritur aliis verbis, utrum haec ipsa postulatio manifestet, non quamdam quasi « voluntatem ad licentiam », sed veram exigentiam dignitatis personae, seu veram intentionem naturae humanae, ut homo sit in re religiosa liber, duplici sensu supra dicto.

His positis, clarum esse videtur, undenam argumentum debeat exordium sumere, nempe ex conscientia humana (cf. pag. 8, n. 4 *d*). Exactius loquendo, sumatur exordium ex dignitate personae secundum quam in re religiosa duci debet propria sua conscientia. Duplex est ratio. Primo, ita exhibebitur conscientia historica problematis. Nam, ut bene innuitur in nota 19 (pag. 21), praecise in intelligendis exigentiis dignitatis humanae, quantum ad conscientiam (conscience) sequendam, factus est progressus historicus. Secundo, ita patebit nodus problematis hodierni, simulque via ad solutionem sternetur.

Etenim nulla hodie est difficultas de libertate religiosa probanda, in quantum importat immunitatem hominis, ne cogatur ad agendum contra suam conscientiam. Haec est veritas iam diu acquisita, tum historice tum speculative. Eiusmodi immunitas ab omnibus hominibus sanae mentis admittitur, cum evidenter connectatur cum necessaria libertate cuiusvis personalis decisionis religiosae, ne dicam cum libertate actus fidei supernaturalis.

Adhuc tamen hodie movetur difficultas de probanda libertate religiosa, in quantum importat immunitatem a coercitione, qua homo restringatur vel impediatur, quominus iuxta suam conscientiam agat. Difficultas movetur a fautoribus sic dicti « status idealis catholici », cui competit ius ad intolerantiam legalem erga manifestationes sociales falsae religionis, quae procedunt ex conscientia erronea. Ex una parte, aiunt, conscientiae erroneae nulla competunt iura; ex altera parte, potestas publica catholica officium habet et ius impediendi, quominus ii, qui in errore versantur, publice exerceant suum religionem, ne exinde unitas nationis religiosa, quae ad bonum commune pertinet, damnum patiatur. Quibus accedit, quod totalitarismus statalis negat hominibus ius agendi iuxta conscientiam, quamvis ipsam libertatem conscientiae saltem verbis concedant.

Iamvero, speculative loquendo, libertas agendi in societate iuxta conscientiam sive veram sive erroneam non immediate sequitur ex ipsa libertate conscientiae. Manet enim quaestio, utrum potestas publica ius habet impediendi eiusmodi actio-

nem. Historice autem loquendo, illa libertas agendi de facto non agnoscebatur, donec iam satis evoluta est conscientia (consciousness) hominum politica et civilis, ut tandem derelicta esset notio quaedam potestatis politicae diu recepta. Diu enim praevalebat notio, secundum quam potestas politica est sacralis (divinum ius regum), paterna (rex ut pater patriae, cives ut parvuli), absolutistica (rex legibus solutus, cives ut meri subditi), quodammodo in Ecclesia exercenda (rex ut praecipuum membrum Ecclesiae, defensor fidei), sovranitas indivisibilis, cui competit praerogativa religiosa (cuius regio eius et religio).

De facto igitur nonnisi recentius homines intelligere coeperunt, quod dignitas politica seu civilis humanae personae exigit, ut potestas publica ita ad res ordinis terrestris et temporalis seu politici et iuridici limitetur, ut in re religiosa homo sit liber a coercitione statali in agendo iuxta suam conscientiam. Simulque lentius invaluit persuasio, quod, si homo vi impeditur, quominus agat iuxta suam conscientiam, potestas publica ultra vires agit, et ipsa politica seu civilis dignitas personae infringitur.

Patet igitur, et speculative et historice loquendo, quod duae immunitates, quibus constituitur libertas religiosa, sunt separatim tractandae. Non enim de utraque valet eadem ratio.

Schema declarationis bene distinguit duplicem exigentiam conscientiae (conscience), seu melius dignitatis personae quantum ad conscientiam sequendam. Verissime porro asserit, quod « principium morale absolutum... vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam » (pag. 9, n. 4 *d*). Ita absolvitur prima quaestio, neque opus est plura dicere. De altera autem exigentia, recentius percepta et recognita, affirmat: « Quae quidem exigentia est prorsus rationi consentanea et homine digna » (*loc. cit.*). Quod verum esse fatemur. Non tamen affertur principium, secundum quod comprobatur esse verum. Quodnam igitur et quale est hoc principium?

Nostro iudicio, est principium politicum. Exactius loquendo est principium politicae seu civilis dignitatis personae, quae eius personalem dignitatem comitatur et publice exprimit. Sic igitur habetur argumentum completum.

Etenim prior exigentia, ne homo cogatur ad agendum contra suam conscientiam, fundatur in personali dignitate hominis, quae maxime in eo est, quod homo est coram Deo Domino liber, ut in re religiosa proprio consilio et libertate fruatur, sub solius Dei iudicio, ita ut in se solum recipiat periculum decisionis suae respectu Primae Veritatis, quae lumine rationis atque amplior lumine revelationis ei innotescit, mediante conscientia. Si igitur homo cogitur ad agendum contra conscientiam, laeditur in intima sua dignitate, qua persona.

Altera autem exigentia, ne impediatur homo, quominus agat iuxta suam conscientiam, fundatur in politica seu civili dignitate hominis, quae maxime in eo est, quod homo est coram publica potestate et quavis alia potestate sociali liber, ut in re religiosa proprio consilio et libertate fruatur, quin iudicio potestatis publicae subiiciatur eius conscientia, aut quavis vi impediatur, quominus iuxta suam conscientiam agat. Si igitur ita impeditur, laeditur proxime in sua dignitate politica seu civili per actionem ultra vires ex parte potestatis publicae (supposito quod non est quaestio de ordine publico violato), et consequenter laeditur in sua dignitate fundamentali personali.

Ita completur prius argumentum, et quidem ex eodem fonte. Fundamenta igitur libertatis religiosae, in utroque eius sensu, ibi ponuntur ubi revera sunt et

ubi secundum communem hominum conscientiam his diebus intelliguntur esse, in ipsa scil. dignitate personae sub utroque eius aspectu, personali et politica seu civili.

Ad scopum nostrae declarationis sufficit huiusmodi argumentum bipartitum et organice compositum. Vix quisquam est, ni fallimur, qui eius validitatem negare valebit. Totum enim est ad mentem Litt. Enc. *Pacem in terris.* Est insuper ad mentem Pii Papae XII, si complete spectatur eius doctrina de persona humana et de iuridica compositione civitatis. Immo est ad mentem totius traditionis catholicae, si in suo intimo sensu sententiaque profunda perspicitur et iuxta veras exigentias conscientiae hodiernae historicae evolvitur, iuxta illud, « Vetera novis augere et perficere ».

Videat autem secretariatus, si, iuxta vota et animadversiones Patrum, alia argumenta, quae in schemate proponuntur, adhuc utilia fore videantur. Suo non carent valore, quamvis quibusdam forsan appareant nimis exquisita.

[*Subscripserunt etiam*] Albertus card. Meyer, arch. Chicago; W. Cousins, arch. Milwaukee; J. Davis, arch. Santa Fe.

81

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Verum quidem est novum schema *de libertate religiosa* maiore perfectione gaudere ac antiquo. Multae emendationes introductae sunt, ita ut nova redactio, revera, declaratione solemni Concilii Oecumenici indigna non videatur.

Attamen, ad ulteriorem textus perfectionem, sequentes observationes praemittere cupio.

1. N. 2, pag. 4 et 5. Affirmatio, iuxta quam condemnationes Ecclesiae saeculi transacti, relate ad libertatem religiosam, tantum attingunt *liberalismum rationalisticum et antichristianum,* quadam simplicitate peccat ac praeterea contradicit veritatem historicam; nam satis apud historicos constant, tum existentia cuiusdam formae liberalismi catholici, tum eius condemnatio, primo a Gregorio XVI, in Encyclica *Mirari vos,* et postea a Pio IX et Leone XIII.

Iustificare proinde concordantiam actualis declarationis « de libertate religiosa » cum doctrina traditionali in Ecclesia, affirmando istam respicere tantum liberalismum rationalisticum *est quid historice erroneum* ac praeterea — quod in Ecclesia gravius est — *nobilitate ac sinceritate caret.*

Veritas, tamen, veritati non contradicit. Concordantia doctrinae schematis cum declarationibus Romanorum Pontificum saeculi transacti revera datur. Sed aliunde invenienda est: nempe in *diverso conceptu libertatis religiosae,* quae considerari potest

a) *Ratione fundamenti.* Libertas religiosa, iuxta doctrinam Ioannis XXIII, fundatur in iure quod habet omnis homo ut conscientiam, quam diligenter efformavit, sequatur ac in carentia obligationis amplectendi religionem catholicam, ante eius cognitionem *ut veram religionem.* Contra, iuxta fautores liberalismi catholici, libertas religiosa est quaedam consequentia ex cognitione philosophiae, quae tenet omnes certitudines religiosas et morales, quas nos habemus, a revelatione primaeva originem ducere. Iuxta illos haec revelatio, per testimonium generis humani, *in es-*

sentialibus integra pervenit ad omnes populos et ad omnes conscientias. Proinde, cum iam ex naturali conscientiae lumine homines veritates necessarias ad suam vitam recte dirigendam aeternamque salvationem comparandam possideant, sequitur, tamquam quid naturaliter consequens, libertas religiosa.

b) *Ratione amplitudinis.* Dum libertas religiosa in schemate propugnata *nullo modo est illimitata,* sed intra limites ordinis moralis communisque omnium utilitatis circumscribitur, in sententia liberalismi catholici *est plane omnimoda,* absque ullo respectu ad bonum commune civium — quod auctoritas civilis debet tutare — cum revera ista tantum de rebus materialibus curare debeat.

Proinde, valde conveniens est ut paragraphus 2 n. 2 pag. 4 « Porro cum placito » per aliam substituatur in qua clare constet simul ac rationalistici, *liberalismi catholici existentia, damnati non immerito ad Ecclesia, eo quod quamdam libertatem religiosam erroneam tum ratione fundamenti, tum ratione amplitudinis, defendebat.*

2. Pag. 7 et 8: Ex quinque argumentis quae hic afferuntur, valde desideratur *ut primum supprimatur.* Ratio sita est in eo quod *principia* in quibus fundatur *nec sufficienter clara nec inexpugnabilia sunt.* Revera, si certum est ex una parte personam humanam *substantialiter* « indivisibilem » esse, ex alia etiam certum est nullo modo hoc attributum posse applicari ad eius *activitates,* nec proinde ad « libertatem » quam alii habent, ut haec in suis diversis formis exerceatur. Praeterea, ex eo quod homo sit *essentialiter socialis,* non tantum sequitur *ius* ad exponendas suas opiniones, verum etiam *obligatio* ad actiones in bonum commune recte ordinandas et proinde ad leges civitatis, quae ad hoc tendent, fideliter tenendas.

Nullum dubium praeterea existit quin assertum sit iam sufficienter probatum, per alia quattuor argumenta.

3. In n. 7, pag. 11 dicitur: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda ». Iamvero, hoc principium, sic enuntiatum, aequivocum manet, nam dum pro aliis intelligetur ut omnino *absolutum et inviolabile* — etiam ad errores funestiores divulgandos — alii recte interpretabunt — iuxta Iuris Naturalis principia et doctrinam Ioannis XXIII in Encyclica *Pacem in terris* — *limitatum scilicet per exigentias ordinis moralis communisque omnium utilitatis.*

Proinde, formula enuntiata complenda est, ita ut *clare et sufficienter* appareat *communitates religiosas,* de quibus agitur, *in exercitio suae libertatis exigentiis Iuris Naturalis subiici, ac consequenter nullo modo libertate omnimoda, sed limitata per exigentias boni communis gaudere.*

4. In initio n. 6 pag. 10 dicitur: « Inviolabilia hominis iura tueri praecipuum est cuiusvis potestatis publicae officium ». Haec doctrina *simpliciter* non videtur consona cum doctrina traditionali in Ecclesia, clare enuntiata per Pium XII et Ioannem XXIII, iuxta quam ita praecipuum officium est potestatis publicae tueri iura, ac *curare* ut obligationes rite adimpleantur. Haec sunt enim verba Ioannis XXIII: « inviolabilia *iura tueri,* hominum propria, *atque curare ut facilius quisque suis muneribus defungatur,* hoc cuiusvis publicae potestatis *officium est praecipuum* » (cf. *A.A.S.,* 1963, pp. 273-274).

Proinde *proponitur mutatio* formulae praedictae istis terminis: « Inviolabilia hominis iura tueri *ad praecipuum* cuiusvis potestatis publicae officium *pertinet* ».

5. In fine n. 6, pag. 10 post votum Concilii ut libertas religiosa ubique agnoscatur, datur sequens ratio: « Quo magis enim societas civilis *propitias suppeditat*

conditiones ad veritatem divulgandam vitamque religiosam fovendam, eo magis *ipsa fruetur bonis* quae undequaque proveniunt *ex fidelitate hominum erga Deum* eiusque sanctam voluntatem ».

Formula videtur supponere correlationem necessariam inter *libertatem religiosam* in societate *et possessionem veritatis* in animabus, quod saltem nullo modo probatur. Melius esset ab hoc commate praescindere vel id per aliud substituere in quo affirmetur libertatem religiosam posse et debere proficuam esse veritati, dummodo veritatis religiosae defensores sui magni momenti muneris plene conscii sint.

6. In ultima paragrapho n. 7, pag. 11 et 12 in favorem communitatum religiosarum ius vindicatur ad ostendendum « singularem valorem *veritatis religiosae* in ordinanda societate et in tota activitate humana dirigenda ».

Revera *non apparet momentum talis declarationis.* Si communitates habent ius ut suas doctrinas doceant, iam intelligitur etiam esse in sua potestate ostendere quanto illas conferant ad vitam socialem recte dirigendam. Attamen, si rationes pro paragraphi conservatione sunt validiores, valde conveniens est ut formula « valorem *veritatis* religiosae » substituatur per aliam: « valorem *doctrinae suae* religiosae », nam secus datur verbo « veritatis » *sensum relativum,* quod quidem non solum inauditum est in aliis documentis ecclesiasticis, sed etiam fideles ad quoddam *relativismum et indifferentismum* ducere potest.

7. Prout spectat ad nn. 12 et 13 schematis, fortasse melius esset illos contrahere. Doctrina quae exponitur ob suam claritatem non indiget tanta extensione. Imo « textus prior » schematis, forsitan opportune, substitueret partem n. 13 quae verbo « Christifideles » incipitur. Sic nihil deficiendo in essentialibus, notabilem et laudabilem brevitatem assequeretur.

82

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Textus emendatus et amplificatus magis enucleatum in doctrina sua exponenda se praebet, et urgentioribus Patrum petitionibus satisfacere videtur.

In specie. 1. Pag. 4, n. 2. Haec brevis historia statum quaestionis clariorem reddit demonstrando declarationem agere nec de notione libertatis religiosae « Laicismus » nuncupata, quae saec. XIX vigebat, nec de eiusdem notione ut in Statu Totalitariano accepta, quas duas notiones Ecclesia iam reprobavit. Doctrina ergo, de libertate religiosa in declaratione praesentata non continet aliquam abrogationem doctrinae Ecclesiae, cuius principia semper eadem manent; est potius applicatio veterum principiorum ad novam ampliorem que intelligentiam huius libertatis (regula progressus). Declaratio, tamen, se praebet tamquam declarationem pastoralem non ad Patres conciliares, sed a Patribus conciliaribus ad omnes homines directam. Valde expetendum est ut candide eluceat in ipso textu hanc declarationem agere de libertate religiosa in sensu definito, moderno, restricto, nullatenus approbantem illas notiones libertatis religiosae a viris saecularibus olim propositas et iam ab Ecclesia reprobatas. Exinde scient omnes hanc doctrinam non esse prorsus novam, sed potius applicationem principiorum traditionalium ad notionem modernam

necnon evolventem libertatis religiosae. Cum inclusio « Quaestionis Historicae » in ipso textu dici possit offendere contra desideratam brevitatem declarationis, tamen, claritas exinde augetur. Si electio inter has duas qualitates haberi debet, claritas omnino praeferenda est.

2. Pag. 3, n. 1. In paragrapho prima, Textus Emendatus, clare et praecise explicando quid notio libertatis in declaratione adhibita sibi velit, et quid sibi non velit, Textum Priorem (n. 26, pag. 29, linn. 9-15) certe superat. Libertas religiosa praecise definitur tamquam *immunitas* a vi externa. Relatio (pag. 37) Patres libertatem religiosam non esse eis auctoritatis traditionem monet. Forsan melius esset includere hanc notionem in n. 1 ipsius textus declarationis quia sat gravis est ut cognoscatur non tantum a Patribus per relationem, sed ab omnibus hominibus per ipsum textum.

3. Pag. 6, n. 3. Declaratio *de libertate religiosa* (ipsa essentia huius declarationis) in n. 3 contenta clare demonstrat libertatem religiosam, sicuti apud iurisprudentiam hodiernam communiter viget non adversari doctrinae quae tenet Ecclesiam catholicam esse revera unicam religionem veram. Quare conceptus hodie vigens potest ab Ecclesia approbari, et de facto approbatur uti legitimum ac necessarium.

4. Pag. 6, n. 3, linn. 12-13. Loco « veritatem in re religiosa », legatur, « veram religionem ».

5. Pag. 6, n. 3, lin. 34. Loco « sensu *iam* descripto », legatur « sensu *supra* descripto » (cf. n. 1).

6. Pag. 6, n. 3, linn. 33-36. Dicitur *universaliter*: « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod *omnes* homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare ».

Vultne haec citatio per vocem « omnes » finem ponere quaestioni disputatae utrum libertas religiosa pertineat ad omnes homines sive veram sive falsam religionem amplectentes (obiective vel subiective veram) aut in bona fide aut in mala fide?

7. Pag. 7-9, n. 4. Paragraphus 4 Textum Priorem praestat quoad methodologiam. Afferuntur quinque argumenta e ratione sumpta ad roborandam declarationem iam in paragrapho tertia allatam. Ex his quinque argumentis, quattuor sunt aut theologica aut ethica; quintum in principiis politicis legalibusque vigentibus fundatur. Textus Emendatus, ergo, aptior videtur ad menti huius saeculi persuadendum.

8. Pag. 9, n. 5. Ad sedandam aliquorum Patrum verecundiam de consectariis practicis ex exercitio libertatis religiosae illimitato provenientibus, paragraphus 5 duo principia constituit, alterum morale; alterum, iuridicum. His principiis libertas restringitur et Textus Emendatus melior evadit quam Textus Prior. Potestas auctoritatis civilis coactiva relate ad bonum commune *in genere*, restringitur ad aspectum peculiarem boni communis, nempe, ad « ordinem publicum » *in specie*. Insuper, definiuntur 1) pax publica, 2) conservatio moralitatis publicae, 3) inviolabilitas iurium civilium aliorum, tamquam tres normae constitutivae ad « ordinem publicum » conservandum, et in hoc Textus Emendatus certe excellit Textum Priorem in quo « bonum commune » tantummodo in genere tractatur. Argumentum, autem, claudicat in quantum adhuc videtur permittere ut auctoritas civilis interpretetur iuxta normas proprias in qua re perturbatio pacis publicae, violatio

moralitatis publicae, et laesio iurium civilium aliorum constituantur. Quaevis auctoritas civilis vel religioni adversa, vel religioni catholicae nimis favens, has normas adhuc interpretari posset secundum praeconceptiones proprias.

9. Pag. 10, n. 6. Sectio prima huius paragraphi statuit munus amplectendae « curae libertatis religiosae » pertinere ad auctoritatem civilem. Sectio altera deinde citat casus in quibus auctoritas civilis hoc officio deest. Exempla, autem, concreta in Textu Priori contenta (n. 29, pag. 31, lin. 41; pag. 32, linn. 1-8) a Textu Emendato omissa sunt. Nonne bene esset haec denuo inserere in sectionem alteram paragraphi 6? Multo clarius omnibus demonstrant quomodo auctoritates civiles deesse possint, et quomodo revera desint suo officio tuendae curae libertatis religiosae.

10. Pag. 12, n. 8, linn. 5-12. Quamquam hic paragraphus vult tueri ius parentum ad prolem educandam ab usurpatione ex parte auctoritatis civilis, quaeri, tamen, potest quomodo haec enuntiatio absoluta iuris parentum reconciliari possit cum lege Ecclesiae catholicae quae declarat liberos a matrimonio mixto natos in religione catholica educandos esse, atque liberos parentum catholicorum in scholis catholicis educandos esse.

11. Pag. 12, n. 10. Latinitas Tituli Sectionis IV deficere videtur. Legatur, potius, « Doctrina Libertatis Religiosae in Revelatione Fundata ».

12. Pag. 14-15, n. 12. Sectio IV huius schematis efformata est ut satisfaceretur votis multorum Patrum qui rogaverunt ut haec declaratio praesentaretur tamquam revera in Verbo Dei Revelato fundata. Relatio (pag. 26, III, 3) concedit doctrinam Evangelii stricte loquendo directe problema libertatis religiosae non continere. Dicit, autem, hanc libertatem radices habere in Sacra Scriptura et in exemplo Christi Eiusque apostolorum. Sed textus citati non semper probant ea ad quae probanda adducuntur. Schema (pag. 14, n. 12) demonstrare conatur nec Christum nec Apostolos umquam coegisse quemquam ut in Eo crederet vel doctrinam Eius amplecteretur. In Evangelio fides in Christo Domino semper manet libera electio. Textus pergit: « Miracula fecit (Iesus) ut auditores fide verbo suo adhaererent; *tamen consulto* prodigia illa patrare *iterum iterumque renuit,* quibus homines *ad assentiendum quodammodo cogerentur* ... » (pag. 14, n. 12, linn. 16-20).

Textus Emendatus proponit Christum consulto prodigia illa patrare renuisse (*Mt.* 12, 38-39; *Io.* 6, 30-33; *Mt.* 4, 5-7; *Lc.* 11, 16; *Io.* 2, 18; *Lc.* 9, 54-56) timentem ne auditores exinde ad assentiendum quodammodo cogerentur. Dubitandum est num exegesis recta textuum omnium heic allatorum demonstret talem timorem fuisse motivum, et multo minus, motivum unicum, propter quod Christus Dominus renuerit patrare omnia miracula in his locis Evangelii petita et in hac declaratione citata. Contextus videtur, saltem interdum, assignare alias rationes quam illas in Textu Emendato datas. Melius esset haec Evangelii loca omittere quam eis dare interpretationem in Textu Emendato assignatam.

83

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE
Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

Cap. I: Libertatis religiosae generalis ratio. Descriptio huius rationis libertatis religiosae desumitur ex aliqua opinione publica hodierna. Haec opinio in primatu conscientiae et in liberatione ab omni coactione fundatur; haec duo elementa dignitatem humanam essentialiter constituunt.

Dato non probato quod « homines hac nostra aetate magis ac magis conscii fiunt de (hac) dignitate personae humanae », quomodo Ecclesia sine explicatione seu distinctione admittere potest hanc rationem libertatis religiosae?

Conscientia estne quid absolutum vel relativum? Conscientia estne ultima ratio obiectiva et subiectiva in re religiosa?

Quomodo homo sequendo suam conscientiam potest invenire suam salutem aeternam? Nonne quia in aliqua veritate obiectiva Deum invenit et Salvatorem nostrum?

Conscientia non potest definiri sine relatione ad veritatem, ad quam essentialiter ordinatur.

Item de libertate humana, quae non potest definiri ut liberationem a coactione, nisi destruendo omnem auctoritatem. Coactio potest esse physica vel moralis. Coactio moralis in re religiosa valde utilis est et invenitur in omnibus scripturis. Timor est initium sapientiae.

Auctoritas est ad bonum faciendum et malum vitandum, i. e. ad adiuvandos homines in bono usu libertatis.

Quod in pag. 3, 4, 5, 6, dicitur latet multis aequivocationibus et ambiguitatibus.

Valde mirum quod dicitur in pag. 6 in fine declarationis: « Haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum *hodiernum* (!) libertatis religiosae esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ».

Si haec affirmatio vera est, tunc doctrina quae usque nunc ab Ecclesia docetur et praesertim ab ultimis Pontificibus falsa est.

Aliud est affirmare necessitatem hodiernam maioris liberalitatis ex parte auctoritatis, aliud est dicere hunc statum esse conformiorem dignitati humanae, quia implicite in hac affirmatione admitteretur ius scandali, sive ex errore sive ex vitio, quod absit.

Cap. II: Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta. Pag. 7. Integritas personae: Quomodo potest affirmari hoc principium: « Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis ». Quis homo sensatus potest sine tremore talem affirmationem enuntiare! Quid remanet de auctoritate et de Veritate? Denuo affirmatur ius ad scandalum!

Inquisitio Veritatis: In hac paragrapho apparet irrealismum huius declarationis. Inquisitio Veritatis pro hominibus in hac terra degentibus maxime consistit in oboedientia, in obsequio intellectus erga auctoritatem aliquam sive familiarem sive religiosam sive etiam civilem. Quanti sunt homines qui ad Veritatem pervenire possunt sine adiutorio auctoritatis?

Indoles religionis: Religio interna erronea conducit ad actus externos saepe

superstitiosos et contrarios dignitati humanae et praesertim dignitati divinae. Religio erronea secumfert necessario principia contraria legi naturali praesertim in matrimonio sicut tam clare exprimit S. Paulus ad Romanos.

Quomodo potest affirmari: Exinde sequitur quod homo ius habet ut in *sua* religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali » (pag. 8).

Conscientia humana: Conscientia humana non est tabula rasa. Sunt principia moralia in conscientia quorum unum: Oboedire oportet Deo et auctoritatibus ab Eo constitutis. Dictamen conscientiae subiici debet auctoritati a Deo constitutae.

Ubi invenitur conscientia nisi in hominibus viventibus in societatibus, ergo submissis auctoritatibus.

Moderatio civitatis: Quod hic affirmatur contradicit explicite doctrina catholica. Vide « Immortale Dei » a Leone XIII.

Limites libertatis religiosae: Nisi clare definiatur quid sit bonum publicum et consequenter ordo publicus, impossibile evadit determinare limites libertatis religiosae practice.

Sed bonum publicum et ordo publicus definiri non possunt nisi relate ad veritatem.

Cap. III: Consequentiae practicae. Ex principiis aequivocis et falsis consequentiae non possunt non esse aequivocae et falsae.

Cap. IV: Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis. Nihil probat nisi in quantum conscientiae dictamen hanc doctrinam percipit.

Ex Sacra Scriptura non potest probari nisi obligationem submittendi non solum conscientiam sed totam personam Deo et Christo et Ecclesiae. Qui revelationem ignoscit non potest agnoscere Deum cui debet submittere personam suam secundum praecepta conscientiae suae quae praecepta sunt obiectiva et vera nisi conscientia sit inculpabiliter erronea in aliquibus.

Nullibi Sacra Scriptura dat alicui ius scandali, etiamsi aliquis habet conscientiam inculpabiliter erroneam. Et nemo salvari potest ex errore, sed ex voluntate oboediendi Deo.

Conclusio pag. 17. « Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri ... ».

« Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans ... ».

« Proinde omnino requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur ... ».

Quid hoc sibi vult? Quid hoc significat? Ut omnes in sua bona fide permaneant ... Ut nullus sit amplius status civilis cum legislatione catholica. Ut catholici cives nullo modo conantur ut societas civilis fiat amplius catholica. Ut leges morales istarum communitatum religiosarum omnes eodem modo sint in codice civili, praesertim quoad matrimonium et usum matrimonii. Ut scholae catholicae apertae sint omnibus religionibus, indiscriminatim.

Si haec conclusio admittitur ut doctrina Ecclesiae ergo admittitur relativismus in doctrina, indifferentismus practicus, disparitio spiritus missionarii in Ecclesia ad convertendas animas.

Omnis vitalitas Ecclesiae ab evangelio venit ex hoc quod Ecclesia semper professa est sese solam a Christo fundatam ad Veritatem diffundendam in universo

mundo sicut dixit Christus « In hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam Veritati ».

Omnes ad Ecclesiam convertuntur quia habet veritatem, multa sacrificia faciunt ad obediendum veritati, ut sint in Veritate.

Ut quid haec sacrificia, ut quid caelibatus sacerdotum, virginitas religiosorum et religiosarum, ut quid sanguis missionariorum nisi propter Veritatem, nisi quia Christus est Veritas, nisi quia Ecclesia Christi est Veritas.

Sola Veritas est fundamentum iuris. Conscientia, Libertas, Dignitas humana non habent iura nisi in quantum essentialem relationem habent cum Veritate.

84

Exc.mus P. D. ALBERTUS LEMÉNAGER
Episcopus Yarmuthensis

In n. 9, pag. 14. Supprimatur a lin. 7: « Quae omnia » ... usque ad lin. 17 inclusive; et sic prosequatur lin. 18: Hoc evangelicum fermentum... *Ratio*: haec paragraphus ut iacet ansam praebet controversiis interminabilibus, et non est necessaria ad finem intentum, cum iam ostensum est quomodo libertas religiosa in historia salutis i. e. in Novo Testamento radicetur (pag. 40 fasciculi); ideoque, iuxta principia exposita pag. 37 fasciculi, VIII, n. 6, haec paragraphus istius optimi textus est tollenda.

85

Exc.mus P. D. STEPHANUS LEVEN
Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

I am writing to express my votum that the Schema on Religious Liberty may be kept on the agenda for the fourth and final session of the Council. Since there has never been even a preliminary vote on the subject and no text can be said to be "in possession", I wish to express my desire that the text distributed just prior to the conclusion of the third session of Vatican Council II be maintained as the basis for discussion. This text, as you must know better than anyone else, has evolved through a continued process of study and prayer and emendation and certainly forms the best basis for any future discussion and development.

86

Exc.mus P. D. IOSEPH LOPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

Pag. 7, lin. 10: verba auferantur « est una indivisa et indivisibilis ». *Ratio*: nec propositio omnino iusta videtur, nec necessaria ad conclusionem firmandam.

Pag. 11, par. 4, dicatur « Communitates religiosae ius habent ne impediantur in sua fide ore et scripto testanda et docenda non renuentibus ». *Ratio*: quia etiam de iuribus renuentium quidquam dicendum oportet.

Pag. 14, lin. 27: lineae subsequentes auferantur, nempe ubi incipit: « consulto prodigia illa patrare iterum iterumque renuit ... ». *Ratio*: quia idea coactionis in miraculis periculosa videtur. Aliunde Dominus suasioni diabolicae obstitit de pane obtinendo lapidibus immutatis. Attamen panes bis miro modo multiplicavit. Quid ex duobus plus coactivum?

87

Exc.mus P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 3, lin. 2. Legatur « personae humanae, quatenus simul et liberae et socialis, hac nostra... ». *Ratio*: ut innuatur cur difficultates oriuntur quae mentes hominum ad hanc rem vertunt.

Ib. lin. 8. Omittatur « Maxime » et substituatur « fere semper et ubique ea respicit... ». *Ratio*: ne sit exaggeratio.

Ib. lin. 16. Post verba « ius civile » addatur « seu ius gentium ». *Ratio*: rectius et pro campo internationali et ad mentem S. Thomae (cf. S. Thomam de iure proprietatis privatae).

Pag. 5, lin. 8. Melius: « violant non solum Ecclesiae sed et quidem omnium hominum nativam libertatem ». Omittatur sequens verbum « Praeterea ». *Ratio*: ne ansa detur dicendi Ecclesiam solummodo de propriis iuribus sollicitam esse.

Ib. lin. 28. Inseratur « ... esse debere quodammodo totius... ». *Ratio*: nimis absolutum! Quid de Deo?

Ib. lin. 37. Lege « ... iura tueatur, vindicet, colat et promoveat ». *Ratio*: mere « tueri » iura liberalismum sapit.

Pag. 6, lin. 1. Loco « quorum primum », ponatur « intra quae eminet hominis ius... ». *Ratio*: ius primum ordinatim est ius suiipsius conservandi.

Ib. lin. 27. Lege: « ... re religiosa his temporibus firmiter ». *Ratio*: quia per plura saecula de facto non « commendavit ».

Ib. lin. 34. Lege « ... principiis rationis humanae consonat esse in se honestum et vere utilem seu aptum ad custodiendam... ». *Ratio*: ne quasi « exigentia logica » construatur.

Ib. lin. 39 et seq. Omisso « esse », legatur: « ... tamquam verum ius, in ipsa... humanae fundari, quod omnes... ». *Ratio*: non est stricte « necessarium » ubique terrarum et semper.

Pag. 7, lin. 3 et seq. Ponatur : « ... aspectus socialis quasi connaturaliter sequitur de aspectu personali. Ergo iniuria homini videtur fieri, si quis... violaretur ipsa dignitas personae. Nexus... socialem est quasi indissolubilis. Libertas religiosa est quodammodo una, indivisa... ». *Ratio*: nos omnes plura agimus quae nullum aspectum *socialem* habent! De facto « iniuria » non semper sequitur. Reapse « nexus » non est « indissolubilis », nec « libertas » indivisibilis.

Ib. lin. 25. Mutetur sic: « ... invenerunt vel se invenisse sibi persuaserint. Quae omnia aeque valent de... re religiosa aliis volentibus in dialogo exponendis ». *Ratio*: libertas religiosa non est maxima inter nostras libertates. Libertas expositionis et dialogi praesupponit voluntatem audiendi ex parte aliorum.

Pag. 8, lin. 5. Mutetur sic: « ... in actus exteriores et etiam publicos tendunt ». *Ratio*: multi actus exteriores sunt privati.

Ib. lin. 11. Inseratur e textu priori post « universalis »: « Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat. Homo... ». *Ratio*: ut veritas positive affirmetur.

Ib. lin. 28. Omittatur « Quae quidem, etc. in toto ». *Ratio*: falso innititur citationi e *Pacem in terris,* quae loquitur de relationibus internationalibus inter Statum et Statum.

Ib. lin. 35. Melius « non subordinatur potestati... ». *Ratio*: quia de facto « subest » in aliquo sensu; e. g. potestas civilis prohibere potest ne Missae dicantur in viis publicis.

Pag. 9, lin. 1. Melius: « ... ad actus exteriores immediate et directe extenditur ». Ratio: nota 22 falso citatur. 1. S. Thomas continuat tamen: « Et ideo lex humana... sufficienter interiores actus ». 2. Hic loquitur directe de iussis contra legem Dei. 3. Ioannes continuatur de potestate Status obligandi subiectos in conscientia.

Ib. lin. 3. Melius: « ... nequit iudicare, legitime publicum... coerceat aut impediat solummodo cum bonum ordinis publici id exigat ». *Ratio*: aliter est transitus obvius ex ordine subiectivo ad obiectivum.

Ib. lin. 7. Melius « necessarium aut saltem utile ». *Ratio* patet.

Ib. lin. 10. Addantur post « sese »: « immediate et directe quovis modo... ». *Ratio*: per « quovis modo » excluderetur etiam indirecta interventio pro bono publico.

Ib. lin. 27. Inseratur « veri » ante « ordinis publici ». *Ratio*: ut manifestum sit potestatem civilem ad normam ordinis obiectivam agere debeat.

Pag. 10, lin. 2. Potius scribatur: « ... iura tueri inter praecipua cuiusvis potestatis publicae officia enumeratur. Debet... ». *Ratio*: aliter insinuatur Liberalismus qui docet Statum nullum officium positive bonum commune promovendi habere.

Ib. lin. 3 ss. Mutetur sic: « Convenit igitur ut potestas... suscipiat tutelam curamque libertatis etiam religiosae omnium civium ». *Ratio*: si iure meritoque « debet » cur non in saeculis praeteritis « debuit »?

Ib. lin. 8. Inseratur « iniuste » ante verbum « laedatur ». *Ratio*: nonne dentur causae iustae discriminationis? Debent omnes aequales esse?

Ib. lin. 24. Substituatur « quaerendam » pro « divulgandam ». *Ratio*: de facto nota 25 tractat de iure « veritatem libere quaerendi »; nota 26 de Ecclesia, non de veritate, aut fidelitate hominum.

Pag. 11, n. 7. Melius: « Libertas... communitatibus convenienter agnoscitur, cum ipsae ex sociali natura... oriantur ». *Ratio*: ius ad libertatem est aliquid non ex natura rerum praecise sed potius ex hodiernibus conditionibus elucescens.

Ib. lin. 5 ss. Melius: « Illis igitur iure tribuuntur independentia... Deum cultu publico honorare studeant... ». *Ratio*: secus nimis « theologicum » et ideo pro omni saeculo.

Pag. 13, ad finem par. 10 « ... ut verum ius civile seu gentium, ipsius rationis lumini consentaneum ». *Ratio*: ne ius nimis in tempore et radice extendatur.

Pag. 14, lin. 3 etc. Omittatur omnino sententia: « Unde etiam etc. ». *Ratio*: negari potest genuinitatem fidei e gradu libertatis pendere. E. g. in aliquo sensu, eo minus est libera quo clarius exposita.

Pag. 14. Par. 12, uti in textu stat, non est admittenda. Textus est fere « caricatura » praedicationis et Christi ipsius et apostolorum in quantum omittit omnem mentionem durorum quibus increduli minantur. Post « omnes vi amoris traxit ad

seipsum », addatur ad complendam doctrinam « Qui vero trahi recusant, increpitare immo et severe minare non dubitavit ». « Qui non crediderit condemnabitur » (*Mt.* 16, 16); « Vae vobis scribae » (*Mt.* 23); « generatio mala et adultera » (*Mt.* 7); « tolerabilius erit terrae Sodom » (*Mt.* 10); etc. etc.

Pag. 16, lin. 14. Mutetur sic: « ... magistra et custos est veritatis religiosae... ». *Ratio*: ne nimis asseratur, si Ecclesia tamquam fons etiam veritatum saecularium habeatur. Insuper Ecclesia est non solum magistra sed etiam et custos et indefectibilis.

Pag. 17, lin. 31. Legatur: « ... libertas religiosa desiderabilis immo et necessaria... ». *Ratio*: re vera non est per se et in omnibus adiunctis necessaria.

Ib. lin. ultima. Substituatur loco « omnino requiruntur »: « enixe commendatur ut... ». *Ratio*: ne nimis requiramus.

Pag. 18. Dicatur potius: « Faxit Deus... virtutem Spiritus Sancti adducatur ad cognitionem Patris sui et quem misit ut sit nostra via, veritas, et vita ». *Ratio*: textus ut stat est mere lusus verborum de « libertate » Christi.

Notae sunt magna ex parte aut non ad rem aut ad summum non cum dimidia vi probativa quam auctoritates in documentis huius momenti citatae habere solent. Melius et dignius auctoritates non adducere quam fingere. Propono igitur ut aut Notae omnino omittantur aut in ordine veritatis et relevantiae corrigantur. Indignae sunt declaratione secus laudabili.

88

Exc.mus P. D. ROBERTUS EMMET LUCEY

Archiepiscopus S. Antonii

Just prior to the conclusion of the third session of the Second Vatican Council the text of the schema on religious liberty was distributed to the Bishops and in my opinion it is a most excellent document. I respectfully urge that the Bishops of the world be given an opportunity to vote on the text as it now stands without any further adjustments. After the text has been approved in general it will be time enough, I believe, to suggest certain minor emendations.

89

Exc.mus P. D. CAROLUS MACCARI

Archiepiscopus-episcopus Montis Regalis in Pedemonte

Commissioni competenti haec, quae sequuntur, proponenda censeo eo tantum fine, ut schema propositum diligenti examini subiiciatur et, quantum fieri potest, perficiatur: agitur enim de materia tam salebrosa et delicata, quae numquam satis superque tractata censenda erit.

1. Titulus primae sectionis « libertatis religiosae generalis ratio » tria complectitur: rerum statum hodiernum (n. 1), quaestionem historicam (n. 2) et declarationem Concilii. Titulus, uti patet, non adaequate materiam in ipso agitatam indicat. Quaeritur insuper, quinam sit sensus ditionis « ratio generalis »: estne ratio doctrinalis ac theoretica, an ratio historica? Uterque sensus includi videtur,

periculosa inde consequente ambiguitate doctrinali. Qui enim legit textum schematis, nescit quaenam sint « opiniones » hominum hac nostra aetate et quaenam principia iuxta doctrinam catholicam retinenda de libertate religiosa. Quando, v. g., schema enunciat mentem communem hodiernam de libertate his verbis « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius etc. » (n. 1, pag. 3), iure quis postulat: principium hoc estne tantum communis opinio hodiernis temporibus, an est etiam principium doctrinale catholice verum? Sermo huiusmodi, dubius et ambiguus, vitandus omnino est. Quod fieri nequit — saltem humili meo iudicio —, si transitus a ratione historica ad rationem doctrinalem non vitetur, aut saltem evidentius enuncietur.

2. Periodi, quae in n. 1 pag. 3, ab initio usque ad « tamquam stabile regimen » continentur, ordine nexuque haud splendent. Refundantur oportet, ne « rerum status hodiernus » (fortasse melius diceretur: « hodiernus sensus humanae dignitatis ac libertatis ») reducatur ad enumerationem aridam et incompletam.

3. Verba, quibus initium capit n. 2 pag. 4 (« Patet igitur... »), non videntur bene cohaerere cum iis quae immediate praecedunt in textu, ubi nonnisi implicite sermo fit de modo concipiendi libertatem tempore praeterito (« olim »). Praeterea conclusio magis patet quam praemissis: sensus enim libertatis religiosae, de quo dicitur, non ab omnibus eodem modo eademque significatione recipitur. Proponitur haec vel similis textus modificatio: « Ius libertatis religiosae sensum, quo hodie *communiter* recipitur, non semper habuit... ».

4. In n. 3 pag. 6, vitanda est cacofonia: « *His* positis, *haec* Sacra Synodus *hac* sua declaratione... ». Melius dicatur: « Quibus positis, sacrosancta Synodus hac sua declaratione... ».

5. In eodem numero et in eadem pagina, loco « Ecclesiae custodiendam et omnibus hominibus evangelizandam tradidit », dicatur: « Ecclesiae catholicae, quia depositum vere fidei uni Ecclesiae catholicae Christus tradidit ». Haec additio magis claram logicamque reddit propositio, quae immediate sequitur: « hanc catholicam de unica vera religione doctrinam... ».

6. Semper in n. 3 pag. 6, temperanda videtur affirmatio de regimine hodierno libertatis religiosae. Loco igitur « quippe quod principiis rationis humanae fulcitur », melius forsan diceretur « *quamdiu* principiis humanae rationis fulcitur *et iis quae in hac declaratione affirmantur fideliter adhaeret,* esse in se honestum... ».

7. In n. 4, litt. *a*), ubi agitur de « integritate personae », non omnia perspicua apparent, immo argumentum princeps aliquatenus claudicare videtur. Verum quidem est personam humanam, ob naturam suam socialem, duobus aspectibus inseparabiliter constitui, altero nempe interiore et altero exteriore. At consequitur inde nexum inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem tali gaudere indissolubilitate, quod semper et ubique homo liber sit externe manifestare suam religionem? Quid de casu, in quo aliquis in exercitio exteriore suae religionis offendat rationem boni communis? Principium in schemate enunciatum, si absolute sumatur, valet in hypothesi hominis puri, labe scil. originali non infecti. At, proh dolor, homo in condicione historica secumfert tristes peccati originalis effectus et etiam iure libertatis, in manifestando externe suum sensum religiosum, abuti potest!

8. Ea quae modo dicta sunt circa litt. *a*), valent etiam de « inquisitione veritatis » sub litt. *b*). Revera nemo dubitare potest de officio et iure quaerendi

veritatem ex parte hominis, deque eius libertate in hac inquisitione et in efformanda personali persuasione circa rem religiosam. Quando autem quaestio fit de sociali huius persuasionis religiosae communicatione, libertas habere nequit eamdem extensionem, sive quia media adhibita licita atque honesta sint oportet, sive quia bonum commune limitationes haud iniquas exigere potest.

9. Schema nostrum, agendo de limitibus libertatis religiosae, eos reducit ad exigentias quae ex « ordine publico » oriuntur. Meo humili iudicio, servanda esset in materia tam delicata doctrina traditionalis et magis tuta de « bono communi ».

Plures aliae adnotationes fieri possent circa schema, sed fugit irreparabile tempus et ministerium pastorale urget. Quae supra dixi mente serena spero fore ut benigno examini subiiciantur a commissione et dubia, saepe haud levia, circa doctrinam in schemate de libertate religiosa, quantum fieri potest, amoveantur.

90

Exc.mus P. D. EDUARDUS MARTINEZ GONZÁLES

Episcopus Zamorensis

Doctrina de libertate religiosa, prout in hac declaratione traditur, praesertim innititur in iuribus quae personae humanae attribuuntur ex ipsius dignitate provenientibus. At in quo consistit dignitas personae humanae? In *naturalibus* in eo praesertim quod intellectu spirituali et libertate libera praedita, sit imago Dei naturalis. In *supernaturalibus* in eo quod ad talem ordinem elevata, gratia sanctificante ditata et aeterna destinatione ad Deum praedita, filius Dei sit eiusque imago supernaturalis.

Hinc quidquid huiusmodi conditionibus convenit, ipsi de libertate concedendum est; quidquid vero non convenit aut non congruit, sed talem imaginem aut destruit aut foedat, ipsi de libertate denegandum est, praesertim si sit contra iura Conditoris sui. Loqui enim de dignitate humanae personae et de eius iuribus, et oblivisci et praeterire divinam et infinitam dignitatem eiusque iura inviolabilia, absonum est.

Nunc vero; obiectum et perfectio intellectus veritas est; obiectum et perfectio voluntatis bonitas est. Unde error in intellectu et malitia in voluntate est defectus intellectus et voluntatis; et facultas eligendi inter ipsos est defectus libertatis et perfectionis humanae. Quapropter in Deo dari nequit, qui est perfectissime intelligens et volens et liber.

Sic, si in aliquo sit error in fide contra illud quod Deus revelavit, prohibere eum communicationem et propagationem sui erroris, non est negare dignitatem personae et iure ex ea dimanantia, sed vitare contagium tanti mali. Sicut non est negare dignitatem personae et eius ius aliquod, si morbo contagioso laborantem aut amentia affectum, etsi non ipsi, sed tantum aliis cognitam, eam a communi commercio cum sanis arceamus. Reverenter dignitas humanae personae agnoscitur eiusque ius quod in ceteris ei competit, et propter tractatur humaniter ut persona.

Quid esset de iure ad veritatem et bonum, ad sanitatem aliorum si talibus morbo contagioso infectis libertas publice cum eis conversandi concederetur? Etenim ipsi ius habent suam sanam mentem et veritatem et bonitatem conservandi. Limites igitur libertatis religiosae sunt bonum commune, ordo publicus in eo

contentus et iura aliorum. Cumque promotio et tutela eorum potestati civili competat, competit in aspectu sociali et materiali potestati civili, non quidem iudicare de re religiosa, sed certe cum de vera religione agitur in cuius possessione integer populus est, bona illa tueri.

At quomodo certi erimus nos esse in possessione veritatis fidei? De hoc non licet nec potest aliquis catholicus dubitare, ut docet Concilium Vaticanum I. Nihil aliud adducere necesse est nisi integrum tractatum de vera religione veraque Christi Ecclesia, et in mentem revocare quae Leo XIII in suis Encyclicis *Immortale Dei* et *Libertas* profuse tradit. En unam paragraphum: « Itaque ex dictis consequitur nequaquam licere petere, defendere... itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas posset ».

Certum quidem est principium morale quod vetat ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam, cuius dictamine lex divina ei intimatur. Sed praeter quam quod tale principium ad ordinem personalem pertinet eumque afficit, vetat tantummodo coactionem contra ipsam libertatem individualem, minime vero libertatem religiosam socialem et publicam demonstrat. Quae neque deduci potest ex eo quod homo natura sua sit socialis, quia ex eo sequitur ius ad ponendos actus sociales et publicos qui societati non nocent, minime vero ad omne quod interne cogitet aut velit.

Quid ergo? Si circumstantiae tales sint ut necessarium videatur ad bonum commune talem libertatem concedere, poterit Concilium huiusmodi declarationem libertatis facere. At non ex exigentiis, iuribus, dignitate personae humanae, sed ex necessitate pacificae conviventiae socialis. Quod clare praevidit et docuit Leo XIII in Encyclica laudata. Ceterum videndum erit usque quo tale bonum commune protendatur.

Atque haec est, ni fallor, vera et rationabilis doctrina de libertate religiosa, in qua iura Dei Conditoris supra hominem creaturam suam, et vera iura hominis iuribus Dei subordinata agnoscuntur et componuntur. Ceterum unum restat quaerendum: Sic stabilita doctrina, declaratio de libertate religiosa bonum aliquod pro Ecclesia Christi obtinebitur? Faxit Deus.

Pag. 3, lin. 1, proponitur ut titulus qui dicit « Libertatis religiosae generalis ratio » sic immutetur: « Libertatis religiosae apud hodiernos populos generalis ratio ». *Ratio* est ne videatur Ecclesia catholica suam doctrinam theologicam, tantis documentis munitam, deserere.

Pag. 3, linn. 13-17: dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana et vera iustitia fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut verum ius civile evadat ». *Ratio*: quia nisi textus aliquoties mentionem faciat de « iustitia », i. e. de elemento necessario obiectivo, quo solo verum ius stat et constituitur, positivismus iuridicus pluries ab Ecclesia damnatus, non sufficienter vitatur. Textus enim agit semper de mero iure civili, quod perperam confundit cum iure legali. Haec autem confusio radix est et origo totius positivismi iuridici.

Pag. 4, ad integrum n. 2: melius est ut supprimatur. *Ratio*: dubitari vehementer potest utrum de quaestione facti et pure historica iudicare aut quidquam exponere debeat Ecclesia catholica. Eo vel magis quod Romani Pontifices in encyclicis et documentis pontificiis libertas ab eis vindicata ut ius Ecclesiae inviolabile, in-

tellexerunt eam quae Christi Ecclesiae competit. Sic Leo XIII in Enc. *Immortale Dei* circa christianam institutionem Status refertur modo constanti ad Ecclesiam eamque definit suis propriis characteribus credibilitatis. Pariter in Enc. *Libertas* in qua distinguendo diversas Ecclesias, eam dicit sequendam quam Deus instituit et distinguitur quibusdam notis facile cognoscibilibus, quibus Deus eam signavit.

Pag. 5, lin. 40, ubi dicit: « Cum historiae igitur decursu exorta est nova quaedam quaestio de libertate religiosa ». Dicatur: « Cum historiae decursu igitur exortus est novus quidam modus proponendi libertatem religiosam ». *Ratio*: non enim agitur proprie de « nova quaestione », sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, linn. 3-43: oportet ita dicere: « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu supra descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae atque iustitia fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae possint sibi legitime vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendum in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ». *Ratio*: *a*) Ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica; *b*) dicitur autem « populorum » ut stabiliatur « factum », non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est; *c*) loco « quippe quod » ponitur « dummodo » quia non clare apparet, immo aliquoties falsum est, regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae sit absolute probandum.

Pag. 6, n. 3, ad finem addatur: « Firmiter vero retineatur doctrina religionem catholicam, quae unica vera est et signis aptis ad eius veritatem dignoscendam mundo praesentatur, ut Concilium Vaticanum I tradit (sessio III, cap. 3), in societate ubi cognita fuerit publice et socialiter singulari existimatione esse habendam ». *Ratio*: si catholica Ecclesia quae mundo praesentatur signis authenticitatis divinae, eaque sola, in eodem loco pari existimatione habetur ac quilibet motus religiosus a visionario confectus et serio fundamento orbatus, etiam apud illos inter quos veritas catholicismi et falsitas aliarum religionum satis innotescit, Deus contemnitur, dum comparatur seu aequiparatur visionario aut falso prophetae, et sua signa locutionis parvipenduntur. Nam signa a Deo data de veritate revelationis sunt externa et publica, ideoque externe et publice debent agnosci.

N. 4, linn. 1-15, litt. *a*), loco textus recensitus dicatur: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis naturaliter connectitur cum aspectu interiore. Ergo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem in re agnoscat simulque ei liberum et iustum in societate religionis exercitium deneget. Hoc enim modo violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa per se uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectet: nempe ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis ». *Ratio*: 1. Si ponitur principium adeo absolutum ut in schemate est, nunquam auctoritas ulla posset prohibere ullum actum exteriorem in vita sociali, etsi perniciosum esset; etenim attentaret contra integritatem personae. 2. Principium quod statuitur indivisibilitatis et indivisionis, et de nexu omnino indivisibili inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem contradicit principio posteriori ipsius schematis asserentis: « Exercitium religionis in

societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico... » (pag. 9 sub *b*). Et etiam « salvis tamen exigentiis ordinis publici » (pag. 9 sub *e*], Moderatio civitatis). 3. Ex eo quod ex natura sua homo non possit quin actus exteriores ponat secundum conscientiam propriam, non sequitur quod homini concedendum est ius ad omnes actus exteriores, sed ad aliquos. Ergo separari quit mundus internus hominis ab eiusdem manifestationibus concretis. Atque haec semel pro semper sint dicta quando tale ius vindicatur personae humanae derivatum ex iure ponendi actus exteriores, ne illogicus transitus fiat ex ordine individuali ad ordinem socialem.

Pag. 7, ad n. 4 *b*). Dicit: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut homo non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis ». Dicatur: « Quare ad debitam libertatem religiosam pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». *Ratio*: in textu illogice saltus fit ex officio et iure quaerendi veritatem ad ius exponendi quascumque persuasiones de re religiosa, ac proinde etiam falsas. Quocirca ius exponendi falsum oriretur ex officio quaerendi veritatem. Haec praeterea illogica consequentia directe opponitur doctrinae Concilii Vaticani I circa condicionem catholicorum qui divinae gratiae auxilio ad fidem pervenerunt et disparem condicionem cum acatholicis habent (cf. DENZ.-SCHÖN., n. 3036). Catholici quidem, utpote veritate gaudentes; nullam obligationem habent quaerendi veritatem, immo nec ius aliam doctrinam quaerendi; quapropter praedicationi aliarum persuasionum subesse nequeunt. Allusio vero in nota 18 ad enc. *Ecclesiam suam* non est ad rem. Ibi enim sermo est non de quibuslibet persuasionibus religiosis exponendis, sed de dialogo ipsius Ecclesiae qui sic definitur a Summo Pontifice: « Itaque colloquium quasi ratio quaedam est putandum apostolici obeundi muneris atque animorum iungendorum veluti instrumentum » (Enc. *Ecclesiam suam,* p. 40).

Pag. 8, linn. 5-8. Dicit: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali ». Dicatur: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in religione publice exercenda ab iniusta actione sive legali sive sociali, immunis sit ». *Ratio*: in hac paragrapho, sicut in proxime antecedentibus, transitus fit illegitimus, ut iam antea notavimus, ex actibus hominis interioribus ad exteriores. Hic autem transitus iure non fit, nisi quando actus exteriores iuste poni possunt. Quod ceteroquin n. 5 affirmatur loquens de normis limitativis.

Pag. 8, lin. 33, lit. *e*). Dicit: « ... ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt ». Dicat: « ... Ex intima sententia personali ordinant, cum tamen quadam repercussione externa ... ». *Ratio*: ratio qua potestas civilis in his quae ad religionem pertinent suas partes habet, est praecise quia actus religionis etiam sociales et publici sunt.

Pag. 9, n. 5 *b*). Dicat: « quae constituuntur exigentiis boni communis et ordinis publici ». Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis quae committitur potestati publicae ut civium vita socialis ordinatim procedat ». *Ratio*: Ioannes XXIII in *Pacem in terris* docet bonum commune recte fundare limitationem iurium ex parte potestatis civilis, et quod bonum commune ita parandum est ut « hominum saluti non officiatur, sed eidem etiam serviatur ». In recte ordinanda republica satis non est ordinem servare ex parte auctoritatis, sed est etiam bonum commune procurandum. Cf. *A.A.S.,* vol. 55 (1963), pp. 272-274. Textus autem

reducebat munus potestatis civilis ad ordinem servandum modo tantum negativo, dum de facto modo positivo eum promovere debet.

Pag. 9, linn. 5-7. Dicit: « Libertas debet homini agnosci quam maxime fieri potest ac non restringenda est nisi in quantum est necessarium ». Dicat: « Ea debet homini agnosci libertas quae suae dignitati atque responsabilitati et iustitiae sit consentanea; ideo non est restringenda nisi in quantum sit necessarium ». *Ratio*: ne nimis quam par sit extollatur libertas, quae de se propendit in individualismum. Ut etiam doctrina sit conformis cum n. 5 in quo normae limitativae libertatis recte statuuntur.

Pag. 11, n. 7. Dicit: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda ». Dicat: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda libere accedentibus », « atque servatis exigentiis ordinis publici, boni communis et iuris aliorum ». *Ratio*: 1) Intelligitur quod ius docendi et testandi exerceri nequit coactione sive physica sive morali erga alios, sed prae oculis habendum est principium limitationis contra abusus qui possunt exsurgere laedentes ipsam libertatem religiosam personarum. 2) Si in ipso schemate mentio fit de limitibus libertatis religiosae personalis, potiore ratione tales limites hic debent assignari, ubi de re maioris momenti agitur. 3) Potest admitti et enuntiari quod « communitates religiosae ius legale etiam habent » quia ius legale includit iudicium prudentiale non autem iudicium doctrinale, i. e. non exprimit intrinsecam veritatem rei. Iudicium prudentiale attingit ordinationem iuridicam, quae adaptari debet circumstantiis locorum, temporum et personarum.

Pag. 12, n. 7, lin. 2. Addatur: « dummodo vitetur periculum inducendi indifferentismum religiosum ». *Ratio*: ubi vera cognoscitur religio, omnimoda libertas propagandi alias religiones disparet, iura Dei, qui manifestavit se solum esse colendum, si cognoscitur, conculcat, et grave damnum infert veris adoratoribus. Iuxta Conc. Vat. I (DENZ.-SCHÖN., 3014) catholici nunquam habere possunt causam iustam mutandi aut in dubium revocandi eandem fidem, « minime par est condicio eorum qui ... catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum ... qui falsam religionem sectantur ». Atque haec doctrina Vaticani I in oblivione traditur in toto schemate. Immerito in eodem plano collocantur catholici et acatholici.

Ad n. 12: vel omittatur vel saltem retractetur integer. Nam *a*) alii textus inducti non sunt ad rem v. g. *Rom.* 8, 2 ubi sermo est de liberatione interna a lege peccati seu a vi concupiscentiae. Pariter *1 Cor.* 8, 6, ubi causa efficiens et finalis redemptionis exprimitur; *Rom.* 1, 16, ubi de vi Evangelii ad salutem; *b*) alii sunt omnino generales nihilque de hac re probare ostendunt; v. g. *Act.* 2, 36; *Mt.* 11, 29; *Is.* 42, 1-4; *Mt.* 12, 20; *c*) alii ex diversis capitibus alias explicationes admittunt; v. g. *Mt.* 4, 5-7; *Lc.* 11, 16; *Io.* 2, 18; *Lc.* 54-56; *d*) alii non de fide et religione, sed de vocatione loquuntur v. g. *Mt.* 4, 19; 11, 28-30; *e*) alii demum videntur laborare falso supposito, scil. miracula cogere posse ad fidem, dum notum est signa credibilitatis, ideoque miracula, non posse ad fidem cogere, quod et historia confirmatur. In genere manifestant characterem redemptionis, praedicationis et personae Christi. Postrema paragraphus infelix videtur, siquidem Christum et Ecclesiam proponit quasi eadem libertate debere proclamare doctrinam ab ipsis edoctam, et doctrinam ab aliis contortam.

In n. 13, pag. 16, lin. 3, addatur in fine: « per praedicationem doctrinae et

mandatorum ipsius ». *Ratio*: hoc enim modo iubentur apostoli munus suum exercere.

Pag. 17, n. 13, lin. 13: addatur in fine: « licet sine laesione iuris divini ». *Ratio*: ne nimis concedatur dignitati personae humanae, ut supra iura divinae personae extollatur.

91

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusjcadensis, vic. ap. de El Obeid

In schemate *de libertate religiosa* istae inveniuntur sententiae:

1. In pag. 8, ad. n. 4, sub littera d, in lin. 20: « salvo ordine publico ».

2. In pag. 9, ad n. 4, sub littera e, in linn. inter 22 et 23: « salvis exigentiis ordinis publici ».

3. In eadem pag. 9, ad n. 5, sub littera b in fine: « sive per turbationem pacis publicae ».

Omnia supradicta verba sunt de se clara et vera, sed mihi omnino non placent eo quod sciam gubernia non pauca usa fuisse ratione « pacis ordinis publici » ad tegendam veram persecutionem contra Ecclesiam, et conculcatio libertatis!

Ita res se habuit in Sudan, primo sub regimine coloniali anglo-aegyptiaco, quando quinque provinciae in regione septemtrionali Sudanensi clausae sunt praedicationi evangelicae ob praetextum quod maior pars incolarum esset mussulmana, et praedicatio crearet periculum insurrectionis contra missionarios christianos si facultas praedicandi Evangelium illis facta fuisset!

Subsequens gubernium nationale post independentiam retinuit et confirmavit eandem negationem libertatis sub eodem praetextu « pacis publicae! ».

Quae cum ita sint puto necessarium quod in schemate *de libertate religiosa* omne fulcimen subtrahatur supradictae negationi libertatis.

Hoc multimodis fieri potest, sed mihi videtur quod quaedam expositio ratiocinata huius libertatis in nostro praesenti schemate reddet eiusdem ideam faciliorem et clariorem.

Dicendum est ergo quod « publica pax » male servetur a gubernio per denegationem libertatis sectioni civium minoritariae.

Pax publica servanda est sine damno alicuius. Consequens est ut gubernium teneatur tueri omnium iura praesertim minoritatis contra invasiones iniustas maioris. Hoc modo tantum aedificatur verum fundamentum pacis publicae in mutuo respectu!

Considerationes istae valent sive pro Mussulmanis in Asia et Africa relate ad christianos in minoritate, quam in Europa et America pro catholicis relate ad alias religiones praesertim protestantes ubi in minoritate sunt.

Postrema pars declarationis ut supra, est necessaria ad refutandam accusationem eorum qui dicunt quod nos catholici loquamur de libertate cum simus in minoritate, de iuribus veritatis absolutae cum sumus maioritarii.

Omnia gubernia, sive catholica quam acatholica discant graviter errare eos qui putant se posse auctoritatem propriam solidare sive utendo fide religiosa ad fines humanos, sive contra religiones dimicando ad alios fines temporales assequendos.

92

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Pag. 3. Sectio I: secunda paragraphus. Declaratio videtur ius in dignitate humana fundare. At dignitas humana, utpote terminus apud hodiernos parum clarus, explicitetur oportet. Quare, amplificetur textus eo sensu ut demonstretur dignitatem humanam in excellentia hominis supra res creatas fundari et ex lege naturali intellectus et voluntatis hominis necnon ex gratia divina derivare.

Pag. 9. Sectio 5 b). Verba in clausula *nisi quando in exercitium religionis graviter noceat ordini publico,* prima facie saltem ita a Statibus communisticis intelligi et in commodum suum citari possunt ut interventio coercitiva in religionem catholicam iustificetur. Quare in votis est ut textus ita reficiatur ut magis explicitae fiant implicationes verborum *ordo publicus* et praesertim *bonum commune,* de quibus statim supra. Exercitium enim verae religionis nullo modo potest bono publico obiectivo nocere.

93

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

[*Cf. pag. 757-760*].

94

EXC.MUS P. D. ALBINUS MENSA
Episcopus Eporediensis

A) *Animadversiones in schema in universo sumptum.* 1. Doctrina generalis omnino admittenda videtur.

2. Theoretice, fortasse, alia generalis ratio (in qua Revelatio primum locum teneret) optanda esset. Ratione tamen habita de fine pastorali quem S. Synodus sibi proposuit, instaurandi scilicet « dialogum » cum mundo, praesens schema recipiendum videtur ut basis pro disceptatione in aula conciliari.

3. Textus aliquando nimis prolixus videtur.

B) *Animadversiones in singulas partes.* 1. Pag. 3, cap. I, n. 1, lin. 13. Addendum proponitur: « Libertas religiosa, *praestantissima omnium libertatum quas humana societas postulat,* communiter hodie intelligitur ... ». *Ratio*: ut clarius in luce ponatur nexus inter libertatem religiosam et reliquas libertates quas hodie homines existimant ut bona inamissibilia pro persona humana.

2. Pag. 3, cap. I, n. 1, lin. 20. Supprimatur verbum « mere ». *Ratio*: Ne textus intelligendus videatur quasi auctoritas ecclesiastica (quae certo certius mere humana dici non potest) sibi vindicaret ius utendi « coercitione » (lin. 19) physica in re religiosa.

Quod si de auctoritativa propositione veritatis ab Ecclesia facienda loqui

intenditur, clarius res dicenda esset; quod tamen necessarium non videtur cum eadem pluries in schemate repetantur.

3. Pag. 3, cap. I, n. 1, linn. 20-21. Quaeritur ut declaretur ius habere ad libertatem « in sua conscientia efformanda de re religiosa » etiam illi qui nondum pervenerunt ad Deum affirmandum atque colendum, vel athei sese dicunt.

4. Pag. 3, cap. I, n. 1, lin. 22. Supprimendum proponitur verbum « libero » (« sed etiam in religionis *libero* exercitio »). *Ratio*: videtur inutilis pleonasmus (« ... quod homines debent liberi seu immunes esse a coercitione ... in religionis libero exercitio »).

5. Pag. 4-6, cap. I, n. 2. Quaestio historica supprimenda videtur. *Ratio*: est necessario imperfecta: plura saecula ignorantur et multae animadversiones super unamquamque quaestionem faciendae essent quod impossibile videtur in aliqua « declaratione ».

Forsitan non inutile est affirmare non mutari doctrinam Ecclesiae sed eandem semper doctrinam ad novas circumstantias applicari, etsi decursu saeculorum non semper praxis cum doctrina convenerit.

6. Pag. 6, cap. I, n. 3. « Declaratio » hoc loco non necessaria videtur, immo textum prolixiorem reddit, ideoque proponimus ut supprimatur. Putamus tamen utilitatem habere animadversionem qua affirmatur libertatem religiosam non confundendam esse cum « indifferentismo » et minime adversari certitudini possidendi veritatem absolutam quam Ecclesia catholica iure sibi vindicat.

7. Pag. 7, cap. II, n. 4 a) et seq. Cum sermo fit de fundamento libertatis religiosae videtur loquendum iam esse, per modum brevis mentionis, de limitationibus huius libertatis, ne textus, qui postea de his limitationibus loquitur, secum dissentire videatur.

8. Pag. 7-9, cap. II, n. 4. Proponimus ut argumenta allata ad fundandam libertatem religiosam ad tria contrahantur: *a*) dignitas personae humanae; *b*) indoles religionis; *c*) moderatio civitatis. *Ratio*: nimia prolixitas et plures repetitiones vitandae.

9. Pag. 9, cap. II, n. 5. Totus paragraphus sequenti modo mutandus videtur:

a) Principium generale: Ius ad libertatem religiosam, ut omnia alia iura in humana societate exercenda, quibusdam normis limitantibus obnoxium est. Quarum prima est principium iuridico-morale responsabilitatis personalis erga alios. Etenim in iuribus suis exercendis unusquisque debet rationem habere iurium aliarum personarum suorumque officiorum erga alios.

b) (pro individuo). Cum omnibus agendum est non solum secundum iustitiam legibus civilibus confirmatam, sed etiam secundum humanitatem, ideoque nemo debet suis iuribus uti cum damno vel offensione aliarum personarum.

Nemini fas est, religionis praetextu, sibi vel suo coetui utilitates temporales adquirere.

c) (pro societate). Pertinet praecipue ad potestates publicas normas iuridicas statuere quibus societas protegatur contra abusus qui perpetrari possunt adducto titulo libertatis religiosae. Quae normae constituendae sunt non arbitrario modo, sed secundum exigentias ordinis publici, qualis determinatur in societate fundata super iura fundamentalia hominis, ut declarantur, verbi gratia, in « Dichiarazione universale dei diritti dell'uomo » ab O.N.U. facta.

Rationes: 1. Principium sub *a*) positum valet tum pro conscientia individui, tum pro iure definiendo; proinde est principium morale-iuridicum.

2. Definitio « ordinis publici » ut continetur pag. 9 videtur nihil dicere. Scribitur enim: « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut praecipue vi coercitiva legis protegatur ». Sed alia et alia in singulis nationibus vi coercitivae legis committuntur, et quaestio est praecise haec: quae sint vi coercitivae legis tribuenda ne iustitia violetur? Ambiguitas non tollitur per exempla quae in fine paragraphi adducuntur, nam nimia cum facilitate, v. g. in Russia, Sina etc., moralitas (marxista) vel ordo publicus adduci possunt ut praetextus ad libertatem religiosam iniuste limitandam vel tollendam.

Ad ambiguitatem vitandam proponitur citatio alicuius normae a pluribus (saltem) nationibus admissae ut est declaratio universalis iurium hominis ab O.N.U. facta.

10. Pag. 10, cap. III, n. 6. Totus paragraphus supprimendus videtur. *Ratio*: quae ibi continentur pluries repetuntur.

11. Pag. 12-14, cap. IV. Proponimus ut n. 11 ponatur loco n. 10 et viceversa. *Rationes*: ne Ecclesia videatur declarationem de libertate religiosa facere praecipue ad sua iura affirmanda; ut servetur parallelismus cum nn. 12 et 13, in quibus munus Ecclesiae secundo loco ponitur.

12. Pag. 12, cap. IV, n. 10. Proponimus ut verba aliquomodo molliantur. *Ratio*: ut affirmatio magis consona fiat tum « Doctrinae evangelicae » n. 12 contentae, tum « mentalitati » hominis hodierni.

95

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS

Archiepiscopus Barcinonensis

In universum schema. In universum schema animadverti potest quaedam principia non satis attendi. Inter quae, haec noto:

a) non satis proponitur discrimen inter libertatem physicam et moralem;

b) non satis considerari videntur principia philosophica et theologica de libertate eiusque exercitio, praesertim in statu naturae lapsae;

c) ipsa natura libertatis fidei parum attenditur;

d) status actualis historicus exercitii libertatis satis ingenue tractatur; quot enim sunt de facto coactiones morales propagandae in malum!

e) non attenduntur diversa adiuncta existentialia in diversis regionibus;

f) doctrina Conc. Vaticani I, ss. III, c. III (DENZ. 1794) de discrimine catholicorum a non catholicis non videtur satis in mentem haberi; quae quidem iterum proclamari deberet, sicut iterum proclamata est doctrina de Primatu pontificio;

g) quod nunc quasi inventa sit dignitas personae humanae ingenuum nimis videtur.

Pag. 3, linn. 13-17. « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana *et vera iustitia fundatum,* quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut *verum* ius civile evadat ». *Ratio*: mentio fit de « iustitia » seu de elemento necessario obiectivo, ad vitandum positivismum iuridicum.

Dicitur « verum » ius civile, ne confundatur cum iure « legali ».

Pag. 4, linn. 18-19. « In qua religione et quanam ratione *Deus velit serviri* ». *Ratio*: videtur ita exponi melius obligatio erga unicam veram religionem obiectivam.

Pag. 5, lin. 40. « Cum historiae decursu igitur exortus est *novus quidam modus proponendi libertatem religiosam* ». *Ratio*: non enim agitur proprie de « nova » quaestione, sed de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, a lin. 30 usque ad finem pag. « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae *atque iustitia* fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae *possint* sibi legitime vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina ac auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum *populorum huius temporis, dummodo* principiis rationis humanae *fulciatur,* esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ».

« Doctrina tamen a Romanis Pontificibus elapso et praesenti saeculo stabilita circa existimationem quae in publica societate Ecclesiae catholicae est concedenda, suum valorem retinet pro ordinandis relationibus hodiernis inter civilem et ecclesiasticam potestatem, etiam respectu habito ad alios coetus religiosos, dummodo adiuncta novorum temporum aeque ponderentur ». *Ratio*: ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica.

Dicitur « populorum » ut stabiliatur « factum », non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est.

Loco « Quippe quod » ponitur « dummodo » quia non est verum quod regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae absolute probandum sit.

Nova paragraphus additur. Nam uterque extremus est vitandus, et quod nova tempora ignorentur et quod doctrina perennis obliviscatur. Textus valorem practice tollit illis documentis pontificiis, praetextu mutationis temporum et adiunctorum. Duo videntur confundi: occasio tradendae doctrinae et ipsa doctrina. Omnino putandum est doctrinam hanc suum valorem retinere pro ordinandis rebus religiosis inter diversas potestates sive civiles sive religiosas, nam subiecta ad quae respicit sunt eadem, nempe: Ecclesia, potestas civilis, fideles catholici, acatholici, coetus religiosi, salus animarum et libertas in professione fidei. Si aliqua ex iis aliquatenus sunt mutata, recte et aeque ponderentur, sed principia serventur et iuxta illa res prudenter iudicetur. Secus effugere non possumus notam novitatis in doctrina adeo gravi et despectum auctoritatis Romanorum Pontificum, qui usque ad Pium XII, hoc non excluso in Alloc. ad iuris peritos italos, clare et firmiter eandem doctrinam constanter ut veram et perennem edocuerunt.

Pag. 7, linn. 11-15. « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae, (supprimatur) ... *cum libertas religiosa* uni subiecto integre ... ». *Ratio*: nam si ponitur principium tam absolutum in schemate, numquam auctoritas ulla posset prohibere actum quendam exteriorem in vita sociali, etsi esset perniciosum, etenim attentaret contra integritatem personae.

Exaggeratur unio inter actum hominis interiorem et exteriorem. Haec unio valet quidem pro hominis natura atque pro actibus in genere consideratis, non vero pro singulis et specificis actibus, pro his scilicet qui externe poni nequeunt absque laesione alicuius boni vel veri.

Pag. 8, linn. 5-8. « Exinde sequitur quod homo, ordinem socialem servans, ius habet ut in religione sua publice exercenda, ab iniusta actione sive legali sive

sociali, immunis sit ». *Ratio*: quia si ex ipsa natura sociali hominis ius exurgit ad actus sociales exercendos, etiam ex ipsa natura sociali hominis exurgit necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum.

Transitus ex actibus hominis interioribus ad exteriores illegitime fit nisi quando actus exteriores iuste poni possunt. Ita affirmatur in n. 5.

Pag. 9, linn. 5-7. « Ea debet homini agnosci libertas quae suae dignitati, atque responsabilitati, et iustitiae sit consentanea; ideo non est restringenda nisi in quantum sit necessarium ». *Ratio*: Ne nimis quam par sit extollatur libertas, propendens in individualismum.

Pag. 9, linn. 26-30. « quae constituuntur exigentiis boni communis et praesertim ordinis publici. Qui ordo publicus est illa pars boni communis, quae committitur potestati publicae, ut civium vita socialis ordinatim procedat ». *Ratio*: ait enim Ioannes XXIII in enc. *Pacem in terris*: « In recte ordinanda republica satis non est servare ordinem ex parte auctoritatis, etiam est bonum commune procurandum ». *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 272-274.

Quoad ordinem socialem publicum in textu potestati civili tribuitur munus mere negativum et pure poenale.

Pag. 10, linn. 7-8. « Itemque a potestate publica providendum est ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter *solas et iustas* rationes religiosas ». *Ratio*: in textu nulla erat distinctio inter solas rationes religiosas et rationes religiosas simul et civiles, neque inter iustas et iniustas. Ne accidat quod sub specie religionis exigantur quae legi naturali vel iuribus aliorum adversantur.

Pag. 11, n. 7. Libertas communitatum religiosarum. *In genere,* doctrina huius numeri practice erit semper favorabilis pro communitatibus non-catholicis; saepe desfavorabilis communitati catholicae, praesertim ubi maior pars est catholica et sunt catholici magistratus et legislatores. Catholici enim, salvis rationibus ordinis publici, obligantur audire petitiones et eisdem accedere a non catholicis formulatas. Magistratus vero non catholici non ita ut catholici vim huius decreti aestimare tenentur. Itaque, dum Ecclesia catholica unica habet a Deo munus omnes homines amplectendi, ipsa offert maiores possibilitates sese propagandi aliis coetibus religiosis. Res quidem difficilis est proponendi in formulis intelligibilibus et acceptabilibus simul communitatibus non-catholicis et Ecclesiae. Caveamus ne Ecclesia catholica, ex doctrina ab ipsa proposita in hoc Decreto peiores conditiones sibi paret.

Pag. 11, linn. 1-4. « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, intra tamen normas limitativas superius positas (n. 5), etiam communitatibus agnoscenda est ». *Ratio*: nam prae primis valere dicendae sunt de communitatibus quae dicta sunt n. 5 pro limitatione singularum personarum. Praeterea textus prior aiebat: « intra supradictos limites a fine societatis imponendos ».

Pag. 12, lin. 35 et pag. 13 linn. 1-2. « Iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae *quidquam praecipuum perhibetur esse* in iis quae spectant ... ». *Ratio*: videtur exaggeratum dicere « principium fundamentale », quod umquam affirmatur a peritis catholicis in iure publico ecclesiastico.

Pag. 14, linn 3-5. Supprimantur verba « Unde etiam sequitur quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis ». *Ratio*: verba illa generant ambiguitatem et aequivocitatem.

Pag. 13, linn. 17-29. Supprimantur saltem hoc sensu arguendi ex experientia. *Ratio*: non videtur esse quae dicuntur in textu satis firmata experientia, etiamsi relator ad testimonium unius Patris loquentis nomine episcoporum (pag. 29) refe-

rentiam faciat. Adversus haec adduci potest affirmatio Leonis XIII in *Longinqua Oceani* loquens de progressu Ecclesiae ope quidem libertatis religiosae apud Status Foederatos Americae.

Pag. 14 et 15, ad totum n. 12. Totus hic numerus ab integro retractandus est; quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam.

Igitur petimus ut hic numerus iterum tradatur peritis ut compendiosa atque numeris perfecta fiat Theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis; de qua re illustria exstant studia sive catholica, sive etiam protestantica.

Saltem a lin. 26 pag. 14 usque ad lin. 11 pag. 15, i. e. a « Miracula fecit ... » usque ad « ... traxit ad seipsum ». Supprimantur. *Ratio*: quae ibi dicuntur falso nituntur supposito, ac si umquam miracula fidem vere coactam seu necessariam efficerent. Christus non renuit prodigia quae cogerent, sed quae conniverent messianismo carnali.

Pag. 17, post lin. 20, nova addatur paragraphus. « Adsunt nationes in quibus religio catholica a maxima populi parte profitetur, atque cultus a Deo exhibetur etiam publice a magistratibus, et principia moralia catholica in elaboratione legum prae oculis habentur. Hic rerum status laudandus est, nam " libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate ubi Catholici numero praevalent, Ecclesiae catholicae quaedam privilegia aut etiam officialis agnitio tribuatur. Talis privilegiata condicio si aliquando divina Providentia et hominum bona voluntate suppeditatur, de se non excludit, quod etiam aliae communitates religiosae vera religiosa libertate gaudere possint " » (cf. relatio, pag. 29 ultima paragraphus).

Demum, *ad integrum schema,* haec addam: Circa *ordinem schematis* forte mirum videri potest declarationem Concilii Oecumenici primum agere rem « ex ratione » (c. II) et non nisi postea (c. IV) « sub luce revelationis ».

Cum exigentiae religiosae — intellectuales et morales — sint multo plures et naturae difficiliores in religione catholica quam in aliis (in mysteriis accipiendis, in quaestione de divortio, de limitatione natalitatis ...), posita proclivitate in malum naturae lapsae et medio ambiente moderno, libertas propagandi alias religiones potest esse occasio multarum defectionum a fide catholica, scandalum et tentatio infirmioribus.

Ad pag. 7, n. 7 *a*). Connexio inter interiorem libertatem personalem eiusque exteriorem manifestationem non adeo patens est, ut schema proclamat. Nisi fallor, hic et alibi, ut in universum notatum est, principia philosophica et theologica de natura verae libertatis non satis attenduntur. Ideo tota haec paragraphus retractari deberet.

96

Exc.mus P. D. EMMANUEL MOLL Y SALORD
Episcopus Dertosensis

I. *Observationes generales*. 1. Concilium Oecumenicum Ecclesiae catholicae, cum aliquam declarationem circa libertatem religiosam conficere intendit, non potest unice per principia Philosophiae pure naturalis duci, sed per Philosophiam fide illustratam, simulque per veritates Sacrae Theologiae fundatas et probatas. Tale

Concilium enim non est coetus in religione indifferens aut laicus, sed coetus sub ductu Spiritus Sancti convocatus et cum eiusdem Spiritus speciali assistentia suum laborem complens.

2. Sub his principiis, dignitas humana non est reponenda praecise in hominis libertate, sed potius in sua rationalitate, in sua anima spirituali et immortali, adhuc autem, in sua per gratiam elevatione qua filius Dei adoptivus existit et haeres aeternae beatitudinis.

3. Homo non in mundo ingreditur quasi ens autonomum et independens, sed moraliter alligatum pluribus officiis et obligationibus erga Deum, erga legem tum naturalem tum positivam, erga parentes suos, erga Statum, erga suos concives, etc.

4. Natura nostra humana est natura vitiata, proclivis ad abusum suae libertatis; quare necessitatem habet imperii auctoritatis externae.

5. Ex alia parte, religio vera unica est. Veritates fundamentales in ipsa habentur: fides in unum Deum Trinum et Creatorem, in Iesum Christum omnium hominum Redemptorem et Fundatorem Ecclesiae ut societatis perfectae, cum iure praedicandi, custodiendi, defendendi et diffundendi fidem in mundum universum.

6. Status per se et directe non curat de rebus religiosis, nec de illis iudicat; potest tamen religionem cognoscere eamque profiteri. Officium suum est protegere vera iura individuorum et societatum sui territorii. Propterea, quando agitur de Statu confessionaliter, ut dicitur, catholico, hic defendere tenetur iura Ecclesiae, maxime si haec expresse talem protectionem petit, sive occasionaliter sive per aliquam officialem conventionem. Cum vero agitur de Statu non catholico, tunc Ecclesia poterit ei exigere protectionem suorum iurium, non certe ut societas a Christo Domino fundata, sed ut aliae omnes societates, ex iure nempe naturali. Hoc autem non est « opportunismus », sed realismus, mens comprehensiva, sensus practicus.

7. De homine individuo. *a*) Homo est liber. Utique, physice omnino liber est et nascitur, etsi moraliter valde sit alligatus, ut in observatione 3^{a} dictum est. Notandum tamen est non esse contrarium hominis dignitati ut, propter graves iustasque causas, haec libertas limitetur in suo exercitio, et libertatem non esse perfectionem absolutam sed relativam.

b) Humana dignitas postulat ut in fide religiosa profitenda libertas homini detur. Certe quidem, in catholica theologia fidem esse actum liberum docetur, neque coactione ulla sive physica sive morali imponi alicui posse. Immo etiam coactio illa reiicitur quae exerceri potest abutendo simplicitate vel ignorantia alicuius hominis, captiosis rationibus vel aliis mediis adhibitis v. g. scriptis, largitionibus, etc., ut ille in errorem inducatur.

c) Homo secundum propriam conscientiam agere debet. Ita prorsus, etiamsi haec erronea sit. Sed etiam ad veritatem quaerendam omnibus mediis quibus uti possit graviter tenetur.

d) Homo libertate gaudet Deum colendi secundum propriam et conscientiam et religionem. In sua vita privata ita certe est, ea tamen ratione ut non praetermittatur quod supra, *c*), dictum est. Etiam in vita publica, modo non aliorum ius laedat. Si hoc ius, vel fortasse iura, sunt ordinis superioris, vel iura illorum hominum qui veritatem possident, necesse est ut haec praevaleant, dum alia limitari in suo exercitio debeant, ne iurium collisio provocetur. (Sic res se haberent, exempli gratia, in aliqua natione confessionaliter catholica, ubi omnes catholici sint, omnino paucis exceptis).

His rationibus perspectis, quas Oecumenicum Concilium semper prae oculis habere debet quin umquam vel dissimulet vel praetermittat, percurramus aliqua quae inveniuntur in schemate de libertate religiosa, quod in conciliari aula, die 17 superioris mensis novembris, praesentatum fuit.

II. *Observationes particulares.* 1. Ad titulum cap. I: « Libertatis religiosae generalis ratio ». Sic emendetur « Libertatis religiosae *in mundo hodierno* generalis ratio » vel « apud hodiernos populos ».

Omnino cavendum est ne Ecclesia suam theologicam doctrinam vel propria uniuscuiusque rei nomina deserere videatur, si hanc libertatis religiosae rationem ut propriam proponit, cum revera nihil aliud agat nisi obiter nunc accipere libertatis religiosae rationem quae communiter tempore nostro habetur.

2. Ad n. 1, lin. 8. Ponatur « etiam » loco « maxime ». Magis veritati respondet, cum ab hominibus nostri temporis aliae libertates multo praestantiores quam libertas religiosa aestimentur.

3. Ad n. 1, linn. 9 ss. Verba linn. 9-12 « In permultis... stabile regimen » tollantur. Minime necessaria sunt et alia ex parte tot sunt inopportuna et erronea in nationum constitutionibus!

4. Ad n. 1, linn. 13 ss. Ut ius aliquod vere tale sit, in iustitia inniti oportet ut conditio obiectiva et necessaria. Itaque linn. 13-17 supradictae paragraphi primae sic emendentur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana *et vera iustitia fundatum,* quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut *verum* ius civile evadat ».

5. Ad n. 2, pag. 4-6. Omnino hic numerus omittendus est. Imprimis, quia hi excursus historici-doctrinales sunt valde periculosi, interpretationibusque personalibus ansam praebent, et pro Concilio Oecumenico minus convenientes apparent.

Praeterea, quia, etsi expresse non dicatur, intentio huius numeri dirigitur ad imminuendam vim Magisterii Ecclesiae, vel melius, Romanorum Pontificum, praesertim Leonis XIII, valorem mere occasionalem eius doctrinae tribuendo. (Connecti debet hic numerus cum n. 6, pag. 39, huius schematis). Quod nullo modo admitti potest. Distinguere clare oportet occasionem alicuius documenti pontificii et principia quibus ipsum innititur. Dato et non concesso laicismum et omnipotentismum Status hodie non haberi (unius alteriusve formae, et saltem in suis radicibus ac consectariis adhuc exstant), principia quibus Leo XIII innitebatur permanent et in illis quae superius exposuimus continentur. Haec principia prae oculis habentes, locuti sunt non tantum Leo XIII, sed etiam S. Pius X, Benedictus XV, Pius XI et Pius XII. Et haec sunt praecipue: iura Dei et Ecclesiae, missio Status et ambitus suae potestatis in genere et praesertim officia Status catholici.

Agitur proinde de constanti doctrina Magisterii Ecclesiastici horum Romanorum Pontificum, quam Concilium Oecumenicum ex industria praetermittere nequit.

Aliunde, proponere ut principium, saltem tacite, Encyclicas vel documenta RR. Pontificum valorem mere occasionalem habere, periculosissimum esset. Quousque v. g. valorem habent vel habebunt doctrinae Pii XII in sua Encyclica *Menti nostrae,* Ioannis XXIII in *Pacem in terris,* et Pauli VI in *Ecclesiam suam?*

6. Ad n. 3, pag. 6. Cardo totius schematis hic invenitur. Cum magna ex parte novus sit, oportet diligenter eum considerare. Ab initio usque ad lin. 14 laudabilia et acceptabilia censentur.

Sequentia vero, a lin. 14, hoc sensu mutanda videntur: « Insuper declarat haec Sacra Synodus... libertati et dignitati personae humanae in vita religiosa

ducenda, quatenus nemo potest cogi ad illam doctrinam amplectendam ». « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae atque iustitia fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae possint sibi vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina et auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum populorum huius temporis, generatim loquendo et dummodo principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum et necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ».

Cetera omnia quae in hac paragrapho continentur supprimenda sunt. Sic vitantur confusiones ac distinctiones quibus alia redactio locum daret.

Hic numerus sic concludere oportet: « Firmiter vero retineatur doctrina quae tenet religionem catholicam, in societate ubi cognita fuerit, publice et socialiter in singulari existimatione esse habendam ». Sic caverentur multa dubia quae oriri possent ex hac declaratione Concilii.

7. Ad n. 4, pag. 7. Coniunctio inter actum internum et externum hominis nimis exaggeratur. Possunt, et immo seiungi debent cum iusta causa illud postulet. Proinde, haec paragraphus sic proponi deberet: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis intime connectitur cum aspectu interiore. Libertas religiosa est una, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe, ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis. Ideo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem religiosam agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium, iusta non de causa, denegat ».

Scil., in genere haec unio adesse debet; sed, in concreto, possunt esse causae, e. g. iura aliorum, bonum commune, quae separationem exigant. Ipsum schema supponit possibilitatem huius separationis in ipso hoc numero litt. *e*) et in num. 5, *b*).

8. Ad n. 4, litt. *b*). Addere oportet haec verba: « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem *in re religiosa* ». Non qualemcumque veritatem.

9. Ad n. 4, litt. *b*). Maior praecisio requiritur in ultimis verbis huius numeri. Sic proponi deberet: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». Si textus allatus in schemate sumitur sicut sonat, a iure et officio inquirendi veritatem transitus fit ad ius exponendi qualemcumque doctrinam in materia religiosa, etiamsi erroneam et falsam.

Hac modificatione textus quae proponitur, simul attenditur doctrinae Concilii Vaticani I: catholicus ut possessor veritatis, non tenetur eam inquirere, sed firmiter in ipsa perseverare.

10. Ad n. 4, litt. *c*). Ultima verba hoc sensu emendanda sunt: « Exinde sequitur quod homo, ordinem publicum et socialem servans, ius habet... ». Iam dictum est antea omnem hominem, natura sua socialem, habere officium servandi ordinem socialem et publicum, qui exstat supra omnia iura individualia.

11. Ad n. 4, litt. *e*). Fere omnino novus in hoc schemate. Omitti debet, quia ingreditur quaestiones circa competentiam et ambitum potestatis civilis, admodum arduas ac difficiles, et non conveniens videtur ut Concilium circa illas sese manifestet. Praeterea, solutiones in textu allatae valde incongruae iudicari possunt.

12. Ad n. 5, litt. *b*). In lin. 7 addi debet: « Pertinet praecipue... quae constituuntur exigentiis boni communis et ordinis publici ». Iuxta Magisterium Ec-

clesiae (Ioannis XXIII in *Pacem in terris* exempli causa), bonum commune delimitat iura individualia, et auctoritas non tantum debet providere ut ordo publicus servetur, sed etiam positive debet promovere bonum commune, removens impedimenta et difficultates.

Lin. 10 sic emendari debet: « Qui ordo publicus... potestati publicae, *ut civium vita socialis ordinatim procedat* ». Officium auctoritatis civilis non est mere coercitivum, negativum, poenale, sed praecipue positivum, promovens bonum commune omnibus civibus.

13. Ad n. 6, pag. 10. In lin. 6 addatur: « ... omnium civium, *salvis semper exigentiis boni communis* ». Scil., ut dictum est antea, bonum commune potest postulare limitationem exercitii alicuius iuris individualis.

Et in lin. 8 adiungatur: « ... *laedatur propter solas et iustas rationes* religiosas ». Possunt enim dari aliae rationes quae sint simul religiosae et civiles; et aliae non iustae, v. g. oppositae legi naturali, ut polygamia, prostitutio religiosa, sacrificia humana, etc.

14. Ad n. 7, lin. 2. Interponi debet: « .. personis competit *intra tamen normas limitativas superius positas,* etiam communitatibus... ».

Ad finem huius paragraphi, lin. 4, addatur: « Patet autem praefatas normas limitativas actibus communitatum, qui natura sua externi sunt, speciali modo applicari oportere ». Vel aliud simile. Nam praecise quia actus externi sunt, facilius laedere possunt aliorum iura.

15. Ad n. 7, lin. 22. Ita perficiatur: « ... atque testanda *libere accedentibus* ».

16. Ad n. 9. Sic concludi debet: « Consequentiae practicae: « Omnia tandem quae in nn. 6, 7, 8 et 9 dicta manent ita sunt intelligenda ut praevaleat semper lex et ratio boni communis et, ubi debite agnita fuerint, iura Ecclesiae catholicae ». Ubi religio catholica debite agnoscitur, libertas propagandi alias religiones laedit iura Dei et Ecclesiae, gravissimum insuper damnum inferens filiis suis. In Concilio Vaticano I expresse dicitur: « minime par est conditio eorum qui catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum... qui falsam religionem sectantur ». Quod quidem prorsus praetermittitur in schemate allato, cum catholicis omnino aequentur non catholici.

17. Ad cap. IV. « Doctrina libertatis religiosae sub luce Revelationis ».

Ipse titulus testatur hucusque, in tribus primis schematis capitibus, quae maxima pars totius schematis constituunt, actum esse de libertate religiosa sub luce principiorum rationis naturalis, abstractione facta a revelatione. Admodum improprium videtur hic modus procedendi Concilii Oecumenici Ecclesiae catholicae cui Sacra Scriptura et Traditio sunt fontes primarii suae doctrinae. Praeterea dicendum est hoc tentamen confirmandi doctrinam hucusque expositam per revelationis argumenta esse valde superficiale et minus congruum, ut inferius patebit.

18. Ad n. 10, linn. 11 ss. « Iuxta totam traditionem ... est principium fundamentale... ». Haec verba plus aequo exprimunt. Sufficeret dicere: « quidquam praecipuum perhibetur esse ».

Ad paragr. « Iamvero ubi... », pag. 13. Ubi regimen libertatis religiosae viget, Ecclesia habet libertatem adimplendi suam missionem. Hoc ex parte verum est, non autem ex toto. Nam Ecclesia in hoc casu non adimplet suam missionem plene et perfecte, sicut postulat eius natura. Agit vero ut una ex multis religionibus quae in errore militant, non autem ut societas a Christo condita, unicae veritatis religiosae custos, societas perfecta cum omnibus suis iuribus doctrinam divinam

praedicandi, conservandi et defendendi. Non est haec libertas religiosa quam postulat et exigit natura Ecclesiae catholicae. Ecclesia hanc libertatem tantum acceptat ubi adversae circumstantiae pleniorem ac perfectiorem libertatem non permittunt. Sed ubi Ecclesia agnoscitur ut talis, cum omni sua auctoritate ac suis iuribus, ipsa multo magis exigit. Non tantum postulat libertatem exercendi proprium ministerium, sed etiam exigit potestatem conservandi fidem ab ipsa praedicatam simulque tuendi suos filios contra falsos prophetas qui, simplicitate eorum formationis religiosae abutendo, eos in errorem inducere intendunt; exigit praeterea ut ubi illa est a saeculis constituta, et est tamquam in pacifica possessione totius populi vel nationis, sic revereatur, ut sola religio divinae revelationis et fidei thesaurum possidens. Cum vero Status qui sic eam agnoscit, sit confessionaliter, ut dicitur, catholicus, ab ipso petit ut in legibus suis debitum primum locum Ecclesiae assignet et alias religiones reverenter observans excipiat.

Itaque prae oculis habentes quae divina revelatio de Ecclesia eiusque iuribus docet, norma illa libertatis religiosae minime ut aliquid iustum et veritati conforme acceptari potest, sed tamquam aliquid minus malum, quia aliud melius obtineri non possit. Sed ubi haec obtineri possunt vel obtenta sunt, omnino sunt servanda ad ipsius Ecclesiae bonum.

19. Ad n. 11, pag. 14, linn. 3-5. Omnia illa verba: « Unde etiam... et personalis » demantur. Verba sunt enim valde ambigua et incerta. Fides e. g. S. Pauli, quia certe minus libera fuit quam aliorum apostolorum, num minus genuina fuit? B.mae Virginis Mariae fides, tot tantisque rationibus credibilitatis innixa, quia minus libera fuit, fuit forsan minus genuina? Fides illorum qui in regionibus et familiis catholicis nati sunt estne minus genuina fides, quam illorum qui ab errore recedentes libere ad veritatem convertuntur?

20. Ad n. 12. Ex integro novus est, ad primum schema additus. Imprimis refundendus et reficiendus ab integro est. Obscurus enim est tot testimoniis refertus, non semper eandem veritatis vim praebentibus.

Praeterea, quae a lin. 26, pag. 14, « Miracula fecit... » usque ad lin. 11, pag. 15, « Exaltatus a terra omnes vi amoris traxit ad seipsum », habentur, nituntur falso supposito: nempe, miracula fidem vere coactam seu necessariam efficere posse. E contra, certum in Theologia semper habitum est motiva credibilitatis, etiam splendida (e. g. ipsam Christi resurrectionem), doctrinam revelatam non reddere *evidenter veram*, sed tantum evidenter credibilem, tuta semper manens libertas actus fidei.

Insuper omnia testimonia allata probant et Iesum Christum et Apostolos non voluisse fidem vi imponere, sed, fidei actum liberum relinquendo, sufficientia credibilitatis motiva praebuisse ut fides cognosci et admitti posset. In hoc autem minime dissentimus. Itaque, Ecclesia cum fidem minime vi imponat atque ab omni coactione abhorreat in illam propagandam, ad normam Christi et apostolorum agit. Minime vero huic agendi rationi adversatur quod Ecclesia iure, quod ab ipso Christo habeat, utatur ad hanc suorum filiorum fidem servandam atque tuendam, ubi id fieri possit.

Tollenda est integra paragraphus pag. 15 « Iuxta mentem... humanam sollicitudinem ».

21. Optandum esset novum caput. « Doctrina libertatis religiosae sub luce magisterii Summorum Pontificum ».

Nempe, quid de libertate religiosa sentierunt Leo XIII, S. Pius X, Benedic-

tus XV, Pius XI, Pius XII? Mirandum sane est nolle hunc doctrinalem aspectum debito studio considerare. Quia huiusmodi libertatem religiosam, prout in schemate proponitur, praefati Pontifices non admittunt eamque reiiciunt? Hoc silentium circa constans Magisterium Summorum Pontificum nostri temporis Concilium Oecumenicum admittere non potest.

22. Ad n. 14. Illis attentis, quae dicta sunt, ab integro reficiendus hic numerus esset, quia quaedam habet neganda, quaedam distinguenda, quaedam admittenda. Cum alia ex parte recte schema concludatur n. 13, optandum est ut n. 14 integer supprimatur.

Antequam finem imponam huic meo scripto, aliqua dicere vellem de illis quae proprie ad schema non pertinent, et continentur in pag. 36-40.

Ibi relator, vel aliquis alius, conatur solutionem praebere difficultatibus quae opponuntur libertati religiosae ab his qui eam limitatam volunt, certis in adiunctis, in suo externo exercitio. Sed inanes prorsus solutiones. Illae responsiones difficultates non solvunt, sed eludunt vanis circumloquiis. In omnibus illis numeris omnia luce mere naturali considerantur; nulla fit mentio iurium Dei, Ecclesiae, hominum qui in possessione veritatis inveniuntur; nec officiorum Status sicubi Ecclesia ut vera tenetur et agnoscitur; nec Magisterii Romanorum Pontificum nostrorum temporum (non agitur de solo Leone XIII, etiamsi eius auctoritas iam per se nobis sufficeret); nec principiorum doctrinalium quae sunt fundamenta quibus moderna Concordata, quae legis vim retinent, innituntur; etc. Nec exponitur verus tolerantiae conceptus, qui si bene intelligatur, optime cum rationabili usu externo libertatis religiosae componitur. Sed de his omnibus, satis.

Haec mihi visa sunt dicenda circa schema propositum de libertate religiosa.

97

Exc.mus P. D. SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

I. *Circa schema in genere.* 1. Videtur mutandum esse *titulum* schematis, hoc modo: « De libertate *civili* religiosa, seu de iure *civili* personae et communitatum ad libertatem in re religiosa ».

« Civili », inquam. Consideratur enim homo in *societate* degens et « legi civili » subiacens, et dicimus: sub hoc aspectu, civili, « omnis homo et omnis etiam communitas sunt liberi ad religionem, quam maluerint, sequendam (eam seligere, iuxta eam vivere, etc.): nemo ius habet ad eos cogendos (coactionem exercere) in hac materia ... ». Idest, « in ordine religioso omnes sumus *civiliter* liberi ... ».

Igitur alios aspectus libertatis humanae prorsus praetermittimus (v. g. *a*) conceptum libertatis physicae et moralis in genere; *b*) libertas, in specie, conscientiae, preli et aliorumque instrumentorum; *c*) immo communicationis socialis de ipsa libertate religiosa, alias omnes quaestiones non tangimus). Praesupponitur tamen vera notio libertatis religiosae, quae haec praecipue complectitur:

a) externam libertatem, vi cuius nullus homo a qualibet auctoritate, civili vel religiosa, qualibet ratione vel colore vi externa adigi potest ad hanc vel illam religionem amplectendam seu reiciendam, vel ad quoslibet actus cultus ponendos vel omittendos;

b) libertatem conscientiae, ex qua in re religiosa nulla civilis auctoritas competens est ut aliquam fidem definiat vel religionem seu religionis actus ut obligatoria decernat vel quomodolibet imponat, aut in iis iura civilia omnibus debita fundare praesumat;

c) libertatem professionis huius vel alius religionis, ita ut Status non tantum aliquam Religionem vel ipsius actus nemini imponat, sed liberum propriae religionis exercitium cuique prorsus relinquat, quin iuribus inde privet vel onera imponat, sed civem defendat in legitimo sui cultus exercitio.

2. Huius *civili* libertati, — de qua est sermo —, non adversatur sic dictus Status (politicus) « confessionalis », qui unam determinatam religionem « officialiter » profitetur: de se enim libertatem civium non pessumdat. Si Status ille est catholicus, eo quod maior pars vel moraliter omnes cives catholici sunt, tenetur hanc in concreto professionem religiosam civium tutari.

Haec autem obiter sint dicta. Quin igitur positivas Status obligationes circa religionem statuere intendamus, notare interest civilem Auctoritatem officio teneri fovendi illas condiciones sociales uti infra notabimus sub n. 17.

II. *Observationes in specie de quibusdam numeris.* 1. Pag. 3, n. 1, linn. 8-9 dicatur: « *etiam* ea respicit quae ad religionem spectant ». Omittantur quae postea dicuntur linn. 9-12. *Ratio*: si nimis extollitur libertas, periculum creatur indifferentismi. Quod libertas religiosa habeatur contenta ut stabile regimen in multis constitutionibus civitatum, rem non vere commendat, nam plurima non recta esse solent in constitutionibus civitatum.

2. Pag. 3, n. 1, linn. 13-17 dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in *persona* humana *eiusque* dignitate *et vera iustitia fundatum,* quod ... agnosci, ut *verum* ius civile evadat ». *Ratio*: Dignitas est qualitas ... Libertas est quae tribuit personae humanae specialem dignitatem.

Nisi textus aliquoties mentionem faciat de « iustitia », id est, de elemento necessario obiectivo, *quo solo* verum ius stat et constituitur, positivismus iuridicus, pluries ab Ecclesia damnatus, non sufficienter vitatur. Ius etenim, sicut ait Leo XIII, est facultas moralis, quam, ut diximus, saepiusque dicendum est, absurdum est existimare veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datum (« Libertas »).

3. Pag. 4, n. 1, lin. 5, post verba « determinantur », haec addantur: « et ut persona humana gaudeat illis conditionibus vel mediis in quibus hanc immunitatem seu libertatem religiosam in actum redigi possit ».

4. Pag. 4, n. 2: Melius autem est ut supprimatur. Dubitari vehementer potest utrum de quaestione « facti » et pure historica iudicare aut quidquam exponere debeat Ecclesia catholica.

Si vero textus conservatur, ut iudicium et ut explicatio historica est insufficiens ... Recte ut dicatur quod dicitur de placito philosophico rationalistico; at stat etiam placitum theologicum-philosophicum ab auctore Lamennais saec. XIX sustentatum et a magisterio Ecclesiae sancitum in enc. *Mirari vos.* Ideoque post verba « nitebatur » addendum esset: « *Vel* in placito ... *vel in alio placito philosophico theologico* ». Et in pag. 5, lin. 40 ubi dicitur « nova quaedam quaestio » ... melius esset dicendum: « Cum historiae decursu igitur exortus est *novus quidam modus proponendi* libertatem religiosam », quia non agitur propie de « nova » quaestione, sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

5. Pag. 6, ad n. 2 addantur: « Tamen doctrina a Romanis Pontificibus stabilita elapso et praesenti saeculo circa existimationem quae in publica societate catholicae Ecclesiae est concedenda, suum valorem retinet pro ordinandis relationibus hodiernis inter civilem et ecclesiasticam potestatem, etiam respectu habito ad alios coetus religiosos, dummodo adiuncta novorum temporum aeque ponderentur ». *Ratio*: uterque extremus est vitandus, et quod nova tempora ignorentur et quod doctrina perennis obliviscatur. Textus valorem practice tollit omnibus his documentis, praetextu mutationis temporum et adiunctorum. Duo videntur confundi: occasio doctrinae tradendae et ipsa doctrina. Omnino putandum est doctrinam hanc suum valorem retinere pro ordinandis rebus religiosis inter diversas potestates sive civiles sive religiosas, nam subiecta ad quae respicit sunt eadem, nempe: Ecclesia, Potestas civilis, fideles catholici, acatholici, varii coetus religiosi, salus animarum et libertas in professione fidei. Si aliqua ex his aliquatenus sunt mutata, recte et aeque ponderentur, sed principia serventur, et iuxta illa res prudenter iudicentur. Secus effugere non possumus notam novitatis in doctrina adeo gravi et despectum auctoritatis Romanorum Pontificum, qui usque ad Pium XII, hoc non excluso in Allocutione ad iuris peritos Italiae, clare et firmiter eamdem doctrinam constanter ut veram et perennem edocuerunt.

6. Pag. 6, n. 3, ad finem addatur: « Firmiter vero retineatur doctrina religionem catholicam quae unica vera est et signis aptis ad eius veritatem dignoscendam mundo praesentatur, ut Conc. Vaticanum I tradit, in societate ubi cognita fuerit, publice et socialiter in singulari existimatione esse habendam ». *Ratio*: si catholica Ecclesia, quae mundo praesentatur signis autenticitatis divinae, eaque sola, ut docet Conc. Vat. I, in eodem loco, pari existimatione habetur ac quilibet motus religiosus a visionario effectus, serio fundamento orbatus, etiam apud illos inter quos veritas catholicismi et falsitas aliarum religionum satis innotescit Deus contemnitur, dum comparatur seu aequiparatur visionario aut falso prophetae, et sua signa locutionis parvipenduntur. Nam signa a Deo data de veritate revelationis sunt externa et publica ergo externe et publice debent agnosci.

7. Pag. 6, n. 3, linn. 30-43 sic proponitur: « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate atque iustitia fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae possit sibi legitime vindicare. Cum igitur ... regimen iuridicum populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur ... ». *Ratio*: *a*) ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica; *b*) dicitur autem « populorum » ut stabiliatur « factum » non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est; *c*) loco « quippe quod » ponitur « dummodo », quia non evidenter apparet, immo aliquoties falsum est quod regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae sit absolute probandum necne.

8. Pag. 7, n. 4, sub littera *a*), nova redactio proponitur: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis *intime* connectitur cum aspectu interiore. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe, ad libertatem interiorem seu conscientiae, et ad liberum exercitium religionis. Ideo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem religiosam agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium, *iusta non de causa,* deneget ». *Ratio*: quia in textu quaedam indebita et exaggerata unio inter actum interiorem hominis et exteriorem affirmatur; iam vero, haec unio atque exigentia valent quidem

pro hominis natura atque actibus in genere consideratis, non autem pro singulis atque specificis actibus, pro his scilicet, qui externe poni nequeunt absque laesione alicuius boni aut veri.

9. Pag. 7, n. 4, sub lit. *b*), lin. 12, nova redactio proponitur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». *Ratio*: in textu illogice saltus fit ex officio et iure quaerendi veritatem ad ius exponendi quascumque persuasiones de re religiosa ac proinde etiam falsas. Quocirca ius exponendi falsum oriretur ex officio quaerendi veritatem.

Haec, praeterea, illogica consequentia directe opponitur definitioni Conc. Vat. I circa obligationem catholicorum perseverandi in fide eorumque disparem conditionem cum acatholicis. Catholici siquidem, utpote veritate gaudentes, nullam obligationem habent adhuc quaerendi veritatem, immo nec ius aliam doctrinam quaerendi; quapropter praedicationi aliarum persuasionum religiosarum subesse nequeunt.

Allusio vero, in nota 18, ad enc. *Ecclesiam suam* non est ad rem. In Encyclicis litteris enim sermo est non de quibuslibet persuasionibus religiosis exponendis sed de dialogo ipsius Ecclesiae qui sic definitur a Summo Pontifice: « Itaque colloquium quasi ratio quaedam est putandum apostolici obeundi muneris atque animorum iungendorum veluti instrumentum » (*Ecclesiam suam,* pag. 40).

10. Pag. 8, linn. 5-8 nova redactio proponitur: « Exinde sequitur quod homo, *ordinem socialem servans,* ius habet, ut in sua religione publice exercenda, *ab iniusta actione* sive legali sive sociali immunis sit ». *Ratio*: transitus ex actibus hominis interioribus ad exteriores iure non fit, nisi quando actus exteriores iuste poni possunt.

Etiam ex ipsa sua natura sociali hominis exurgit necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum in suas manifestationes sociales. Unde et ius et limites huius iuris ex eadem fonte proveniunt.

11. Pag. 8, ad lit. *d*) lin. 17 dicatur: ... « in re religiosa, secundum suam *rectam* conscientiam salvo ordine publico ... ».

12. Pag. 8, sub lit. *e*) et pag. 9, sub lit. *e*), supprimatur tota haec paragraphus, quae quaestiones de competentia potestatis civilis aggreditur maxime implicatas et difficiles; nec tamen sunt necessariae pro Concilio. Praeterea textus eas fere omnes feliciter non solvit.

13. Pag. 9, sub *b*) n. 5, circa medium addatur: « boni communis et » ita ut textus sic legatur: « Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen arbitrario modo, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis *boni communis* et ordinis publici ».

14. Pag. 9, sub lit. *b*) n. 5, lin. 8 dicatur: « Qui ordo publicus ... potestati publicae, *ut civium vita socialis ordinatim procedat* ». *Ratio*: textus enim reducebat munus potestatis civilis ad ordinem servandum modo tantum negativo, i. e., « polizziaco » et pure poenali.

15. Pag. 10, n. 6, linn. 7-8 dicatur: « ... propter *solas et iustas* rationes religiosas ».

16. Pag. 10, n. 6, lin. 11, dicatur: « per vim vel metum *aut alia iniusta media* ».

17. Pag. 10, n. 6, lin. 22 addere: « *a*) Hoc tamen libertatis religiosae regimen non impedit quominus alicui religioni officialis agnitio in ordinatione iuridica reco-

gnoscatur. Haec vero religionis conditio nemini civium vel coetuum religiosorum libertatem religiosam vel aequalitatem iurium civilium minuit, nec ipsos obiectum coercitionis facit. *b*) Prorsus, cum vita religiosa sit omnium summum et universale bonum personae humanae, auctoritas civilis, quatenus ex se est, tenetur summam earum vitae socialis conditionum, in quibus homines suam ipsorum perfectionem religiosam possunt plenius atque expeditius consequi, promovere. Et quo magis ... ». *Ratio*: addimus duos gressus: *a*) paragraphus de Statu confessionali, de quo Relator loquutus est in pag. 29 et 38, ex quibus verba desumuntur; *b*) positive loquitur de promotione conditionum socialium pro vita religiosa ex parte auctoritatis publicae. Sumimus verba ex *Pacem in terris,* n. 58.

18. Pag. 11, n. 7, linn. 1-4 dicatur: « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, *intra tamen normas limitativas superius positas* ».

19. Pag. 11, n. 7, par. 4 dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, *morali ordine communique omnium utilitate servatis,* ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ». *Ratio*: consonum non est ut hac in re (de libertate propagandae) qua maxima est, omnino sileatur ordinem publicum ut limitem, cum ipse nominetur aliis in casibus minoris momenti. Verba quae adducuntur sumuntur ex *Pacem in terris,* ex paragrapho quae loquitur praecise de libertate divulgationis, in genere.

Ut ex alia parte intelligatur quod ius « docendi et testandi » exerceri nequit coactione sive physica sive morali erga alios, et ex alia parte ut exprimatur principium limitationis contra abusus, qui possunt exsurgere laedentes ipsam libertatem religiosam personarum.

Posset admitti et enuntiari quod « communitates religiosae ius legale etiam habent ... », quia ius legale includit iudicium *prudentiale,* non autem iudicium *doctrinale* i. e. non exprimit intrinsecam veritatem rei. Iudicium vero prudentiale attingit ordinationem iuridicam, quae adaptari debet circumstantiis concretis locorum, temporum et personarum.

20. Pag. 12, n. 7, lin. 2, addatur: « dummodo vitetur periculum inducendi indifferentismum religiosum ».

21. Pag. 12, ad titulum IV, « Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis », haec notanda: Textus emendatus absque ulla ratione organica, transitum facit ad doctrinam illustrandam sub luce revelationis; de quo modo procedendi haec animadvertenda sunt: *a*) Partes I, II et III, quae doctrinam tradunt sub luce rationis, apparent iuxtapositae, non intime colligatae cum parte IV. Desideratur ergo ea intima connexio quae semper exstitit in catholica doctrina exponenda de unione inter naturam et gratiam. *b*) Inde sequitur Concilium in hac re partes agere pure naturales et iuridicas. Hoc autem ipsi Concilio minus competere videtur; exstant iam enim plurimae declarationes iuridicae de libertate religiosa, quae perfectiores sunt hoc textu, etiam emendato. *c*) Immo rei conciliari minus consentaneum videtur si, textus proponendus multa dicat de libertate religiosa sub luce rationis, pauca tamen et imperfecta sub luce revelationis. Hac quippe ratione agendi, Concilium mundo hodierno utique *consentiret*; non autem mundo praeberet verbum Dei vivificans atque omni gladio ancipiti penetrabilius.

22. Pag. 12, lin. 35 ad pag. 13, linn. 1-3, dicatur: « Iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae *aliquid praecipuum perhibetur* esse in iis quae spectant ». *Ratio*: quia textus modo nimis exaggerato affirmabat « principium funda-

mentale » de relationibus inter Ecclesiam et Statum esse libertatem Ecclesiae. Quod nullus catholicorum, peritus in iure publico Ecclesiae unquam ausus est affirmare.

23. Pag. 14, linn. 3-5, supprimantur haec verba: « Unde etiam sequitur quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis ».

Quia illa verba generant ambiguitatem et aequivocitatem; nec ceteroquin sunt necessaria.

24. Pag. 14 et 15, num. 12, haec notanda: Totus hic numerus ab integro retractandus est; quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam. Igitur petimus ut hic numerus iterum tradatur peritis in hac re, ut compendiosa atque numeris perfecta fiat Theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis; de qua re illustria exstant studia sive catholica, sive etiam protestantica.

Si vero textus conservetur, saltem supprimantur verba a lin. 6, par. 2, n. 12 « Miracula fecit » ... usque ad verba « extinguit » pag. 15, lin. 7. Etenim: *a*) In schemate non agitur de libertate intellectus seu libertate *theologica* actus fidei, in qua intellectus non cogitur ex evidentia interna motivorum vel veritatum. De qua tamen agitur in his lineis in quibus loquitur de miraculis Christi ad assentiendum non cogentibus.

b) Nec agitur de *vindicta divina,* ab apostolis Christo postulata pro Samaritanis. Adhuc et magis, cum et si adducitur argumentum de denegatione ignis de caelo, opponi posset argumentum de vindicta divina desolationis Hierusalem a Christo prophetizatae et a Tito adimpletae.

III. *De structura declarationis de libertate religiosa.*

I - *Generalis ratio.* Idem.

II - *Doctrina*:

A) *Fundamenta*: *a*) integritas; *b*) inquisitio; *c*) conscientia; *d*) libertas actus fidei; *e*) indoles religionis; *f*) libertas Ecclesiae; *g*) munus Ecclesiae.

B) *Limites.* Idem.

C) *Libertates communitatum*: *a*) familiae; *b*) associationis; *c*) interna coetuum; *d*) externa coetuum, i. e. « propagandae » ut dicitur.

D) *Functio Status*: *a*) cura libertatis; *b*) Status confessionalis; *c*) promotio conditionum.

Conclusio. In structura a nobis oblata addimus tantum duo puncta: 1. punctum de « Statu confessionali » de quo silet schema; 2. de promotione conditionum in quibus vita religiosa facilius et expeditius consequi possit in societate.

98

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Siulneyensis

1. Libenter admitto hominem habere ius *civile* ad religionem amplectendam iuxta sincera dictamina conscientiae suae, atque ius *civile* ad religionem suam exercendam tum privatim tum publice intra limites normae moralis et normae iuridicae, uti in textu schematis indicatur.

2. Libenter admitto hoc ius *civile* fundari in dignitate humana quae postulat ut homo non impediatur quin Deum honeste colat iuxta suam conscientiam sincere efformatam.

3. Nego autem *ullam religionem falsam ullum ius habere* ad sese propagandam. Propagatio religionis falsae tolerari potest tamquam malum ob bonum commune, nempe pro bono pacis socialis. Immo, in societate pluralistica tolerari *debet,* nam bonum commune hoc perspicue postulat (cf. Allocutionem Pii XII, *Ci riesce,* anno 1935, *A.A.S.,* 44, pp. 798-799).

Ecclesia nullam aliam doctrinam unquam admisit. Recta theologia nullam aliam doctrinam admittere potest. Sane, errori nullum *ius* inest sive ad existentiam sive ad propagationem, licet in persona sincere errante tolerandus est ob ius personae ut conscientia eius ab aliis non violetur.

(In parenthesi: ne dicatur, sicut aliqui hodie dicunt, « errorem non existere, sed existere tantum personas errantes, nam error est quid abstractum ». Si enim error non existit, veritas non existit. Quod absurdum est).

4. Rogo igitur ut tota par. 4, in pag. 11, deleatur, scil.: « Communitates religiosae ius etiam habent ... vel rudioribus agitur ».

5. Immo, innixe rogo ut totus n. 7, in pag. 11, supprimatur, ac totus sermo coarctetur ad libertatem religiosam *individualis personae.* Ratio haec est: ex una parte, Concilium coram mundo hodierno vix dicere possit: « Aliae religiones nullum ius ad propagationem habent, sed earum propagatio toleranda est ob maius bonum » (quod est verum); ex altera parte, libertas religiosa, iuxta exigentias hodiernas, satis inculcatur in pag. 7, n. 4, schematis, ubi de iuribus *hominum* agitur.

6. Schema, uti iacet, hoc in praxi dicit omnibus falsis religionibus: « Vos *ius* habetis rapiendi oves Christi, si valetis ». Quomodo unquam possint hoc dicere pastores quos Christus gregi suo praeposuit?

Hae res valde graves sunt. Propterea humiliter peto ne plus dicatur quam dicere oporteat.

99

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA

Archiepiscopus Valentinus

N. 1, pag. 3, linn. 8-9. Dicatur: « etiam ea respicit quae ad religionem spectant ». (Omittantur quae postea dicuntur linn. 9-12). *Ratio*: si nimis extollitur libertas, periculum creatur indifferentismi. Quod libertas religiosa habeatur contenta, ut stabile regimen, in multis constitutionibus civitatum, rem non vere commendat, nam plurima non recta esse solent in constitutionibus civitatum.

N. 4, sub *a*), pag. 7. Dicitur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat ... etc. ». Dicatur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectat ... etc. ». *Rationes*: 1. Nam si ponitur principium tam absolutum in schemate, nunquam auctoritas ulla posset prohibere ullum actum exteriorem in vita sociali, etsi perniciosum esset, etenim attentaret contra integritatem ipsam personae.

2. Principium schematis indivisibilitatis et indivisionis, et de nexu omnino indivisibili inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem contradicit principio posteriori ipsius schematis asserentis: *a*) « Potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » (cf. pag. 8, sub *e*], *Moderatio civitatis*). *b*) « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, *nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico...* » (pag. 9, sub *b*], *Norma iuridica*) et etiam « salvis tamen exigentiis ordinis publici » (pag. 9, sub *e*], *Moderatio civitatis*).

3. Ex eo quod homo ex natura sua non possit quin actus exteriores ponat secundum conscientiam propriam sequitur quod homini concedendum est ius ad actus exteriores sed non tamen *ad omnes* actus exteriores. Ergo separari potest mundus internus hominis ab eiusdem manifestationibus concretis.

Libertas religiosa (vel melius, libertas conscientiae) quatenus interna, inasequibilis est « iniudiciabilis » a societate; sed quatenus externa (scil.: eiusdem proiecti in societate) assequibilis est et « iudiciabilis », et nec vero iuri communi nec iuri concivium officere nequit.

N. 4, sub *c*), pag. 8. Dicitur: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali ». Dicatur: « Exinde sequitur quod homo, *ordinem socialem servans,* ius habet, ut in sua religione... » etc. *Ratio*: quia si ex ipsa natura sociali hominis exurgit ius ad actus sociales exercendos etiam ex ipsa natura sociali hominis exurgit necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum.

N. 5 *b*), pag. 9. Circa medium addatur: « boni communis et », ita ut textus sic legatur: « Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen arbitrario modo, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis *boni communis* et ordinis publici. Qui... » etc. *Ratio*: Ioannem XXIII in *Pacem in terris* docet bonum commune recte fundare limitationem iurium ex parte Potestatis civilis, et quod bonum commune ita parandum est ut « hominum saluti non officiatur, sed eidem etiam serviatur ». In recte ordinanda republica satis non est ordinem servare ex parte auctoritatis, etiam est bonum commune procurandum, ut saepe docet idem Pontifex. Cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 272-274, et alibi.

N. 7, pag. 11 (Libertas communitatum religiosarum). Dicitur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda ». Dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ».

Rationes: 1. Ut ex una parte intelligatur quod ius « docendi et testandi » exerceri nequit coactione sive physica sive morali erga alios, et ex alia parte ut exprimatur principium limitationis contra abusus, qui possunt exurgere laedentes ipsam libertatem religiosam personarum.

2. In ipso schemate mentio fit limitationis iuris libertatis religiosae his verbis: « servato ordine publico », « servatis exigentiis ordinis publici ».

Tamen hic ubi de re magni momenti agitur, non exprimitur ulla limitatio. Quod non decet.

3. Posset admitti et enuntiari quod « communitates religiosae ius legale etiam habent... etc. » quia ius legale includit iudicium *prudentiale,* non autem iudicium

doctrinale, i. e. non exprimit intrinsecam veritatem rei. Iudicium vero prudentiale attingit ordinationem iuridicam, quae adaptari debet circumstantiis concretis locorum, temporum et personarum.

N. 7, lin. 2, pag. 12. Addatur: « ... dummodo vitetur periculum inducendi indifferentismum religiosum ». *Ratio*: Ubi vera cognoscitur religio, omnimoda libertas propagandi alias religiones, iura Dei, qui manifestavit se solum esse colendum, si cognoscitur, conculcat, et grave damnum infert vere adoratoribus. Iuxta Conc. Vat. I (DENZ. SCHÖN. 3014) catholici « nullam unquam habere possunt causam iustam mutandi aut in dubium fidei eamdem revocandi » « minime par est conditio eorum, qui... catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum... qui falsam religionem sectantur ». Proh dolor, haec doctrina Concilii Vaticani I in oblivionem datur in toto schemate. Immerito in eodem plano collocantur catholici et acatholici.

N. 12, pag. 14 (*Doctrina evangelica*). Expungantur sequentia verba: a lin. 26, pag. 14 « Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent » etc. etc., usque ad lin. 11 in pag. 15, quae dicit: « Exaltatus a terra omnes vi amoris traxit ad se ipsum ». *Ratio*: quae ibi dicuntur falso nituntur supposito; ac si unquam miracula fidem vere coactam seu necessariam efficerent.

E contra, solemne est in Theologia motiva credibilitatis, etiam splendida, doctrinam revelatam non reddere evidenter veram sed tantum evidenter credibilem.

Libertas actus fidei semper in tuto est, nimirum ex eius obiecto formali, sc. auctoritate Dei loquentis.

100

EXC.MUS P. D. PETRUS PALAZZINI

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Cappadocia

1. In universo schemate, dum magis explicatur religiosa libertas ex humanae rationis principiis desumpta, obscura exstat tractatio, quae vere *dogmatica et catholica* dicitur.

2. Loco notarum minoris momenti, operae pretium videtur, si quid opinor, ita funditus recognoscere schema: *a*) Expungatur cap. II « Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta » eiusque in locum substituatur breve corollarium, quod appendicis instar, insequentis capitis sit; *b*) post dogmaticam tractationem, breviter clareque primaria capita exponantur maxime ex revelationis principiis hausta; i. e. demonstretur catholicam doctrinam id genus esse ut humanae libertatis iura eorum, qui catholicorum nomine non gloriantur, agnoscere et vindicare valeat.

Extremum, praesens schema perlegenti videtur christiana revelatio non satis eorum, qui christiano nomine minime censentur, libertatis probitatisque iura vindicare; atque in sententiis, ex ratione et philosophicis disciplinis depromptis, plus aequo consistere.

101

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis et episcopus Ortonensis

Pag. 3, lin. 1: loco actualis tituli, dicatur: « Libertatis religiosae apud hodiernos populos generalis ratio ». *Ratio*: additur « apud hodiernos populos », ne videatur Ecclesia catholicam suam doctrinam theologicam, tantis Ecclesiae documentis munitam deserere.

Pag. 3, linn. 13-17: loco illarum linearum, dicatur: « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana et vera iustitia fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut verum ius civile evadat ». *Ratio*: nisi textus aliquoties mentionem faciat de iustitia, i. e., de elemento necessario obiectivo, quo solum verum ius stat et constituitur, *positivismus iuridicus,* pluries in Ecclesia damnatus, non sufficienter vitatur. Textus enim agit fere semper de mero iure civili, quod perperam confundit cum iure legali. Haec autem confusio radix est et origo totius positivismi iuridici.

Pag. 4, ad integrum n. 2: melius est ut supprimatur. *Ratio*: dubitari vehementer potest utrum de quaestione « facti » et pure historica iudicare aut quidquam exponere debeat Ecclesia catholica.

Pag. 5, lin. 40, loco: « nova quaedam quaestio de libertate religiosa », dicatur: « Cum historiae decursu igitur exortus est novus quidam modus proponendi libertatem religiosam ». *Ratio*: non enim agitur proprie de « nova » quaestione, sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, linn. 30-43: loco earum, dicatur: « affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae atque iustitia fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae possint sibi legitime vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ». *Ratio*: *a*) Ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica; *b*) dicitur autem « populorum », ut stabiliatur factum non ipsa doctrina, quae forsitan non semper est; *c*) loco « quippe quod » ponitur « dummodo », quia non evidenter apparet regimen hodiernum libertatis religiosae esse probandum.

Pag. 7, linn. 16-17: loco « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem », dicatur: « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem *in re religiosa.* Hanc autem... ». *Ratio*: Concilium quippe non potest obligare hominem quemcumque ad quamlibet veritatem quaerendam, sed tantum loqui debet de veritate in re religiosa.

Pag. 7, linn. 1-15: loco earum, dicatur: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis *intime* connectitur cum aspectu interiore. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe, ad libertatem interiorem

seu conscientiae, et ad liberum exercitium religionis. Ideo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem religiosam agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium, *iusta non de causa deneget* ». *Ratio*: in hac paragrapho quae a nobis melius redacta proponitur, quaedam indebita et exaggerata unio inter actum interiorem hominis et exteriorem affirmabatur; iam vero haec unio atque exigentia valent quidem pro hominis natura atque actibus in genere consideratis, non autem pro singulis et specificis actibus.

Pag. 7, linn. 30-31: loco earum, dicatur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis *investigationibus* de re religiosa in dialogo *quaerendis* ». Ratio: vox enim « persuasionibus » falsam inducere posset speciem ac si homo in dialogo stabiliendo suis persuasionibus tantum duci posset.

Pag. 8, linn. 5-8: loco earum, dicatur: « Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in religione publice exercenda, ab *iniusta actione,* sive legali, sive sociali immunis sit »... *Ratio*: in hac paragrapho, transitus fit illegitimus ex actibus hominis interioribus ad exteriores; hic autem transitus iure non fit, nisi quando actus exteriores iuste poni possunt.

Pagg. 8-9, integra littera *e*): Supprimatur. *Ratio*: tota haec paragraphus quaestiones de competentia potestatis civilis aggreditur, maxime implicatas et difficiles; nec tamen sunt necessariae pro Concilio. Praeterquam quod textus eas fere omnes perperam solvit.

Pag. 9, linn. 5-7: loco earum, dicatur: « Et debet homini agnosci libertas quae suae dignitati atque responsabilitati sit consentanea; ideo non est restringenda nisi in quantum sit necessarium ». *Ratio*: ne nimis quam par sit extollatur libertas, propendens in individualismum. Ut etiam doctrina sit conformis cum n. 5, in quo normae limitativae rectissime statutae sunt.

Pag. 9, linn. 27-30: loco earum, dicatur: « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut civium vita socialis ordinatim procedat ». *Ratio*: textus enim reducebat munus potestatis civilis ad ordinem servandum modo tantum negativo, id est « poliziesco » et pure poenali.

Pag. 10, linn. 7-8: loco earum, dicatur: « Itemque a potestate publica providendum est ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter *solas et iustas* rationes religiosas ». *Ratio*: in textu nulla erat distinctio inter solas rationes religiosas simul et civiles; neque inter rationes iustas et iniustas.

Pag. 10, lin. 11: adiungatur: « per vim vel metum *aut alia iusta media...* ». *Ratio*: ut clare appareat potestatem publicam non posse, in religiosa libertate regulanda, nisi media iusta adhibere.

Pag. 11, linn. 1-4: loco earum, dicatur: « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, *intra tamen normas limitativas* superius positas, etiam communitatibus agnoscenda est ». *Ratio*: quia normae limitativae, in n. 5 appositae, valere dicendae sunt non tantum pro singulis personis, verum etiam, et prae primis, pro communitatibus religiosis. Ceteroquin, textus prior recte aiebat: « intra supradictos limites a fine societatis imponendos ».

Pag. 12, ad titulum IV. Doctrina libertatis religiosae sub luce Revelationis: Hoc est dicendum: Textus emendatus absque ulla ratione organica, transitum facit ad doctrinam illustrandam sub luce Revelationis. De quo modo procedendi haec animadvertenda sunt:

a) Partes I, II et III, quae doctrinam tradunt sub luce rationis, apparent iuxtapositae, non intime colligatae cum parte IV.

b) Inde sequitur Concilium in hac re partes agere pure naturales et iuridicas. Hoc autem ipsi Concilio minus competere videtur.

c) Immo rei conciliari minus consentaneum videtur si textus proponendus multa dicat de libertate religiosa sub luce rationis, pauca autem imperfecta sub luce revelationis. Hac quippe ratione agendi, Concilium mundo hodierno utique consentiret; non autem mundo praeberet *Verbum Dei vivificans* atque omni gladio ancipiti penetrabilius.

Pag. 12, lin. 35 et pag. 13, linn. 1-3: loco earum, dicatur: « Iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae quidquam praecipuum perhibetur esse in iis quae spectant... ». *Ratio*: quia textus, modo nimis exaggerato affirmabat: « principium fundamentale » de relationibus inter Ecclesiam et Statum esse libertatem Ecclesiae. Quod nullus catholicorum, peritus in iure publico Ecclesiae umquam ausus est affirmare.

Pag. 14, linn. 3-5: Verba: « Unde etiam sequitur quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis »; supprimantur. *Ratio est*: quia illa verba generant ambiguitatem et aequivocitatem; nec ceteroquin sunt necessaria.

Pag. 14 ad totum n. 12: Totus hic numerus ab integro est retractandus; quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam. Ideo peto ut hic numerus iterum tradatur peritis in hac re, ut compendiosa atque numeris perfecta fiat Theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis, de qua re illustria exstant studia sive catholica, sive etiam protestantica.

102

Exc.mus P. D. IOSEPH PETRALIA
Episcopus Agrigentinus

Folium 3: n. 1; secunda periodus. Loco: « Percipitur insuper esse ius, secundum quod... », dicatur: « Quod quidem ius eo sensu accipiendum est, ut homines liberi seu immunes esse debeant a coercitione... ». *Ratio est*: non intelligitur quare dicatur « percipitur insuper esse ius, secundum quod... » quasi de alio iure sermo sit, dum vero iuris superius expressi explicatio fiat.

Fol. 4, n. 2 (*Quaestio historica*). Post verba: « Revera saeculo decimo nono » inserantur haec: « sub influxu complexus illius errorum qui saeculo superiore sub specioso illuminismi nomine praevaluerat ». *Ratio est*: laicismus non est nisi fructus illorum errorum quos illuminismus copiose sparserat.

Fol. 4, n. 2, prima periodus. Loco « laicismus nuncupata », dicatur: « quae laicismus nuncupatur ». *Ratio est*: non tantum saeculo praeterito, etiam nunc laicismus nuncupatur. Phrasis sic correcta magis latine sonat.

Fol. 4, n. 1, secunda periodus. Post verba: « Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur... », addantur verba: « etsi, proh dolor, non semper neque ubique in praxim deducatur ». *Ratio est*: persecutio aperta seu subdola qua Religio impetitur in rebus publicis communismo subiectis.

103

EXC.MUS P. D. IOSEPH POGAČNIK
Archiepiscopus Labacensis

1. Schema concordet cum indole Concilii pastorali et regula a Pp. Ioanne tradita: abstineatur a damnationibus. Ratio est etiam haec, quod modus loquendi asper in aliquibus regionibus Ecclesiae difficultates causare posset. Tota veritas dicenda, sed prudenter loquendum est.

2. Ad particularia: *a*) N. 2, pag. 5, lin. 20 dicitur: Totalitarismus status, libertati humanae prorsus infensus. Dicatur ex rationibus allatis: *Totalitarismus, libertatem humanam arcte constringens...*

b) N. 6, pag. 10, linn. 15 s. Verba: « ... sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso » deleantur, quia superflua. At assumatur in eadem paragrapho textus prioris schematis, nunc omissus: « Pariter haec religiosa libertas offenditur... ». *Ratio*: enumerantur frequentiores formae hodiernae, quibus libertas religiosa offenditur.

c) N. 14, pag. 17, linn. 20 s. Tota paragraphus: « Non desunt tamen regimina... periclitantem reddere » deleatur, ex ratione supra allata et quia in sequentibus tam inefficaciter refutatur.

104

EXC.MUS P. D. ALEXANDER PONCET
Episcopus tit. Basilinopolitanus

N. 2, pag. 6, linn. 26-28: Post verba « intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia », haec addere: « Libertas insuper religionis, prout hic statuitur, nunquam supremo Dei iuri opponi posset. In ea enim supponitur mens sincera eorum qui Deum colunt, et qui generatim in omnibus religionibus quae verum et unicum Deum explicite agnoscunt bona fide suae religioni adhaerere et in ea sincere Deum verum colere velle praesumi debent.

Inter alias autem religiones, quae non explicite verum Deum agnoscunt, illis aequum est quoddam ius libertatis ab ipsa lege naturae agnoscere quae implicite verum Deum quaerere videntur, nec aliquid prae se ferunt apertae irreverentiae erga divinam Maiestatem: qui his religionibus adhaerent eorum bona fides ordinarie etiam praesumi debet ».

N. 3, pag. 8, linn. 37-38: Post verba « secundum conscientiam suam tendere possint », et ante verba « Potestas igitur civilis limites suas excedere... », haec interponere: « Quod aliunde intactam relinquit ipsius potestatis civilis, quae a Deo est (*Rom.* 13, 1), officium, nomine societatis civilis, quam repraesentat, Maiestatem divinam, modo congruenti, venerandi ».

N. 3, pag. 9, lin. 3: Post verba « ad Deum respiciunt », et ante verba « sese immisceat, haec interponere: « spreto in hac re supra-dicto humanae personae iure ad libertatem », ita ut sic compleatur haec sententia: « Potestas igitur civilis limites suas excedere dicenda est, si in ea quae ipsam ordinationem hominis ad

Deum respiciunt, spreto in hac re supra-dicto humanae personae iure ad libertatem, sese immisceat ».

Rationes pro his emendationibus: N. 2, pag. 6, additio post lin. 26: Ne ius, ex ipsa natura hominis, etiam falsis religionibus tributum, voluntati Dei contrarium appareat, qui nobis modum revelavit quo ipsum colere debemus; quin etiam, ne approbari videatur cultus divinae creaturae a pluribus religionibus exhibitus, necesse est distinguere inter religiones quae verum et unicum Deum explicite colunt et aliis, necnon agnoscere apud priores, et quasdam ex posterioribus, eas scil. in quibus saltem implicite verus Deus quaeri videtur, bonam fidem eorum qui his religionibus initiati sunt, et quorum conscientia, sic invincibiliter erronea, recta tamen dici potest: unde eam sequi Deum offendere nequit.

Aliunde religiones illas, quibus non potest verum ex ipsa natura hominis ius libertatis agnosci, non negatur, ubi necesse apparet, propter publicum ordinem protegendum, a civili lege libertatem, utique tolerantiae, recipere posse.

N. 3, pag. 8, et n. 3, pag. 9: His additionibus textus reemendati verba, in se, ut opinamur, graviora, ad veriorem sensum reducerentur. Sin aliter, quod in hoc ipso schemate dicitur in pag. 11, linn. 13-20, considerari posset ut contradicens huic priori assertioni. Idem dicendum esset, v. g. de conventionibus, seu concordatibus inter varias Nationes et Sanctam Sedem, et aliis forsan diversis, laude dignis, potestatis civilis actionibus, quae non stricte ad res huius saeculi restringuntur.

Insuper verba huius schematis, quibus potestatem civilem limites suos excedere affirmatur, si in ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat, sine ulla restrictione acciperentur, ansam praeberent ad falsam interpretationem, nempe ad affirmandam totam civilis Societatis et Potestatis a Deo independentiam: uno verbo, Religio res appareret individui, non Societatis.

[*Subscripsit etiam*] M. Darmancier, vic. ap. Ins. Wallis et Futuna.

105

Exc.mus P. D. ARTEMIUS PRATI
Episcopus Carpensis

1. Titulus non bene sonat et male intelligi potest.

2. Evolvatur conceptus iuris putativi qui in re maximi momenti vertit. Tantum ubi adest veritas, habetur ius obiectivum, et quidem ita ut actus externus veritati correspondens impediri nequeat, nisi ex gravissimis rationibus, de quibus hic sermo non est.

Ubi autem adest ius mere putativum, seu ius qui in veritate obiectiva non nititur, homo quidem immunis sit oportet a coactione quoad conscientiam attinet, nullo modo ex hoc sequitur actus « externos » impediri non posse.

Rratio ergo cur aliquando actio « externa » impediri potest, non tantum bonum commune et iura aliorum sunt, sed etiam, sane utpote radix, in eo habetur quod in casu agitur de iure mere putativo.

Idea haec fundamentalis esse videtur ut intelligatur cur religio catholica nunquam externe impediri possit.

Si omnia iura mere putativa essent, quod falsum est, aliter iudicandum esset.

Quapropter periculum textus in eo est: bonum commune, puta sovieticum, et iura putativa civium atheisticorum postulant ut religio supprimatur praesertim catholica. Ergo.

Argumentum non solum falsum est, quia in casu agitur non de vero bono communi et de iure putativo civium, cui contraponitur ius putativum catholicorum, sed praecise etiam ex eo quod ius catholicorum non est mere putativum, sed obiectivum.

Ex hac idea neglecta textus insufficiens apparet, immo aliquando ambiguus est.

Scil., si intelligitur de iure obiectivo, textus bene currit; si autem de iure putativo, iam falsa insinuare videtur. Tollatur ergo huiusmodi ambiguitas.

Ex dictis tamen minime sequitur actionem externam falsam illius qui ius putativum se habere existimat impediendam esse, saltem non semper; immo in hodiernis condicionibus raro, immo fere nunquam impediendum esse. Hoc simpliciter ex bono communi superiore sequitur, ex hoc quod aliquando minus malum tolerandum est.

3. Clarius indicetur quod textus, si de bono publico vel communi loquitur, de bono communi *vero* loqui intendit.

4. Prima suffragatio, quae comprehendit nn. 1-2-3 textus emendati, nostro iudicio meretur « placet », etsi philosophice loquendo potius mereretur « transeat ».

Secunda suffragatio, quae comprehendit nn. 4-5, deberet exprimi « non placet ».

Tertia suffragatio, quae comprehendit nn. 6-7-8-9, etiam « non placet » dicenda esset.

Quarta suffragatio, quae comprehendit nn. 10-11-12-13-14 meretur etiam « non placet ». Rationes huiusmodi negativae suffragationis exponuntur in explicatione et gravitate modorum quoad integrum schema.

Quinta suffragatio quae versatur circa integrum textum, nostro quidem iudicio obtinere potest « placet iuxta modum ». Hos autem modos exponimus in foliis adnexis.

Vide pag. 877-881 (Plures PP. conciliares A et B).

106

Rev.mus P. D. IOANNES PROU
Abbas generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Abbas Solesmensis plene adhaeret animadversionibus criticis emendationibusque circa schema declarationis *de libertate religiosa* a « Comitatu Episcopali Internationali » propositis.

Vim illarum peculiarem laudat in quantum errores positivismi iuridici necnon personalismi ab existentialismo profluentis, textum schematis propositum inficientes, denuntiant.

Ipsarum conclusiones doctrinales adprobat, necnon conclusionem practicam quae his verbis exprimitur: *a*) Schema propositum, in quantum fieri potest, ex integro renovatur. *b*) Si talis renovatio impossibilis apparet, omnes emendationes a supradicto coetu propositae in textu iterum emendato inserantur.

Fateor huiusmodi correctiones effectum adhuc mere negativum obtinere, prout videlicet affirmationes erroneas a Concilio proferendas expungunt, quin construc-

tivo atque positivo modo textum emendatum ad doctrinae compendium simul integrum perfecteque sibi cohaerens adducant.

Praeterea, praedictae emendationes non sufficienter respiciunt ad formam authentici cuiusdam boni communis quae pro Ecclesia constituitur ipsa libertate religiosa qualis etiam in Statibus totalitarismo vel persecutionibus obnoxiis servanda est. Haec autem omissio provenit ex defectu considerationis circa naturam *analogicam* ipsius boni communis, illius praesertim quod est simul finis et intrinseca mensura libertatis religiosae.

Ideoque notula specialis his animadversionibus hic adnectitur, in qua plura enucleantur quibus in clariori luce ponatur doctrina traditionalis Ecclesiae distinguens duos boni communis adspectus, inter se ordinatos, quorum inferior et restrictior assignari potest et debet ad limites libertatis religiosae definiendos. Ita etiam omnibus apparebit quomodo doctrina hodierna, in ipso schemate proposita, vim possidet universalem et non mere occasionalem quae ex positivismo iuridico quadam « situatione » imperato dimanaret.

Schema super talem distinctionem elaboratum proponere posset circa libertatem religiosam synthesim cohaerentem cuius valor universalis omnium temporum omniumque locorum necessitatibus subveniret.

Du moment que la *liberté religieuse* est affirmée comme un *droit* de la personne humaine, en tant que telle, c'est-à-dire, un droit de chaque individu de *nature* humaine, c'est que l'on considère la liberté religieuse personnelle à la fois comme le contenu d'une norme juridique et comme une valeur faisant partie du « bonum humanum » ou bien commun de tous les hommes, c'est-à-dire comme un élément essentiel de ce bien commun.

Qu'entend-on alors par *liberté* religieuse (supposition du terme)?

Il ne peut s'agir de la capacité ou faculté *naturelle* d'agir librement ou *liberté ontologique,* de soi polyvalente. Une telle capacité est uniquement d'ordre ontologique, elle n'est pas encore dans l'ordre éthique: un être en tant que tel, n'est ni moral ni immoral. Est *moral* un acte humain en tant qu'il est spécifié par une fin, bien réel ou bien apparent, d'où cet acte reçoit sa forme et son être moral.

Il ne peut s'agir non plus de cette liberté qu'on pourrait appeler *psychologique,* c'est-à-dire, de l'acte spirituel et intérieur élicité naturellement par la volonté libre. Dire « acte volontaire », c'est dire absence de contrainte intérieure. Même dans le cas d'une totale coaction physique, tant que l'esprit garde sa possibilité d'exercice, il demeure capable de cette émergence par rapport à toute détermination ou situation extérieure, qui est le propre de l'esprit et de la liberté. Même alors, dans le cas d'une telle coaction, il reste au moins à l'esprit libre le pouvoir de consentir ou de refuser son consentement.

La liberté ontologique et psychologique telle qu'on vient de l'exposer, n'est pas un bien à promouvoir ou à poursuivre, puisqu'elle existe toujours du simple fait qu'un être raisonnable existe: c'est une *donnée de la nature.*

Une telle liberté n'est pas non plus un *bien commun au sens strict,* c'est-à-dire de l'ordre moral, comme une valeur à promouvoir par l'action commune d'hommes vivant en société. Une telle liberté est antérieure d'une priorité de nature et de temps à toute société et à tout agir social. Elle n'est bien commun, au sens analogique, qu'en tant que bien propre de l'espèce ou nature humaine, participée par les individus de cette nature ou personnes humaines. Promouvoir l'espèce hu-

maine comme un bien commun est le fait d'éthiques eugénistes ou raciales, qui n'ont jamais été admises par l'Eglise.

Il ne peut donc s'agir que de *liberté morale* ou *liberté d'exercice* par rapport à toute coaction, interne ou externe, d'un acte qui, étant dans l'ordre moral, a un *contenu*, une fin qui le spécifie.

Et puisqu'il s'agit de *droit,* il s'agit donc de liberté morale, comme *fait social.* (On ne parle pas au sens strict de droit d'un seul par rapport à lui-même: il faut au moins le rapport Dieu-personne humaine). Et dans toute vie en société, dans tout agir social, le formel qui spécifie cette société ou cet agir est le bien commun.

Enfin, il reste à préciser que le bien commun, en doctrine chrétienne, n'est jamais considéré comme déterminé par l'homme agissant de façon indépendante, mais comme *donné* par Dieu *Créateur,* qui a donc autorité pour édicter le contenu de la norme juridique qu'est la loi naturelle et par Dieu *Rédempteur,* qui a *autorité* pour édicter le contenu de la norme juridique qu'est la loi évangélique.

Autrement dit, toute liberté morale est spécifiée par *sa fin*: elle est bonne ou mauvaise (*iusta* ou *iniusta*) selon qu'elle est conforme à la fin naturelle ou surnaturelle de l'homme.

N. B. Un certain personnalisme, issu de l'existentialisme, vide l'exercice de la liberté de tout son contenu, pour le réduire à une pure spontanéité, appelée authenticité ou sincérité, qui seule aurait la valeur morale. Adopter une telle position serait renier le fondement même de la morale chrétienne.

L'exercice de la liberté, considéré comme norme au sens juridique, est une valeur contenue dans le bien commun de tous les hommes ou bonum humanum, dont chaque personne est une partie, donc une réalisation concrète. Ce bien commun édicté par l'autorité de Dieu Créateur et Rédempteur, est en définitive sanctionné par sa souveraineté suprême.

Il s'en suit que la liberté religieuse est un droit contenu dans le bien commun sous son aspect de norme juridique, et limité objectivement et ab intrinseco par ce bien commun tel qu'il est exprimé dans la loi naturelle et dans la loi surnaturelle.

La loi surnaturelle de charité n'étant pas contraire à la loi naturelle, mais en continuité avec elle et l'achevant, le droit à l'exercice de la liberté religieuse dans les limites de la loi naturelle et du droit naturel est un vrai droit, tant dans l'ordre naturel que surnaturel, car il exprime concrètement la loi naturelle et, ce faisant, conduit et prépare à l'exercice plénier de la liberté morale, religieuse surnaturelle.

Le bien commun spécifie donc toujours le droit. Mais par bien commun on entend habituellement deux réalités différentes: le bonum humanum, ou vrai bien commun de tous les hommes; le iustum sociale.

Le bien commun proprement dit a pour contenu l'ensemble des valeurs qui intègrent la perfection de la personne humaine vivant en société. Ce bien commun comprend à un plan les valeurs de la nature humaine telle que Dieu l'a voulue en la créant; à un autre plan, les valeurs surnaturelles de l'humanité restaurée en Notre Seigneur Jésus-Christ, dont la participation concrète par chaque personne humaine est l'objet de la vocation divine surnaturelle. Ces valeurs sont donc un donné *antérieur* à toute action humaine. Ce bien commun est dit également bien

commun immanent aux hommes vivant en société car il ne se réalise concrètement qu'en eux et constitue leur perfection.

Ce bien commun fonde la loi naturelle ou surnaturelle absolue, selon laquelle tout homme et le droit d'éliciter librement un acte moral spécifié par sa fin naturelle ou surnaturelle.

Ce bien commun proprement dit est l'objet soit de l'amour social, soit de la charité politique.

A ce bien commun humain proprement dit, immuable, est ordonnée une organisation juridique qui règle concrètement l'agir social commun des hommes vers ce bien commun humain proprement dit. Cette organisation juridique ou iustum sociale est également désigné dans le langage courant par l'expression bien commun, car elle traduit concrètement la poursuite et la réalisation du bien commun proprement dit dans une situation donnée. De fait, le iustum sociale est un vrai bien commun, mais un bonum utile (non un bonum honestum), véritable iustum medium en vue de la fin et objet d'une vraie justice sociale dominée par la prudence politique.

En raison des situations de fait, variables selon les temps et les circonstances, le iustum sociale prend spécialement appui sur l'une ou l'autre valeur objectivement contenue dans le bien commun et que l'on considère comme la plus apte hic et nunc à promouvoir l'ensemble des valeurs connexes qui toutes ensemble constituent le bien commun proprement dit.

Quand le bien commun humain proprement dit, objet de la croyance et de l'enseignement de l'Eglise, était l'objet de la conscience commune universelle formant une chrétienté dans un monde homogène, il avait priorité de fait sur le iustum sociale. Le iustum sociale était alors au service immédiat du bien commun proprement dit dans ses normes juridiques. Cette relation du iustum sociale au bien commun proprement dit est la meilleure qui puisse exister; aussi, l'Eglise n'a-t-elle cessé de la défendre (cf. de récents Concordats).

Maintenant, cette conscience universelle n'existe plus. Les hommes de bonne volonté se trouvent de plus en plus troublés par la diversité des croyances religieuses avec laquelle la multiplicité des relations internationales et l'information de notre temps les mettent en contact.

Enfin, l'Eglise se trouve de plus en plus en conflit avec des sociétés temporelles et terrestres qui vident le contenu du bien commun qu'elles ont charge de promouvoir de toute valeur éthique et religieuse et tendent à nier à la valeur sociale de la vie religieuse ou bien à la reléguer dans le domaine des opinions libres.

Sans rien renier de sa doctrine, qui affirme que le salut de l'humanité ne peut venir que de Jésus seul et de l'insertion implicite ou explicite de chaque personne à son Corps Mystique, la Sainte Eglise, dans la ligne de sa doctrine sociale, réaffirmée solennellement et de façon homogène par tous les Souverains Pontifes, de Pie IX à Paul VI, met davantage en lumière son enseignement sur la valeur de bien commun entendu comme ci-dessus, au sens d'organisation juridique, comme bien commun international.

Et dans cette perspective, il peut apparaître prudent à l'Eglise de considérer l'une des valeurs faisant réellement partie du bien commun, la liberté individuelle, comme la plus apte, en devenant contenu d'une norme juridique, à ordonner concrètement les droits des individus et des sociétés. Dans le monde actuel, en

effet, aucune autorité ne reconnaît l'Eglise comme l'ultime instance juridique déterminant le bien ou le mal, le iustum et l'iniustum. De plus, la situation concrète de l'homme est déterminée par le péché originel qui le rend plus soucieux de son bien propre que du bien commun. Enfin, l'œuvre salvifique du Christ ne rachète la nature humaine que par insertion personnelle de chacun au Corps Mystique.

La liberté personnelle, valeur du bien commun humain proprement dit, apparaît alors à l'Eglise comme la valeur-clé de l'organisation juridique au iustum sociale. De la sorte, l'Eglise ne fait pas un choix qui exclue les autres valeurs intégrantes du bien commun humain proprement dit: la liberté étant le propre d'une nature raisonnable exprime bien le tout de l'homme. Comme elle implique la connexion avec toutes les valeurs humaines, elle ne peut s'entendre correctement sans ces valeurs. Mais ce principe d'organisation juridique à partir de la liberté doit toujours être considéré par rapport au bien commun dont il est un des aspects et qu'il a pour finalité de pourvoir: aussi est-il un principe *analogique,* dont l'application concrète est différente dans chaque cas.

En résumé, il ne s'agit pas de liberté comme *nature,* de soi moralement indifférente et qui n'est donc pas objet de *ius.* Il s'agit de liberté comme acte, qui a donc une fin moralement bonne ou mauvaise; celle-ci est son objet qui la spécifie comme être moral en lui donnant sa forme ou contenu: une liberté sans contenu est aussi absurde qu'une ligne sans direction déterminée.

Il s'agit ensuite du *droit* à l'exercice d'un acte libre. Qui dit droit, dit relations interpersonnelles, donc vie en société.

A moins d'être anarchique, la vie en société est finalisée par un *bien commun,* lequel est le formel de la société: une société est caractérisée par son bien commun.

N. B. « Droit et Juridique » s'entendent non dans le sens d'un pur formalisme juridique, mais d'un vrai *ius*; ils sont donc dans l'ordre éthique et ont valeur réaliste.

Enfin, tout bien commun est *donné* par quelqu'un qui a *autorité* pour fonder la société, promouvoir l'action de tous vers le bien commun, sanctionner les manquements au bien commun.

L'*autorité* divine, en créant et rachetant la nature humaine, dont chaque personne, sujet de droit, est membre, fonde un bien commun: la nature humaine libre, appelée à la vision béatifique. Cette même autorité divine s'emploie à promouvoir ce bien commun par sa grâce et son gouvernement, elle le sanctionne par la récompense ou la damnation. (Dieu Rémunérateur est objet de connaissance religieuse naturelle).

Outre ce bien commun proprement dit, donné, antérieur à tout agir humain, il existe, dans toute société, et en particulier dans le genre humain comme société internationale, une organisation juridique, ordonnant l'agir individuel en vue du bien commun proprement dit et participant, comme le moyen à sa fin, de sa bonté transcendante: *bonum diffusivum sui.* C'est pourquoi « bien commun » est un terme analogique qui s'applique tant au bien commun proprement dit qu'au bien commun iustum sociale ou organisation juridique à partir d'une valeur du bien commun proprement dit, considérée comme fondamentale.

Au niveau du bien commun, organisation juridique, dans un monde divisé de croyances, il est prudent [1] d'affirmer et de promouvoir le libre exercice de la croyance religieuse, c'est-à-dire l'absence de toute coërcition dans l'exercice de la

liberté, comme une valeur juridique, partie intégrante d'un ordre juridique international.

Une telle liberté limitée concrètement dans son exercice par le contenu du bien commun proprement dit favorise la découverte de ce vrai bien commun humain, la paisible vie en société des individus et des nations et peut hâter la réalisation du royaume de Dieu, l'Eglise.

---

[1] On entend par prudence la vertu morale au sens strict qui, finalisée par le vrai bien et informée par la charité, ordonne les moyens en vue de la fin dernière.

107

EXC.MUS P. D. VICTOR IOSEPH REED
Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

I wish hereby to petition the Holy Father, through the Secretariat for Promoting Christian Unity, that the text of the schema on "Religious Liberty" which was distributed to the Council Fathers just before the end of Session II be retained as the official basis of further conciliar discussion and/or declaration.

As a recommendation, I wish to say that the historical responsibility for religious intolerance cannot be placed entirely at the door of the civil authorities. Certainly the Church and our separated brethren share this responsibility (*Introduction,* § 2).

108

EXC.MUS P. D. ALEXANDER CAROLUS RENARD
Episcopus Versaliensis

Je propose: 1. la suppression du par. 2, pag. 4. Il me semble périlleux d'aborder la question historique: il faudrait tellement de nuances pour la traiter correctement! Puis, un Concile n'a pas à faire de l'histoire, mais de la doctrine et de la pastorale;

2. une nouvelle rédaction du par. 12, pag. 14-15. Ce paragraphe est trop négatif. Les citations (*Mt.* 12, 38-39; *Io.* 6, 30-33) ne se rapportent pas à la question de la liberté religieuse.

Page 15, lignes 14-15-16, pourquoi cette insistance sur l'action coërcitive et les artifices inadmissibles? Ne vaudrait-il pas mieux insister sur la Vérité du Christ proposée au cœur libre de l'homme pour qu'il se convertisse? Des courants de pensée, dans l'Eglise, soutiennent que l'apostolat ne vise pas à la conversion au Christ, mais n'est qu'un témoignage! ce qui est contraire au donné révélé.

On aimerait voir clairement dans le texte: 1. que c'est « la Vérité du Christ qui délivre, qui libère »; 2. que la liberté, en germe en tout homme, est appelée à une *libération* progressive de l'erreur et de l'égoïsme, par la Foi et la Charité du Christ: on fait comme si la liberté était absolue — et un absolu: elle est relative en tout homme à toutes sortes de déterminismes et relative à Dieu, sa source et sa fin.

109

EXC.MUS P. D. NEMESIUS RIVERA MEZA

Episcopus tit. Diospolitanus superior

... « Ut decreta Concilii ab omnibus, qui responsabilitatem huius muneris habent, cum vigore perficiantur eoque modo ad adipiscendam novae funditus vitae formam contribuant ». Ita legitur in Directorio vel Libro Ordinis pro mense martio anni 1965 alicuius dioecesis ut intentio proposita a Pia Unione Apostolatus Orationis, obtenta benedictione B.mi Patris Nostri Pauli VI.

Haec verba sine dubio exeunt a timore, ne finitis Concilii sessionibus plus minusve omnia remaneant, ut antea se praestabant. Hic timor etiam in laicorum circulis necnon sacerdotalium existit. Metu vexantur, ne spes magna mundi terminet infortunio doloroso, immo desperatione, quia Ecclesia, christianismus, Concilium, sunt incapaces afferre mundo reformas urgentissimas ad salvandum eum. Quia revera non desunt, quod negari nequit, inter laicos et sacerdotes personae, quae apertam vel clandestinam resistentiam exhibent cum intentione impediendi aut frustrandi motum progressus modernis fovens in Ecclesia et Concilio.

Francogalli ita appellant: « sabotage ». Sectatores sunt falsi conservatismi non intelligentes etiam Ecclesiam esse submissam legi universali omnium viventium, id est: Crescere, progredi de perfectione ad perfectionem, eoque modo servire hominibus omnium temporum atque culturae inclusae modernorum. Se opponunt agnoscere proverbium quod dicit: « Vox temporis, vox Dei ». Neque admittunt illud romanorum antiquorum: « Tempora mutantur et nos mutamur in illis ». Non possunt se conformare cum exigentiis et postulatibus nostrorum populorum, neque cum novis modis cogitandi. Vivunt in mundis praeteritis videntes pericula in quolibet progressu. Videtur haberi duas classes inter repraesentantes resistentiae et oppositionis. Altera probabiliter nimis commoda est et propterea nolunt molestari nec praeoccupari talibus quaestionibus. Similes huius generis homines sunt « servus nequam » Evangelii, qui se negavit augere cum industria et labore id, quod erat Domini sui. Altera classis multo magis periculosa est. « Oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, manus habent et non palpabunt ». Appellari possunt repraesentantes feudalismi in Ecclesia. Conceptum habent Ecclesiam fataliter erroneum: qui regnis huius mundi est simillimum. Quia obliti sunt eloquium sollemne Domini Nostri Iesu Christi ante Pilatum quod dicit: « Regnum meum non est de hoc mundo ». Obliti sunt, si unquam id noverunt antea, Iesum Christum dixisse: « Pauperibus praedicatur Evangelium ». « Non veni ad sanos et fortes, sed ad infirmos et debiles »... Vitant contactum cum gente modesta, paupere, oppressa, male nutrita, sine protectione, sine spe surgendi ex statu miserabili, in quo degunt vitam suam.

In alia parte haec classis oppositionis praefert se aggregari repraesentantibus potentiae in Statibus huius mundi, discipuli potestatis publicae repraesentantibus pecuniae, id est, discipuli mammonae, necnon repraesentantibus abundantiae, luxuriae, splendoris, in aulis magnorum in statibus suis, sine misericordia in conspectu gentis suae quae suffert inopiam rerum maxime necessariarum cum suis innocentibus liberis. Felices sunt in alta societate grandium et nobilium divitumque admissos esse, eos imitantur et ita habitudo eorumque atque repraesentatio in

publico vix differt ab illa principum regumque saeculorum. Homines pauperes, modestos, sine recursibus ne quidem habent occasiones videndi eos. Si forte id contingat, i. e., si, casus exceptionis, recepti sunt, quam celerrime dimittuntur vel reiiciuntur. Contrarium fit in casibus visitationis a viribus vel mulieribus circulorum altium divitumque factae. Hi qui defendunt dignitatem hominis eiusque iura et libertatem, imprimis libertatem religiosam, scandalo eis sunt permagno atque indignationi. Ab iis mundus in vanum spectat salutem et solutionem tantarum quaestionum maximi momenti, nostrorum dierum. Non possunt neque volunt responsum dare positivum angustiis populorum. Conservare « statum quo » est pro illis valde commodum et hoc adulatur suis passionibus, fami passionique dominandi, quia quaerunt continuare quam possibile fruentes bonis huius mundi. Praedicatio « nuntii boni », id est Evangelium eorum non interest. Pro eis eloquia, exemplum mandataque Christi non existere videtur.

Hic iacet et quaerendum periculum urgens, quod minatur destructionem laborum hominum bonae voluntatis nostris temporibus. Non debemus esse caeci; influentia eorum permagna est et valde realis et propterea timenda. Persuasi enim sunt magis efficacem esse vim et coactionem quam dare libertatem personalem et religiosam ad conservandam et propagandam religionem christianam. Quid id significat, sapimus ex libris historicis Medio Aevo tractantibus.

Quid faciendum est contra illum spiritum negationis et oppositionis adversus reformas Concilii, in primis contra libertatem religiosam, quam mundus ubique terrarum exspectat iudicans eam esse postulatum primordialem et principalem iustitiae, indispensabilem. Experientia docet magnam partem laicorum inter christianos, immo non christianos in totalitate, aestimare eam tamquam bonum psychologicum biologicumque quod nemini hominum possit negari. Ideoque dicimus, laici debent esse admissi tamquam collaboratores et defensores libertatis religiosae, ubicumque de hac materia discutitur et dimicatur.

Praelati et omnes institutiones religiosi generis nullo modo possunt esse pro se ipsis unici factores decisivi istius quaestionis occupantis totum mundum. Sunt laici permulti, qui passi sunt terribiliter privati donorum libertatis religiosae. Iustitia exigit ut audiatur eorum vox.

1. Clerus: iam studiis et praeparationi sacerdotum saecularium et regularium dari debet maximum momentum. Lamentabiles notiones, ignorantia et mala traditione causatae debent eliminari. Voluntas Dei est libertas. Actitudines contrariae coactionis sive violentiae sunt contra intentiones claras et graves Summi Creatoris. Is qui fecit et homines et animalia, dedit hominibus libertatem eligendi inter bonum et malum. Animalibus hoc privilegium negavit. Suum quique. Cf. Eloquium Domini Nostri Iesu Christi: « Ierusalem, Ierusalem quoties ..., tu autem noluisti ». « Nolite iudicare, ne vos iudicemini ».

2. Id quod in Seminariis et Universitatibus theologorum inceptum fuit, continuari debet in reunionibus pastoralibus, exercitiis saltem annualibus, in periodicis ad manus omnium clericorum destinatis et cuiusque indoles, in visitationibus officialibus et inspectionibus in parochiis obligatoribus, in missionibus popularibus. Proclamatio doctrinae huius, id est iurium primi ordinis hominum, alliciebat in primis annis et saeculis christianismi servos, soldatos, egentes, totum genus miserabile. Et conversi sunt et mortui sunt martyres Ecclesiae, fundamentum fiebant laicum igne et sanguine erectum et perenne et exemplum fovens grandes motus mundiales christianismi. Ecclesiam duxerunt ad victoriam super Statum quasi om-

nipotentis Imperii Romani. Id consecuti sunt sine armis, sine militibus et exercitibus, sine machinis belli mortalibus. Defenderunt libertatem religiosam necnon Evangelii usque ad mortem voluntariam.

3. Via correctionis. Mentionari debet existentia erroris fatalis, infelicis. Invenimus in mentalitate christifidelium, catholicorum et non catholicorum, convictionem falsam, secundum quam unitates religiosas et partes politicas non praestant differentiam notabilem inter se. Attamen bene distinguendum est. Religio est aliquid spirituale et divinum, plusminusve relatio et unio inter Deum et hominem. In consequentia eiusdem indolis est, etiam relatio inter hominem et omnes mortales, qui sunt filii Dei et fratres omnium. Ideoque religio agit similitudine Dei nostri et ita debet agere. Deus diligit omnia, quae creavit. Aequo modo membra religionum amare debent omnia, in primis omnes homines, filios Dei, sine exceptione. Cf. « Diligite inimicos vestros ... non tantum amicos, sympathicos ». « Orate pro calumniantibus vos ... ». Partes autem vel unitates politicae sunt uniones egoismo collectivo inspiratae et conductae, felices, si possunt damna infligere rivalibus suis, id est, aliis partibus. Feliciores sunt, si possunt sibi ipsis parare quam maxima emolumenta, potentiam, influentiam etc., frequenter agunt sine scrupulositate quoad media adhibita. Ista est essentialis differentia inter religiones et partes politicas. Responsabiles ecclesiastici laicique bonae voluntatis habeant ante oculos suos munus difficillimum et laborem ad consequendam transformationem mentalitatis egoisticae, quae deformat faciem relationemque populorum et religionum ubique terrarum. Non desunt apta remedia ad corrigendum istum errorem qui attingit essentiam ipsam et vitam christianismi. Talia remedia sunt exercitia spiritualia, missiones, instructiones speciales datae christifidelibus in parrochiis. Ut experientia docet: iuventus, masculina et feminina, avide doctrinam rectam acceptare maxime parati sunt eamque ad diffusionem et effectum producere. Proh dolor, personae in numero nimis magno, provectioris aetatis, solum cum difficultate converti possunt propter falsam educationem et habitudinem usque adhuc conservatam.

Concludo. Totus orbis terrarum spectat hodie Romam et ad venerabiles Patres Concilii. Schema nostrum libertatis religiosae, ut est libertas in sensu generali, est thema discussionis ubique, cum passione ventilatum, ubique altissime aestimatum eiusque solutio positiva vehementer desideratum.

Deceptio reapse esset terribilissima omni in humanitate, si Concilium in ista materia, cui omnes attribuunt maximum et definitivum momentum, daret responsum negativum. Spes et expectatio ardent in cordibus omnium, amatissimi Patres conciliares. Plus quam quattuor saecula praeterierunt, quando defectio ab Ecclesia accidit maxima, incomprehensibile dictu! Quia factores responsabiles ecclesiastici non intenderunt signa illius temporis.

Num debet ille casus tristis, horribilis repeti? Ne obliviscamur!

Quaestione tanti momenti bene soluta mundus gaudenter gratias acturus erit Concilio atque Ecclesiae, paratus, decisus ad quaerendum serium dialogum et ad consequendam unionem fraternalem christifidelium, quae omnibus curae est.

110

EXC.MUS P. D. HECTOR RUEDA HERNÁNDEZ
Episcopus Bucaramanguensis

Declaratio circa libertatem religiosam, quae in principio necessaria dicenda est, redacta ea forma quae in textu emendato nunc prostat, fere in omnibus satisfaciens dicenda videtur.

Praecisiones tamen quaedam adhuc spectantur. Nam in re tam salebrosa et discussionibus obnoxia, maxima claritas et determinatio exigitur. En e. g. quaedam quae acclaranda videntur:

1. In textu emendato fol. 6, n. 3, linn. 33-34 dicitur: « ... haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum *hodiernum* libertatis religiosae... esse in se honestum... ». Quod quidem verum est et iuremerito dicitur, si agitur de regimine illo sensu supra exposito. At non valet de regimine hodierno libertatis religiosae vigenti in quibusdam regionibus uti in Unione R. S. Sovietica (cf. Constitutio 21 ianuarii 1937 per legem 25 febr. 1947 modificata, art. 128).

Quapropter dicendum videtur: « Regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, sensu supra exposito intellectum ».

2. Cum in quibusdam regionibus adhuc vigeat regimen iuridicum confessionalismi status, cumque tale regimen, servatis servandis, stare simul possit cum regimine libertatis religiosae (fasc. pag. 38, n. 4), textus emendatus hac in re completandus videtur. Ita resistentia contra schema minuetur et graves difficultates in futuro vitabuntur.

Quod si hoc admittitur, putamus additionem reduci posse ad haec verba clarissimi relatoris De Smedt, quae in eodem fasciculo leguntur: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate ubi catholici numero praevalent... » etc., usque ad verba « ... dummodo ipsa liberam queat ducere vitam » (fol. 29-30).

Additio haec forsan quibusdam minus diplomatica apparebit, at sinceritate absque dubio praevalebit.

[*Subscripsit etiam*] P. Rivera Mejía, ep. Soccorro y San Gil.

111

EXC.MUS P. D. IOSEPH RUOTOLO
Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Textus emendatus schematis *de libertate religiosa* generatim placet, quia rem pertractat maiore amplitudine argumentationum quam textus prior, et quia rationem habuit emendationum a Patribus prolatarum. Nihilominus tres animadversiones, meo humili iudicio, nunc faciendae videntur.

1. Textus affirmat, et peropportune quidem, rei publicae defendendum esse et agnoscendum liberum exercitium religionis omnium civium.

Sed, quando improbat agendi rationem Status qui velit religionem dirigere

vel comprimere, mihi videtur textus magis sollicitus esse ad improbandos Status qui religionem imponant quam Status qui eam comprimant.

In n. 2, sub finem, ubi dicitur « primum est hominis ius ut sit in re religiosa immunis a coercitione... » opportunum videtur addendum « et a persecutione... ».

2. Saltem ter affirmatur exercitium libertatis religiosae limites habere, praeterquam ex iuribus aliarum personarum, ex exigentiis ordinis publici.

Sed, quamquam periti, rationem habentes emendationum a Patribus prolatarum, adnisi sunt formulas invenire — uti declaravit exc. relator De Smedt — quibus potestates publicae religioni hostiles abuti non possent ad iustificandum inadmissibilem repressionem vitae religiosae, tamen mihi videtur periculum permanere falsae interpretationis.

Quare, n. 5 vel enucleatius explicandus, praesertim in par. *b*), vel omnino auferendus una cum expressionibus, quae exstant in n. 4, par. *d*) et *e*) « ... salvo ordine publico..., salvis tamen exigentiis ordinis publici... ».

3. Quando, in n. 7, agitur de libertate communitatum religiosarum in publice docenda vel testanda sua fide, iure meritoque etiam damnatur quidquid coercitione vel suasione inhonesta aut minus recta sapit.

Sed locutio illa « ... praesertim quando de pueris vel rudioribus agitur » nonne ansam praebet omnibus atheis qui velint doctrinam christianam, et ipsam Baptismi administrationem, tradendas non esse pueris, quia hi libertate electionis nondum gaudeant?

112

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus Oenipontanus

N. 2, pag. 4-6, tractat de re historica, sed minus accurate.

1. Fundamentum falsum non semper erat autonomia absoluta, sed saepius doctrina de aequalitate religionum sicuti ex ipso Syllabo, thesis 15-18 (Denz. 1715-18) elucet. Nec notula 6 (pag. 4, lin. 31) probat, quod probandum esset.

2. Ex sententia pag. 5, linn. 13-14, effluere videtur, in Syllabo simpliciter de damnationibus absolutis agi, de qua re viri in historia probati cautius iudicant. Cf. Roger Aubert, *Der Syllabus von 1864,* in *Stimmen der Zeit,* 1964-65, I, pp. 14-17, et praesertim Denz.-Schön., p. 576, nota ad syllabum, ubi scribit: « Valor singularum propositionum dimetiendus est secundum valorem fontis (Epist. encycl., Litt. Ap., Alloc.) cuius etiam contextus respici debet, ut earum sensus praecisus inveniatur. Patet quaedam propositiones indolis magis iuridicae vel ecclesiastico-politicae nimirum condicionibus illius temporis debitas esse ». Quae sententia inspectis thesibus 76-78 (Denz. 1776-78) facile elucet ita ut in syllabo nonnumquam magis de aliqua agatur regula practica, quae in certis circumstantiis valet, quae tamen hodie iam non habentur.

Unde propono, ut hic textus n. 2 a viris in historia peritis reficiatur, vel saltem ut sequenti modo mutetur:

1. Pag. 4, n. 2, linn. 24 ss.: « Nitebatur in diversis fundamentis, sive in doctrina de absoluta autonomia individuali sive in doctrina de perfecta aequalitate religionum. Ex hisce placitis philosophicis derivata est necessario notio libertatis

religiosae, in qua relativismus et indifferentismus in re religiosa iacebat » (sine notula 6). Et reliqua.

2. Pag. 5, n. 2, linn. 13-14: « Ex hisce praemissis utraque damnatio intelligenda est » (sine notula 11). Et reliqua.

Sequens autem doctrina philosophica et praesertim theologica bona et optima dicenda est.

113

Exc.mus P. D. IOANNES RUSSELL
Episcopus Richmondiensis

Schema novum declarationis *de libertate religiosa* valde placet, attamen haec animadversiones offero:

1. Quaestio historica, pag. 4, n. 2. Haec quaestio historica melius ad notam remitteretur quia est valde complexa et breviter absolvi non potest. Praeterea totum onus intolerantiae religiosae non imputari debet solummodo auctoritatibus civilibus sed Ecclesia hodierna debet declarare se multorum paenitere delictorum, quae saeculis peractis patrata sunt contra libertatem religiosam ab hominibus Ecclesiae vel in nomine Ecclesiae.

2. Munus Ecclesiae IV, n. 13. Textus gratuito controversiam theologicam introducit de certo limite Ecclesiae auctoritatis legem naturalem docendi.

Tamen adversus has observationes supra dictas quaeso ac spero quod haec declaratio *de libertate religiosa* retineatur ut basis declarationis conciliaris.

114

Exc.mus P. D. ANTONIUS SAMORÉ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

In genere, textus emendatus longe melior est quam prior; sed adhuc nonnullae emendationes postulantur, iuxta modos quos infra propono:

Pag. 5, lin. 37: omittatur vox « naturalia »: est quidem vox ambigua, quia videtur limitare munus auctoritatis publicae ad protegenda iura civium quae directe oriuntur ex iure naturali, non ad alia, sicut iura quae oriuntur ex contractu.

Pag. 6, lin. 3: omittatur « praesertim ». Lin. 15: Ecclesiae *catholicae* custodiendam.

Pag. 7, linn. 1-15: omittantur omnino verba quae continentur in hac prima paragrapho. Etenim, nihil adhuc dictum est de interiore hominis personali libertate sed tantum de iure hominis esse immunis a coactione civilis potestatis in re religosa. Revera caret paragraphus clara distinctione inter libertatem physicam et libertatem moralem.

Pag. 7, lin. 31: addatur: « nisi hae persuasiones ordini publico adversentur » (nam si expressio persuasionum favet communismo vel destructioni gubernii, potest supprimi a potestate civili).

Pag. 7, linn. 32 ss. Argumentum expositum in *c*) non caret difficultatibus: etenim, videtur continere commixtionem libertatis physicae et moralis. Homo quidem habet libertatem physicam ad actus interiores religionis ponendos; non vero habet libertatem moralem (nisi mere subiectivam) ad hos actos ponendos, si mali sunt (e. g. adorationem falsi numinis).

Saltem, proinde, omittantur verba: « sua ipsorum indole » (pag. 8, lin. 3).

Pag. 8, lin. 19: omittatur « absolutum », et addantur verba: « nisi publico ordini obstet ». Lin. 24: omittatur: « maxime ».

Pag. 9, lin. 20: addatur: « caritatem ».

Pag. 10, lin. 19: « ut ius personae humanae ad immunitatem a coactione ex parte auctoritatis civilis in praxi religionis in omnibus... » (loco: « ad libertatem religiosam »).

Pag. 11, lin. 13: addatur: « salvo ordine publico ».

Pag. 12, lin. 5: « ius ad immunitatem a lege civili in ordinanda religiosa vita sua domestica » (loco: « ad libere ordinandam... »). Lin. 8: « eadem immunitas ad determinandam... ». Lin. 11: « eadem immunitas in eligendo... ». Lin. 19: « Praeterea, in dignitate humana fundatur ius... » (loco: « in natura hominis sociali atque in ipsa natura religionis »).

Pag. 13, lin. 27: « ut vera immunitas a lege civili » (loco: « ut verum ius »).

Pag. 14, lin. 8: « ex parte civilis potestatis » (loco: « humanae »).

Pag. 14-15, linn. 12 ss.: non praesentatur completa veritas de modo agendi Christi ad discipulos alliciendos. Impressio datur quod ille nunquam adhibuit coercitionem vel minas: quod falsum.

Pag. 17, lin. 16: « ut immunes ab omni coactione ex parte auctoritatis civilis » (loco: « ut libere »).

115

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN
Archiepiscopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 1, pag. 3, comma primum. Non est conscientia dignitatis personae, sed ipsa dignitas personae quae exigentiam libertatis statuit.

N. 1, pag. 3, comma secundum. « Communiter hodie intelligitur ». Declaratio definiat libertatem religiosam; Concilio digna haec locutio non est.

N. 1, pag. 4, lin. 6. Ponatur « respectum » pro « tutelam ».

N. 3, pag. 6, comma secundum. « Cum igitur Ecclesia incumbat munus, ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur ». Non est « munus » Ecclesiae et non pertinet proprie Ecclesiae libertati patrocinari.

N. 3, pag. 6, comma secundum: « ... regimen iuridicum hodiernum libertatis ». Quale regimen? Diversum est a statu ad statum; a persecutione in actu ad veram et plenam libertatem.

N. 6, pag. 10, comma primum: « civium aequalitas ». In Concordato intra Sanctam Sedem et Italiam statuitur ne sacerdotes apostatae in scholis publicis doceant.

N. 7, pag. 11, comma quartum. In fide religiosa spargenda abstinendum est ab omni coercitione, suasione inhonesta aut minus recta praesertim quando agitur

de pueris et rudioribus. Sed sine coercitione et suasione minus recta ludimagister, professor vel educator in scholis et institutis publicis alendis orphanis et pauperibus destinatis potest aperte haeresim diffundere. De quo hic clarius providendum est ne eveniat.

116

EXC.MUS P. D. ANDREAS ŠAPELAK
Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Observationes generales: 1. Admitto necessitatem vel saltem magnam utilitatem nostris temporibus declarationis conciliaris *de libertate religiosa.*

2. Generatim placent ea omnia quae de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa asseruntur.

3. Schema nimis theoretice, philosophice ac historice, potius quam pastoraliter ac realiter de libertate religiosa pertractat.

4. Declaratio conciliaris *de libertate religiosa* debet loqui principaliter et primarie de iure Ecclesiae Evangelium omni creaturae praedicandi.

Conditionibus autem Ecclesiae aetate nostra inspectis, explicite et fortiter condemnanda sunt systemata politica atheismum uti doctrinam profitentia, quae missionem Ecclesiae vi ac violentia impediunt, ipsamque existentiam Ecclesiae Christi potenti apparatu statali oppugnant usque ad eiusdem totalem destructionem.

5. Mirum et incomprehensibile permultis hominibus evadit, quod Patres Sacrosancti Concilii Vaticani II ex una parte populum iudaicum a persecutione « razziali » iuste et quidem tam aperte defendentes, ex altera autem parte notissimas ac crudelissimas persecutiones religiosas, quas millia millium fratrum nostrorum iam a pluribus decenniis patiuntur, prudentiali quodam silentio praetereunt.

Propositiones: 1. Conficiatur nova pars schematis — et quidem principalior — sub titulo e. g. « De iure Ecclesiae Evangelium omni creaturae praedicandi ».

Necesse est ut Ecclesia in documento conciliari tempore gravissimarum persecutionum vindicet sibi ius ad libertatem, idemque ius omnis personae ac communitatis ad libertatem in re religiosa strenue defendat.

2. Exponatur in hac parte schematis hodierna condicio Ecclesiae Christi in regionibus, ubi iura Ecclesiae a civili potestate atheistica conculcata sunt, ubique millia millium christifidelium una cum episcopis ac sacerdotibus persecutiones pro Christi nomine patiuntur, et novae generationes a mediis ad salutem aeternam adsequendam violenter privantur.

3. Inserantur in schemate *de libertate religiosa* verba SS. Domini nostri Pauli Papae VI, feliciter regnantis, quibus ipse Romanus Pontifex in Allocutionibus ac praesertim in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* dolentem statum Ecclesiae Christi sub regimine atheistico denuntiat.

4. Invitentur denique omnes christiani una cum omnibus hominibus in Deum credentibus ut viribus unitis violentiae atheismi militantis firmiter et concorditer resistant.

Si totus mundus exspectat declarationem conciliarem *de libertate religiosa,*

eam specialissimo modo exspectant fratres nostri episcopi, sacerdotes ac fideles qui pro Christo persecutionem patiuntur. Ipsi a Concilio defensionem ac liberationem sperant. Utinam ipsum multum conferre possit, ut vera et sincera libertas religiosa pro omnibus hominibus in toto orbe terrarum regnet.

117

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE
Episcopus Urawaensis

Ad n. 4, pag. 8, lin. 20: Post verbum « conscientiae » addatur « Hoc etiam valet pro iis qui inculpabiliter ad Dei expressam cognitionem non perveniunt ». *Ratio*: ut explicite habeatur ratio eorum qui Deum et legem divinam ut talem nesciunt uti e. g. Buddhistae et atheistae. Alioquin totus contextus valere videtur solummodo pro iis qui Monotheismum profitentur.

118

EXC.MUS P. D. MAURITIUS SCHEXNAYDER
Episcopus Lafayettensis

Per hanc interventionem scriptam, nos, inscripti, petimus ut declarationem *de libertate religiosa,* in III sessione Concilii praesentatam, in substantia sua retineatur.

Haec declaratio sicuti nunc est doctrinam sanam et claram continet et omne periculum indifferentismi evitat.

Porro, mundus talem declarationem de Ecclesia expectat.

[*Subscripsit etiam*] W. Baudreaux, aux. Lafayette.

119

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Quae art. 4, lit. a, ad probandam libertatem religiosam in societate ex integritate personae proponuntur, mihi — ni fallor — ancipiti quodam ductu procedere videntur.

In conclusione etenim (quae phrasi continetur incipiente verbis: « Ergo iniuria homini fit ... ») libertas religiosa quoad exterius exercitium, ut ita dicam, *personale* vel potius *individuale,* in societate peragendum, affirmari videtur. At ex indole sociali hominis, quae uti fundamentum argumentationis assumitur, deductio non « in recto », ut mihi videtur, sed « in obliquo » tantum fit ad exterius exercitium personale religionis — utpote scil. inclusum in exercitio *sociali,* i. e. in communione cum aliis facto; quod exercitium sociale, tanquam ius hominis, « in recto » ex eius indole sociali deducitur.

Unde clarius mihi videtur procedere probatio, si super fundamento naturae socialis, quae hominis propria est, struatur immediate argumentum pro iure ad exercendam religionem in communione cum aliis, in quo iure aperte inesse ipsum religionis exercitium externum negare nemo potest.

Argumentum hoc fere modo procedere posset: « Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde ipsi non solum inclinatio, sed ius nativum inest, ut ea quae eius intersunt sociali congregatione procuret, sive ad id ex necessitate ineluctabili, sive ex studio utilitatis adducatur. Huic iuri nativo iniuria fit, si quis homini personalem solam libertatem interiorem in re religiosa agnoscat, at ei libertatem actionis communis seu socialis in re religiosa deneget. Cum autem actio socialis seu communis religiosa absque exercitio religionis externo concipi nequeat, liberum exercitium religionis ius naturale hominis in societate constituit ».

120

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purwokertensis

1. Consentio eis qui opinantur, quod declaratio de libertate religiosa, *non* tantum sit aliqua iteratio « Edicti de Nantes » aut quaedam declaratio tolerantiae practicae, forsan cum theoria quondam praeposita « Theseos et hypotheseos », sed declaratio clara et theologice fundata de libertate *hominis* etiam conscientiae erroneae, ad libere consentiendum conscientiae sua formata quamquam in re sit erronea (subiective/obiective).

Id quod non est idem ac agnoscere « Ius erroris », tamquam systema theoretica quod semper cum omni et aequali libertate impugnari potest, sed *semper* et *ubique* agnoscere *libertas hominis* sub Deo.

Veritas defendit et liberat seipsam, non indiget coactio physica, immo eam repellit, quamquam in historia humanitatis quaedam ductio et defensio « conscientiarum rudium/non formatarum » ius existendi habere patet.

2. E contra, quamquam in genere consentire volo cum « textu emendato » proposito tamquam « aggiornamento » his in rebus, textus mihi adhuc « perfectibilis » videtur.

Quamquam libertas-personalis/collectiva in rebus religiosis « de iure hominis » agnoscenda sit, quia aut veritas obiectiva non sit nota/agnita, aut complexum veritatis semper sit « de Mysterio vitae et salutis », libertas religiosa est complexa et implicat iura *et* obligationes, ambae innixae « dignitati personae humanae sub Deo ».

Inde rogamus ut in declaratione *etiam* evolvetur « praxis libertatis mutualis » cum exigentiis tolerantiae, respectus mutui, damnatio mendacii in commeatu privato et communali, damnatio mendacii historici, damnatio coactionis physici vel moralis iniustae, insuper cum exigentiis caritatis mutualis in societate humana etc. in mediis communicationis socialis. Ne declaratio « libertatis » sit excusatio anarchiae mentalis vel libertinismus moralis. Caveant consules.

121

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHOISWOHL
Episcopus Graecensis-Seccoviensis

1. Pag. 8, lin. 26 post verba « salvo ordine publico » deleantur verba « qui partem essentialem totius boni communis constituit ».

2. Pag. 8, lin. 28 deleantur verba « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut praecipue vi coercitiva legis protegatur ». *Ratio*: ordo publicus sensu stricto comprehendit totum bonum commune.

3. Pag. 9, lin. 7 loco « Ipsa » dicatur « Potestas publica ». *Ratio*: ne « Ipsa » referatur ad praecedens verbum « Libertas ».

4. Pag. 9, lin. 9 loco « quovis modo » dicatur « iniuste ». *Ratio*: *a*) Bonum commune (publicum) etiam res religiosas respicere debet. *b*) Quid fieret de « quaestionibus mixtis » inter potestatem publicam et ecclesiasticam?

122

EXC.MUS P. D. ALFREDUS SILVA SANTIAGO
Archiepiscopus tit. Petrensis in Palaestina

Uti omnes norunt, post primam, post secundam, post tertiam Concilii Vaticani II insoluta quaestio illa, gravissima equidem ac vexata, *de libertate religiosa* pendet. Cum igitur, post unam, et alteram, et alteram disceptationum seriem, in pendenti sit solutio, et Concilii consilium in infinitum protrahi nequeat, quae sequuntur observationes facere iuvat:

1. *De titulo.* Notio sic dictae « libertatis religiosae » in numero 28 proponitur. Iam enim: quamplurimis Patribus visum est *titulum* et *conceptum* ab eo expressum difficultates haud paucas gignere. Iure meritoque, quia binomium illud germanam notionem et *libertatis* et *religionis* supponere debet et harmoniam. Et hoc non apparet.

Nec satis fit obiectioni qui respondere velit dicendo quod notio libertatis proposita est « notio vulgaris » seu melius « notio usitata » in loquela hominum hodierna. Concilium *presse* sed simul *proprie* loqui debet, et in proprietate verborum definitiones rerum tradat oportet, ut doctrina procul dubio sit. Iam vero: *notio libertatis* quae apud philosophiam et sociologiam hodie perfunditur est notio *subiectivismum* sapiens sine ullo ordine ad *obiectum* seu finem. Cum igitur in ista notione valde confusa correlatio inter « vim electivam » et « ordinem mediorum in finem » obiectivum remaneat, patet quod non sine causa a quamplurimis Patribus reiiciatur huiusmodi definitio « libertatis religiosae », quia, *sic definita libertate,* eius adiectivatio « religiosa » non determinant nisi *materiam* seu campum in quo illa « libertas » erit exercenda; unde *sequitur* hanc *libertatem* uti *pedisequa.*

Haec *in ambitu pure philosophico* dicta ad ferra brevia praefatam libertatis religiosae notionem trahunt.

2. *De respectu ad doctrinam « de Ecclesia » habendo.* Quum Concilium Vati-

canum II iam constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* promulgaverit, opus est ad ipsius doctrinam respicere, quando *de libertate religiosa* in posterum disceptare velimus.

Iam vero: In illa constitutione palam asseritur quod omnes homines sunt vocati ad « Populum Dei », qui *unus et unicus est,* atque de « missione Ecclesiae » ad evangelizandum mundum, quae quidem missio haud tantum Hierarchiae reservatur omnimode, verum etiam omnibus christifidelibus aliqualiter extenditur (cf. *de Ecclesia,* nn. 13 et 17).

Haec doctrina, abs dubio, censenda est: *a*) cum *doctrina revelata* conformis, prouti in Sacris Litteris manifestissime apparet, ubi de vocatione omnium gentium ad lumen Dei et Christi eius sermo ininterruptus legitur; *b*) cum *doctrina Magisterii* Ecclesiae, quae iterum, perpolita, promulgatur; *c*) cum *doctrina theologica* communi concors, quae semper inter nos docet unam et unicam esse religionem. Tractatus « de vera religione » etiam dici potest constitutio dogmatica *de Ecclesia* a Concilio promulgata.

Tamen, in declaratione *haec* omnino *praetermittuntur,* et praesertim insistit in « iure ad libertatem ».

3. *De fundamentis « libertatis religiosae »*. In declaratione, nn. 29-30, pag. 30-31, agitur de « iure ad libertatem ». *Fundamenta theologica* huius libertatis non clara apparent, ut satis abunde ex disceptationibus inter theologos. *Fundamenta adhibita* in declaratione ad subiectivismum accedunt, et etiam patet quod non omnibus Patribus placent. Addam:

a) debent esse *fundata* in veritate, seu, aliis verbis, in « iure obiectivo et finali », ac praesertim in genuino libertatis conceptu. Et non est sic;

b) debent esse *universalia,* i. e., valoris universalis praerogativam exhibere debent, quoad tempus et quoad loca, non tantummodo hic aut inde valida vel urgibilia;

c) debent esse *oecumenica,* iuxta principia Oecumenismi catholici iam a Concilio promulgata. At mihi oecumenica non videntur si ultima ratio urgendi libertatem est « error subiectivus », vincibilis vel invincibilis — alia quaestio est si circa veritates ad religionem pertinentes error invincibilis dari potest: lux naturalis rationis ipsas invenire potest saltem quoad principia generaliora —: quia, licet hoc verum sit, nempe quod, iuxta doctrinam Ecclesiae catholicae in « errore » sunt, *offensivum* criterium semper est, quia ipsos arguit de errore.

d) Ecclesia haec argumenta unquam adhibuit, argumenta nempe « conscientiae erroneae » ad sua iura libertatis in exercitio religionis vindicanda. Quare pro ceteris coetibus religiosis ipsa proponit?

4. *De « lege amoris » cum « lege veritatis obiectivae » componendis.* En criterium optimum ad solvendam hanc quaestionem. Lex amoris est revera distinctiva lex christianorum, ut ex Sacris Litteris scimus. Iterum constitutione *de Ecclesia* editur, semperque edenda erit (cf. n. 15). Haec fuit lex quam Ecclesia semper docuit ac in praxim reduxit erga alias religiones. Etiam si in communitate civili maior pars religioni catholicae adhaereret, Ecclesia catholica tolerantiam propugnavit. Haec praxis vel maxime laudatur a divo Thoma (cf. II-II, q. 10, a. 12) citra rationes et auctoritatem Sanctorum Doctorum. Unquam quaestio « De bello religioso » introducitur in Ecclesia catholica, quamvis sub hac specie aliquod bellum historicum recenseatur.

Alia ex parte loquimur de *lege veritatis obiectivae*. Haec a Concilio in constitutione *de Ecclesia* explicatur. Explicatur etiam a S. Paulo.

Textus sive Evangelii sive S. Pauli ad iura veritatis obiectivae — Deus est maxima Veritas obiectiva — noti sunt. Haec iura veritatis vindicantur ab Ecclesia in exercitio suae missionis. Quod si in determinatis circumstantiis argumenta theologica, id est, supernaturalia adhibet, pro suis fidelibus adhibet. Pro ceteris, nonnisi argumenta omnibus communia, vi rationis naturalis lumine captu facilia, proponit.

Conclusio: Postquam promulgata constitutio dogmatica *de Ecclesia* necnon decretum *de Oecumenismo* fuerunt, mihi videtur quod declaratio *de libertate religiosa* in Concilio Vaticano II vel praetermitti potest, vel stricte cum constitutione et cum decreto componi debet.

Ad rem sufficiunt quae sancita in praefatis documentis exstant.

123

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ

Episcopus Albasitensis

Schema *declarationis de libertate religiosa,* quod nunc proponitur correctum, et perpolitum quoad formam et quoad substantiam, valde differt ab anterioribus schematibus, longeque illos superat claritate, perspicuitate ac doctrinae veritate et praecisione.

Praesertim laudandum puto quod quaestionem libertatis religiosae ad libertatem naturalem et civilem, seu coram lege naturali et civili, pressius contraxerit.

Sunt tamen nonnulla in textu proposito quae, sive quoad substantiam sive quoad formam, non placent.

Animadversiones ad singula. Titulus. Potius: « De humana dignitate et praesertim de personae ac communitatum in re religiosa libertate civili », vel quid simile. *Ratio*: titulus propositus magis, ni fallor, consonat cum argumento in schemate tractato, eiusque ratione: de dignitate personae humanae nempe ut fundamentum libertatis in genere, omnisque iuris in homine, indeque ut fundamentum etiam libertatis religiosae coram lege civili.

N. 1, linn. 1-12, pag. 3. Aliquae in textu correctiones proponuntur: « Personae humanae *vera* dignitas, cuius homines hac nostra aetate magis magisque conscii fiunt, ita libertates civiles exigit ut ipsi, a Deo mirabiliter conditi ac mirabilius reformati, possint in societate vitam agere homine dignam. Item libertates civiles huiusmodi postulant ... ». *Ratio et notae*: 1. In hac prima numeri paragrapho non bene percipitur ordo et nexus dictorum.

2. Additur verbum « vera », quia plures dantur de facto conceptus dignitatis humanae, quorum aliqui inadmissibiles sunt. Cf. n. 2, linn. 34-35, pag. 4.

3. Verba liturgica proponuntur, ut iam ab initio declaratio expresse inducat verum fontem dignitatis personae in homine historico: creationem nempe a Deo et redemptionem.

4. Postrema verba « In permultis ... stabile regimen » omitti possent: quia inutilis comparatio et quia non semper proclamatio libertatis religiosae laudari potest, quae in publicis constitutionibus Civitatum instituitur.

N. 1, linn. 13 s., pag. 3, et linn. 1 s., pag. 4. In hac secunda paragrapho numeri primi, haec vel similes mutationes proponuntur:

1. Expungantur verba « communiter hodie » in lin. 13, et « percipitur » in lin. 17 par. 3, ac verba « quae nostra aetate generatim agnoscitur » in linn. 10-11, pag. 4.

2. Addatur verbum « personae », in lin. 14: « in dignitate personae humanae ».

3. Addantur in lin. 2 pag. 4 verbum « iniuste » et in lin. 3 verba « recte efformatam ».

4. Addantur verba « in boni communis et publici ordinis tutelam » in lin. 5.

5. Post verbum « determinantur » haec vel similis formula introducatur: « et ut persona humana in illis semper conditionibus versetur in quibus libertatem religiosam convenienter exercere et evolvere queat ».

Unde textus propositus: « Libertas religiosa ( ) intelligitur esse verum ius in dignitate personae humanae ... evadat. Ex huius insuper iuris vi sequitur homines liberos esse seu ... ut scilicet in re religiosa nemo iniuste cogatur ... conscientiam recte efformatam ... norma morali et iuridica in boni communis et publici ordinis tutelam determinantur, et ut persona humana in illis conditionibus versetur in quibus huiusmodi libertatem religiosam convenienter exercere et evolvere queat ». *Ratio*: 1. Formulae expunctae nimium sapiunt subiectivismum ac relativismum, meramque videntur opinionem enuntiare. Hoc non decet Decreto conciliari, quum non hodiernas mundi opiniones debeat proclamare, sed Ecclesiae doctrinale iudicium veramque ac immutabilem sententiam in re tam gravi. Optandum potius esset ut schema veram et genuinam libertatis religiosae notionem et rationem mundo traderet completam.

2. Fundamentum ultimum libertatis est persona: expresse ergo ponatur personae (non humana) dignitas ut fundamentum libertatis religiosae de qua agitur.

3. Determinatio quae additur, « recte efformatam », omnino necessaria mihi videtur: nam in aliquibus circumstantiis homines, ob diversas causas quas experientia testatur, procedunt iuxta conscientiam evidenter erroneam vel perperam efformatam: in his casibus lex caritatis cum lege libertatis erit conciliandа, et coactio vel impeditio non esset iniusta sed potius commendata.

4. Forsan optimum esset obiectum huiusmodi normae iuridicae expresse determinare: saltem remittatur ad ea quae postea in ipsa nostra declaratione de limitibus libertatis religiosae statuuntur in n. 5.

5. Textus schematis unum aspectum negativum quaestionis exhibet nempe, absentiam coactionis et impedimentorum in libertate religiosa exercenda. Optandum ut etiam aspectus positivus, qui potior est appareat: nempe libertatis religiosae rationem exigere ut illae conditiones disponantur in quibus ipsa convenienter ab omnibus exerceri possit, iuxta ea quae postea dicentur in n. 6.

N. 1, linn. 13-15, pag. 4. Potius dicatur: « Non enim concipitur ac si falsum et verum possint aeque aestimari, vel personae humanae officium ... ». *Ratio*: forsan hac levi, quoad formam, sed gravi, quoad substantiam mutatione textus, una ex quaestionibus schematis centralibus solutionem ab omnibus probatam invenire posset, quin tenori et rationi schematis difficultates moveantur e magisterio ecclesiastico, praesertim Pii XII, tam iterato tamque gravi, desumptae. Si haec correctio admitteretur, doctrina magisterii de obiectiva aestimatione veri ac falsi, verae ac falsae religionis, substantialiter salveretur, sicut etiam salvatur hypothe-

tica et abstracta tolerantiae ratio quae minime rationi libertatis religiosae prout nunc in schemate proponitur obstat.

Nemini enim latet haberi in re magisterium pontificium, neminique fugit huiusmodi magisterium maximam schematis doctrinae, et eius rationi et spiritui praecipue, difficultatem opponere. Gravior pluribus apparebit difficultas, si consideretur quod in relatione (pag. 40) dicitur de « tolerantia »: « Etenim de hodierno instituto libertatis religiosae dici nequit quod, etsi in se sit malum, potest tamen tolerari ut minus malum ob maius bonum consequendum: e contra; hoc institutum affirmandum ut in se honestum ... (haec opinio iam non potest sustineri). Tamen pro multis, ne dicam pro fere omnibus, haec opinio est expressa et iterata doctrina SS. Pontificum, non tantum saec. XIX (LEO XIII, Enc. *Immortale Dei,* DENZ. [1963], 3176; Enc. *Libertas,* DENZ. 3250-3255), sed etiam recentiorum Pii XI et Pii XII (PII XI, *A.A.S.* [1931], pp. 301-302; PII XII Alloc. ad Rotam Rom., *A.A.S.* [1946], p. 393; ad Angliae Legatum, *A.A.S.* [1951], p. 797; ad Iureconsultos catholicos, *A.A.S.* [1953], p. 799; ad Conventum X intern. de Scientiis historicis, *A.A.S.* [1955], p. 678 s.). Optandum toto corde est ut sincero examini subiiciantur occasio quidem huiusmodi interventuum magisterii, sed etiam, et praecipue quid illa occasione Ecclesia docuerit et an, facilius rationibus opportunisticis et artificiosis solutionibus, ut multi opinantur, posthabitis, dici possit doctrinam schematis in hac re « e principiis, quae semper eadem manent in suo sensu et sua sententia » procedere (schem. n. 2, pag. 5, linn. 23-24). A. v.: si revera, ut affirmat schema, principia servanda sunt, investigare serio ac scientifice oportebit, methodo theologica, an ea quae in re Leo XIII, Pius XI ac Pius XII etiam his diebus advenerunt, principia sint quae servari debent, vel opiniones, ut cl. relator affirmat, quae luce Concilii ut umbrae evanescunt.

N. 2, linn. 33-34, pag. 4. Dicatur: « ... Componi non potest notio haec neque cum vinculo essentiali quo, ut creatura, homo Deo ligatur, neque cum dignitate personae quae ... ».

N. 2, linn. 11 et 19, pag. 5. Vox « totalitarismus », quae habet sensum specificum et vel « fascismum », ut aiunt, vel « nazismum » significat, consultius omitti deberet: hodie huiusmodi « totalitarismi » evanuerunt, dum e contra « communismus atheus et materialista » opprimit omnem libertatem et religiosam et civilem.

Dicatur erga « Statismus absolutus »: sub hac enim denominatione aeque comprehenduntur et « communismus atheus » et « totalitarismus » cuiusvis generis.

N. 2, lin. 38, pag. 5. Post postrema verba paragraphi, « tueatur, colat, vindicet », haec vel similia addere oporteret: « ... quin tamen negari possit illam novam relationem quae, vi redemptionis, inter Ecclesiam Christi et potestates civiles intercedit » (PII XII Nuntius radiophon. Natal. an. 1951; *A.A.S.* [1952], pp. 10-11). *Ratio*: verendum esset ut, ex schematis tenore et spiritu, talem esse separationem quis deducat inter munus Ecclesiae et munus Status, talem « laicitatem » status affirmet ac si Christus, Caput Ecclesiae, sua divina redemptione, illam inter eos novam relationem instauraverit quam Pius XII nitide proclamavit (*loc. cit.*): « A questi rapporti naturali ... se ne aggiungono altri, interni e vitali, che hanno il loro principio e la loro origine nella persona di Gesù Cristo, in quanto Capo della Chiesa ».

N. 2, lin. 40, pag. 5. Non « nova quaestio ... » sed « novus status eiusdem quaestionis ... ».

N. 3, linn. 20-21, pag. 6. Perpoliri deberet textus: « ... nullatenus adversari verae libertati personali et civili in vita religiosa ducenda, immo cum ea apprime componi ... ». Etiam libertas civilis est humana: formula intentionem textus non bene exprimit cum verbo « humana ».

N. 3, linn. 32-35, pag. 6. Corrigatur textus hoc modo: « ... declarat regimen iuridicum libertatis religiosae, prout descriptum est (vel: iuxta doctrinam ac legem catholicam, si formula velimus uti Pii XI, *A.A.S.* [1929], p. 301) esse in se honestum; hancque insuper libertatem religiosam esse verum ius ... possunt sibi legitime vindicare, iuxta normas inferius, n. 5, statuendas ». *Ratio* emendationum inductarum:

1. Necessarium omnino puto ut, quum Concilium solemniter declarat honestatem regiminis libertatis religiosae, expresse in textu dicatur agi de libertate religiosa prout in schemate describitur, vel sensu in eo descripto (ut postea dicitur in lin. 38), non de alia, vel in alio sensu.

2. Non bene videtur ut loquatur de hodierno regimine: Declaratio nostra continet iudicium doctrinale, quod per se a rationibus chronologicis debet abstrahere.

3. Ob similem rationem supprimatur clausula « et vere necessarium ... civilem »: quod enim hic de libertate religiosa statuitur, valet, vel valere debet, pro omni societate simpliciter, non pro hodierna tantum.

4. Expungerem verba « quippe quod ... fulcitur »: inutilis affirmatio quae in toto schematis textu explicitus vel implicitus continetur.

5. Oportet ut in hac enunciatione doctrinali adsit expressa affirmatio limitationis moralis et iuridicae quae, revera, in huiusmodi libertate religiosa supponitur et continetur.

N. 4 *a*), linn. 1-15, pag. 7. 1. Ni fallor in meliorem formam redigi posset textus: oporteret enim ut gradatim et per ordinem primum natura socialis personae humanae affirmetur; dein connexio proponatur inter aspectum socialem et aspectum internum activitatis personae, inter interioritatem et manifestationem socialem; postea ad libertatem religiosam doctrina concrete extendatur; denique consequentiae practicae ex huius duplicis aspectus exigentiis dimanantes exponantur.

2. Expungantur verba « Nexus ... est omnino indissolubilis » (linn. 9-11) et « una, indivisa et indivisibilis » (lin. 12): quia idea sufficienter exprimitur sive initio « inseparabiliter connectitur », sive postea « uni subiecto integre sumpto inhaeret », et quia exaggerate insistitur in indissolubilitate et indivisibilitate nexus inter libertatem interiorem et eiusdem manifestationem socialem, quae quidem certis limitibus subiicitur; et ideo aliquoties, etsi per accidens, dissociari potest.

3. Additur verbum « iniuste » vel « sine causa » (in lin. 8) quia ex dictis certa potest dari causa ad externos religionis actus quandoque denegandos.

Unde textus tenor ordinatus adumbratur: « Homo, qui persona (libera) est ... cum aspectu interiore. Libertas religiosa ergo quae ( ) uni subiecto integre sumpto inhaeret, ... exercitium religionis. Hinc iniuria homini fit ... exercitium iniuste (vel: sine causa) deneget. Hoc modo violaretur ipsa integritas personae ».

N. 4, linn. 27 s. Dicatur: « ... ut homo non impediatur in libero et ordinato de re religiosa dialogo stabiliendo ». *Ratio*: additur « libero » ut appareat neminem posse coactum imponere dialogum.

Dicimus « ordinato » ut via praepediatur proselytismo mendaci, venali vel inordinato.

N. 4, lin. 6, pag. 8. Aliquod temperamentum inducendum est in textu: vel dicatur « homo ordinem socialem servans ius habet ... », vel dicatur postea « ... immunis sit ab indebita coercitione ... ». *Ratio patet*: libertas religiosa in eius exercitio externo suos limites habet sociales, unde vel hi servantur, vel coercitio est legitima.

N. 4, lin. 26, pag. 8. « Secundum suam rectam conscientiam ».

N. 4, linn. 1 s., pag. 9. Proponitur textus aliquantum perpolitus et auctus et aptiori modo, ut opinor, dispositus: « ... extenditur. In hac vero competentia Potestatis publicae quae, etsi quid sit verum quidve falsum in re religiosa ex illuminatione Ecclesiae potest aestimare, tamen ad actus externos tantum extenditur quin proinde de internis actibus religiosis iudicare queat.

Cum tamen publicum religionis exercitium sit externa ac socialis activitatis personae manifestatio. Potestas publica potest et debet hoc exercitium intra exigentias ordinis publici definire, non vero coercere nec impedire, sed potius defendere et fovere quam maxime.

Insuper, etsi omnino limites suos excederet si in regimen et curam animarum sese quovis modo aut praetextu immisceat, tamen curam libertatis, ad normam n. 6 suscipere eius officium erit, immo multum sua collaboratione conferre potest ad Ecclesiae Christi missionem supernaturalem, sive vias parando ipsius actioni salvificae, vel fovendo omnibus licitis mediis plenam personalem civium responsabilitatem etiam in ordine aeterno, vel, denique, res disponendo in bonum commune prae oculis habitis ordinis aeterni exigentiis ». *Ratio*: 1. Confuse et aliquantulum contradictorie et incomplete exponitur doctrina de competentia et incompetentia Status in hac provincia. Hinc affirmationes textus ita ordinate disponuntur ut in tribus propositionibus, in textu hodierno etsi non completa ratione expositis, clare pateat triplex huiusmodi competentiae affirmatio cum respondente triplici limitatione et explicatione: *a*) Competentia Potestatis publicae *ad actus externos* tantummodo extenditur, *etsi* ei negari non possit capacitas verum et falsum religiosum et revelatum cognoscendi; *b*) competentia ad manifestationes sociales, seu actus externos religiosos, intra opportunos ac necessarios limites definiendos, *etsi* has manifestationes non possit prohibere aut coercere ultra id quod necessitas postulat; *c*) competentia, immo officium, ad curam et defensionem libertatis religiosae suscipiendam, et capacitas missionem supernaturalem Ecclesiae, diversis modis, adiuvandi, *etsi* in regimen et curam animarum sese immiscere non possit.

2. Textus etiam aliquos aspectus positivos admittit, ut omnino decet.

3. Additur ultima propositio ad verbum fere mutuata e documentis magisterii Pii XII (Nuntius radioph. Natal. 1941, in *A.A.S.* [1942], p. 19; Nuntius radioph. Natal. 1942, in *A.A.S.* [1943], p. 19; Alloc. ad A. C., in *A.A.S.* [1942], p. 283) qui vestigia premit aliorum RR. Pontificum.

N. 5 *b*), linn. 23-24 et 34-35, pag. 9. Compleatur textus hoc modo: « Societas civilis ... contra abusus qui *ex cultu falsae religionis* (vel: professione) provenire possunt ... (linn. 23-24) ... quando exercitium religionis, *ut plurimum falsae*, graviter ordinem ... » (linn. 34-35). *Ratio*: quia dici non potest absque distinctione abusus provenire posse vel nocumentum ordini publico ex professione *verae* religionis.

N. 6, post lin. 22. Hae duae novae propositiones addendae: « Hoc tamen libertatis religiosae regimen non impedit quominus religio catholica iure humano publico agnoscatur tamquam religio civium in quadam regione vel tamquam

religio status stabiliatur. Haec vero religionis conditio nemini civium vel coetibus religiosis libertatem religiosam prout in hac declaratione statuitur, minuit.

Prorsus, cum vita religiosa sit omnium magnum et universale bonum personae humanae. Potestas civilis officium est, summam earum vitae socialis promovendi conditionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem religiosam possunt plenius atque expeditius consequi. Quo magis societas civilis ... ». *Ratio*: de his duabus quaestionibus schema, quod mirum est, omnino silet, licet de primo loquatur Relator in pag. 29 et 38 ex quibus verba desumuntur.

Positive loquitur de promotione conditionum socialium ad vitam religiosam verbis utens Enc. *Pacem in terris*, n. 58.

N. 7, lin. 3, pag. 11. Complendus textus hoc vel simili modo: « ... etiam communitatibus, intra limites n. 5 assignatos, agnoscenda est.

N. 7, lin. 23, pag. 11. Dicatur: « ... publice docenda atque testanda, dummodo ordo moralis communisque omnium utilitas integre sancte serventur ». *Ratio patet*: verba proposita ex Enc. *Pacem in terris* sumuntur, ex paragrapho ubi expresse de libertate divulgationis agit.

N. 10, lin. 16, pag. 13. Expungatur « hodiernum ». Non omnibus placebit textus a secretariatu hic propositus, immo plures doctrinam in eo contentam « lapidem scandali retinebunt ». Supponit systema esse ideale, in quod totis viribus contendendum, systema absolutae libertatis, ita ut traditionalis Ecclesiae thesis, iam nec ut hypothesis admitti possit.

Hoc difficile reddit intelligentiam specificae Ecclesiae missionis ac certa et clara principia, iterate quidem et solemniter a magisterio proclamata, quae vetant aequiparationem conscientiae erroneae et conscientiae verae, et confusionem inter libertatem conscientiae et libertatem religiosam. Multi vehementer timent ac dolent quod libertas religiosa proponatur, ut hic proponitur, ut unicum nempe regimen unicaque forma possibilis, non ut conspiratio pluribus in casibus apta et sufficiens. Hoc nec *deducitur ex principiis allegatis,* nec sub multiplici respectu *potest esse in omnibus nationibus* normale, nec in hoc mundo impediri potest quod occasione modorum libertatis religiosae eorumque praetextu, fiant interventus Statuum in alios Status, in quibus tot tantisque modis actio et proselytismus convertuntur in damnandos interventus vere politicos.

Conandum ergo est ut formulae conciliares inveniantur quae in hoc gravi negotio tantum quod verum est exprimant atque efficax ad ordinem a Deo intentum in mundo instaurandum.

N. 12, pag. 14, 15. In hoc n. 12 plura adducuntur testimonia ex Scriptura, quae vel non probant quod intenditur, vel afferunt fallacem probationem, cui omnino contradici poterat aliis innumeris textibus ex Scriptura Veteris et Novi Testamenti.

Ideo censeo omnino ex hoc numero delenda esse saltem ea quae habentur inde a pag. 14, lin. 27: « miracula fecit ... » usque ad pag. 15, lin. 3 (*Lc.* 9, 54-56). *Ratio*: non est unice verum quod dicitur, Christum mere *invitasse* homines ad fidem, sed etiam eis fidem praecepisse, sub aeterno discrimine salutis: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Et Domini discipulus S. Paulus non mere ad invitandum restringebat suum apostolatum, sed pressius urgebat iuxta instructionem quam dedit Timotheo: « Praedica verbum insta opportune, importune, argue, obsecra increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Praeterea, terrores aeternae damnationis, quos Christus saepe in animis auditorum excitabat: illud « compelle intrare ad nuptias », quas Paterfamilias paraverat Filio suo (*Lc.* 14, 25), aliaque plura quae afferri possent, multo plus sunt quam mera invitatio.

Aliunde vero, miracula innumera, charismata extraordinaria, beneficentiae singularia opera, quibus Christus et Apostoli praedicationem commendabant, et quae prorsus extrinseca sunt subiecto, obiecto et actui fidei, ad quem ordinabantur, indirectam saltem et pro simplicibus et rudibus, ut erant eorum auditores, moraliter cogentem quandam coactionem importabant. Instructio vero catechetica et religiosa, quae pluri etiam pueris et rudibus ex Ecclesiae mandato impertienda est, aliquid multo plus secum ferunt quam meram et nudam invitationem ad libere et sine ulla neque morali et indirecta coactione fidem amplectendam.

Animadvertendum etiam est, quod in homine *lapso,* « sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua » (*Gn.* 6, 5; 8, 21; *Mt.* 15, 19); atque non solum ab intrinseco sed etiam ab extrinseco homines debent « induere armaturam Dei, ut possint stare adversus insidias diaboli quoniam non est nobis solum colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae » (*Eph.* 6, 11). Quare etiam nos monet Petrus: « sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret » (*1 Pt.* 5, 8).

Quae cum ita sint, potius divina paedagogia suadet ut mere et purae invitationi addatur quaedam paterna non solum amoris sed etiam timoris salutaris coactio, qua etiam ipse Deus « quos amat arguit et castigat » ut suae voluntati obediant (*Apoc.* 3, 19; *Prov.* 3, 11-12). Immo in homine lapso, ad hoc quod vere cum plena libertate se decidere possit, quodammodo necessaria est haec paterna et divina paedagogia; eatenus saltem quatenus necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem in contrarium.

Ea quae dicuntur de miraculis omnino compensari possent aliis ex ipsa Scriptura depromptis, quibus contrarium comprobari videtur. Sufficiat pro nunc in memoriam revocare factum mortis Ananiae et Saphirae mediante Petro patratum, quod narratum habemus in *Act.* 5, 1-11, ex quo « factus est timor magnus in universa Ecclesia » (*Act.* 5, 11).

124

EXC.MUS P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBÍAS

Episcopus Vallis Paradisi

El esquema señala como fundamento de la libertad religiosa la mayor conciencia que actualmente existe acerca de la dignidad de la persona humana. Ella reclama libertades civiles y tambien libertad religiosa.

Pero estimo que se olvida algo fundamental.

La persona humana debe ser considerada dentro del conjunto del orden de la Creación y de la Redención. En relación a otros valores superiores como son los derechos de Dios y la Verdad revelada. Esto es lo justo y lo objetivo.

Nuestra época, muy preocupada de destacar los valores humanos, va dejando en segundo plano lo religioso y sobrenatural.

Es evidente que el hombre tiene derecho a que no se le obligue a profesar la fé.

Pero no parece igualmente claro el derecho a no ser impedido en la manifestación de una fé no verdadera.

El esquema deja limitado este derecho sólo por ciertas normas morales y jurídicas. Creo que además del derecho ajeno y del Estado a que ellas se refieren, está limitado por los derechos de Dios y la Verdad, que no pueden en la práctica desconocerse.

Con respecto a la libertad religiosa existen dos situaciones totalmente distintas. No puede aplicarse el mismo criterio al error que a la verdad.

La Iglesia como depositaria de la Verdad revelada tiene derecho a profesarla y difundirla plenamente, siempre y en todas partes, y ningùn poder humano puede impedírselo. Goza de amplia libertad religiosa.

Pero el error carece de todo derecho. Sólo puede ser permitido en razón de la buena fé en circunstancias muy determinadas.

Se reconoce este principio — pág. 4, líneas 14 a 16; pág. 6, líneas 10 a 18; y en la refutación de las objecciones, pág. 39 y 40 — pero queda sin embargo prácticamente anulado con lo expresado en gran parte del Título I y todo el Título III: « Hodiernum enim regimen libertatis religiosae nullatenus importat quod auctoritas publica positive affirmat religiones falsas esse veras. Sub regimine libertatis religiosae iure publico simpliciter agnoscitur... neminem esse impediendum, quin secundum conscientiam agat » (pág. 39 y 40).

Pero las consecuencias prácticas — Título III, nn. 6-9 — coloca en igualdad de condiciones al error y la verdad en todos los campos de actividad pública.

Esto resulta contrario a la doctrina y práctica de la Iglesia.

Es contrario además a los derechos de Dios sobre la sociedad humana.

Es doctrina de la Iglesia que no sólo los individuos sino la sociedad en cuanto tal tiene deberes para con Dios. El es el Señor de las naciones. Los gobiernos deben reconocer a Dios y favorecer el desarrollo de la verdadera fé.

Existen muchas partes donde este ideal se realiza en gran parte (v. g. América Latina). Partes de mayoría católica donde se reconocen en la práctica esos derechos y países en donde están jurídicamente sancionados en la Constitución y las leyes.

No puede por eso sostenerse lo que dice la Declaración (pág. 6, línea 34 y ss.): « regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, ... *esse in se* honestum et vere necessarium ad custodiendam hominis dignitatem... »; y línea 39: « esse verum ius, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare »; y pág. 10, líneas 19-21: « ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur et efficaci tutela iuridica muniatur ».

Una declaración como la presente significa contradecir abiertamente esta doctrina al mismo tiempo que abrir una brecha en la unidad religiosa.

Significa abrirle un amplio camino creando sin objeto nuevos y enormes obstáculos al avance del Reino de Dios.

Y lo que resulta incomprensible es que sea la misma Iglesia, depositaria y maestra de la verdad, quien lo proclame en una declaración conciliar!

Todo esto significa un desconocimiento de los derechos de Dios y la Verdad y la aceptación práctica del indiferentismo religioso.

Por lo tanto es necesario: 1. Afirmar claramente los derechos de la verdad

y del Estado católico, que no permita la difusión del error. 2. El derecho y máxima conveniencia a los países de mayoría católica de restringir al campo privado el ejercicio de otras religiones.

Se argumenta la libertad religiosa para los paises pluralistas donde el catolicismo no es mayoritario.

En naciones donde el pensamiento cristiano no inspire la vida sea porque los católicos son minoría o porque las leyes así lo establecen.

Son situaciones de hecho, ante las cuales la Iglesia actúa reconociendo la realidad política pero sin transigir en los principios.

Por eso no pueden hacerse declaraciones como las contenedas en el esquema, que dan a estas situaciones de hecho una fundamentación.

La Iglesia allí revindica sus propios derechos y acepta la situación.

Es interesante comprobar que son Estados Unidos de Norteamérica y Africa, países de minoría católica, quienes postulan la libertad religiosa.

No es efectiva la acusación de oportunismo que se le hace a la Iglesia al decir que actúa con un criterio en los países en que es mayoría y con otro en los que es minoría.

La Iglesia actúa siempre con idéntico criterio: sostiene que sólo la religión verdadera tiene amplia y verdadera libertad.

No reconoce derechos al error y sólo acepta la difusión del error allí donde las condiciones concretas no permitan hacer otra cosa.

Libertad en el sentido que nadie puede ser obligado a creer: *concedo*. Libertad en el sentido que nadie puede impedir la manifestación de la fé religiosa... si es de la Iglesia Católica, *concedo*; de otras religiones por principio: *en* estados católicos o de mayoría católica, si es públicamente, *niego*; privadamente *concedo*; *en* paises pluralistas de minorías católicas sólo se acepta de hecho.

Ob rationes allatas existimo:

Cap. I confusum, contradictorium, doctrinaeque Ecclesiae contrarium esse et, salva aliqua parte expositionis historicae primaque parte declarationis (pag. 6, linn. 8-18) inacceptabilem.

Proponitur ergo ut post lin. 18 pag. 6 addatur: « Sola veritas diffusionis professionisque plenum ius habet. Nemo eae hanc libertatem denegare potest.

Tam individui quam nationes Dei et veritatis iura agnosci debent.

In nationes secundum christianum sensum ordinatas aliae religiones tantummodo privatim profiteri debent. In nationes ubi sensus christianus non praevalet, Ecclesia iura sua libertatis religiosae vindicando, situationem de facto imperantem alias confessiones faventem agnoscit ».

Cap. II quia praescindit a luce Revelationis, radicaliter modificante conceptus in capite expressos, videtur esse partialem et incompletum.

Proponitur ut supprimatur aut si manet ut addatur: post lin. 15: « Dummodo agatur de vera religione, si de falsa religione obiective agatur, non fit homini iniuria ut in Statu catholico exercitium sociale seu publicum prohibeatur ».

Post lin. 6, pag. 8: « ut in vera religione publice et privatim in aliis religionibus in statu catholico exercendis immunis sit... ».

Pag. 8, lin. 26 post « suam conscientiam », « dummodo privatim cultum exerceat in statu catholico » salvo ordine...

Pag. 9, post lin. 10 addatur: « Salvo tamen in natione catholica iure prohibendi alium cultum publicum ob obligationem servandi unitatem verae fidei ».

Pag. 9 in fine addatur: « et fidei unitatem socialem in natione catholica ».

Cap. III, n. 6 est confusum et inacceptabile in linn. 1-22 et tantummodo Ecclesiae catholicae in ultima parte adaptatur..

Nn. 7, 8 et 9 omnino inacceptabiles.

Cap. IV bonam doctrinam de libertate religiosa ad lucem revelationis sustinet tamen hoc nihil habet cum « quaesita » libertate religiosa pro falsis religionibus.

Conclusio, n. 14, ambigua et proinde inacceptabilis est.

125

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMAS CAMANDARI

Episcopus Civitatis Juarezensis

Pag. 4, linn. 1-3: affirmatio « ut scil. in re religiosa nemo cogatur ad agendum contra suam conscientiam » includitne approbationem theoriae eorum qui censent potestatem civilem non posse cogere cives vocatos ad bellum si opponunt sic dictam obiectionem conscientiae?

Pag. 4, lin. 6: « intelligitur tutelam huius iuris tum ad singulos homines ». Nonne affirmatio haec est contra thesim iuridicam docentem tutelam iurium, praeter casum extremae necessitatis, pertinere solum ad potestatem publicam, ne pax et ordo publicus grave damnum continuo patiantur? Bene ergo attendatur ad hoc in definitiva redactione.

Pag. 5, lin. 11: loco « cum quo » videtur dici debere « cum qua ».

Pag. 8, lin. 20, litt. *d*) item ac supra pag. 4, linn. 1-3.

Pag. 9, lin. 7, litt. *e*): « Ipsa omnino limites suos excedit ». Tollatur confusio redactionis, nam verbum « ipsa » potest prima facie intelligi de « libertate » de qua immediate antea tractat periodus grammaticalis, et non de « potestate publica » de qua agitur in periodo anteriore ad ipsam libertatem.

Pag. 11, n. 7, lin. 7: dicitur « ut secundum proprias leges sese regant ». Videtur adesse quaedam confusio gravis. Etenim: « Leges propriae » in textu intelligunturne leges civiles quae supponerent independentiam vel autonomiam politicam illarum communitatum, vel solam autonomiam in re religiosa? Tollatur ergo confusio, ne male interpretetur documentum conciliare a guberniis.

Pag. 16, n. 13, lin. 4: melius dicere « rogat » loco verbi « obsecrat » ne hoc verbum immediate post repetatur « obsecrationibus ».

126

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SÁIZ

Episcopus Auriensis

Puto schema esse denuo reficiendum ita ut: *A*) Maior consideratio habeatur doctrinae traditionalis Ecclesiae circa libertatem religiosam, cuius vigentia pro omni tempore est admittenda, attentis tamen diversis adiunctis temporum pro debita applicatione.

B) Nullo pacto doceri videatur Ecclesiam catholicam et alios coetus religiosos in eadem linea et plano esse de se in societate civili collocandos. Nam catholicismus est unica religio vera, a Deo revelata, quod minime de aliis potest dici. Huius veritatis debet schema habere rationem, ne indifferentismus religiosus promoveri videatur.

C) Placet schema reformatum, quod praesentat « Comitatus Episcopalis Internationalis, seu Coetus Internationalis Patrum ».

127

EXC.MUS P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Quod attinet ad fundamentum libertatis religiosae mihi necessarium videtur paucis tractare de hac libertate etiam respectu ad Deum, in quantum consistat in eo quod homo possit consequi quod Auctor naturae vult ut finis ultimus necessarius hominis (cf. *Decl.,* pag. 7).

Relate ad libertatem fidei fortasse quaedam debent dici ad reconciliandam libertatem cum excommunicatione: etenim excommunicatio non impedit libertatem conscientiae, sed defendit fideles adversus perturbatores Societatis Ecclesiasticae. Excommunicatio est usus iuris servandi Ecclesiam ac tuendi eius libertatem. Ceteroquin excommunicatus remanet sui iuris atque inviolabilis in suis iudiciis, persuasionibus, in consensu voluntatis, neque impeditur libere communicandi cum Deo.

Nota: 1. Pag. 9, lin. 7, termino « ipsa » addi debet « Potestas publica » ad maiorem claritatem.

2. Pag. 11, lin. 8, adest error typographicus: imprimatur « honorent » loco « honoret ».

128

REV.MUS P. D. VINCENTIUS TOMEK
Praepositus generalis Ord. cler. reg. Scholarum Piarum

Ea quae a D. relatore in relatione die 11 nov. a. 1964 data et in aula die 19 eiusdem mensis prolata sub fine pag. 29 et initio pag. 30 dicuntur (« Libertas religiosa non impedit, quominus... dummodo ipsa liberam queat ducere vitam ») de opinione infrascripti Patris conciliaris deberent ipsius *declarationis* partem agere, vel saltem aliqua *nota explicativa* vel alio modo auctoritate Concilii Oecumenici approbari.

129

EXC.MUS P. D. GUIDO TONETTI
Archiepiscopus-episcopus Cuneensis

Ad n. 2, pag. 6 addatur: « Tamen doctrina a Romanis Pontificibus stabilita elapso et praesenti saeculo circa existimationem quae in publica societate catholicae Ecclesiae est concedenda, suum valorem retinet pro ordinandis relationibus hodiernis inter civilem et ecclesiasticam potestatem, etiam respectu habito ad alios coetus religiosos, dummodo adiuncta novorum temporum aeque ponderentur ». *Ratio*: uterque extremus est vitandus, et quod nova tempora ignorentur, et quod doctrina perennis obliviscatur. Textus valorem practice tollit omnibus his documentis, praetextu mutationis temporum et adiunctorum. Duo videntur confundi: occasio doctrinae tradendae et ipsa doctrina. Omnino putandum est doctrinam hanc suum valorem retinere pro ordinandis rebus religiosis inter diversas potestates sive civiles sive religiosas, nam subiecta ad quae respicit sunt eadem, nempe: Ecclesia, Potestas civilis, fideles catholici, acatholici, varii coetus religiosi, salus animarum et libertas in professione fidei. Si aliqua ex his aliquatenus sunt mutata, recte et aeque ponderentur, sed principia serventur, et iuxta illa res prudenter iudicentur. Secus effugere non possumus notam novitatis in doctrina adeo gravi et despectum auctoritatis Romanorum Pontificum, qui usque ad Pium XII, hoc non excluso in Allocutione ad iurisperitos Italiae, clare et firmiter eandem doctrinam constanter ut verum et perennem edocuerunt.

[*Cf. etiam pag. 877-881*]. Plures Patres conciliares A et B.

130

REV.MUS P. D. HENRICUS ALEXANDER VALLEGO BERNAL
Praefectus apostolicus Tierradentroensis

Pag. 4, linn. 9-19 (n. 1). *Placet iuxta modum.* Dicitur: « Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur, nullatenus significatur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Dei potestate emancipari. Non enim concipitur ac si persona humana falsum et verum possit aeque aestimare vel ipsi officium non incumbat formandi veram sibi de rebus religiosis sententiam vel arbitrario statuere valeat utrum, in qua religione et quanam ratione Deo servire velit ». Dicatur: « Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur, nullatenus significatur hominem vel Statum (vel societatem civilem) nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Dei potestate emancipari. Non enim concipitur ac si persona humana vel Status (vel societas civils) falsum et verum possint aeque aestimare vel ipsis officium non incumbat formandi veram sibi de rebus religiosis sententiam vel arbitrario statuere valeant utrum, in qua religione et quanam ratione Deo servire velint ».

Ratio: 1. Si persona humana est independens a potestate civili in re religiosa, e contra Potestas civilis non est independens ab ideis religiosis suorum subditorum in exercitio suae potestatis, minus autem si agatur de aliqua Democratia reprae-

sentativa. Non potest e. g. potestas civilis statuere divortium pro omnibus matrimoniis etiam catholicorum. Hoc secundum « hypothesim ».

2. Secundum « thesim » etiam Status tenetur officiis erga Deum, ut aiebat Leo XIII: « Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, *sed maxime animi bonis,* legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis *legibus* aptius, *quae Deum habeant auctorem*: *ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a praescriptione naturae politicam potestatem...* ». « Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oportere, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse: *quod est utrumque aperte falsum* ». (*Libertas, BAC,* pp. 242, 244, nn. 14 et 16).

3. Ratio generalis est dependentia omnis legislationis ab aliqua doctrina philosophica, sicut communistae sequuntur Marx ita e. g. democratici sequuntur, plus minusve, doctrinam christianam qua apparet dignitas personae humanae. Sicut apparet, etiam in ipsa legislatione canonica in qua praecipue attenditur ad doctrinam « evangelicam »; quare sunt Patres qui contra « iuridicismum » loquuntur, quia tale vitio aberrantem faciunt a spiritu legislationis canonicae i. e. a doctrina evangelica ut adhaereant litterae, ipsam legislationem canonicam.

Pag. 11, par. 4, linn. 20-27. *Placet iuxta modum.* Melius est ut supprimatur integram paragraphum. *Ratio*: *a*) Ex hac paragrapho eruitur aequalitas omnium Communitatum religiosarum, tum illarum quae veritatem simul ac errores docent tum Ecclesiae catholicae, columna et firmamentum veritatis, in docendis hominibus. Cum forsitan non expediat praerogativas Ecclesiae catholicae extollere, melius esset nihil circa hanc quaestionem dicere.

b) His assertionibus damnatur praxim Ecclesiae damnandi libros acatholicorum (can. 1399, 4); textus enim schematis concedit *ius docendi*; ergo officium incumbit omnibus aliis exercitium illius iuris non impediendi; cur ergo ab Ecclesia prohibetur *ipsa editio* illorum librorum prohibitorum? (can. 1398, 1). Libri prohibiti non possunt nec edi nec legi, nec retineri, nec vendi, nec verti, nec *ullo modo* cum aliis communicari.

c) Ex iure naturae tenetur homo pericula gravia contra suum bonum, sive animae sive corporis, vitare, nisi adsit causa gravis sese exponendi periculo. Ius ergo etiam habet non perducendi ab aliis ad talia pericula. Cur etiam Status,, « cuius praecipuum officium est tueri iura hominis » (n. 6) liberam diffusionem errorum contra fidem permittere tenetur? Estne fides minus bonum quam boni mores?

d) Omnes homines ius naturale habent ad veritatem assequendam. Veritas enim, est « bonum praecipuum » hominis: « Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum » (*Io.* 17, 3). Hoc autem ius ad veritatem Potestas civilis non potest efficaciter tueri, si liberam omnino diffusionem errorum contra veritates religiosas permittat. Si diffusionem errorum contra salutem corporis, e. g. usus « opiaceos », ut oppium, « marihuana » coercere potest, cur non potest tueri bonum « intellectus » quod est veritas? Neque dicatur Status de veritate religiosa iudicare non posse; nam ad hoc enim

posuit Deus Ecclesiam suam ut sit Magistra Veritatis. Secundum ergo doctrinam Ecclesiae, Status diffusionem veritatis tueri potest, saltem si de guberniis catholicis agitur. Nam, si, qui civitates regunt, attendere non deberent doctrinam Ecclesiae frustra tot encyclicas sociales ediderunt Summi Pontifices et frustra etiam *ipsam hanc declarationem* circa libertatem religiosam approbabit Concilium.

4. Si ratio cur aliquis, ore et scripto, publice docere potest « suam » fidem est « eius intima sententia personali » (pag. 8, *e*), quare etiam atheismum diffundi non posset ab iis qui « ex intima sententia personali » Deum non admittunt. Sunt et fuerunt multi philosophi qui *Monismum* etiam materialisticum, tenent et tenuerunt. Illa « intima sententia personali » nimis sapit «liberum examen protestanticum ».

131

Exc.mus P. D. IOANNES B. VELASCO

Episcopus Sciiamenensis

I. *Status quaestionis.* Deus optimus maximus, conditor, gubernator et finis totius universi misericordissime hominem ad suam efformavit imaginem. Nihil mirum proinde si homo hanc divinam excellentiam ac transcendentiam agnoscens, seipsum ad Deum ligatum vinculis religionis sentiat. Ex quo apparet *quaestio* tota de religionis *libertate* esse *in sua radice* et *essentia quaestio theologica et dogmatica,* et nonnisi per extensionem ad publicas manifestationes ipsius, iuridicam induere notam. Unde patet quomodo *solutio* huius quaestionis *non ab alio fonte* quam a divina revelatione et magisterio Ecclesiae sit repetenda. Ut vero in hac solutione quaerenda recto itinere procedamus, sequentia sunt sedulo perpendenda:

1. Religionis natura atque eius vis obligandi.
2. De genuina significatione libertatis et quousque se protrahat vera libertas.
3. De officio hominis veram religionem perquirendi et illam inventam amplectendi.
4. De genuina notione conscientiae deque eius vi in morali directione humanae vitae.
5. Libertas religiosa et tolerantia falsae religionis.
6. Corollarium de norma sequenda in statibus ubi aut unitas catholica aut pluralitas viget religiosa.

II. *Sensus terminorum.* 1. *Religio*: Quaecumque sit eius vera etymologia « religio proprie importat ordinem ad Deum » (II-II, 81, 1) et ad ipsam pertinet reddere honorem debitum Deo (*Ibid.,* 2). Religio sic sumpta est ab homine libere ex officio ineluctabili amplectenda. Adest namque pro singulis hominibus, sensu distributivo, obligatio moralis, id est sub peccato, profitendi religionem naturalem, immo religionem positivam fortasse revelatam atque sufficienter propositam. Cui officio praeit, ut par est, obligatio inquirendi veram religionem, cum iam adest probabilitas de eius existentia. Et religio devenit sufficienter proposita cum habetur certitudo moralis de Dei existentia deque facto locutionis divinae sive divinae revelationis. Haec omnia sunt necessaria consequentia iuri divino ut videlicet Dei excellentia agnoscatur « *debito* » *cultu.* Et proinde iam adumbratur difficultas vindicandi libertatem in materia religiosa *cum haec libertas sit veluti negatio practica illius officii hominis exhibendi Deo « debitum » cultum.*

2. *Libertas.* Est facultas electiva ex praecedenti deliberatione. « Liberum est id quod est causa sui motus » (I II, 83, 1 ad 3). Libertas est attributum vere radicatum in constitutivo formali personae humanae.

Libertas duplicem innuit significationem, aliam psychologicam aliam moralem. Libertas psychologica nominat dominium esse determinandi ad specialem rationem agendi. In sensu autem morali, libertas est « facultas electiva mediorum *servato ordine finis* ». Non est proinde de natura libertatis, nec ideo est in potestate hominis, illam invocare ad pravam electionem quae magis separat a fine quam in ipsum perducat. Talis modus agendi non facit ad *essentiam* libertatis sed ad eius *abusum.*

3. *De officio hominis veram religionem pervestigandi et illam inventam amplectendi*: Homo ex iure naturae tenetur proprium finem efficaciter intendere. Sine religione autem impossibile est unquam ad finem ultimum pertingere; ergo patet quod homo tenetur certiorem se reddere de vera religione, atque illam amplecti ut debitum cultum Deo exhibeat. E contra homo maxime elongatur a fine suo ultimo, a Deo beatificante, per infidelitatem.

Quomodo igitur stabit doctrina illa de libertate religiosa si unica via perveniendi ad Deum est vera religio, naturalis aut revelata?

4. *Conscientia.* Conscientia idem est ac iudicium practicum de bonitate aut malitia actionis praeteritae, vel actionis ponendae aut omittendae.

Conscientia *non* est *ultima et suprema norma* agendi sed *proxima* quae hic et nunc stat pro lege Dei, vel pro voluntate Dei. Ad conscientiam recte efformandam licet prae mente habere praecepta legis naturalis, legis positivae tum divinae cum humanae quibus iudicium practicum debet conformari.

Conscientia est recta si veritati rei se conformet, falsa autem si a rei veritate deficit. In utroque casu est norma sequenda; tamen conscientia errans non semper excusat a peccato. Si agatur de conscientia vincibiliter erronea, eius dictamini nemini licet parere sine peccato.

5. *Libertas religiosa.* Libertas religiosa signat illam individuam atque collectivam rationem agendi in divino cultu exercendo atque in doctrina religiosa diffundenda qua homo immunis est ab omni physica vel morali coactione. Libertas sic sumpta duas indueret notas essentiales, ex quibus una esset *positiva* alia *negativa. Positiva* includit libertatem cultum Deo exhibendi, doctrinam religiosam divulgandi etc. *Negativa* vero nota libertatis secum ferret facultatem derelinquendi propriam fidem religiosam, in aliam transeundi vel religionem penitus reiiciendi. Falsitas huius postulatus inde evidentissime patet quod nemo potest propriam fidem in Christum in dubium vocare vel eam penitus reiicere sine peccato. Et si res ita sit, quid remanet de libertate religiosa?

Quid vero sit de libertate religiosa sentiendum amplius patebit ex sequentibus:

A. *Quaedam praesupposita dogmatica.* Agitur de quaestione omnino *absolute dogmatica,* cum libertas sit attributum personae humanae, *non* in sensu *pure naturali* sumpta, sed *prouti existit a parte rei,* scil. elevatae ad ordinem supernaturalem. *Deficeret ergo ratio tota argumentandi in hac* materia *si persona humana sub aspectu ethicae naturalis dilucidaretur.* Ex hominis elevatione ad vitam gratiae iam patet lumen in hac disceptatione sequendum non esse aliud praeter ipsam revelationem, scriptam et oralem, necnon magisterium Ecclesiae.

B. *Dogma humanae libertatis.* Hominem libero arbitrio esse ornatum est ve-

ritas revelata et ut talis solemniter ab Ecclesia proposita « Si quis dixerit hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, A. S. » (DENZ. 815). Haec libertas tanquam essentiale attributum personae humanae limites rationis naturalis nequaquam excedit: « Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest » (PIO IX, *De Falso Traditionalismo*). Quam magni sit libertas facienda, ex Leonis XIII testimonio constat: « Libertas, praestantissimum naturae donum, idemque intelligentia aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini dignitatem ut sit in manu consilii sui, obtineatque actionum suarum potestatem ... Iamvero sicut animi humani natura, simplicem, spiritualem, atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit Ecclesia Catholica quae scil. utrumque omni tempore loqui sicque tuetur ut dogma ».

C. *Limites humanae libertatis.* Libertas humana intra certos clauditur limites ab ordine morali obiective sumpta provenientibus et a subiecti exigentiis ad operandum necessariis. Quoad limitationem libertatis a parte obiecti, haec verba Divi Thomae sunt alte significantia: « Deus reliquit hominem in manu consilii sui, non quia liceat ei facere omne quod velit, sed quod ad id quod faciendum est, non cogitur necessitate naturae, sicut creaturae irrationales, sed libera electione ex proprio consilio procedente » (II-II, q. 104, 1 ad 1).

Libertatis limites ex parte subiecti consequuntur eius absolutam impotentiam ad recte operandum in ordine supernaturali sine auxilio divinae gratiae.

Libera electio mali moralis sub ratione boni, quamvis sit signum libertatis non attamen est de eius essentia nec ipsam per se manifestat. « Velle malum *nec est libertas nec pars libertatis* quamvis sit quoddam libertatis *signum* (*De Veritate* 22, 6).

Electio propterea mali moralis non est signum dignitatis humanae nec illi favet, est potius devaluatio, ne dicam degradatio personalitatis. « Errant qui operantur malum » (*Prov.* 14, 22).

Liceat ergo ex dictis sequentes inferre conclusiones:

Prima propositio: *Vera libertas religiosa.* Omnis homo iure naturali atque positivo divino tenetur ad religionem amplectendam atque cultum Deo exhibendum tam private quam publice, tum singillatim cum collective, secundum dictamen rectae rationis et voluntatis Dei supernaturaliter hominibus manifestatae. Huiusmodi officium est libere adimplendum et illud omnes revereri atque agnoscere tenentur.

Praeter plurima documenta ex S. C. et Traditione quae in demonstratione huius theseos possent adduci liceat recolere testimonia Pii XI et Pii XII.

Pius XI ita scribebat in « Non abbiamo bisogno: E in consideratione di questo duplice diritto delle anime, che Ci dicevamo testé lieti e fieri di combattere la buona battaglia per la libertà delle coscienze, non già (come qualcuno forse inavvertitamente Ci ha fatto dire) per la libertà di coscienza, maniera di dire equivoca e troppo spesso abusata a significare la assoluta indipendenza della coscienza, cosa assurda in anima da Dio creata e redenta ». Et Pius XII in nuntio radiophonico in festo Nativitatis Domini 1942, « Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quaestiones, sive mere sociales, sive sociales-politicae, quae ordinem ethicum, conscientias, salutem animarum spectant ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo,

etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte « religiosae », de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et societatem; de « statibus totalitariis », quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis; de « totali laicizatione Status », uti dicitur, et vitae publicae; de plane efficienda scholae « laicizatione »; de natura ethica belli, de legitimo vel non legitimo bello, quale nostris temporibus geritur, *et de viri religiosae conscientiae in eo adiuctrici opera permittenda vel deneganda;* de vinculis et rationibus ethicis, quibus nationes mutue reguntur et tenentur ».

Et tandem Ioannes XXIII: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, *ad rectam conscientiae suae normam* venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Recta norma conscientiae non est alia praeter ius divinum ut Deus ab omnibus debito cultu honoretur.

Propositio secunda: *a*) Non est in potestate Status proprios subditos compellere ad religionem amplectendam atque eam publice aut private exercendam.

b) Iure naturali atque positivo divino Status tenetur religionem veram summa auctoritate excercere, eius firmitatem atque propriam dilatationem inter gentes suae ditioni subiectas curare atque ipsam tueri a quamcumque oppugnatione ab extrinseco proveniente.

c) Quod vero munus fundat ius ad media proportionata adhibenda ut propagatio falsae religionis cohibeatur.

d) Nihil prohibet quominus per modum actus « tolerentur » publicae manifestationes cultus falsi quandocumque ita exigat bonum commune sive Ecclesiae sive Romani Pontificis.

(Confer: *Mirari Vos,* DENZ. 1613-16 14; *Quanta Cura; Immortale Dei; Humanum Genus; Libertas; Pascendi; Quas Primas; Summi Pontificatus;* etc.).

Ratio theologica: Status a Deo derivat propriam auctoritatem, tenetur ergo supremum Dei dominium agnoscere, ei reverentiam et cultum exhibendo.

Propositio tertia: *a*) Quicumque ex invincibili errore falsam profitetur religionem atque eam divulgare conatur, subiective ab omni culpa morali vacat et nemo potest illum de ullo crimine accusare vel quascumque poenas in illum expetere.

b) Subiectiva haec immunitas a crimine atque bona fides *nullum naturale ius pariunt* quod veram vim habeant coram Ecclesia vel Statu, quamvis de facto sit prae mente tenenda ad *prudentem tolerantiam* in casu exercendam (PIO IX, *Singulari Quadam,* DENZ. 1677; DENZ. 1715-1716).

Corollaria: Ex superioribus rationibus sequentia sequuntur corollaria:

1. Nullimode est tolerandum quemlibet pati violentiam si stans dictamini propriae conscientiae falsam profiteatur religionem.

2. Libertas quatenus attributum personae humanae non est ius absolutum; arctatur namque per iura verae religionis et eorum qui illam colunt, ut videlicet illam pacifice exerceant immunes ab omni impugnatione sectatorum religionis falsae. « Veritas *liberabit vos* » ab omni errore religioso ne homo ab assecutione finis ultimi arceatur.

3. In Statibus in quibus magna frequentia civium fidem catholicam profitetur, rei publicae moderatores tenentur eam agnoscere atque tueri. Quoad vero cives in exiguo numero alias religiones colentes, iidem rei publicae moderatores tenentur eorum libertatem religiosam atque privatum cultum vereri. Nefas tamen esset pro Statu Catholico tolerare cultum publicum religionis falsae vel eius propagationem.

4. In statibus ubi religio catholica a paucis profitetur libertas cuiuscumque religiosi cultus est pariter agnoscenda.

5. Haec eadem ratio agendi esset servanda ab omnibus Statibus si foederatio politica inter omnes nationes esset in futuro internationali pactu ineunda. Tunc enim melius provideretur bono communi atque paci universali inter nationes, salvis tamen iuribus Dei.

Conclusio: « Lo que no responde a la verdad y a la norma moral, no tiene objectivamente ningún derecho ni a la existencia, ni a la propaganda ni a la acción (Pio XII, *A.A.S.*, 45 [1953], p. 799).

132

Exc.mus P. D. THOMAS WILCZYŃSKI

Episcopus tit. Polybotensis

In pag. 9, n. 5, sub *b*) in fine: sententia omnino aliter exprimi debet.

In mente clarissimorum membrorum huius commissionis versari debent aliqua facta notissima et quidem concreta.

V. g. Turba iudaica postulans mortem Domini clamat: « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit » *Io.* 19, 7.

Omnes persecutiones contra Ecclesiam « lege » iustificabantur. Primo condebatur lex adversa Ecclesiae et deinde sequebatur persecutio.

Tempore ultimi belli in nomine « legis » milia milium hominum « legaliter » occisi sunt. Tamen Iudicium internationale non admisit excusationem eorum qui secundum « legem » egerunt. Lex potest esse summa iniuria et propterea *in hoc puncto* dici debet de qua lege est sermo.

Processio in festo Corporis Christi, die Omnium Fidelium Defunctorum, ad sanctuaria mariana, catechesis puerorum in ecclesia, immo introitus puerorum ante 18 annum finitum in ecclesiam, potest esse « contra legem » quae « legem » laedit et quidem non tantum « aliorum hominum privatorum sed « omnipotentis » status.

In discussionibus cum atheis ministris status, hoc argumentum semper redit: « contra legem agis », « contra ordinem publicum ».

Ego iurista non sum. Studui in Instituto Biblico. Commissio habet ad suam dispositionem innumerabilem numerum peritorum qui possunt eam adiuvare in hoc, certissime arduo labore.

Schema in se perpulchrum, optimum, hoc in puncto debet mutari et mens membrorum commissionis alio modo exprimi debet.

133

CONFERENTIA EPISCOPORUM APULIAE

1. *Modus generalis.* Schema, quod suffragandum proponitur, etsi sub aliquibus aspectibus melior sit textu praecedenti, videtur tamen nimis diffusum in expositione, quod minus convenit *declarationi,* quae clara, absque ulla possibilitate confusionis vel aequivocationis, et brevis esse debet. Modus ergo est: *a*) auferatur integer n. 1, transferendo ea, quae pag. 4, linn. 9-19, habentur, ad n. 3; *b*) contrahatur n. 2; *c*) contrahatur tota declaratio ita ut in ea enuntientur principia certa, sive theologica sive iuridica, quamvis ambiguitatem vitando, neque nimis ad particularia descendatur.

2. Pag. 7, n. 4, linn. 24-25. Verba « vel invenisse iudicaverint. Quae omnia valent maxime de veritatibus in re religiosa etc. », cum aequivocationi sese praestent, auferantur.

In genere, fundamenta libertatis religiosae maiore perspicuitate sunt indicanda.

3. Pag. 9, n. 5, pag. 10, n. 6, pag. 11, n. 7, pag. 12, nn. 8-9. In limitibus (vel amplitudine) libertatis religiosae indicandis non tantum ratio habenda est ordinis publici, sed totius boni communis in suis historicis *contentis* (contenuti).

4. Pagg. 15, 16, 17, n. 13. Clare in tuto ponantur auctoritas dogmatica Ecclesiae et eius ius poenale. Aliis verbis clare affirmetur non haberi libertatem religiosam intra Ecclesiam.

134

EPISCOPI REGIONIS GALLIAE OCCIDENTALIS

1. Titulus declarationis *de libertate religiosa* immutetur in « De libertate in re religiosa » et deinceps agatur tantummodo de ista libertate « in re religiosa », ut ostendatur Ecclesiam petere observantiam libertatis, non tantum credentium (libertas religiosa) sed etiam non credentium et atheorum (« libertas in re religiosa »).

2. N. 1, lin. 2: « et cuiusvis potestatis mere humanae ». Deleatur « mere »: istud adverbium videtur annuere homines non esse « liberos seu immunes a coactione » ex parte Ecclesiae, quod est contra spiritum et mentem declarationis et effectum eius omnino in nihilum redigit.

3. N. 2: Conspectus historicus de toto resumi debet. Non debemus oblivisci ab Ecclesia, decursu saeculi XIX, damnatos esse catholicos « qui non nitebantur in placito rationalistico de absoluta autonomia individualis rationis humanae, secundum quod homo est sibi ipsi lex et Deo nullatenus subiicitur ». Harum damnationum explanatio, qualis a schemate proponitur, non est igitur exhaustiva. Perutiliter attenderetur interventui D. Garrone in aula, sicuti primae relationi D. De Smedt ostendenti evolutionem Ecclesiae mentis secundum duplicem legem continuitatis et progressus. Decursu temporis evangelicum fermentum fermentatum est; notiones aliquae in maturitatem venerunt. In hoc conspectu historico, non esset timendum dicere Concilium deplorare abusus ab ecclesiasticis hominibus admissos.

4. N. 3: Totum primum tractum, usque ad verba « sustentat et commendat », delendum oporteret. In hoc tractu, verbum « libertas » non semper utitur eodem sensu. Neque verum est semper et ubique veritatem evangelicam « in societate humana plura beneficia » produxisse. De cetero beneficia illa saepe producta sunt extra Ecclesiae publica organa.

In secundo tractu solemnius loqui oporteret. Hoc mundus exspectat *ut Ecclesia solemniter agnoscat ius in « libertatem in re religiosa » eorum omnium qui filii eius non sunt.* Hoc magis importat quam expostulatio ut libertas illa ab imperio publico agnoscatur.

5. N. 4. Ut progressus cogitationis et expositionis melius sequatur, immutetur ordo paragraphorum et sic ponatur: 1. conscientia humana (*d*); 2. inquisitio veritatis (*b*); 3. integritas personae (*a*); 4. indoles religionis (*c*); 5. moderatio civitatis (*e*).

§ D, lin. 10: sic dicendum esset: « Inde sequitur principium morale *essentiale* (et non *absolutum,* quod nullum prorsus limitem admittit) quod vetat ne quis cogatur ad agendam contra suam conscientiam, *praesertim in re religiosa...* ».

Pag. 9. Deleatur locutio: *regimen animorum.* Etenim imperium publicum inquirere debet ut promoveatur ordo quidam humanorum valorum qui pertinet ad hoc regimen animorum.

6. N. 5: In *§ B,* non dicendum est ordinem publicum esse partem essentialem boni communis; est solummodo conditio quaedam. Dicendum est libertatem in re religiosa esse quoddam essentiale elementum boni communis, inducendo in textum latinum: « Libertas in re religiosa est quaedam pars essentialis boni communis et quidem magni momenti ».

Sub finem *huius tractus B,* deleatur: « per perturbationem pacis publicae », quia persecutores in promptu habebunt dicere exercitium libertatis in re religiosa pacem publicam perturbare.

7. Consequentiae practicae male veniunt hoc loco. Reiiciendae sunt post n. 13, ante n. 14.

8. N. 6. In primo tractu, verbum « tueri » immutandum est in « promovere ». Secundo tractu, lin. 13, verbi « enim » in locum veniat « de cetero »: quod sequitur non est consequentia praecedentis, sed nova veritas.

9. N. 7. In fine tertii tractus, cum agitur de bonis, pro certo affirmandum est ius ea acquirendi eisque fruendi non esse illimitatum. Agitur de bonis necessariis ad exercitium vitae religiosae.

10. N. 9. Delenda est locutio « atque in ipsa natura religionis »: ista determinatio argumentum, quod vim generalem intendit habere, debilitat.

11. Textus sub hoc n. 10 delendus est. Proponit enim doctrinam « maximalem » et quidem infeliciter.

Prima sententia prorsus ridicula est hoc loco. Neque oportet in textu declarationis scribere: « Atque ideo propria est Ecclesiae, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum faciunt ». Neque etiam a potestate civili rogandum est ut agnoscat Ecclesiam tamquam divinitus convocatam.

Saltem oportet deleatur comma quod, in primo tractu, sequitur: « in bonis Ecclesiae... ». Sententia fit enim declaratio intolerabilis et est provocatio episcopis putantibus sibi officium esse ut suis fidelibus bona Ecclesiae largiantur.

In secundo et tertio tractu, locutiones: « sibi, cui soli, ei soli, sibi » sunt intolerabiles. Ecclesia loqui debet modo praesentativo, non auctoritativo.

Incipienda est a n. 11 expositio « de libertate in re religiosa » sub luce revelationis.

12. Sub n. 11, lin. 5. In locum verbi « tamen », veniat « ideo ».

13. Sub n. 13. In ipsa fine pag. 16, post verbum « patienter », addatur: « ac maxime quoque reverenter ».

14. Inscribatur decet prae textu huius n. 14, titulus *Conclusio,* in characteribus prorsus similibus iis quae inveniuntur pag. 3, 7, 10, 12.

[*Subscripserunt*] Massé; Villepelet; Cazaux; Guyot; Jacquemin; Fauvel; Chevalier; Riopel; Pioger; Mazerat; Favé; Guilhem; Kervéadou; Boussard.

135

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

I. *Animadversiones fundamentaliores.* 1. Maxime exoptamus, ne haec declaratio fiat propter rationes potius opportunisticas. Ecclesia magno animo libertatem religiosam reapse optimum bonum humanitatis aestimare debet, non quidem malum tolerandum. Omne quod merum opportunismum sapit, de schemate est eruendum. Attamen censemus brevem expositionem historicam praeviam (sub n. 2) licet non exhaustiva sit, esse optimam ut mens catholicorum serene adaperiatur facto historico cuiusdam evolutionis doctrinae ecclesiasticae secundum varias temporum condiciones.

2. Licet praeprimis omnis species indifferentismi evitanda sit, Ecclesia tamen tenorem fundamentalem huius schematis ne mutet seu debilitet sub praetextu, quod sola Ecclesia Christi est unica vera religio absoluta. Hoc pro nostra fide verissimum est, sed nequaquam diminuit veritatem et exigentiam libertatis religiosae. Ad quod si non attendatur, periculum adest, quod notio aliqua libertatis religiosae proponatur quae assimilatur illi, quod dicitur in art. 124 Constitutionis communisticae URSS, nempe: « libertas exercitii cultus religiosi et libertas propagandae anti-religiosae omnibus civibus agnoscenda est » (*Grosze Sowjet-Enzyklopädie,* s. v. « Atheismus », Dietz-Verlag, Berolinum 1955, p. 26): i. e. visioni mundi, unice verae censendae (in hoc casu atheismo), soli competit libertas propagandae, ceteris vero omnibus tantum libertas religiosa plus minusve privata sed non ius propagandae. Ecclesia catholica, seipsam non propriis meritis sed merito Christi reapse ut absolute veram agnoscens, facile in tentationem potest venire ut de facto eandem « tacticam » relate ad alios exerceat. Quod tamen esset negatio verae libertatis religiosae. Cum tamen Ecclesia ab hominibus non raro de tali tactica incriminetur, schema omnem ansam huic criminationi sedulo vitare debet.

3. Quantum ad « fundamenta libertatis religiosae » laudamus, quod schema « bonum commune » non ut fundamentum ipsius libertatis religiosae ponit, ut quidam volunt, sed tantum ut fundamentum concretae eius limitationis. Etenim, si ipsum bonum commune ponatur libertatis religiosae fundamentum, reapse dignitas humana periclitatur, personaque affirmatur esse pro Statu, non Status pro personis humanis.

Ex altera parte, licet conscientia humana (pag. 8, sub d littera) recte ut

aliquod fundamentum libertatis religiosae ponatur, oportet tamen notetur quod ius civile et proinde libertas iuridica sunt independentes a statu conscientiae civium. Status enim non est dirimere, utrum cives sequantur praecepta suae conscientiae, necne; aliis verbis: Status non est dirimere, utrum eius cives sint bonae vel malae fidei. Ipse Status debet proinde protegere libertatem non tantum civium qui reapse dictamen conscientiae sequuntur, sed libertatis *omnium* civium sine ulla exceptione. Libertas iuridica et legalis adesse debet, *ut* spatium detur exercitio libertatis conscientiae, sed iudicium ferre de interna bona vel mala fide civium in re religiosa ad competentiam Status non pertinet. Ex hoc sequitur, quod mera enumeratio aliquorum fundamentorum (pag. 8, sub a... e litteris) non dat plenam satisfactionem et potest esse ambigua. Loco huius enumerationis sequentia proponuntur. In n. 4 (pag. 7) prius affirmanda est lex universalis, quae nunc habetur in pag. 8, sub d littera: « Suprema humanae vitae norma est lex divina, universalis ». Dein dicendum est, obligationem moralem (humanam et divinam) non adversari libertati humanae, sed eo tendit, ut libertas vere libera et homine digna sit. Tunc dicendum est, quod dicitur pag. 8, sub d littera, nempe: « Homo *tamen* legi divinae obtemperare tantummodo potest, secundum quod illam sui ipsius conscientiae dictamine percipit. Neque finem suum... fideliter oboediat ». Tunc inserendum est quod nunc dicitur pag. 7 sub b littera, de « inquisitione veritatis ». Demum disserendum est de « integritate personae » (pag. 7, sub a littera): i. e. cum homo secundum dictamen conscientiae propriae legi divinae obtemperare debeat, propter nexum inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem etiam ius habet ad exercitium publicum religionis. (Nunc schema sub a littera affirmat fundamentum manifestationis socialis libertatis religiosae, quin prius fundaverit ius libertatis interioris. Quod est ordo praeposterus).

Proinde sermo fieri non debet de *diversis* fundamentis libertatis religiosae. Quae dicta sunt pag. 7-8, sub a, b et d litteris, *in unum* organice sunt conflanda, quia agitur de *unico* fundamento sub multiplici respectu. Quod fundamentum est ipsa natura hominis, qui ut persona sub lumine valorum moralium *seipsum* libere determinare debet et ita directionem dare vitae suae. Huius ordinationis vitae propriae ipsa libertas humana est principium intrinsecum et liberum, quod nullo modo ab extrinseco potest *cogi* vel violari. Homo ipse enim dominus actuum suorum esse debet. Libertas religiosa iuridica in societate semper adesse debet, *ut* reapse libertas humana spatium habeat in officio tam alto humano ordinandi directionem propriae vitae; nulla proinde potestas humana extranea *se substituere* potest principio activo et intrinseco actuum humanorum.

Ideo melius manifestari potest, « libertatem » esse « libertatem *a...* » (a coactione omnis generis), *ut* esse possit reapse « libertas ad... » (ad valores vere humanos realizandos). Quae quidem notio plane deest in schemate.

Postea tantum agendum est de « aspectu sociali religionis » (quae nunc habentur pag. 7-8, sub c littera), et, demum, consequentia horum omnium affirmantur, nempe ea quae nunc habentur pag. 8-9, sub e littera (« moderatio civitatis »).

Et tunc transitus fiat ad n. 5 de « limitibus libertatis religiosae ».

Recapitulando: pag. 7-9, n. 4 de « fundamentis libertatis religiosae » *organice* est redigendum, *proficiscendo a* suprema humanae vitae norma (d littera), *detegenda* per propriam inquisitionem veritatis (b littera) et *affirmanda* per dictamen propriae conscientiae (d littera) et *in praxi* deducenda in ordine interiori, et exte-

riori, privato et publico, propter integritatem personae humanae quae natura sua est socialis et exiens in exteriora (a littera). Ita faciendo, plurimae difficultates ab ovo evitantur et declaratio de libertate religiosa non sapit opportunismum (« quia nunc omnes homines valde illam aestimant »!), sed eam ipsa natura et dignitate hominis inniti penitius indicatur. Tunc organice sequitur paragraphus de aspectu sociali religionis (c littera), et consequentia pro moderamine civitatis, quod tantum respicit actus publice exteriores civium, etiam in religione constitutorum, organice sequuntur (e littera), atque logice via sternitur ad considerationem limitum libertatis religiosae (n. 5).

4. Laudamus quod prius schema agitur de fundamento humano libertatis religiosae et postea de lumine revelationis. Etenim « libertas religiosa » est « datum » evidens conscientiae humanae moralis hodiernae. Quem valorem Ecclesia solemniter debet declarare, indicando tamen verum eius fundamentum, quo plane distinguitur ius ad libertatem religiosam ab omni specie indifferentismi. Quam ob rem hunc ordinem in schemate retinendum esse putamus.

Attamen c. 4 « Doctrina libertatis religiosae sub luce Revelationis », melius posset structurari: nempe *prius* nn. 12 et 13, tunc n. 11, et demum n. 10. Etenim n. 12 incipit: « Libertas religiosa prout hodie intelligitur, altas radices habet in verbo Dei » et optime indicat transitum considerationis libertatis religiosae sub luce rationis ad considerationem eiusdem sub lumine revelationis. Ordo proinde sit: n. 12, n. 13, n. 11, n. 10.

5. Datur etiam in toto schemate quaedam ambiguitas inter ordinem « exteriorem » et ordinem « publicum ».

In omnibus sphaeris, sive privatis sive publicis, valet norma moralis; sed norma *iuridica* tantum valet pro exterioribus *publicis*. Schema, sub n. 4, a littera (pag. 7), loquitur de inseparabili nexu inter aspectum *socialem* et aspectum interiorem. Sed dantur sphaerae activitatis exterioris sed privatae. Quaeritur, utrum sphaera « exterior sed privata » cadere possit sub norma *iuridica,* et per consequens sub moderamine civitatis? Textus in hoc non est clarus. Proinde, v. g., pag. 3, n. 1, in penultima linea, oportet addatur: « sed etiam in religionis libero exercitio *etiam publico* », cum detur exercitium exterius sed privatum religionis.

In hoc contextu schema non satis insistit in hoc, quod *societas* (religiosa) non tantum est necessaria ad personalem crescentiam vitae religiosae, sed habet quendam valorem in seipsa. Quam ob rem fundamentum nn. 7, 8 et 9 (pag. 11-12) melius posset indicari.

II. *Particularia.* Pag. 6, lin. 9, dicitur: « (Synodus) affirmat et docet ... *non liberum* esse unicuique homini quam quisque maluerit sequi in vita religiosa sententiam, sed unam religionem veram esse ». In hoc contextu vocabulum « liberum » est ambiguum et prorsus evitandum. « Libertas » hic sensu arcto adhibetur, nempe ut contradistincta ab obligatione morali. Attamen adhaerendo obligationi morali homo in summa libertate constituitur. Ideo dicatur: « ... affirmat et docet, iuxta constantem Ecclesiae doctrinam, homini *non licere* in vita religiosa sententiam sequi quam *arbitrarie maluerit.* Una est enim religio vera, quam... ». Iuvat, ut punctum finale habeatur post « maluerit », secus duplex elementum eiusdem phrasis est ambiguum, quia duplex affirmatio (arbitrarie malle) et « unam esse veram religionem » non sunt eiusdem ordinis.

Pag. 6, linn. 21-28: in his lineis datur iustificatio, quare doctrina catholica

de unica vera religione non adversetur libertati humanae et civili (11, 18-21). Sed iustificatio videtur valde impropria et indirecta. Ideo, prius fundamentalis iustificatio oportet ponatur, nempe: obligatio moralis non adversatur libertati creatae humanae, sed potius hanc libertatem vere liberam reddit. Ergo, pag. 6, lin. 21, post verba « in vita religiosa ducenda » et ante « Veritas enim evangelica » inserenda sunt sequentia: « Obligatione enim morali et religiosa libertas creata non minuitur, sed vere libera ab omni coactione constituitur. Insuper veritas evangelica... ».

Schema silet de condicione minorennium et aliorum his similium relate ad libertatem religiosam. Nonne aliquod verbum esset addendum de his sub n. 5, ubi agitur de limitibus religiosae libertatis?

Dantur enim iura parentum et tutorum. Similia valent de dictis relate ad libertatem Ecclesiae evangelizandi, pag. 13, lin. 4 ss. (etiam hac in re iura parentum violare Ecclesiae non licet). Quaestio poni potest, utrum declaratio de libertate religiosa non esset manca, si sileatur problema, quaenam iura minorennes habeant independenter a parentibus ac tutoribus, et quaenam iura hi habeant in minorennes.

Pag. 16, linn. 8-9: circumlocutio « quibus Dominus unus est » videtur sat confusa. Quid hoc sibi vult?

Praesertim in n. 4 multa habentur absolute dicta, quae tamen sub n. 5 limitantur. Nonne post quasdam affirmationes absolutas addendum esset « salvis dicendis sub n. 5 », praesertim sequentibus in locis: *a*) pag. 6, n. 2, linn. 1-4; *b*) pag. 7, n. 4, *d,* in fine; *c*) pag. 8, n. 4, *c,* in fine; *d*) pag. 11, n. 7, 4 alinea.

N. 2, pag. 6, lin. 2-4. Sermo fit de « iure hominis, ut sit in re religiosa immunis a coercitione, *praesertim* ex parte potestatis publicae ». Intentio sane rectissima est, et patet schema per « praesertim » intendere inclusionem « immunitatis a coercitione ex parte *hominum individualium* ». Sed materialiter redactio grammaticalis subaudit ipsam Ecclesiam nullam habere vim (spiritualem) coercitivam erga proprios subditos! Quod est contra intentionem schematis, uti patet. Hoc ultimum ponit specialem quaestionem de consociationibus s. d. liberis. Si quis enim libere accedat ad aliquam societatem, puta Ecclesiam, ipse sese obstringit ad tenenda principia fundamentalia et vitalia ipsius societatis. Quodsi postea recusat, merito a societate excommunicari potest vel puniri: talibus enim in casibus consocietatum liberarum aliae et leges vigere incipiunt, quia societates illae praecise essentialiter consistunt in adunatione multorum per liberam acceptationem principiorum fundamentalium ipsius consociationis, quibus reiectis ipsa consociatio evanesceret. Recusans numquam potest cogi ad agendum contra suam conscientiam, sed ipsa consociatio se defendere potest contra vires ab intrinseco eam mollientes. Si haec omnia silentur, schema confusiones gignere possit! Sed tunc addendum est, quod in tali processu excommunicationis aut punitionis (spiritualis, uti patet, quando de Ecclesia agitur), iura hominum (v. g. auditionis et defensionis) sunt observanda.

N. 3, pag. 6, lin. 26: addendum est « etiam »: « quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem *etiam* civilem in re religiosa firmiter sustentat et commendat ».

N. 6, pag. 10, in initio dicitur: « Inviolabilia hominis iura tueri praecipuum est cuiusvis potestatis publicae officium ». Loco huius dicatur: « Inviolabilia hominis iura tueri *ad* praecipuum cuiusvis potestatis publicae officium pertinet ». *Ratio*:

Potestatis publicae non tantum est tueri iura hominum, sed etiam eos adiuvare ad implenda officia et obligationes (cf. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, pp. 273-274).

N. 7, pag. 11: dicitur « ut *Deum* cultu publico honorent ». In hoc textu consideratio coarctatur ad religiones christianas vel saltem monotheisticas, dum ratio latius patet: ergo dicatur « ut *numen supremum aut numina superna* cultu publico honorent ».

N. 7, pag. 11-12: haec alinea postulat pro communitatibus religiosis ius sequens: « ostendere singularem valorem *veritatis* religiosae in ordinanda societate... ». Cum agatur de quibusvis religionibus verbum « *veritas* » non est ad rem! Dicatur proinde: « extendere valorem doctrinae suae religiosae... ».

Conclusio generalis. Maxime laudantes tenorem fundamentalem ipsius schematis, permulta adhuc in textu sunt perpolienda et melius redigenda.

Quaedam particularia. Pag. 5, n. 1, lin. 6: loco « una enim communitas sunt omnes gentes », dicatur: « Ad unam enim communitatem vocatae sunt omnes gentes ». *Ratio*: communitas non datur, sed facienda est.

Pag. 7, n. 4, linn. 25-27: addatur « specialis », nempe « Sacra haec Synodus meminit vinculi specialis quo populus N. T. cum stirpe Abrahae coniunctus est ». *Ratio*: quia in priore numero, sub n. 3, relate ad Musulmanos iam sermo fiebat de aliquo vinculo (Musulmanorum) cum Abraham.

N. B.: Pag. 7, n. 1, linn. 1-2: licet verbum « genus humanum » de se bonum est, melius tamen esset dicere « homines » simpliciter. Ergo: « Nostra aetate in qua homines in dies arctius uniuntur... ».

136

PLURES PATRES CONCILIARES COLUMBIAE

Schema ita ut invenitur *non placet.*

Adnotationes in genere. 1. In schemate sub unico conspectu, in linea aequalitatis, agitur de libertate religiosa et de Status relationibus tum erga Ecclesiam catholicam, tum erga ceteras ecclesias vel religiosas communitates.

Hoc autem non placet. Nam, religiosam libertatem quod attinet, fieri potest ut concreta affirmatio universim valida obtineatur; sed relationes quod attinet, cum agatur de doctrina discutibili, sub adiunctis valde diversis, universalis norma statui nequit, etsi hoc in aliquibus nationibus conveniens appareat. Etenim: in schemate haec sub aspectu pragmatico-regionali aguntur, prae oculis habitis adiunctis historicis, socio-religiosis et politico-iuridicis huius vel illius nationis.

Progressus historicus, religiosus, iuridicus et politicus universarum nationum mutari et in unum redigi, sub aliquarum regionum exemplo, per conciliare schema, non potest. Neque eiusmodi formas meliores esse in praxi, vel solas esse veras hucusque probatum fuit. « In dubiis libertas ».

Unde: primum considerari debet; aliud autem, si placet, ad aliud schema deferatur, ne doctrina et principia, ex quibus confusio et falsae applicationes oriantur, passim commisceantur.

2. Specialis sensus quo vox « ius » accipitur in finali tantummodo schematis relatione exponitur, et hoc confusionis periculum gignit. Sensus ergo, quo vox « ius » accipienda venit, in textu conciliari aperiatur.

3. Proselytismus modo vago consideratur; tractari debet strictis et certis normis, ne valde generica habeantur principia, quibus innixae aberrationes pessimae legitime propagari posse arbitrentur.

4. Generaliores et non satis certae statuuntur praemissae, ex quibus absurdae conclusiones deduci possunt. Ita in numero 4 sub *a*) et *b*).

5. In nova huius schematis scripta praesentatione observationes a magnis catholicis coetibus remissae omnino parvipenduntur.

Speciales adnotationes. Ad n. 1. Deest gravium rationum relatio, quibus huius thematis tractandi necessitas patescat.

Cum enim specifica ratio agendi SS. PP. Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII, testante em.mo cardinali Bea (cf. *Aggiornamenti Sociali,* Milano 1964) semper fuerit necessitas libertatis religiosae contra totalitarismos materialistas consolidandae et vindicandae eadem necessitas in schemate alleganda est in concreto.

In par. 2, si eius momentum attendatur, multa desiderantur: Nec statuitur nec satis sustentatur ipsa religiosae libertatis natura. Libertas agendi secundum propriam conscientiam certis limitibus non circumscribitur; quae a bono communi postulantur clare et distincte percontari debent.

Ad verba « intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur », haec alia addantur: « ut in n. 5 *b*) clare explicantur ».

Ut melius religiosae libertatis conceptus patefiat, addantur in fine huius numeri exc.mi relatoris verba, quae pag. 37 leguntur: « Exinde constat quod affirmando libertatem esse verum ius hominis nullatenus affirmatur, omnes religiones eamdem aequalem auctoritatem positivam habere, a Deo receptam, ut exsistant seseque propagent. Neque affirmatur, potestati publicae licere omnibus religionibus positivam auctoritatem dare, ut aequo iure in societate gaudeant. Declaratio enim agit de personis humanis sive singillatim sive collective sumptis ».

Ad n. 2. Si relatio historica sustentatur, referendum simul est quomodo Ecclesia humanam dignitatem, Dei inalienabilia iura, obiectivam veritatem, veram religionem, bonum societatis commune, aliaque strenue vindicaverit, ut omnia logice cohaereant.

Ad n. 3, par. 2. Cum Concilium ad universam Ecclesiam respiciat, non est statuendum ab ipso, circa religiosam libertatem, « regimen iuridicum hodiernum », quod datur et expedit pluribus nationibus pluralitate praeditis, sed ceteris nec potest, nec debet imponi. Unde: vel revertendum est ad antecedentem textum sub n. 29, vel delendum inde a verbis, « regimen iuridicum hodiernum » usque ad verba « haec sacra Synodus declarat libertatem religiosam esse verum ius » ...: nam affirmatio, quae ita suppressa venit, liberalismum approbatum (hispanice « canonizado ») sapit.

Nota 17 omittatur, nam novos et non probatos auctores in textu conciliari invocare inconveniens est.

Ad n. 4. Aliud est principium personalis libertatis, quo quis propriae conscientiae dictamen, dummodo recta sit, sequi potest, quodque unicuique hominum in materia religiosa tribui potest; et aliud est principium socialis libertatis, seu publicum earum convictionum exercitium; et hoc aliud principium ipso societatis fine, bono communi (certis uniuscuiusque nationis adiunctis aestimandum) et aliorum iuribus limitari debet.

Ex praemissis universalissimis, nimia extensione ditatis, conclusiones educuntur valde universales, discussioni obnoxiae, hoc in absurdum devenientes: quaevis

humana aberratio, licet pessima, ius sese propagandi et honoris sibi vindicare potest; et eiusmodi ius, primigenium et naturale cum sit, logice limitari nequit, etsi levissimae restrictiones ibidem insinuentur. Hoc modo proselytismus sectarum omnium et errorum in materia religiosa admissus habetur.

Neque admitti potest quod sub ordinali *a*) dicitur: « Nam non omnes internae hominis volitiones externum et sociale ius generant.

In ordinali *c*) eadem nimia conceptuum generalis acceptio, ab antecedentibus principiis derivata, apparet.

In ordinali *d*) limitatio statuta verbis « salvo ordine publico » non sufficit; dici debet: « salvis iuribus aliorum, fine et bono communi societatis ».

In ordinali *e*) apparet propensio iam adnotationibus generalibus signata, qua universae Ecclesiae, schemate mediante, intenditur imponi opinio, quaedam inter mere probabiles, circa modum concipiendi Statum, necnon et relationes inter civilem potestatem et religiosum factum. Rerum nostrarum veritate perpensa, eiusmodi opinio inacceptabilis evadit. Quare ex Leone XIII et ex Pio XI adducuntur, habenda sunt tamquam voces supremae in altum sublatae contra civilis Status superbam ambitionem recludendi et subiciendi sub temporali regimine sanctam Ecclesiam.

Nec desunt qui e contrario Statum desiderent cuius munus omnino sit materiale; unde consequitur politicum ordinem a lege morali et a revelatione dissociari.

Si Status finis est bonum temporale assequi, attamen cum Deum etiam habeat auctorem, ipse Status Deum debet agnoscere Eique cultum praebere (Leo XIII, *Libertas*).

Status boni communis defensor constitutus, bona (hispanice « Valores »), quibus civitas et patrius affectus sustentantur, spernere non potest. Quamvis ipsius non sit haec creare bona, neque sese Ecclesiam cogitare, religiosa tamen bona ad vitam nationalem alendam utilia promovere debet, eaque, si iam invenientur, protegere et conservare etiam privilegia Ecclesiae concedendo. Status erga veram religionem positivas obligationes habet.

Ad n. 5, in ordinali *b*). Limitatio, quae ex ordine publico derivatur satis vaga et insufficiens apparet.

Ad n. 6. Quod hoc numero continetur est consequentia ex positis praemissis, discussioni obnoxiis, deducta, nam Statum quodam Laicismi moderati sensu concipit. Ob haec verba: « itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter ordinationes religiosas », iuste inquiritur: An reicienda sint auxilia catholicis institutionibus sive educationis sive beneficientiae a Statu, catholicis in nationibus concessa, nisi aequalia similibus institutionibus aliarum religionum concedantur? Etiamsi hoc absurdum attenuari videtur in n. 4 pag. 38, talis attenuatio nec vim, nec sensum textus conciliaris habet, immo et deletur statim verbis, quae n. 5 pag. 39 leguntur, quibus indicantur veluti obsoletos fines concordatorum: « Prosequi privilegia legalia varii ordinis ».

Haec est implicatio doctrinae discussae relationum inter Ecclesias et Statum, quae recte hoc schemate tractanda non venit, prout in observationibus generalibus dictum fuit.

Hic n. 6 acceptabilis evaderet verba clarissimi relatoris addendo, quae pag. 39 leguntur: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate, ubi catholici numero praevalent ... » usque ad « ... ducere vitam ».

Ad n. 7. In commentario ad n. 4 demonstratum est quomodo principium, quo,

ex libertate personali, nulla praehabita distinctione, ad socialem libertatem transitus fit, esse valde aequivocum.

Et hoc aliud principium: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide ore et scripto, publice docenda atque testanda », eadem gravi observatione oneratur. Eiusmodi doctrina haberi non potest uti Ecclesiae communis et certa; documentis pontificiis ullo modo innititur; nec eadem doctrina tantarum sectarum infensum proselytismum continere valet; quod pro catholicismo verum publici ordinis negotium constituit. Omnino repugnat, ob convenientes pro aliquibus nationibus affirmationes, religiosam unitatem scindere etiam in vastis catholicitatis regionibus, et multorum fidelium religiosa ignorantia laborantium apostasiam acceptare uti lacrimabile pretium pro convenienti dictorum. Statim ac catholici Europae ad solidandam nostrarum gentium fidem, quod Evangelii operariorum carenti impeditur, efficaciter adiuverint, alia omnino profutura adiuncta novas institutiones excogitandas permittent.

Ad n. 8. Status, ulli religioni favere intendens, si tantum scholas constituat, ex quibus omnis religiosa educatio penitus excludatur, verum patrumfamilias ius violat. Hoc connotare valde conveniens est, nam hoc agendi modo puerorum libertas non custoditur, sed atheismus ipsis vere traditur.

Circa familiae ius in educandis filiis notandum est matrem hac in re non esse patre inferiorem; si ergo mater prolis postulat educationem in vera religione, haec matris voluntas despici non potest. Si dicatur: quando vir et mulier non eamdem habent religionem, viri opinio praeferenda est, eo quod Status discrimen solvere non valet, in agnosticismum inciditur, nam agnosticismus veram religionem non posse cognosci contendit.

Ad n. 10. Saltem in initio de qua agatur Ecclesia indicetur. Ceterum, nullius momenti est affirmare pro catholica Ecclesia solum ius ne impediatur; nam summo cognito momento evangelici nuntii, quod hominibus in eorum propriam utilitatem Ecclesia offert, iam elucet ipsam Ecclesiam iuvandam esse legibus, quibus ad vitam instituendam sub veri praeceptis difficultates non parentur. Nec sufficit dicere: Status leges ad normam iuris naturae ferat; nam naturale ius multa habet non facilia intellectu, et in eius interpretatione errorem non fugit quisquis Ecclesiae catholicae magisterium non admittit; nam Deus Ecclesiam suam assistit, ut ius naturae interpretari recte queat. Omnes acatholicae nationes, v. g. divortium etiam gravi cum bono sociali detrimento admittunt; Suecia et Iaponia leges contra ius vivendi, quod homini etiam antequam nascatur competit, habent; in Puerto Rico humana sterilizatio favetur; olim in Germania sub regimine vulgo « nazi » incurabilibus ius vivendi denegatum fuit, et alia multa vere criminosa, sub specie nationalis progressus perpetrata sunt; in Germania Foederata abortus legitimare intenditur, si conceptio per actum violatorium habita est, etc. Hoc principium: « Religio est supra competentiam reipublicae » fieri potest causa cur Status sola humanistarum et naturalistarum luce in agendo ducatur ita ut talibus regulis sacrum personae humanae ius etiam naturale violetur aut denegetur.

Ad n. 11. Affirmatio statuitur de veritatis sufficientia ut ipsa per se sola et cognoscatur et admittatur. Hoc autem nimio spiritualismo et optimismo indulget veluti classicus liberalismus (« Homo bonus est et sponte in veritatem et bonum inclinatus »).

Ad n. 12. « Excursus » momento gaudet, sed alibi locandus est. Annotationes circa relationem qua schema proponitur.

In fine pag. 27 legitur: « Non est ius Status ut personam humanam dirigat in re religiosa » ... « Religio supra competentiam reipublicae ». Attamen Statui competit vitam socialem ita ordinare, ut secundum moralitatis regulas verae religionis vitam instituere et possibile et facile eveniat. Si Status veram religionem cognoscere nequiverit, leges condet secundum suam naturalem cognitionem, quae, actuali experientia teste, ipsum ius naturale primarium violat, uti iam supra dictum est. Iuxta dictum in pag. 38 in fine, Status confessionalis admitti potest; sed « cavendum est ne ex instituto religionis statalis deriventur consequentiae, quae aequalitati omnium civium in iure publico damnum inferrent ». His positis, institutiones catholicae in natione catholica iuvari non possent, nisi pari modo institutiones protestantes adiuventur. Et haec quomodo conciliari poterunt cum dictis in pag. 29 in fine: « Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate, ubi catholici numero praevalent, Ecclesiae catholicae quaedam privilegia aut etiam officialis agnitio tribuatur? » Cum in pag. 38 Status confessionalis admittatur, talis admissio eo venit ut catholica religio tamquam civium maioritatis propria non autem tamquam statalis recognoscatur; Status ergo religionem habere non debet; et nulla in rebus religiosis obligatione teneretur. Cf. pag. 28: « Religio supra competentiam reipublicae ».

Aliud, immo contrarium, deducitur tum ex Litteris Encyclicis *Libertas* Leonis XIII, tum *Mediator Dei* Pii XII, cuius sunt sequentia verba: « Illud proculdubio hominibus praecipuum officium est: ut se quisque vitamque suam ad Deum dirigat. Homo autem recto ad Deum dirigitur cum supremam eius maiestatem supremumque magisterium agnoscit ... cum denique cultum atque obsequium per religionis virtutem Deo uni et vero praestat. Quod quidem officium, si homines singillatim primo loco obligat, at humanam quoque communitatem universam, socialibus mutuis nexibus conformatam obstringit, cum et ipsa a summa Dei auctoritate pendeat ». *A.A.S.,* 1947, pp. 525, 526. Litteris vero Encyclicis *Summi Pontificatus* affirmatur Statum veram ignoscendo religionem sibi ipsi tribuere illam, quae soli Deo competit, absolutam autonomiam, et hoc modo sese totius iuris arbitrum constituere. Iuris gentium et iuris naturalis efficientia uni arbitrariae Status potestati immolatur, quin ipsius Status abusus in iuribus interpretandis cohibeatur (cf. *A.A.S.,* 1939, pp. 423, 431, 437 et 438).

[*Subscripserunt*] G. Villa Gaviria, ep. Barranquilla; A. Ocampo, arch. Tunja; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; A. Duque Villegas, arch. Manizales; J. Arango, praef. ap. Guapi; J. Giraldo, ep. Pasto; L. Irizar, vic. ap. Tumaco; Pl. Crous, vic. ap. Sibundoy; A. Arteaga Yepes, ep. tit. Auzegera; M. Arce, ep. Ipiales; G. Escobar, ep. Antioquia; B. Alvarez, ep. Pereira; A. Muñoz, arch. Nuevo Pamplona; J. Pimiento, ep. Garzón-Neiva; B. Arango, ep. Barrancabermeja; M. Medina, ep. Monteria; P. Grau, ep. tit. Pella; P. Rivera Mejía, ep. Socorro y San Gil; L. García, praef. ap. Arauca; G. de Orihuela, praef. ap. S. Andrés y Providencia; G. Garavito, ep. tit. Ciparisia, aux. Villavicencio; S. Mari, vic. ap. Riohacha; J. Coronado, praef. ap. Ariari; N. Forero, ep. S. Marta.

137

PLURES PATRES CONCILIARES

A

Pag. 3, lin. 1, *placet iuxta modum*. Titulus dicit « Libertatis religiosae generalis ratio ». Dicatur « Libertatis religiosae apud hodiernos populos generalis ratio ». *Ratio*: ne videatur Ecclesia catholicam suam doctrinam theologicam, tantis Ecclesiae documentis munitam, deserere.

Pag. 3, linn. 13-17: *Placet iuxta modum*. « Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana et vera iustitia fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut verum ius civile evadat ». *Ratio*: nisi textus aliquoties mentionem faciat de « iustitia » i. e. de elemento necessario obiectivo, quo solo verum ius stat et constituitur, positivismus iuridicus, pluries ab Ecclesia damnatus, non sufficienter vitatur. Textus enim agit fere semper de mero iure civili, quod perperam confundit cum iure legali. Haec autem confusio radix est et origo totius positivismi iuridici. Ius etenim, sicut ait Leo XIII, est facultas moralis, quam, ut diximus, saepiusque dicendum est, absurdum est existimare veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datum. (*Libertas praestantissimum.*)

Pag. 4, ad integrum n. 2. *Placet iuxta modum*. Melius est ut supprimatur. *Ratio*: dubitari vehementer potest utrum de quaestione « facti » et pure historica iudicare aut quidquam exponere debeat Ecclesia catholica.

Pag. 5, lin. 40, ubi dicitur « nova quaedam quaestio de libertate religiosa » *placet iuxta modum*. « Cum historiae decursu igitur exortus est novus quidam modus proponendi libertatem religiosam ». *Ratio*: Non enim agitur proprio de « nova » quaestione, sed tantum de novo modo ipsam proponendi.

Pag. 6, linn. 30-43, *placet iuxta modum*. « Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius in ipsa dignitate personae atque iustitia fundatum, quod omnes homines et communitates religiosae possint sibi legitime vindicare. Cum igitur Ecclesiae incumbat munus ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum populorum huius temporis, dummodo principiis rationis humanae fulciatur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem ». *Ratio*: *a*) Ordo paragraphorum mutatur ut aptiore procedat ratione logica; *b*) Dicitur autem « populorum » ut stabiliatur « factum » non ipsa doctrina quae forsitan non semper est; *c*) Loco « quippe quod » ponitur « dummodo », quia non evidenter apparet, imo aliquoties falsum est quod regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae sit absolute probandum necne.

Pag. 7, linn. 1-15, *placet iuxta modum*. « Homo qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis intime connectitur cum aspectu interiore. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe, ad libertatem interiorem seu conscientiae, et ad liberum exercitium religionis. Ideo iniuria homini fit si quis interiorem hominis personalem libertatem religiosam agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium *iusta non de causa* deneget ». *Ratio*:

in hac paragrapho quae a nobis melius redacta proponitur, quaedam indebita et exaggerata unio inter actum interiorem hominis et exteriorem affirmabatur; iam vero, haec unio atque exigentia valent quidem pro hominis natura atque actibus in genere consideratis, non autem pro singulis atque specificis actibus, pro his scil. qui externe poni nequeunt absque laesione alicuius boni aut veri.

Pag. 7, linn. 16-17, *placet iuxta modum.* « Homo habet officium et ius quaerendi veritatem in re religiosa. Hanc autem ... ». *Ratio*: Concilium quippe non potest obligare hominem quemcumque ad quamlibet veritatem quaerendam, sed tantum loqui debet de veritate in re religiosa.

Pag. 7, linn. 30-31, *placet iuxta modum.* « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis investigationibus de re religiosa in dialogo quaerendis ... ». *Ratio*: vox enim « persuasionibus » falsam inducere posset speciem acsi homo in dialogo stabiliendo suis persuasionibus tantum duci posset.

Pag. 8, linn. 5-8, *placet iuxta modum.* « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in religione publice exercenda, ab iniusta coactione, sive legali sive sociali, immunis sit ». *Ratio*: in hac paragrapho, sicut in proxime antecedentibus, transitus fit illegitimus ex actibus hominis interioribus ad exteriores. Hic autem transitus iure non fit, nisi quando actus exteriores iuste poni possunt. Quod ceteroquin n. 5 clare iam affirmat loquens de normis limitativis.

Pag. 8-9, integra littera *e*), *placet iuxta modum.* Supprimatur. *Ratio*: tota haec paragraphus quaestiones de competentia potestatis civilis aggreditur maxime implicatas et difficiles; nec tamen sunt necessariae pro Concilio. Praeterquam quod textus eas fere omnes perperam solvit.

Pag. 9, linn. 5-7, *placet iuxta modum.* « Ea debet homini agnosci libertas, quae suae dignitati atque responsabilitati et iustitiae sit consentanea; ideo non est restringenda nisi in quantum sit necessarium ». *Ratio*: ne nimis quam par est extollatur libertas, propendens in individualismum. Ut etiam doctrina sit conformis cum n. 5, in quo normae limitativae rectissime statutae sunt.

Pag. 9, linn. 27-30, *placet iuxta modum.* « Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis quae committitur potestati publicae, ut civium vita socialis ordinatim procedat ». *Ratio*: textus enim reducebat munus potestatis civilis ad ordinem servandum modo tantum negativo, i. e. « poliziaco » et pure poenali.

Pag. 10, linn. 7-8, *placet iuxta modum.* « Itemque a potestate publica providendum est ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter solas et iustas rationes religiosas ». *Ratio*: in textu nulla erat distinctio inter solas rationes religiosas et rationes religiosas simul et civiles; neque inter rationes iustas et iniustas. Ita ut saepe fiat quod multi, sub specie religionis plurima exigant, etiam in ordine externo et publico exsequenda, quae sive legi naturali sive iuribus aliorum quam maxime adversantur. Ita e. g. prostitutio religiosa, polygamia et alia id genus.

Pag. 10, lin. 11, *placet iuxta modum.* « Per vim vel metum aut alia iniusta media ... ». *Ratio*: ut clare appareat potestatem publicam non posse in religiosa libertate regulanda, nisi media iusta adhibere.

Pag. 11, linn. 1-4, *placet iuxta modum.* « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, intra tamen normas limitativas superius positas, etiam communitatibus agnoscenda est ». *Ratio*: quia normae limitativae, in n. 5 appositae, valere

dicendae sunt non tantum pro singulis personis, verum etiam, et prae primis, pro communitatibus religiosis. Ceteroquin, textus prior recte aiebat: « intra supradictos limites a fine societatis imponendos ».

Pag. 12, ad titulum IV. Doctrina libertatis sub luce revelationis, *placet iuxta modum*. Textus emendatus absque ulla ratione organica, transitum facit ad doctrinam illustrandam sub luce revelationis. De quo modo procedendi haec animadvertenda sunt: *a*) Partes I, II, III quae doctrinam tradunt sub luce rationis, apparent iuxtapositae, non intime colligatae cum parte IV. Desideratur ergo ea intima connexio quae semper exstitit in catholica doctrina exponenda de unione inter naturam et gratiam. *b*) Inde sequitur Concilium in hac re partes agere pure naturales et iuridicas. Hoc autem ipsi Concilio minus competere videtur; exstant iam enim plurimae declarationes iuridicae de libertate religiosa, quae perfectiores sunt hoc textu, etiam emendato. *c*) Immo rei conciliari minus consentaneum videtur si textus proponendus multa dicat de libertate religiosa sub luce rationis, pauca autem et imperfecta sub luce revelationis. Hac quippe ratione agendi Concilium mundo hodierno utique consentiret; non autem mundo praeberet *verbum Dei vivificans* atque omni gladio ancipiti penetrabilius.

Pag. 12, lin. 35, ad pag. 13, linn. 1-3, *placet iuxta modum*. « Iuxta totam traditionem catholicam libertas Ecclesiae quidquam praecipuum perhibetur esse in iis quae spectant ... ». *Ratio*: quia textus, modo nimis exaggerato affirmabat « principium fundamentale » de relationibus inter Ecclesiam et Statum esse libertatem Ecclesiae. Quod nullum catholicorum, peritus in iure publico Ecclesiae unquam ausus est affirmare.

Pag. 14, linn. 3-5, *placet iuxta modum*. Verba « Unde etiam sequitur quod fides eo magis est genuina quo magis libera est et personalis » supprimantur. *Ratio*: illa verba generant ambiguitatem et aequivocitatem; nec ceteroquin sunt necessaria.

Pag. 14, ad totum n. 12, *placet iuxta modum*. Totus numerus hic ab integro retractandus est, quippe qui modo inorganico, confuso et nimis pleonastico tradit doctrinam evangelicam. Igitur petimus ut hic numerus iterum tradatur peritis in hac re, ut compendiosa atque numeris perfecta fiat Theologia biblica de libertate christiana, vestigia premendo praesertim S. Pauli et S. Ioannis; de qua re illustria exstant studia sive catholica sive etiam protestantica.

[*Subscripserunt*] V. Arroyo, vic. ap. Requena; C. Boiardo, ep. Apuania; A. De Vito, ep. Lucknow; C. Fernandez, ep. Huajuapan de Leon; F. Muguerza, ep. Orán; G. Tonetti arch. ep. Cuneo; P. Yamaguchi, arch. Nagasaki; A. Prati, ep. Carpi.

B

In pag. 7, n. 4, sub *a*). Dicitur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat... etc. ». Dicatur: « Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae, cum libertas religiosa uni subiecto integre sumpto inhaereat, et ad duo simul spectat... etc. ». *Rationes*: 1. Nam si ponitur principium tam absolutum in schemate, numquam auctoritas ulla posset prohibere ullum actum exteriorem in vita sociali, etsi perniciosum esset, etenim attentaret contra integritatem ipsam personae.

2. Principium schematis indivisibilitatis et indivisionis, et de nexu omnino indivisibili inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem contradicit principio posteriori ipsius schematis asserentis: *a*) « potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur » (cf. pag. 8, sub *e*] *Moderatio civitatis*). *b*) « Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione Status immune esse debet, *nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico...* » (pag. 9, sub *b*] *Norma iuridica*) et etiam « salvis tamen exigentiis ordinis publici » (pag. 9, sub *e*] *Moderatio civitatis*).

3. Ex eo quod homo ex natura sua non possit quin actus exteriores ponat secundum conscientiam propriam sequitur quod homini concedendum est ius ad actus exteriores sed non tamen *ad omnes* actus exteriores. Ergo separari potest mundus internus hominis ab eiusdem manifestationibus concretis.

Ad n. 4, *b*) « Inquisitio veritatis », in pag. 7. Dicitur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis ». Dicatur: « Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur ab ineundo dialogo donec ad veritatem religiosam perveniat ». *Ratio*: in textu illogice saltus fit ex officio et iure *quaerendi veritatem* ad ius exponendi *quascumque persuasiones* de re religiosa ac proinde etiam falsas.

Quocirca ius exponendi falsum oriretur ex officio quaerendi veritatem.

Haec, praeterea, illogica consequentia directe opponitur definitioni Concilii Vaticani I circa obligationem catholicorum perseverandi in fide eorumque disparem conditionem cum acatholicis (cf. DENZ.-SCHÖN. 3036). Catholici siquidem, utpote veritate gaudentes, nullam obligationem habent adhuc quaerendi veritatem, immo nec ius aliam doctrinam quaerendi; quapropter praedicationi aliarum persuasionum religiosarum subesse nequeunt.

Allusio vero, in nota 18, ad Enc. *Ecclesiam suam* non est ad rem. In Encyclicis litteris enim sermo est non de quibuslibet persuasionibus religiosis exponendis, sed de dialogo ipsius Ecclesiae, qui sic definitur a Summo Pontifice: « Itaque colloquium quasi ratio quaedam est putandum apostolici obeundi muneris atque animorum iungendorum veluti instrumentum » (*Ecclesiam suam,* p. 40).

In pag. 8, n. 4, sub *c*) *Indolis religionis.* Dicitur: « Exinde sequitur quod homo ius habet ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali ». Dicatur: « Exinde sequitur quod homo, *ordinem socialem servans,* ius habet, ut in sua religione... etc. ». *Ratio*: quia si ex ipsa natura sociali hominis exsurgit ius ad actus sociales exercendos etiam ex ipsa natura sociali hominis exsurgit necessitas et officium servandi ordinem socialem et publicum.

In pag. 11, n. 7 (Libertas communitatum religiosarum). Dicitur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda ». Dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur, in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda *libere accedentibus* ». *Rationes*: 1. Ut ex una parte intelligatur quod ius « docendi et testandi » exerceri nequit coactione sive physica sive morali erga alios, et ex alia parte ut exprimatur principium limitationis contra abusus, qui possunt exsurgere laedentes ipsam libertatem religiosam personarum.

2. In ipso schemate mentio fit limitationis iuris libertatis religiosae his verbis: « servato ordine publico », « servatis exigentiis ordinis publici ».

Tamen hic ubi de re magni momenti agitur, non exprimitur ulla limitatio. Quod non decet.

3. Posset admitti et enuntiari quod « communitates religiosae ius legale etiam habent... etc. » quia ius legale includit iudicium *prudentiale,* non autem iudicium *doctrinale,* i. e. non exprimit intrinsecam veritatem rei. Iudicium vero prudentiale attingit ordinationem iuridicam, quae adaptari debet circumstantiis concretis locorum, temporum et personarum.

Ad n. 12 (Doctrina evangelica), in pag. 14. Expungantur sequentia verba: a lin. 26, pag. 14 « Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent » etc., usque ad lin. 11 in pag. 15, quae dicit: « Exaltatus a terra omnes vi amoris traxit ad seipsum ». *Ratio*: quae ibi dicuntur falso nituntur supposito; ac si unquam miracula fidem vere coactam seu necessariam efficerent.

E contra, solemne est in Theologia motiva credibilitatis, etiam splendida, doctrinam revelatam non reddere evidenter veram sed tantum evidenter credibilem.

Libertas actus fidei semper in tuto est, nimirum ex eius obiecto formali, scil. auctoritate Dei loquentis.

[*Subscripserunt*] V. Arroyo, vic. ap. Requena; G. Tonetti, arch.-ep. Cuneo; C. Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmas; P. Gurpide, ep. Bilbao; A. De Vito, ep. Lucknow; Virg. Dondeo, ep. Orvieto; A. Prati, ep. Carpi; L. Rodriguez Ballón, arch. Arequipa.

INDEX

DOCUMENTA

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

SESSIO PUBLICA VI

(14 septembris 1965)

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio generalis CXXVIII

Congregatio Generalis CXXIX

CONGREGATIO GENERALIS CXXX

Congregatio Generalis CXXXI

Congregatio Generalis CXXXII

APPENDIX